ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS VII
CONGREGATIONES GENERALES CLXV-CLXVIII
SESSIONES PUBLICAE IX-X

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVIII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CLXV

30 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXV

30 novembris 1965

Summus Pontifex Paulus VI, comitantibus em.mo D. Paulo card. Marella, archipresbytero Basilicae Vaticanae, exc.mo D. Pericle Felici, secretario generali Ss. Concilii, et Praelatis Domus suae, ingressum facit in aulam et ad paratam sedem in media mensa consilii praesidentiae accedit.

Post S. Evangelii inthronizationem factam, exc.mus D. secretarius generalis Patres monet:

Patres venerabiles, in Missa quae hodie celebratur in honorem S. Andreae Apostoli, fratris Petri, hac novissima die novembris, velitis preces fundere pro omnibus iis qui in omnibus bellis hoc saeculo initis interempti sunt.

Animae benedictae impetrent mundo universo illam pacem quam Christus Dominus moriendo et resurgendo comparavit!

Tunc celebratur Missa. Benedictio finalis Missae a Summo Pontifice datur:

Benedictio Domini nostri Iesu Christi veniat de caelo, descendat super me et vos, et remittat peccata vestra, et expiet culpas vestras, et requiem donet animabus defunctorum vestrorum, et in libro regni caelorum nomina vestra inscribat. Nos autem et vos a confusione, die iudicii recti et iusti, liberet Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Ipsi sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

Missa expleta, Summus Pontifex ex aula discedit, comitantibus exc.mo D. Pericle Felici et Praelatis Domus suae, et prosequitur congregatio generalis.

Secretarius generalis: Congregationem 165 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Supremum diem obierunt, Patres venerabiles, exc.mi DD. Aloisius Yañez Tagle Ruiz, ep. Angelorum in Chilia, et Stephanus Uzdoczy-Zadravecz, ep. tit. Dometiopolitanus in Hungaria, olim vicarius castrensis. Oremus pro eis!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: De profundis clamavi ad te, Domine ... (et prosequitur, alternatim cum Patribus).

Oremus. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos Aloisium et Stephanum pontificali ...

Secretarius generalis: In hac congregatione, Patres venerabiles, post debitam relationem, procedetur ad suffragandos Modos schematis *de activitate missionali Ecclesiae.*

Distribuetur imprimis schema decreti *de presbyterorum ministerio et vita,* textus recognitus et Modi, super quibus fiet suffragatio feria quinta proxima, nempe die 2 decembris, prout iam nuntiatum est.

Die 2 decembris distribuetur ultimus fasciculus huius Concilii, nempe fasciculus continens Modos *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et rogamus commissionem competentem ut nos vehementer adiuvet ita ut distributio fieri possit tempore debito.

Distribuetur etiam *Intimatio* quoad sessionem publicam diei 7 decembris huius anni. Postea in intervallo legam.

Tandem distribuetur libellus qui continet Missas de S. Ioanne Baptista et de S. Ioseph. Nam, Patres venerabiles, feria quinta proxima, Missa celebrabitur in honorem S. Ioseph, qui est huius Concilii patronus, et peculiaris intentio fiet pro unitate Ecclesiae. Sabbato autem, Missa celebrabitur in honorem S. Ioannis Baptistae Praecursoris, quem Summus Pontifex, sanctae memoriae, Ioannes XXIII peculiari ratione invocavit initio huius Concilii et cuius nomen ipse accepit; huius nomen fert etiam Noster Summus Pontifex [*plausus*]. Intentio peculiaris illius diei erit pro iis, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Nunc, Patres, procedatur ad ordinem congregationis et in intervallis alias communicationes vobis dabo.

Moderator: Velit rev.mus P. Ioannes Schütte legere relationem circa Modos, propositos a Patribus conciliaribus et examinatos a commissione de Missionibus, *de activitate missionali Ecclesiae.*

SCHEMA DECRETI DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE

MODI *

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DE MISSIONIBUS
EXAMINATI

AD TOTUM SCHEMA [5]

1 — Titulus Decreti dicatur *a*) De Missionali Opere Ecclesiae (1 Pater).

b) De Missionali Ecclesiae Activitate in hoc mundo vel De Ecclesiae Opere Apostolico in hoc mundo (1 Pater).

Rationes: *a*) melior latinitas.

b) Vox « missionalis » non invenitur in S. Scriptura; activitas insuper non est proprie latinum.

R. — Una cum schemate approbatus est etiam titulus.

2 — E notis expungantur citationes modernae (26 Patres).

R. — Admittitur

CAPUT I
(cum Prooemio)

Exitus suffragationum
(10 novembris 1965)

Suff. I: nn. 1-4

Votantes	2.207
Placet	2.183
Non placet . . .	21
Vota nulla	3

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit, in singulis eorum domiciliis, die 26 novembris 1965.

[5] *Suffr. II: nn. 5-6*

Votantes	2.135
Placet	2.012
Non placet . . .	117
Vota nulla	6

Suffr. III: n. 7

Votantes	2.114
Placet	2.106
Non placet . . .	5
Vota nulla	3

[6] *Suffr. IV: nn. 8-9*

Votantes	2.128
Placet	2.083
Non placet . . .	11
Vota nulla	34, de quibus placet iuxta modum 27

Suffr. V: de integro Capite

Votantes	2.142
Placet	1.858
Non placet . . .	7
Placet iuxta modum	272
Vota nulla	5

Integrum Caput a Congregatione Generali approbatum est.

Omnes modi, a Patribus tempestive introducti, praevie ordinati sunt et deinde a Commissione sedulo examinati.

AD NUM. 1 [*Prooemium*]

1 — Incipiat « Ecclesia ad Gentes divinitus missa » (25 Patres). Verba « Ecclesia ad Gentes » sonabunt tanquam programma.

R. — Idem dici potest de verbis « Ad Gentes »; subiectum autem « Ecclesia » nimis longe distans a verbo, iuxta experientiam pluries in Commissione factam, phrasim obscuram reddit.

2 — Incipiat « Divinitus missa ad (omnes) gentes » ut citari possit « Divinitus missa » (2 Patres).

R. — Aeque bonum videtur citari « Ad Gentes ».

3 — Unus Pater proponit, ut in lin. 2 loco « universale salutis sacramentum » dicatur « universale medium salutis a Christo institutum ». [6]

R. — Non potest admitti, quia textus ex Constitutione Lumen Gentium, 48, depromptus est.

4 — Idem Pater pro linn. 13-19 breviorem textum proponit, in quo citatio *Mt.* 5, 13-14 et verba de creatura salvanda et renovanda omittuntur, quia textus impressus secundum eum quemdam naturalismum exprimit.

R. — Textus maneat, quia nullum naturalismum exprimit, sed e contra rationes theologicas et biblicas melius in lucem ponit.

5 — Unus Pater proponit in lin. 1 scribere « ad *omnes* gentes *docendas* divinitus ... ». [7]

R. — Textus maneat. « Gentes » est allusio ad « Lumen gentium » et de se universalismum exprimit. « Docendas » est nimis limitatum.

6 — Idem Pater proponit in lin. 5 s. loco « afferre » scribere « nuntiare ».

R. — Admittitur.

7 — Idem Pater proponit, ut in lin. 12 legatur « ... ubique perveniat », quia « condere regnum » secundum eum hodie non bene sonat.

R. — « Condatur » additum est ex desiderio Patrum. Vide Modum 9, ubi nova formula proponitur.

8 — Idem Pater in lin. 25 s. « per angustam viam crucis procedere » expungi vult, quia in Prooemio solus modus substantialis indicandus esset. Alius Pater vult etiam viarum gloriosarum mentionem fieri.

R. — Textus maneat, quia via crucis ad substantiam pertinet. De cetero idea in textu expressa est classica.

9 — Quattuor Patres diversis modis difficultates movent contra verbum « condatur » in lin. 12 (cf. etiam Modum 7), sive quia Regnum iam a Domino conditum est sive quia condere « extrinsecismum » sonaret. Unus proponit « Regnum Christi » loco « Regnum Dei ».

R. — Loco « condatur » dicitur « instauretur ». Maneat « Regnum Dei »; cf. Const. Dogm. « Lumen Gentium », 5.

[7] 10 — Unus Pater postulat, ut in lin. 6 s. loco « super quos ... fundata » dicatur « in quibus ... condita » secundum formulam Const. « Lumen Gentium ».

R. — Admittitur.

11 — Unus Pater vult, ut in lin. 15 s. omittatur « urgentius », quia officium Ecclesiae obiective semper idem est.

R. — Stet textus, quia ex contextu pater vocem « urgentius » non exprimere obligationem obiective mutatam, sed novas circumstantias, quae obligationi immutatae novam « urgentiam » dant.

[8] 12 — Unus Pater vult citationem *Eccli.* 36, 19 deleri, quae non videtur recta.

R. — Ponitur « Cf. ». Textus sumitur ex epistola Missae Pro Prop. Fide.

AD NUM. 2 [*Propositum Patris*]

1 — Caput I partim mystica, partim iuridica enuntiat, minime vero pastoralia Boni Pastoris qui venit « ut vitam habeant, et abundantius habeant (1 Pater).

R. — Non est Modus praecisus.

2 — Tres Patres quoad totum numerum difficultatem movent, quasi doctrina de Sanctissima Trinitate hic minus recte adhiberetur et omnia ad Patrem referrentur, cum revera tota Trinitas ad extra agat sicut unum Principium.

R. — *a*) De se patet textum non intendere tractatum de Trinitate, sed hunc tractatum praesupponere et in eo fundari.

b) Modus loquendi quam maxime ad Const. « Lumen Gentium », 2, accedit, ubi eodem modo de Proposito Patris etc. sermo fit.

c) Modus loquendi est biblicus. Etiam S. Scriptura, in qua verbum « Deus » exceptis paucis casibus semper Patrem significat, non solum creationem Patri appropriat, sed etiam propositum salutis, caritatem etc. (cf. e. g. *2 Cor.* 13, 13; *Rom.* 4, 5; 5, 5; *2 Tim.* 1, 9 et abundantiam textuum apud W. Thüsing, *Die Theozentrik beim Apostel Paulus,* Trier 1965).

d) Tamen accipitur propositio unius horum Patrum concreta et in lin. 9 loco « bonitatem suam » dicitur « bonitatem divinam ».

3 — Decem Patres diversis Modis difficultates movent quoad lin. 4 s. « ex quo ... procedunt », quia secundum eos diversitas proces-

suum Personae Filii et Personae Spiritus Sancti non satis exprimitur. [8]

R. — Scribatur « ex quo Filius gignitur et Spiritus Sanctus per Filium procedit ».

4 — Unus Pater expungi vult linn. 4-5 « cum sit... procedunt », quia « complicant lectionem ».

R. — Textus maneat, quia exprimit connexionem missionis Ecclesiae cum missionibus externis Personarum divinarum, quae iterum connectuntur cum processionibus divinis (cf. S. Thomas, *S. theol.* [9]
I q. 43).

5 — Idem Pater in lin. 7 vult inseri « nos » ante « libere creans ».

R. — Textus maneat. « Libere creans » consulto est generale, quia Deus non solum nos, sed omnia creavit.

6 — Idem Pater in lin. 13 loco « procurando » aliud vocabulum desiderat.

R. — Textus potest stare.

7 — Unus Pater censet pag. 6 linn. 13-18 mutandas vel supprimendas esse, quia vocatio singulorum ad gratiam et constitutio fidelium in Populum Dei hic confunduntur.

R. — Textus quoad rem et partim etiam quoad verba ex Const. Lumen Gentium, 9, desumptus, stare potest.

8 — Duo Patres formulam « non tantum singulatim » in lin. 14 impugnant sive quia non sat clara esset sive quia tolleret necessitatem communitatis (= Ecclesiae).

R. — Stet textus. « Singulatim » sumitur ex Const. « Lumen Gentium »; « tantum » additur secundum vota aliquorum Patrum, qui vocationem etiam personalem exprimi volunt.

9 — Duo Patres postulant, ut in lin. 7 omittatur verbum « insuper », quia actio creandi, sicut dicunt, « iam includit destinationem ad salutem supernaturalem ».

R. — Textus debet remanere, ne confusio oriatur inter ordinem naturalem et supernaturalem.

10 — Unus Pater in lin. 10 post « desinit » de peccato originali aliquid vult inseri.

R. — Non admittitur. Etsi textus, qui non de omnibus agere potest, peccati originalis explicite mentionem non facit, tamen de peccato et redemptione in n. 3 fuse loquitur et doctrinam de peccato originali praesupponit.

[9] AD NUM. 3 [*Missio Filii*]

1 — Unus Pater proponit verbum « aliquando » in lin. 27 s. expungere, quia non necessarium.

R. — Textus, qui contra aliquem optimismum exaggeratum dirigitur, debet stare.

[10] 2 — Tres Patres postulant, ut totum incisum linn. 19-29 deleatur ad vitandas inutiles repetitiones.

R. — Expunctio esset contra normas generales, quia textus est approbatus. Quam multi episcopi insistunt in hac idea.

3 — Iidem tres Patres postulant, ut linn. 15-20 p. 7 (Sancti Patres ... 9, 28) deleantur, quia secundum eos falsam doctrinam innuunt, secundum quam tota humanitas, eo quoad aliquo modo fuit assumpta a Christo, iam salvata est.

R. — Textus debet stare, quia solummodo repetit doctrinam communem sanctorum Patrum, quae magni momenti est ad stabiliendam doctrinam sequentem circa paupertatem.

4 — Unus Pater postulat, ut in p. 7 lin. 3 post « inhabitat » inseratur « omnis » secundum textum allegatum *Col.* 2, 9.

R. — Admittitur.

5 — Idem Pater postulat, ut in lin. 6 aut dicatur « plenum » (secundum textum Vulgatae) aut in lin. 7 ante *Io.* 1, 14 inseratur « cf. ».

R. — Textus sequitur textum graecum et potest stare.

6 — Duo Patres volunt in lin. 7 s. loco « per vias verae Incarnationis » ponere « per Incarnationem », quia textus non esset intelligibilis.

R. — Maneat textus. Hic modus dicendi iam communis evasit.

7 — Unus Pater postulat, ut in lin. 10 loco « nos » dicatur « vos » secundum textum Sacrae Scripturae.

R. — Deletur unca in lin. 9 (ante « propter ») et sic satisfit observationi.

8 — Unus Pater proponit in lin. 30 loco « in ipso » scribere « ab Ipso », quia genus humanum salvum factum est non propter ea quae in Ipso, sed quae ab Ipso facta sunt.

R. — Maneat textus (« Ipso » maiuscula scribendo): cf. *2 Cor.* 5, 19; *Col.* 1, 22.

AD NUM. 4 [*Missio Spiritus Sancti*] **[10]**

1 — Unus Pater proponit in p. 8, lin. 2 s. redire ad priorem textum et loco « discipulos » dicere « apostolos », quia constat die Pentecoste solos Apostolos praedicasse, et in loco *Io.* 14, 16 postea allegato sermo ad solos Apostolos dirigitur.

R. — Textus debet manere, quia correspondet *Act.* 1, 14 s. In loco *Ioann.* 14, 16 apostoli supponunt pro Ecclesia omnium temporum. De mandato speciali hierarchiae vide n. 5. **[11]**

2 — Unus Pater vult supprimere verbum « publice » p. 8, lin. 5, quia sufficerent verba « manifestata est ».

R. — Textus maneat, quia etiam manifestatio individualis cogitari posset.

3 — Unus Pater postulat, ut ubique in hoc numero dicatur « Spiritus Sanctus », etiam ubi nunc legitur simpliciter « Spiritus ».

R. — Admittitur (i. e. in linn. 13 et 15 post « Spiritu » inseratur « Sancto »; in lin. 22 post « Spiritus » inseratur « Sanctus »).

4 — Idem Pater proponit in lin. 10 omittere verba « intelligit et ».

R. — Non accipitur, quia ideam obscurat.

5 — Unus Pater proponit sententiam lin. 11 « et sic dispersionem Babelicam superat » supprimere, quia dispersionem populorum Dei voluntati respondisse apparet (cf. *Gen.* 1, 28).

R. — Textus stet. Dispersio distinguenda est ab impletione terrae. De hac re quasi unanimis consensus Patrum habetur. Cf. notam 6.

6 — 50 Patres novam formam sententiae « A Pentecoste... ministerii sui » (linn. 11-16) proponunt, quae cum conceptione Domini a B. M. V. incipit et post « Virginem Mariam » inserit « consentientem ». Quoad Pentecosten sic sonaret: « ... in Pentecoste in Apostolos et Discipulos cum Maria precantes Spiritu afflante inceperunt « actus Apostolorum ».

R. — Modus prout iacet non accipitur.

a) Propter cohaerentiam logicam textus a Pentecoste incipere debet.

b) Textus propositus est valde onerosus.

c) De consensu B. M. V. hic non est locus loquendi.

7 — Unus Pater linn. 2-23 novum ordinem textus proponit.

R. — Non accipitur, quia textus habet suum ordinem bene fundatum.

[11] 8 — 6 Patres in linn. 13-16 post « Apostolorum » proponunt scribere « eodem Spiritu Apostolos ducente, de quo conceptus fuerat Christus ex Maria Virgine, et qui, in Christum orantem descendens, Ipsum impulit ad opus ministerii sui ». Ratio eorum est servare
[12] expressionem traditionalem actionis Spiritus Sancti in Conceptione Verbi incarnati, ne Spiritus Sanctus appareat origo Christi, sed tantummodo causa sanctificationis Mariae, ut sit ipsa mater Dei.

R. — Ad tollendam difficultatem sufficit delere « e » in lin. 13. De reliquo ergo textus potest stare.

9 — Unus Pater novum ordinem eiusdem sententiae (linn. 11-16) proponit et imprimis loco « Christus actus fuerat ad opus ministerii sui » proponit dicere « Christus operi sui ministerii initium dederat » (lin. 16). Duo alii Patres similiter textum iam a lin. 14 volunt mutare scribendo « ... fuerat Christus et idem Spiritus in Christum orantem descendit cum opus ministerii sui inciperet ». Ratio eorum diversis modis eadem est, quia Spiritus Sanctus non est causa impulsionis Christi ad opus ministerii sui, quippe cum Christus a primo ingressu in mundum omnia dona et charismata habuerat superabundanter.

R. — Textus potest stare. Cf. *Lc.* 4, 1; *Mt.* 4, 1; *Mc.* 1, 12 et expressionem Sanctorum Patrum, qui saepe simili modo loquuntur et parallelismo a schemate insinuato haud raro utuntur (cf. e. g. S. Basilius, *De Spiritu Sancto,* c. 16, citatus a Leone XIII in Encycl. *Divinum illud, A.S.S.* 29 [1896-1897], p. 648).

10 — Unus Pater proponit uncinas tollere apud « Actus Apostolorum » (lin. 12 s.), quia obscurant textum.

R. — « Actus » scribatur cum minuscula et evanescit difficultas (cf. supra Modum 6, ubi hoc inter alia propositum est).

11 — Duo Patres post « Actus Apostolorum » ita volunt scribi: « ... sicuti *de* Spiritu in Virginem Mariam superveniente *olim* conceptus Christus, eodem Spiritu in *se* orantem descendente *ipse* actus fuerat ad opus ministerii sui ». Sic textus fieret clarior.

R. — Non accipitur, quia textus sat clarus est.

12 — Unus Pater loco « conceptus fuerat Christus » dicere vult « inceptus fuerat vita verbi Dei in terris ». Loco « actus fuerat ... » proponit scribere « initium ministerii sui publice exercendi factus fuerat ».

R. — Textus schematis Sacrae Scripturae propinquior est. Quare Modus non admittitur.

13 — Unus Pater pro eisdem lineis sequentem commendat formulam: [12]
« A pentecoste enim coeperunt "Actus Apostolorum", Spiritu informati sicut eodem Spiritu in Christum orantem descendente, [13]
ipse Dominus actus est ad opus ministerii sui ».

R. — Expressio proposita non congruit (« Actus » non informantur).

14 — Unus Pater in lin. 15 loco « descendente » scribere vult « superveniente ».

R. — Textus debet stare, cf. *Lc.* 3, 22.

15 — Unus Pater sententiam linn. 15-22 (« Ipse... adducendo ») in lin. 2 (post « glorificaretur ») vult poni propter meliorem ordinem logicum.

R. — Textus suo loco manet, quia de consociatione inter ministerium apostolicum et Spiritum Sanctum tempore Ecclesiae agit.

16 — Unus Pater in lin. 30 loco « mittendum » ponere vult « missurus».

R. — Propositio quoad latinitatem accipi non potest.

17 — Idem Pater in lin. 28 loco « instillando » substituere vult « infundendo ».

R. — Textus potest stare.

18 — Duo Patres sententiam linn. 22-28 (« Spiritus... instillando ») ante sententiam linn. 17-22 (« Ipse... adducendo ») inserere volunt, propter ordinem logicum (cf. propositionem supra sub 15 allatam).

R. — Textus maneat. Ordo enim est primo loqui de initio actionis Spiritus Sancti, deinde de Eius opere tempore Ecclesiae exsequendo, inprimis quoad ministerium apostolicum, et denique de toto ambitu actionis etiam charismaticae Spiritus Sancti.

19 — Iidem duo Patres ultimam sententiam (« Aliquando... dirigit », linn. 28-31) omittere proponunt, quia Spiritus Sanctus non tantum aliquando, sed semper praevenit actionem apostolicam, eam inspirando etc. Quattuor alii Patres eadem de ratione vel verbum « aliquando » tollere volunt vel declarationem addendam (diversis formulis) proponunt.

R. — Textus non loquitur de gratia praeveniente, sed de initiativis in inceptis visibilibus. Additur nunc post « apostolicam » (lin. 29) « visibiliter ». Cf. insuper referentiam in nota 11 datam.

[14] AD NUM. 5 [*Ecclesia a Christo missa*]

1 — 12 Patres novum ordinem pro toto numero proponunt et in lin. 13 post « Ecclesiae » inserere volunt « simul cum sollicitudine servandi unitatem Spiritus in vinculo pacis (cf. *Eph.* 4, 3) ». Cum enim numerus de missione totali Ecclesiae agat, semel saltem secundum eos clare dicendum esset hanc missionem totalem varia activitatis genera continere.

R. — *a*) Textus habet suum ordinem, qui potest stare.
b) Insertio proposita non videtur necessaria, quia propter rationem allatam iam dicitur « salutemque » (lin. 14). Vide etiam linn. 24-32, ubi explicite de variis activitatis generibus sermo fit.

2 — In p. 8, lin. 35 unus Pater ante « *Mt.* 10, 1-42 » vult inseri « Cf. ».

R. — Admittitur.

3 — Duo Patres in p. 8 lin. 36 loco « Apostoli » dici volunt « Collegium Apostolorum ».

R. — Correctio non videtur necessaria, quia nihil affert.

4 — Duo Patres contra verbum « origo » in lin. 37 difficultatem movent, quia solus Christus est sacrae hierarchiae origo.

R. — Textus potest stare, quia « origo » non habet sensum tam strictum in traditione.

5 — Unus Pater in p. 8 lin. 38 post « resurrectione » proponit addere « et ascensione ».

R. — Admittitur.

6 — Unus Pater in p. 9 lin. 2, *Act.* 1, 8-11 loco *Acta* 1, 11 nominari vult.

R. — Citatio textus est magis stricta.

7 — Unus Pater pag. 9 linn. 2-3 loco « sacramentum salutis » vult ut dicatur « medium salutis ».

R. — Non potest admitti, quia textus ex Const. Dogm. Lumen Gentium desumptus est.

8 — Ad pag. 9 linn. 13-23 unus Pater negat officium Ecclesiae fidem propagandi etiam ex virtute vitae membrorum Corporis Christi a Domino infusae exsurgere.

[15] R. — Textus compositus est secundum postulata multorum Patrum. Revera officium fidem propagandi non solum ex mandato, sed etiam ex ipsa vita a Christo fidelibus communicata provenit.

9 — Unus Pater linn. 14 et 17 loco « tum ... tum » dici vult « imprimis ... deinde etiam », ut diversitas mandati sacrae hierarchiae impositi ab eo, quod omnes christianos afficit, clarius in lucem ponatur. [15]

R. — Textus potest stare, quia ex toto n. 5 et initio n. 6 patet doctrinam in modo propositam in textu iam sufficienter exprimi.

10 — Duo Patres volunt, ut in lin. 15 loco « post Apostolos » dicatur « ab Apostolis ».

R. — Admittitur.

11 — Unus Pater postulat, ut in lin. 16 ante « Successore Petri » inseratur « capite suo ». Alius Pater vult dici « sub et cum Successore Petri ».

R. — Additiones non necessariae, quia Constitutio « Lumen Gentium » semper praesupponitur neque omnia semper repeti possunt. Cf. Initium n. 6 et formulam promulgationis Decretorum Conciliarium.

12 — Unus Pater vult expungi verba « quod post Apostolos ... Summo Pastore » (linn. 15-17) *a*) ne mandatum Missionis ad S. Hierarchiam restringi videatur; *b*) quia missio et virtus vitae debet afficere omnia membra corporis Christi.

R. — Stet textus, quia

a) solummodo differentia missionis hierarchiae et membrorum non hierarchicorum insinuatur;

b) ex citatione *Eph.* 4, 16 et ex sequentibus communis affectio virtute vitae patet.

13 — Tres Patres proponunt *a*) lin. 15 s. loco « una cum ... Pastore » dicere « sub cura et regimine Petri Successoris Ecclesiaeque Summi Pastoris ». *b*) Post « Pastoris » volunt inserere « ipsique cooperantibus Presbyteris ».

R. — *a*) Non admittitur.
b) Inseritur « cooperantibus Presbyteris ».

14 — Unus Pater proponit linn. 15 et 18 loco « virtute » dicere « ratione ».

R. — Textus stet. « Ratione » sapit scholam.

15 — Unus Pater in lin. 18 pro « influere » vult substituere « infundere », quia influere esset intransitivum. [16]

R. — Stet textus. Apud doctores medii aevi « influere » transitive adhibetur.

[16] 16 — 22 Patres pro verbis « omnibus ... vitae et » (linn. 26-28) aliam formulam proponunt, quae de augmento corporis Christi agit. Ratio eorum est, quia in textu schematis novam prospectivam finis Ecclesiae vident, secundum quam Ecclesia sit tantum signum vel ad praesentiam in mundo.

R. — Textus stet. Iam explicite de augmento corporis Christi sermo fit in n. 7, imprimis p. 12 lin. 39, et iterum in fine n. 9 p. 15, linn. 30-37. Ergo « nova prospectiva », de qua ratio loquitur, nullo modo in capite adest et intentio Modi in textu iam adimpletur.

17 — Duo Patres pro linn. 27-32 breviorem textum proponunt, omittendo imprimis verba « ad fidem ... adducat » (lin. 29 s.).

R. — Stet textus. « Libertas » et « pax » sunt sat magni momenti.

18 — 29 Patres pro lineis 33-35 longiorem textum de paupertate proponunt cum citatione *Phil.* 2, 6 s.

R. — Scribatur in lin. 34 post « explicet » « missionem ipsius Christi, qui evangelizare pauperibus missus est ». Sic intentioni Modi satisfit.

19 — Unus Pater in lin. 35 loco « instigante » vult aliud verbum, quia instigare non semper habet sensum motus erga bonum, sed saepe erga malum.

R. — De se patet, actionem Spiritus Christi semper ad bonum esse.

20 — Unus Pater pro linn. 35-36 textum abbreviatum proponit.

R. — Stet textus.

21 — Unus Pater proponit in lin. 36 ante « procedere » inserere « Ecclesia », quia nunc subiectum grammaticum est « missio », de qua « immolatio sui ipsius ad mortem » enuntiari non potest.

R. — Admittitur. In lin. 33 deletur « Ecclesiae ».

22 — Tres Patres monent, ut post « paupertatis » inseratur « oboedientiae » (lin. 37), quod iam a Commissione statutum erat, sed per mendum exciderat.

R. — Admittitur.

[17] 23 — Unus Pater ibidem vult inserere « veritatis et caritatis ».

R. — Non est locus huius additionis. Agitur de paupertate.

AD NUM. 6 [*Activitas missionalis*]

1 — 12 Patres novum ordinem totius numeri proponunt magis logicum.

R. — Propositio ex parte admittitur, ita ut

a) p. 11 lin. 12 (« Cum qualibet ... ») - lin. 40 (« *Act.* 2, 42 ») transponantur in p. 10 et ante lin. 31 inserantur. Verba « Cum qualibet ... debent » (textus impressus p. 12 linn. 12-14) in p. 10 lin. 29 post « assumit » in eodem inciso adduntur. Reliqua novum incisum in eadem pagina inserendum efformant. [17]

b) Incisum de oecumenismo nunc in fine n. 8 p. 14 linn. 28-38 positum iidem Patres in finem n. 5 transponere volunt, ubi tamen secundum iudicium Commissionis locus congruus agendi de hac re non adesset. Sed transponitur incisum hoc in finem n. 6 et ut proprium incisum post « coniunguntur » (p. 12 lin. 9) additur. Emendationes particulares huius textus suo loco (i. e. sub n. 8) declarabuntur.

2 — Unus Pater alio modo novum ordinem textus proponit.

R. — Iam provisum, vide sub 1.

3 — Unus Pater in p. 10 lin. 5 loco « Ordine Episcoporum » vult scribi « hierarchia », ut Presbyteri includantur. Idem Pater in lin. 37 post « officium » inserere vult « praecipue » eadem de causa.

R. — In p. 9 lin. 16 iam insertum est « cooperantibus Presbyteris » (cf. N. 5 Modus 11 b) et sic satisfactum est voto.

4 — Unus Pater linn. 24-26 p. 10 delere vult ut iniuriosas Ecclesiae Sanctae Dei, quae semper plenitudinem mediorum salutis comprehendit.

R. — Textus stet, quia non de Ecclesia in seipsa loquitur, sed de condicione Ecclesiae localis. Quae dicuntur, traditionalia sunt in theologia missionali.

5 — Unus Pater in p. 10 lin. 35 deleri vult « statim ».

R. — Admittitur.

6 — Idem Pater in lin. 38 s. loco « qui adhuc foris sunt » dicere vult « et qui intra et qui foris sunt ».

R. — Non admittitur, quia differentia est inter praedicationem ad intra [18] et ad extra. Insuper in textu nullo modo negatur evangelium semper etiam ad intra praedicandum esse.

7 — Unus Pater proponit in p. 11 lin. 1 s. scribere « Ecclesia tunc debet perpendere, num ... ».

R. — Admittitur.

8 — Tres Patres redeundo ad priorem textum in lin. 10 (p. 11) inserere volunt « obstacula removendo ». Expungere volunt « et ipsum ...

[18] praesentem reddere », quia ante fidem Christus non est praesens nisi praesentia universali Deitatis.

R. — Non admittitur. Secundum desideria aliquorum Patrum « obstacula removendo » deletum est, quia saepe, ex. gr. apud Muslimos, non possunt removeri obstacula. Quoad praesentiam Christi formula cauta in textu adhibita certe adhiberi potest.

9 — Unus Pater in eisdem lineis dicere vult « ... et sic Dominum aliquo modo praesentem reddere, vias Ipsi praeparantes ».

R. — Non admittitur. Idea textus mutaretur, quia « praeparare vias » et « praesentem reddere » non est idem.

10 — Unus Pater linn. 3-11 delere vult, quia putat eas falso principio fovere: prius socializatio — dein evangelizatio.

R. — Non admittitur. Idea haec intentioni textus totaliter extranea est.

11 — Unus Pater in linn. 5-6 loco « praeconium evangelicum directe » dicere vult « divinitatis Christi mysterium publice ».

R. — Non admittitur, quia non solum de mysterio divinitatis Christi agitur, sed de tota praedicatione evangelica. Verbum « publice » non minus ansam praebet ambiguitatibus quam « manifeste ».

12 — Unus Pater postulat ut pag. 11 lin. 10 « ipsum » cum maiuscula scribatur.

R. — Admittitur.

13 — 60 Patres pro linn. 14-20 novum textum proponunt, ut in
notione activitatis missionalis tamquam missionalia omnia illa
territoria comprehendantur, quae merito talia sunt. Textus pro-
positus sic sonat: « Incepta peculiaria quibus Evangelii prae-
cones ab Ecclesia missi, euntes in mundum universum, munus
[19] Evangelium praedicandi et Ecclesiam ipsam implantandi exse-
quuntur, communiter « Missiones » nuncupantur, quae per
activitatem missionalem perficiuntur et plerumque exercentur
in certis territoriis a Sancta Sede agnitis ».

R. — Propositio ex parte admittitur dicendo: « Incepta peculiaria, quibus Evangelii praecones ab Ecclesia missi, euntes in mundum universum, munus Evangelium praedicandi et Ecclesiam ipsam implantandi inter populos vel coetus nondum in Christum credentes exsequuntur, communiter « Missiones » nuncupantur, quae per activitatem missionalem perficiuntur, et plerumque exercentur in certis territoriis a Sancta Sede agnitis ».

Ratio: Formula proposita non potest integre admitti, quia nimis vaga esset et ansam praeberet interpretationibus minus rectis. Pro parte autem accipitur, ut clarius in lucem veniat intentioni in Modo expressae in textu iam satisfieri, si attendatur ad explicationem notae 15 et ad relationem tam generalem quam particularem textus emendati. [19]

14 — Unus Pater animadvertit pag. 11 lin. 16 verbum « suiipsius » barbare sonare.

R. — Provisum est in Modo praecedenti.

15 — Alii 151 Patres eisdem de rationibus in lin. 16 post « plantationis » inserere volunt « inter omnes creaturas praesertim vero ... ».

R. — Eadem ratio valet sicut in Modo praecedenti. Ergo inquantum, secundum normas, quoad textum a maiore parte Concilii approbatum possibile, iam provisum est.

16 — Unus Pater in lin. 16 loco « plantationis » dicere vult « insertionis », quia « plantatio » secundum eum curiose sonat.

R. — Non admittitur. Verbum « plantatio » quasi classicum est in hac materia (cf. notam 14).

17 — Unus Pater in lin. 20 s. post « perficiuntur » dicere vult « et exercentur hinc in certis territoriis adhuc ab Apostolica Sede agnitis, illinc inter istas turbas quae a Christo longe sunt ».

R. — Non potest accipi, quia textum a maiore parte Concilii approbatum essentialiter mutaret.

18 — Tres Patres pro linn. 21-33 clariorem redactionem postulant.

R. — Providetur

a) secando phrasim in duas sententias, quarum prima in lin. 24 verbis « radicata est » finitur. Prosequitur textus « Ita ex semine ... ». [20]

b) Deletur « cuius auditus ... convertat » (lin. 25 s.).

c) Emendatur mendum typographicum et dicitur in lin. 31 s. loco « ornata » « instructae » (vide Modum 19 *c*).

19 — Unus Pater proponit

a) in lin. 24 loco « et » dicere « vel » propter congruentiam cum lin. 17;

b) in lin. 30 loco « unita » dicere « unitae »;

c) in lin. 31 s. loco « ornata » dicere « instructae» (similiter duo alii Patres);

[20] *d*) in lin. 34 loco «quod annuntiandum» «ad quod annuntiandum» ratione latinitatis (idem tres alii Patres);

e) in lin. 36 loco «mensa eucharistica» «pane eucharistico».

R. — *a*) Admittitur.

b) Non admittitur.

c) Admittitur.

d) Admittitur.

e) Admittitur.

20 — 12 Patres proponunt, in lin. 27 loco «locales» scribere «particulares».

R. — Admittitur.

21 — Unus Pater postulat ut pag. 11 lin. 36 deleantur verbum «renati» necnon citatio *1 Pt.* 2, 23.

R. — Mendo typographico exciderunt verba «per verbum Dei»; citatio debet esse *1 Pt.* 1, 23.

22 — 5 Patres proponunt in pag. 12 lin. 4 loco «Itaque differt» scribere «Differt autem».

R. — Scribitur «Ita differt».

23 — 2 Patres lin. 4-9 pag. 12 delere volunt, ut repetitiones vitentur.

R. — Non est repetitio eorum, quae in aliis numeris de Oecumenismo dicuntur. Aliquo modo tamen de hac re provisum est, quia incisum de oecumenismo nunc in fine n. 8 prostans huc transponitur.

[21] AD NUM. 7 [*Rationes et necessitas act. miss.*]

1 — Unus Pater in pag. 12, lin. 25 post «confirmavit» addere vult «Eandem enim Ecclesia habet necessitatem quam ipse, Cuius est Corpus». Sic ratio interna necessitatis Ecclesiae ad salutem in lucem ponatur.

R. — In lin. 20 post «Ipsi» inseratur «et Ecclesiae, quae corpus Eius est» et sic intentioni satisfit.

2 — Unus Pater proponit *a*) in lin. 31 «fides» cum minuscula scribere;

b) ibid. verba «sine eorum culpa» ut superflua omittere.

R. — *a*) Admittitur.

b) Textus stet. Quoad rem Const. *Lumen Gentium* sequitur.

3 — Unus Episcopus pro linn. 30-37 novam redactionem proponit, quae Ecclesiam ut Epiphaniam et signum describit, ut tam libertas Dei in salvando quam necessitas Ecclesiae profundius fundetur. [21]

R. — Textus maneat. Innititur in Const. *Lumen Gentium.* De Epiphania in n. 9 sermo fit.

4 — Tres Patres in linn. 33-35 aliquid de iure hominum audiendi Evangelium dicere proponunt.

R. — Non admittitur. Ius audiendi Evangelium non est incondicionatum.

5 — Unus Pater virgulam post « sacrum » (lin. 34) deleri vult.

R. — Admittitur.

6 — Duo Patres in pag. 13 linn. 1-2 proponunt expungere « gloriamque ... satagunt ».

R. — Admittitur.

7 — Tres Patres in pag. 13 lin. 7 s. loco « conscie et plene » dicere volunt « explicite et secure », ne doctrina de christianis anonymis insinuari videatur.

R. — Non admittitur, quia etiam « explicite » « implicitam » cognitionem innuere videtur et sic nihil mutatur.

8 — Unus Pater proponit pag. 13 linn. 11-14 emendationem stylisticam.

R. — Mutatio non est necessaria.

9 — Tres Patres in lin. 18 post « condentis » addere volunt « et ad vitam aeternam possidendam elevantis », quia (sicut dicunt) alias esset falsa sententia, confundens ordinem naturalem et supernaturalem. [22]

R. — Additio non necessaria, quia de re iam provisum est, cf. responsionem ad Modum 7 n. 2, et hic lin. 19 s.

10 — Unus Pater in lin. 17 s. loco « ad imaginem ... condentis » scribere suggerit « mirabiliter condentis et mirabilius reformantis ».

R. — Non admittitur, quia de redemptione agitur in lin. 19 s.

11 — Unus Pater contra formulam « tandem ... revera adimpletur » (linn. 16 et 18) difficultatem movet, quia consilium Creatoris in homine ante peccatum iam impletum erat.

R. — Textus potest stare, quia ideam biblicam exprimit in fine intentionem originariam Dei adimpletum iri.

[22] AD NUM. 8 [*Act. miss. in vita historiaque hominum*]

1 — Unus Pater in p. 13 lin. 36 s. loco « genuinam ... veritatem » scribere vult « primaevam eorum condicionem atque supernaturalem vocationem ». In lin. 40 post « omnes » inserere vult « Spiritus Sancti gratia moti », quia contextus immediatus de vocatione ad vitam supernaturalem agit.

R. — Satisfit intentioni inserendo « integrae » ante « vocationis » (lin. 36). Quoad secundum propositum (ad lin. 40) dicendum textum stare debere, quia aliquo modo desiderium naturale insinuat, quin de eius efficacitate decernat.

2 — Unus Pater ante « vocationis » inserere vult « altioris » (lin. 36). Post « humanitatis » (lin. 38) loco « novae » dici postulat « sanguine suo regeneratae et renovatae », dum alii duo Patres proponunt sicut in pag. 7 lin. 3 loco « novae » dicere « renovatae ».

R. — Loco « novae » dicitur « renovatae » (lin. 38); quoad vocationem vide Modum praecedentem.

3 — Duo Patres pro linn. 37-40 sequentem textum proponunt: « ...cum Deus eo destinaverit homines a se seiunctos et inter se divisos ut in Christo Novo Homine coadunarentur in spiritu fraternitatis et pacis (cf. *Eph.* 2, 11-12) ». Ratio eorum est revelationem vocationis hominum in Christo exponendam esse a
[23] proposito supernaturali Dei et non relate ad adspirationes humanas, quia secus opus Christi videtur reduci ad quid adimplens illas naturales adspirationes.

R. — Non admittitur. Textus non intendit tractatum dogmaticum de vocatione hominis, sed aliquod momentum psychologicum tangit quoad quandam coincidentiam inter adspirationes humanas et finem activitatis missionalis Ecclesiae.

4 — Unus Pater proponit pag. 14 linn. 2-3 loco « nemini et nullibi » dicatur « apud nullam gentem vel nationem ».

R. — Non videtur opportunum cum in eadem linea iam agatur de « stirpe et natione ».

5 — Unus Pater in pag. 14 lin. 9 s. in verbis « iudicii ... vitae » inversionem tali modo proponit, ut positiva prius nominentur.

R. — Textus stet, quia animadversio non videtur satis fundata (cf. *1 Cor.* 15, 46-51).

6 — Duo Patres in pag. 14 lin. 11 loco « mortem inferendo » scribere volunt « vetustate devicta », quia homo non ex propria virtute vetustati mortem inferre potest. [23]

R. — Textus potest stare, qui contextus sat clarus est.

7 — Unus Pater in lin. 19 s. loco « omnes vero » vult scribi « sed omnes » propter logicam.

R. — Emendatio non necessaria.

8 — Unus Pater in lin. 21 loco « liberatore » scribere vult « redemptore ».

R. — Non admittitur.

9 — Duo Patres linn. 23-25 novam redactionem proponunt, ne libertas et progressus temporibus anteactis, fraternitas, unitas et pax temporibus futuris exclusive tribui videantur.

R. — Maneat textus. Sat clarum est eum non distribuere velle diversa bona ad diversa tempora.

10 — Unus Pater proponit in lin. 28 loco « Revera autem divisio » scribere « Divisio autem ».

R. — Admittitur. Insuper propter novum contextum, ad quem hoc incisum nunc transponitur (cf. n. 6, Modos 1 Resp. *b*) loco
« nuntium hoc pacis obscurat » nunc verbis ex Decreto De [24]
Oecumenismo, 1, assumptis dicitur: « Sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae detrimentum affert ».

11 — Unus Pater in linn. 34-36 loco « in uno ... reddant » scribere proponit « in uno grege coadunentur et ita coram gentibus de Christo, Domino suo, unanimiter testimonium reddere possint ».

R. — Admittitur.

12 — 57 Patres pro toto inciso a linn. 28-38 novum textum proponunt, quia textus schematis secundum eos ambiguus est et indifferentismum favet. Unus Pater dicit has lineas sibi minime placere, quia sapere videntur non rectum oecumenismum.

R. — Modus non admittitur, quia cum Decreto De Oecumenismo non concordat, dum textus schematis in plena concordantia cum hoc Decreto compositus est. Vide etiam emendationem ex Modo 11 desumptam et novum initium incisi (Modus 10).

[24] AD NUM. 9 [*Indoles eschatologica act. miss.*]

1 — 4 Patres «Itaque» (pag. 14 lin. 9) tollere volunt, quia post insertionem textus de Oecumenismo non iam bene quadrat.

R. — Res solvitur, quia insertio de Oecumenismo alibi ponitur.

2 — Uni Patri verba « nihil aliud est et nihil minus quam » (pag. 15 lin. 5 s.) ambigua videntur. Alius Pater ea superflua censet.

R. — Textus sat clarus est. Non delentur, quia sic textus nimis siccus evaderet.

3 — Unus Pater loco « manifestando perficit » (pag. 15 lin. 9) dicere vult « manifestat et perficit », quia perfectio non fit per solam manifestationem.

R. — Dicatur « manifeste perficit ».

4 — Unus Pater in pag. 15 lin. 9 loco « historiam salutis » scribere proponit « oeconomiam salutis » ad vitandas repetitiones.

R. — Stet textus, qui consulto dicere vult Deum in historia profana historiam salutis perficere.

5 — Duo Patres volunt ut pag. 15 linn. 10-11 loco « sacramentorum » dicatur « sacrorum » ut includatur etiam Missa.

[25] R. — Textus stet. Eucharistia in textu, qui ex proposito multorum Episcoporum desumptus est, satis extollitur.

6 — Unus Pater in lin. 12 s. loco « Christum ... reddit » scribere vult « ipse Christus, auctor salutis, seipsum praesentem reddit. Per activitatem missionalem Ecclesiae ipse Christus etiam, quidquid ... » et in lin. 16 loco « Auctori suo Christo » « sibi ipsi ». Ratio eius in hoc consistit, quia activitas missionalis solummodo Christum praesentem reddere potest, quia ipse per eam seipsum praesentem reddit.

R. — Textus potest stare, quia iam satis innuitur Christum esse auctorem principalem, qui seipsum per activitatem missionalem praesentem reddit.

7 — Unus Pater verba « qui imperium ... arcet » (lin. 17 s.) deleri desiderat, quia superflua.

R. — Textus stet, quia postulatis plurium Patrum respondet.

8 — Unus Pater in lin. 20 delere vult « ritibus et », quia secundum eum nihil boni est in ritibus paganorum.

R. — Stet textus. In historia Ecclesiae haud pauca ex ritibus paganorum — non sine purgatione — in S. Liturgiam assumpta sunt. De sanatione et purgatione vide lin. 21 s.

EMENDATIONES ADMISSAE [26]

Pag. 5 lin. 1 legatur: « 1. Ad Gentes divinitus missa ut sit "universale salutis sacramentum"[1] Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris obediens (*cf. Mc.* 16, 16), Evangelium ad omnes homines *nuntiare* contendit. Ipsi enim Apostoli, *in quibus* Ecclesia est *condita,* vestigia Christi sequentes, "praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias".[2] Eorum successorum officium est hoc opus perenne reddere, ut "sermo Dei currat et clarificetur" (*2 Thess.* 3, 1) et Regnum Dei ubique terrarum annuntietur et *instauretur* ».

Pag. 5 lin. 15 citatio legatur « *cf. Mt.* 5, 13-14) ».

Pag. 5 lin. 27 citatio legatur « (*cf. Eccli.* 36, 19) ».

Pag. 6 lin. 2 legatur: « Hoc autem Propositum ex "fontali amore" seu caritate Dei Patris profluit, qui, cum sit Principium sine Principio, *ex quo Filius gignitur et Spiritus Sanctus per Filium procedit,* ex nimia et misericordi benignitate sua libere creans et insuper gratiose vocans nos ad Secum communicandum in vita et gloria, bonitatem *divinam* liberaliter diffundit ac diffundere non desinit, ita ut qui conditor est omnium, tandem fiat "omnia in omnibus" (*1 Cor.* 15, 28), gloriam suam simul et beatitudinem nostram procurando ».

Pag. 7 lin. 2 legatur: « Cum Deus sit, in ipso inhabitat *omnis* plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* 2, 9) ».

Pag. 7 lin. 7 legatur: « Itaque per vias verae Incarnationis processit Filius Dei, ut homines divinae naturae participes faceret, propter nos egenus factus cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (*2 Cor.* 8, 9) ».

Pag. 8 lin. 11 legatur: « A Pentecoste enim inceperunt "actus Apostolorum", *sicut superveniente* Spiritu *Sancto* in Virginem Mariam conceptus fuerat Christus et eodem Spiritu *Sancto* in ipsum orantem descendente Christus actus fuerat ad opus ministerii sui.[7] ».

Pag. 8 lin. 22 legatur: « Spiritus *Sanctus* Ecclesiam totam per omnia tempora "in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit",[9] ecclesiastica instituta quasi anima eorum vivificando[10] et eundem missionis animum, quo ipse Christus actus fuerat, in cordibus fidelium instillando. Aliquando etiam actionem apostolicam *visibiliter* praevenit,[11] sicut eam variis modis indesinenter comitatur et dirigit[12] ».

[27] Pag. 8 lin. 35 citatio legatur: « (*Mc.* 3, 13; *cf. Mt.* 10, 1-42) ».

Pag. 8 lin. 37 legatur: « Deinde, cum semel morte, resurrectione *et ascensione* sua complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum ».

Pag. 9 lin. 13 legatur: « Inde Ecclesiae officium propagandi fidem salutemque Christi incumbit, tum virtute expressi mandati, quod *ab Apostolis* haereditavit Ordo Episcoporum, *cooperantibus Presbyteris,* una cum Successore Petri Ecclesiaeque Summo Pastore, tum virtute vitae quam membris suis influit Christus ».

Pag. 9 lin. 33 legatur: « Cum haec *missio* continuet et per decursum historiae explicet *missionem* ipsius Christi, *qui evangelizare pauperibus missus est,* eadem via, instigante Spiritu Christi, Ecclesia procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, *oboedientiae,* servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem, ex qua per resurrectionem suam victor processit ».

Pag. 10 lin. 26 legatur: « Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim tantum tangit ac penetrat, et sic eos in catholicam plenitudinem *assumit. Cum* qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent.

Incepta peculiaria quibus *Evangelii praecones ab Ecclesia missi, euntes in mundum universum, munus Evangelium praedicandi et Ecclesiam ipsam implantandi* inter populos vel coetus nondum in Christum credentes exsequuntur, communiter "missiones" nuncupantur, quae per activitatem missionalem perficiuntur, et plerumque exercentur in certis territoriis a *Sancta* Sede agnitis. Finis proprius activitatis huius missionalis est evangelizatio et plantatio Ecclesiae in populis *vel* coetibus in quibus nondum radicata est.[14] *Ita* ex semine verbi Dei, Ecclesiae autochtonae *particulares* ubique in mundo sufficienter conditae crescant, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, quae hierarchia propria cum populo fideli unita et mediis *quasi affinibus* christianae vitae plene ducendae sufficienter *instructae* suam partem in utilitatem totius Ecclesiae afferant. Medium principale huius implantationis est praedicatio Evangelii Iesu Christi, *ad* quod annuntiandum Dominus discipulos suos misit in mundum universum, ut homines per verbum Dei renati (cf. *1 Pt.* 1, 23) Ecclesiae per Baptismum aggregentur, quae ut Verbi incarnati corpus ex verbo Dei et *pane* eucharistico nutritur et vivit (cf. *Act.* 2, 42).

In hac missionali activitate Ecclesiae, diversae condiciones aliquando permixtae occurrunt: inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis. Quibus tamen expletis, actio missionalis Ecclesiae *non desinit,* sed Ecclesiis particularibus iam constitutis officium incumbit

eam continuandi et praedicandi Evangelium singulis, qui adhuc foris sunt ». [27]

Pag. 11 lin. 1 legatur: « *Ecclesia tunc debet perpendere, num* hae condiciones activitatem suam missionalem denuo requirant. Insuper, rerum adiuncta aliquando talia sunt ut possibilitas pro tempore desit praeconium evangelicum directe ac statim proponendi: tunc quidem missionarii possunt ac debent patienter, prudenter ac simul magna cum fiducia, saltem caritatis et beneficientiae, Christi testimonium praebere et sic vias Domino praeparare et ipsum aliquo modo praesentem reddere. [28]

(Lin. 40) Sic patet activitatem missionalem intime ex ipsa natura Ecclesiae profluere, cuius fidem salvificam propagat, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem Hierarchiae affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet. *Ita* differt activitas missionalis inter gentes tam ab activitate pastorali erga fideles exercenda, quam ab inceptis suscipiendis ad unitatem christianorum redintegrandam. Attamen duo haec cum missionali navitate Ecclesiae arctissime coniunguntur.

Divisio autem christianorum *sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae detrimentum affert* [15 bis] et aditum ad fidem multis praecludit. Quam ob rem causa missionalis activitatis et causa christianorum unitatis redintegrandae arcte coniunguntur; ex necessitate missionis omnes baptizati ad hoc vocantur, ut in uno grege *coadunentur et ita* coram gentibus de Christo, Domino suo, unanimiter testimonium *reddere possint.* Quod si unam fidem nondum plene testificari queant, mutua saltem aestimatione ac dilectione animentur oportet ».

Pag. 12 lin. 18 legatur: « Oportet igitur ut ad Eum, per praedicationem Ecclesiae agnitum, omnes convertantur et Ipsi *et Ecclesiae, quae Corpus Eius est,* per Baptismum incorporentur ».

Pag. 12 lin. 31: « fidem » scribatur cum F minuscula.

Pag. 12 lin. 40 legatur: « Ad eam persequendam impelluntur membra Ecclesiae caritate qua Deum *diligunt et* qua cum omnibus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis tam praesentis quam futurae vitae ».

Pag. 13 lin. 34 legatur: « Christum enim manifestando, eo ipso Ecclesia hominibus genuinam eorum condicionis atque *integrae* vocationis veritatem revelat, cum Christus principium sit et exemplar huius humanitatis *renovatae,* fraterno amore, sinceritate et pacifico spiritu imbutae, ad quam omnes adspirant ».

Pag. 15 lin. 5 legatur: « Activitas missionalis nihil aliud est et nihil minus quam propositi Dei manifestatio seu Epiphania et adimplemen-

[28] tum in mundo et in eius historia, in qua Deus, per missionem, historiam salutis *manifeste* perficit ».

Pag. 17 nota 15 bis legatur: « 15 bis Decr. Unitatis Redintegratio, 1 ».

[29]

QUAESITUM PARTICULARE

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, n. 6 respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, reliquos numeros Capitis I respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[30]

CAPUT II

DE IPSO OPERE MISSIONALI

Exitus suffragationum

(10 novembris 1965)

Suffr. VI: nn. 10-12

Votantes	2.161
Placet	2.154
Non placet	7
Vota nulla	0

Suffr. VII: nn. 13-14

Votantes	2.175
Placet	2.165
Non placet	9
Vota nulla	1

Suffr. VIII: nn. 15-18

Votantes	2.182
Placet	2.138
Non placet	37
Vota nulla	7

Suffr. IX: de integro Capite [30]

Votantes	2.116
Placet	1.982
Non placet	13
Placet iuxta modum	118
Vota nulla	3

Integrum Caput a Congregatione Generali approbatum est.

Omnes Modi, a Patribus tempestive introducti, praevie ordinati sunt et deinde a Commissione sedulo examinati.

AD NUM. 10 [*Introductio*] [31]

1 — Pag. 19 linn. 13-14: loco « immo ... negant », dicatur: « *alii* eius existentiam ... expresse negant, *immo quandoque acriter oppugnant* ». Ratio: Haec est conditio in pluribus regionibus (1 Pater).

R. — Acceptatur, omittendo *acriter*.

2 — Pag. 19 lin. 18 supprimatur « sua » quia incarnatus non est Christus, sed Filius Dei (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia locutio est conformis modo loquendi S. Pauli (ad *Col.*) et Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano.

AD NUM. 11 [*De testimonio vitae et de dialogo*]

1 — Pag. 19 lin. 28: deleatur punctum post « sunt » (2 Patres).

R. — Acceptatur.

2 — Pag. 19 lin. 27: loco « virtutem Spiritus Sancti, quo in confirmatione ... » dicatur: « *qua per* confirmatione*m* ... ». Ratio: ut ad analogiam baptismi (lin. 26) instrumentalitas sacramenti exprimatur; — « qua » refertur ad virtutem (1 Pater).

R. — Acceptatur *per*. Manet « quo », quia causalitas potius refertur ad ipsum Spiritum Sanctum.

3 — Pag. 20 lin. 2, post « vinculum » addatur *plenius*. Ratio est quia iam antea vinculum aliquatenus percipitur (1 Pater).

R. — Acceptatur.

4 — Pag. 20 linn. 3-26: Optativus indiscriminatim adhibetur, quod impressionem paternalismi gignit (1 Pater).

[31] R. — Mutari non debet; describuntur enim habitudines quae in fidelibus requiruntur et desiderantur, quae vero nullatenus semper adsunt.

5 — Pag. 20 linn. 5-10: Testimonium fidelium in coetibus culturalibus prudentia moderandum est, cum non in omni activitate participare possint (1 Pater).

R. — Nil addendum videtur, nam e contextu patet: typus praesentiae fidelium in societate humana est ipse Christus (n. 10 et n. 11, pag. 20 lin. 20); insuper haec praesentia ut manifestatio novi hominis describitur.

[32] 6 — Pag. 20 lin. 10, post « religiosis » addatur: « *vitantes tamen confusionem et falsum irenismum* » (1 Pater).

R. — Non est necessarium, cum e contextu satis pateat. Cf. Modus 5.

7 — Pag. 20 lin. 15: post « immo vero » addatur « *ut* ». Ratio est melior latinitas (1 Pater).

R. — Admittitur.

8 — Pag. 20 linn. 18-19: loco « colloquio vere humano », « ad divinam ... ». Ratio: Ne colloquium vere humanum videatur esse causa conversionis, cum sit via tantum (1 Pater).

R. — Non acceptatur, nam textus insistit in colloquio tamquam medio salutis hominum, non occasione tantum.

AD NUM. 12 [*De praesentia caritatis*]

1 — Pag. 20 lin. 30: loco « alterutrum » dicatur « *invicem* ». Ratio, quia agitur de relatione inter plures, non inter duos tantum.

R. — Acceptandum videtur.

2 — Pag. 20, lin. 32: loco « sine discrimine » dicatur « *cuiuscumque sint* ». Ratio: ne textus discrepet a *Gal.* 6, 10 ubi dicitur diligendos esse maxime domesticos fidei (2 Patres).

R. — Non admittitur, cum non bene sonet. *Sine discrimine* non prohibet gradus in caritate, sed nullum excludit ex caritate.

3 — Pag. 20 lin. 31: loco « enim » ponatur « *revera* ». Ratio, quia « enim » repetitur lin. 34 (1 Pater).

R. — Admittitur.

4 — Pag. 20 lin. 32: post « nationis » addatur *stirpis*. Ratio est plaga razzismi (1 Pater).

R. — Admittitur « *stirpis* », sed ponitur loco « nationis », ne substantiva nimis cumulentur.

5 — Pag. 20 lin. 34: omittatur « seu gratitudinem ». Ratio: gratitudo enim est virtus (2 Patres). [32]

R. — Tamen maneat, nam quamvis sit virtus, tamen in actione caritativa non quaerenda est.

6 — Pag. 20 lin. 36: loco « homines ipsos sollicitos habeant », dicatur « *erga* homines sollicitos *se* habeant ». Ratio est melior latinitas (2 Patres).

R. — Ad hunc et sequentes modos, respicientes latinitatem textus, per hanc redactionem textus respondemus: « Ita et fideles caritate sua ips*i* homin*i* sollicit*i* *sint* (...) diligendo eum eodem motu quo Deus hominem quaesivit ». [33]

7 — Pag. 20 linn. 36-37: dicatur: homines ipsos *solliciti amplectantur ...*

Ratio est melior latinitas (1 Pater).

R. — Nova redactio textus v. ad Modum 6.

8 — Pag. 20 lin. 36: loco « sollicitos habeant » dicatur « *diligant ... quaerendo* eos eodem *modo,* quo ... ». Ratio est latinitas (2 Patres).

R. — V. nova redactio textus ad Modum 6; « motu » vero retinendum est, quia motus caritatis christianae tamquam continuatio motus divini intelligendus est, quo Deus nos quaesivit; « quaerere » vero non dicitur inter homines, sed de Deo circa homines.

9 — Pag. 20 lin. 37: « dolo malo » omittatur (2 Patres) « malo » omittatur (4 Patres).

R. — Omittitur; idem enim positive dicitur, cum dilectio in ipso Deo originem et exemplum habeat.

10 — Pag. 20 lin. 37: loco « sine dolo malo » dicatur *sine fictione.* Ratio, quia est terminus biblicus, aequivalens, sed positive exprimens, ideam « sine dolo » (1 Pater).

R. — Omittitur « sine dolo ». *Sine fictione* vero non dicitur, quia terminus bene quidem exprimit sinceritatem caritatis humanae, sed non applicari potest ad Deum eiusque caritatem, ad quam in contextu etiam refertur.

11 — Pag. 20 lin. 38: loco « Deus hominem quaesivit » dicatur « Deus homine*m diligit* » (1 Pater).

R — Maneat « quaesivit » quia motum caritatis divinae exprimit, quo ad nos venit; quod immediate postea (lin. eadem) explicatur in descriptione caritatis Christi.

[33] 12 — Pag. 21 lin. 12: dicatur *c*eteris loco coeteris (1 Pater).
R. — Admittitur.
13 — Pag. 21 lin. 15: loco « devovebunt » dicatur devove*ant* (2 Patres).
R. — Acceptatur.
[34] 14 — Pag. 21 linn. 17-19: loco « non tantum ... sed simul » dicatur: « per scholas, quae considerandae sunt tamquam medium ... et ut servitium ... ». Ratio: duo fines non debent separari, scl. educatio Christianorum et servitium populi (1 Pater).
R. — Textus maneat, quia de duobus finibus omnino distinctis (licet connexis) agitur, scl. de formatione iuventutis catholicae, et de servitio praestando societati civili.
15 — Pag. 21 lin. 23: omittatur « Christiani ». Ratio: quia subiectum idem manet cum sententia praecedente (« Christifideles » lin. 12) unde repetitio non requiritur. « Christiani » vero non potest contradistingui a « communitatibus Christianis » lin. 31 (1 Pater).
R. — Acceptatur.
16 — Pag. 21 lin. 28: post « operam suam » inseratur « *prudenter* » (3 Patres).
R. — Admittitur.
17 — Pag. 21 lin. 28 addatur: « *cautelis adhibitis pro fide servanda* » Ratio: cooperatio cum non-catholicis caute praestanda est (1 Pater).
R. — Intentioni modi satisfit per additionem *prudenter,* v. supra.
18 — Pag. 21 lin. 33: addatur: « Ecclesia vero *hac collaboratione fidelium* se in moderamen terrenae civitatis ingerere haud vult; *sed e contra, Deo adiuvante, caritate et fideli servitio hominibus ministrare exoptat* ». Ratio: Ne ius Ecclesiae ad res terrenas sub aspectu morali moderandas praeiudicetur (1 Pater).
R. — Non acceptatur, quia additio repetitiva sonat. Textus approbatus non videtur praeiudicare iura moralia et religiosa Ecclesiae.
19 — Pag. 21 lin. 34: dicatur: « *Nihil aliud* sibi vindicat nisi ut Deo adiuvante ... ministret, *illosque in omnibus iuvet* ». Ratio: Textus schematis videtur implicare, ad serviendum specialem auctoritatem requiri. « *In omnibus* » vero addatur, ut in operationem ecclesiae etiam opera misericordiae spiritualis includantur, uti docere (1 Pater).
R. — Textus maneat, cum assumatur ex actis Pauli VI (v. notam). Includit textus etiam opera spiritualia misericordiae, et de docendo explicite agit linn. 14-23.

20 — Pag. 21 lin. 39 dicatur « intime cum *ceteris* hominibus coniuncti » ne appareat discipulos Christi non esse ex hominibus (1 Pater).

R. — Nullum est periculum, cum in eadem pagina dicatur « cum ceteris hominibus ».

21 — Pag. 22 lin. 1: dicatur « *Etsi primum et directe* non quaerant progressum et prosperitatem ... ». Ratio: Corpus et anima inseparabilia sunt, unde corporalia negligi non debent (1 Pater).

R. — Additio non videtur necessaria, nam in textu acceptato per « mere materialem » bona corporalia nullatenus excluduntur, sed opus Ecclesiae ad materialia restringi negatur.

22 — Pag. 22 linn. 1-6: Addatur: « ... materialem hominum, *sed semper et in omnibus primum Regnum Dei et iustitiam eius, atque orant ut ipsum adveniat, dum* hominum dignitatem ... ». Ratio: ut ipsius Christi verbis finis activitatis Ecclesiae explicetur (1 Pater).

R. — Additio non placet, quia textus approbatus non ita augendus est; et quia idea textus ita flectitur. Ad finem huius operationis describendum enim gradatim ascendit linn. 3-12.

AD NUM. 13 [*De evangelizatione et conversione*]

1 — Totus numerus reficiatur vel omittatur quia est fere inintellegibilis (unus Pater).

R. — Non admittitur quia contra normas generales cum textus iam approbatus sit.

2 — Scripturarum citationum referentiae textum difficiliorem intellectu reddunt (6 Patres).

R. — Hae citationes introductae sunt ad mentem interventuum plurium Patrum; cf. Relatio (in « Textus emendatus et relationes » pag. 75) — et textus iam approbatus est a Concilio.

3 — Pag. 22 lin. 22: Addatur: « *Iesus Christus, natus mortuus et resurrectus,* ut non christiani ... ». Ratio: quia aliqui, ne forte christiani scandalizentur, aspectum unum vitae Iesu Christi eis abscondere conantur, praesertim mortem super Crucem (unus Pater).

R. — Haec in textu iam adsunt, cum citentur kerygmata apostolica ad gentiles.

[36] 4 — Pag. 22 lin. 31: loco « necessario » ponatur « sane » (unus Pater).

R. — Admittitur.

5 — Pag. 22 lin. 33: supprimatur « avulsum a peccato » quia haec verba difficile interpretantur (unus Pater).

R. — Non admittitur, quia necesse est ut, in processu conversionis, de peccato agatur.

6 — Pag. 22 *a*) lin. 33: loco « avulsum a peccato » dicatur « melius adiutum in lucta contra peccatum ».

b) lin. 33: et addatur: « *plene* introduci in mysterium amoris Dei ».

c) lin. 34: addatur: « qui eum *nunc* vocat ».

d) lin. 37: addatur: « spirituale iter *expeditius* aggreditur ».

e) linn. 4-5 (pag. 23): loco « sensus et morum » dicatur « in modo sentiendi et agendi ».

Rationes: iam ante conversionem sunt qui luctant contra peccatum et iam religiose vivunt.

— Textus est offensivus religionibus in quibus ritus purificationis et ascesis exsistunt.

— Textus est offensivus Deo qui iam agit in illis hominibus quos ut peccatores amat.

— Contradicit omnia quae dicuntur, in aliis documentis Concilii, de bono et vero quod habetur in religionibus non christianis (5 Patres).

R. — Ad *a*) et *b*): non admittuntur, quia in textu agitur de conscientia quam homo sub lumine conversionis acquirit; haec conscientia sese referre debet ad peccatum et ad Christum in quo revelatur mysterium amoris Dei.

Ad *b*): insuper non admittitur quia conversio non constituit *plenam* introductionem in mysterium amoris Dei.

Ad *c*): nequit admitti quia, secundum S. Paulum mysterium vocationis et electionis in Christo reponitur ante constitutionem mundi.

Ad *d*) textus agit de itinere spirituali in fide christiana, cuius obiectum primarium est mysterium mortis et resurrectionis Christi. Antea talis non habebatur fides. Unde Modus admitti nequit.

Ad *e*): haec emendatio stylum tantum respicit. Attamen *sensus* (mentalità) videtur in casu accuratior locutio quam *modus sentiendi,* quae magis ad affectum sese refert: Ergo stat textus.

7 — Pag. 23 lin. 4: loco « secum trahens » legatur « in quantum trahit », ne supponatur omnes non christianos esse simpliciter pessimos, quia ab integra malitia progressive ad mutatos sensus et mores portandi sunt (4 Patres). [37]

R. — Non admittitur quia talia non supponit textus. De cetero Christus ipse omnes vocat ad poenitentiam seu metanoiam in quo praecise consistit conversio vera.

8 — Pag. 23 lin. 7: post « evolvi » nova incipiatur propositio, quia est nova series idearum (unus Pater).

R. — Textus emendatur ad mentem.

9 — Pag. 23 lin. 14: loco « artibus importunis » dicatur « indebitis artibus », nam S. Paulus praecise loquendo de opere evangelizationis scribit quandoque praedicandum importune (2 Patres).

R. — Non admittitur, quia hic non agitur de praedicatione etiam importune facienda (de quo agitur pag. 22 linn. 17-21), sed de artibus importunis ut quis ad fidem amplectendam inducatur vel alliciatur.

10 — Pag. 23 lin. 12: addatur: « Ecclesia semper *prohibuit et* prohibet ... » et lin. 14 supprimatur « vel artibus importunis inducatur et alliciatur » (unus Pater).

R. — Esset inutile.

11 — Pag. 23 linn. 12-16: legatur: « Actus enim fidei non ex coactione externa neque ex artificiis importunis, vel ex promissionibus bonorum temporalium oriri potest, sed ex libera et sincera voluntate hominis. Ecclesia fortiter quoque vindicat ius quo gaudent omnes homines ne iniquis vexationibus a fide deterreantur ». Ratio: ne insinuetur missionarios catholicos infideles inducere ad fidem mediante coactione vel artibus importunis (54 Patres).

R. — Non admittitur, tum quia nova redactio insinuaret talia media revera adhiberi, tum quia pelagianismum sapere posset.

12 — Pag. 23 linn. 17-18: eradicetur haec sententia, quia constituit gravissimam offensam traditioni Ecclesiae (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia esset contra normas; est ad laudem traditionis Ecclesiasticae, non in eius offensam.

13 — Pag. 23 lin. 19: addatur: « Ut fides enim accedentium ad Ecclesiam sit authentica, hoc est, rationabile obsequium (cf. *Rom.* 12, 1), sedulo, pro capacitate eorum edoceantur Deum esse locu- [38]
tum; quapropter, mysteriis christianae religionis firmiter adhae-

[38] rendum esse, utpote a Deo qui nec falli nec fallere potest, revelata » (DENZ. 2778). Ratio: Ne praeambula fidei, quae semper valida et momentosa habita sunt, credantur nunc parvipenda ab hoc Concilio (unus Pater).

R. — Non admittitur, quia introductio textus longioris est contra normas. De cetero, locutio « rationabile obsequium » sensu non biblico sed scholastico sumitur. Tandem, tota prima paragraphus huius numeri realiter et fortiter continet ea quae haec emendatio nititur exprimere verbis in schola adhibitis.

AD NUM. 14 [*De Catechumenatu et Initiatione christiana*]

1 — Pag. 23 lin. 21: Sic incipiat paragraphus: « Homines numerosi ac innumerabiles qui, cum bona voluntate, praedicationem Evangelii auscultant, sed paganis consuetudinibus nondum renuntiant, audientes dicuntur; Ecclesia eos habet curae, magna cum diligentia, qui veritatem quaerunt. Inter illos, qui fidem in Christum a Deo per Ecclesiam acceperunt, et proprium responsum reddunt ... ». Ratio: « audientes » non iam conversi sunt, ergo non sunt catechumeni, sed de his Ecclesia curam maximam habere debet. Insistitur ut haec in Decreto dicantur propter maximum momentum pastorale (1 Pater).

R. — In emendatione proposita, sensus vocabuli *audientes* discrepat a sensu recepto in Traditione praesertim apud S. Augustinum. Ergo Concilium hanc propositionem uti sonat nequit suam facere. Res tamen est maximi momenti in activitate missionali, sed locus de ea tractandi non est in paragrapho de catechumenatu. Commissio aestimat principia generalia satis enucleata esse sub nn. 11, 12 et 13. Quoad modum vero quo praxis pastoralis de iisdem curare debet, de loco ad locum ita differunt adiuncta (v. g. dialogum privatum, prae-catechumenatus individualis, sic dicti sympathizantes in unum convenientes, « postulatus » collective rite organizatus) ut impossibile videatur rem pressius determinare.

2 — Pag. 23 lin. 36: loco « sat longum » legatur « apte protractum », quia diuturnitas catechumenatus non potest a priori et pro tota Ecclesia statui, et insuper ratio in relatione allata ex Const. « De S. Liturgia » non valet cum ibi de duratione catechumenatus non sit sermo (1 Pater).

R. — Admittitur et dicitur « debite protractum ».

3 — Pag. 23 lin. 27: post verba « suo Magistro coniunguntur », addatur: « Attamen diuturnitas seu duratio legalis catechumenatus ne sit causa cur catechumeni animum abiiciant. Catechumenatus brevis (v. g. 3 mensium) sed activus et bene ordinatus melius praeparat catechumenum ad baptismum quam « catechumenatus legalis » prorogatus (v. g. 2 annorum) quo durante formatio activa catechumeni neglegatur ratione diuturnitatis praeparationis temporis. Etenim hoc magni momenti est ut catechumeni apte initientur mysterio salutis, etc. » (1 Pater). [39]

R. — Cum in textu iam approbato non agatur de « catechumenatu legali », sed de principiis pastoralibus ad catechumenatum instaurandum, haec additio esset contra normas statutas. De cetero, partim provisum est in Modo praecedenti.

4 — Pag. 23 linn. 29-30: dicatur: « sacris ritibus, *de iudicio Ordinarii loci* successivis temporibus celebrandis ... » (2 Patres); nam haec verba habentur in art. 64 Const. « De S. Liturgia ». Etiam hic inserantur, quia convenientia et utilitas talium rituum successivorum variant secundum diversitatem regionum et personarum.

R. — Haec additio non est necessaria, cum textus, in nota 4, remittat ad articulum citatum Const. « De S. Liturgia », ubi agitur de instauratione catechumenatus liturgici, et ubi decernitur quod eius praxis pendet ab Ordinario loci.

5 — Pag. 23 linn. 34-38: referentiae citationum Scripturae, quae textum parum intelligibilem reddunt, ad calcem in notis convenientibus ponantur (3 Patres).

R. — Est contra praxim iam adoptatam in actibus Concilii iam editis. Hae referentiae introductae sunt in textum emendatum ad satisfaciendum multis observationibus Patrum.

6 — Pag. 23 lin. 24: addatur « liberati *a peccato* (*Rom.* 6, 18. 22) et a potestate tenebrarum ». Mirum est quod in toto processu conversionis infidelium non fiat mentio de peccatis (2 Patres).

R. — Mentio fit de peccatis initio processus conversionis, n. 13 (p. 22, lin. 33) et in ipso textu impugnato dum dicitur « Christo commortui », quod significat peccatis mori, ut explicatur in textibus S. Scripturae citatis. Ergo inutilis foret haec additio.

7 — Pag. 24 lin. 8: loco « praesertim » dicatur « speciali autem modo » (1 Pater).

R. — Patet et scribetur: « speciali autem modo ».

[40] AD NUM. 15 [*De formatione Communitatis christianae*]

1 — Totus numerus videtur periculum inducere syncretismi et indifferentismi circa religionem et confirmare doctrinam in India vigentem quod omnes religiones sunt bonae et viae ad Deum. Concilium debet dicere quod finis missionum est homines incorporare in Christum in vera Ecclesia (1 Pater).

R. — Hoc periculum non videtur exsistere (cf. prima alinea huius numeri collata cum n. 13); quoad finem missionis satis provisum est sub n. 7 huius Decreti.

2 — Pag. 24 lin. 32: deleatur verbum *triplex,* nam non est cur insistatur utrum munus triplex sit (1 Pater).

R. — Acceptatur et scribitur: « munera a Deo sibi concredita exerceant sacerdotale, propheticum et regale ».

3 — Pag. 25 linn. 15-33:

a) haec paragraphus penitus mutanda est quia fovet indifferentismo et confusionismo nomine oecumenismi (1 Pater);

b) paragraphus supprimi deberet, quia confusionismo valde favet et propagat maximum errorem collaborationis cum acatholicis (1 Pater);

c) neophyti nostri generatim sunt rudes, nihil intelligunt de oecumenismo. Sufficiat declarare: « spiritus oecumenicus neophytis explicetur, qui probe aestiment fratres in Christo credentes esse Christi discipulos. Simul autem clare sciant et agnoscant unicam esse religionem veram, catholicam » - omnia alia omittantur (1 Pater);

d) omnis mentio de fovendo oecumenismo omittatur, quia in multis missionibus propter actionem multarum sectarum contra fideles, actio oecumenica nunc non est possibilis (unus Pater);

e) commendetur prudentia et modus agendi quando per sectarismum et malam fidem seiunctorum haec cooperatio afferat detrimentum communitatibus catholicorum (1 Pater).

R. — Textus iam approbatus est, ergo secundum normas nequit penitus mutari nec expungi. De cetero,

ad *a*) et *b*) textus minime favet indifferentismo et confusionismo; e contra fortiter insistit ut his ab erroribus praecaveatur;

ad *c*) spiritus oecumenicus non est simpliciter explicandus; Spiritus Sanctus in cordibus et mentibus fidelium gratiam unitatis operatur. Unde textus habet: « nutriatur »;

ad *d*) etiam ubi determinatae formae cooperationis ob certa

adiuncta impossibiles sint, tamen de fovendo oecumenismo loqui [40]
possumus; cum ubique saltem forma initialis, quae etiam est [41]
principalior, oratio scil. ad Patrem ad exemplum Christi (*Io.* 17), observanda sit;

ad *e*) prudentia satis commendatur in textu, non solum quia remittit ad decretum de Oecumenismo, sed explicitis verbis: « quantum sinant condiciones religiosae » (lin. 19), « pro quanto datur » (lin. 23), quae omnia introducta sunt in textu secundum observationes Patrum circa schema Propositionum et circa schema novum.

4 — Pag. 25 lin. 16:

a) loco « in Christum credentes » dicatur cum textu priore: « separatos »;

b) ad rem melius dicendam, post « esse » (lin. 17) addatur « et ipsos ». Ratio: fratres in Christum credentes sunt etiam catholici; ergo non satis clare indicantur fratres separati (1 Pater).

R. — *a*) textus prior mutatus fuit secundum observationem unius Patris qui iudicavit iam non esse momentum definiendi dignitatem fratrum a nobis separatorum, cum hoc factum sit in decreto de Oecumenismo. Ergo non est redeundum ad textum priorem. Ratio allata contra textum emendatum non est valida cum ipsa verba initialia « spiritus oecumenicus » clare sensum rectum propositionis indicant;

b) talis additio, si valet pro prima parte affirmationis, nempe « esse Christi discipulos » et forsan pro secunda parte « baptismate regeneratos », aegre applicatur ad tertiam partem scil. « perplurium bonorum Populi Dei consortes ».

5 — Pag. 25 lin. 21: « confusionismus » non bene sonat. Forsan loco « syncretismi » melior esset terminus technicus (1 Pater).

R. — Vox « syncretismus » adhibetur in suo vero sensu technico (v. g. n. 22, pag. 37 lin. 27) qui se refert ad religiones omnino diversas. Unitas vocabularii impedit quominus hoc verbum in alio sensu nunc assumatur. Commissio fatetur vocem « confusionismus » neologismum esse, sed a Patribus propositum sese accurate exprimendi causa, et etiam in aliis Decretis usurpatum.

6 — Pag. 25 lin. 33: 41 Patres proponunt ut

a) supprimantur linn. 16-18;

b) linn. 21-22 legantur: « ita promoveatur ut tam indifferentiam religiosam quam confusionem inter Ecclesiam Catholi-

[41] cam et ceteras confessiones evitetur, communi pro quanto datur ... »;

[42] *c*) lin. 24 addatur: « atque *debitis cum cautelis,* cooperatione in re ... »;

d) lin. 26: supprimatur « religiosa »;

e) linn. 28-33 supprimantur.

Ratio: evitanda est confusio qua putaret quis Concilium declarare extra Ecclesiam Catholicam adesse veram fidem.

R. — Ratio allegata non valet quia Concilium iam de hac re ex professo et diserte tractavit in Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 15 et in Decreto De Oecumenismo, quod textus emendatus suum facit verbis « seclusa omni tam indifferentismi et confusionismi ... specie ». In specie:

Ad *a*) haec non possunt penitus supprimi, iuxta normas, cum iam a Concilio sint approbata.

Ad *b*) textus emendatus ditior apparet cum etiam de insana aemulatione verbum facit.

Ad *c*) haec verba nequeunt addi, secus supponeretur normas in decreto De Oecumenismo statutas « debita cautela » carere.

Ad *d*) cooperatio in re religiosa inter alia respicit editionem communem Sacrarum Scripturarum, quae praxis iam in Missionibus cum fructu locum habuit. Ergo nihil novi indictum est. De cetero, Concilium iam expresse de hac cooperatione tractavit in disceptationibus De Divina Revelatione, 22.

Ad *e*) textus iuxta normas supprimi nequit; vide responsum ad Modum 14.

7 — Pag. 25 lin. 26: supprimatur « religiosa » quia intelligi posset quaedam communicatio in sacris in templis non catholicis (1 Pater).

R. — Nequit sic intelligi, cum in textu dicatur hanc collaborationem in re religiosa faciendam esse ad normas Decreti de Oecumenismo.

8 — Pag. 25 lin. 23: hic inscribitur « pro quanto » et in relatione habetur « in quanto » (pag. 75). An idem ac in quantum? (1 Pater).

R. — Textus stet, sed relatio corrigatur.

9 — Pag. 25 lin. 31: verba « iudicio Ordinarii loci » inserantur post verbum « instituatur », aut verbum « instituatur » mutetur in « institui potest ». Ratio: textus obligationem ex parte Ecclesiarum imponere videtur ut collaboratio fiat (unus Pater).

R. — Admittitur ad mentem.

10 — Pag. 25 lin. 33: addatur « semper tamen sub directione et auctoritate Ordinarii loci » (1 Pater). [43]

R. — Iam provisum est in Decr. de Oecumenismo, ad quod sese refert textus. De cetero textus recognitus est ad mentem Modi praecedentis.

11 — Pag. 25 lin. 31: legatur « haec collaboratio, *ubi rite haberi potest prudenti ratione,* instituatur non solum... » (1 Pater).

R. — Ampliore modo iam provisum est sub Modo 9.

12 — Pag. 25 linn. 30-33: omnia haec verba supprimantur; ratio: contactus habentur praesertim cum missionibus Protestantium, et ideo, ad mentem et litteram Decr. De Oecumenismo non est loquendum « de Ecclesiis » (1 Pater).

R. — Iuxta normas haec propositio supprimi nequit. Scribetur tamen ad mentem: « Inter Ecclesias *vel communitates ecclesiales* earumque opera ».

13 — Pag. 25 lin. 32: dicatur « inter Ecclesiam *et alias confessiones christianas* earumque opera » (1 Pater).

R. — Iam provisum sub Modo praecedenti.

14 — Pag. 25 linn. 31-33: 5 Patres rogaverunt ut supprimeretur haec sententia ob rationes sequentes:

a) difficulter intelligitur quomodo possit abesse periculum indifferentismi et confusionismi quando collaboratio instituitur non solum inter fideles ut tales, sed et inter Ecclesias;

b) satis dictum est de hoc argumento, et res relinquatur iudicio ipsius Ordinarii;

c) ne vocabulo « Ecclesiae » comprehendantur etiam ecclesiae a catholica seiunctae.

R. — Suppressio sententiae non correspondet normis. In specie:

Ad *a*) in missionibus collaboratio Ecclesiam inter et communitates ecclesiales in operibus educativis, medicalibus et socialibus, saepe imminuit periculum indifferentismi et confusionismi quod e contra crescit si collaboratio instituitur inter personas privatas tantum.

Ad *b*) iam provisum sub Modo 9.

Ad *c*) terminologia conformis est ei quae in documentis Concilii iam adhibita est.

15 — Pag. 25 linn. 28-33: 3 alii Patres rogant ut supprimantur, quia [44]

a) non cohaerent cum Decr. « de Oecumenismo », 12, ubi accurate ponuntur limites huius cooperationis.

[44] *b*) quia favent oecumenismo euphorico, sed nullo modo propagationi catholicae fidei, praesertim in America Latina.

c) quia sufficit remittere ad decr. « de Oecumenismo ».

d) non adest ratio attribuendi nomen « ecclesiae » sectis sic dictis Protestantium.

R. — Textus stet iuxta normas. In specie:

Ad *a*) emendationes nunc introductae sub Modis praecedentibus, plenam cohaerentiam conferunt cum Decr. « de Oecumenismo ».

Ad *b*) De iis quae timentur circumspecta condicione determinatae regionis, textus rationem habet cum dicat « quantum sinunt condiciones religiosae » (lin. 19).

Ad *c*) Aliter opinabantur Patres qui rogaverunt ut haec adderentur.

Ad *d*) Consulto adhibita est haec vox ut reservetur cooperatio cum sic dictis sectis.

16 — Pag. 25 lin. 34: loco « Fideles Christi » scribatur « Christifideles »; ratio: est inusitata expressio; in pluribus linguis verti vix potest (1 Pater).

R. — Admittitur.

17 — Pag. 25 lin. 37: addatur « in *honesta* consuetudine » (6 Patres).

R. — Admittitur.

18 — Pag. 26 lin. 4: addatur « et *igitur* speciali cura » (1 Pater).

R. — Providetur Modo sequenti.

19 — Pag. 26 lin. 4: legatur: « ad omnia haec obtinenda, *maximum momentum habent* et speciali cura digni sunt (1 Pater).

R. — Latinitas melior evadit et admittitur.

20 — Pag. 26 linn. 4-6: scribatur: « speciali cura digni sunt *laici, qui,* Christo per Baptismum incorporati, *in saeculo vivunt.* Ipsorum enim ... ». Nam textus insinuare posset laicos esse speciem raram (1 Pater).

R. — Admittitur ad mentem, et scribetur: « speciali cura digni sunt laici, christifideles scil. qui Christo ... ».

[45] 21 — Pag. 26 lin. 17 loco « verum » scribatur « etenim » vel « autem » (1 Pater).

R. — Admittitur ad mentem, scribendo « Iamvero ».

22 — Pag. 26 lin. 23: sic formuletur textus: « ... operositas laicorum, sive catechistarum sive membrorum diversorum coetuum laica-

tus... ». Textus videtur dicere quod catechistae sunt de numero clericorum et non laicorum (1 Pater). [45]

R. — Non apparet: textus dicit « munera », non « munera clericalia ». Unde rationem habet plurium interventionum Patrum qui optaverant ut theologia ministeriorum in Ecclesia magis biblica fieret, ita ut vera ministeria a laicis, etiam a mulieribus, impleta rite agnosceret. Ergo stet textus.

23 — Pag. 26 linn. 23-24: supprimatur « operositasque apostolica laicatus » quia iam sufficienter actum est de hoc apostolatu in duabus prioribus alineis; et hic apostolatus non potest annumerari inter ministeria quae speciale mandatum exigunt, si laici ea exercent (1 Pater).

R. — Haec incisa introducta est quia secus enumeratio esset incompleta. Attamen secunda ratio allata in Modo est magis stringens. Unde loco « operositasque apostolica laicatus » scribitur « atque actio catholica ».

24 — Pag. 26 lin. 27: loco « plurimum conferunt » scribatur « indispensabile praestant servitium »; nam prior modus loquendi est insufficiens, praesertim cum de praecedentibus dicitur eos esse necessarios (1 Pater).

R. — Admittitur.

AD NUM. 16 [*De Clero locali constituendo*]

1 — Pag. 26 lin. 29: Titulus mutetur: De clero locali *efformando*. Ratio: iam enim sufficienter constitutus est quasi ubique (1 Pater).

R. — Tituli non pertinent ad textum, hinc mutatio non est necessaria.

2 — Pag. 26 lin. 31: loco « inter gentes ad Christum recenter conversas » dicatur *in Ecclesiis novellis*. Ratio: quia « recenter » est nimis vagum (1 Pater).

R. — Textus maneat, quia efficaciam gratiae inter has gentes clarius exhibet. « recenter » est sufficienter clarum ad ideam exprimendam.

3 — Pag. 26 lin. 40 addatur: « Ideo ad formandum clerum dioecesanum ipsius nationis seminarium (si non iam existat) quam primum instituatur in quacumque dioecesi, vel saltem pro regione » (1 Pater). [46]

R. — Additio non fiat. Intentio Modi toti textui subest, et sufficienter exprimitur pag. 27 linn. 38-40 ubi dicitur alumnos in convictu cum sua cuiusque gente formandos esse.

[46] 4 — Pag. 27 linn. 7-8: omittatur « sine consideratione commodi proprii vel familialis ». Ratio: Idea sufficienter exprimitur per positivam exhortationem ad spiritum evangelii; ne violentur sacerdotes per insinuationem peiorativam (2 Patres).

R. — Textus maneat, cum sit introductus ad desiderium Patrum, et approbatus. Nil sinistri de clero locali dicit, sed verum periculum indicat.

5 — Pag. 27 lin. 17: loco « in Scripturis » dicatur *in divina Revelatione*. Ratio: Mysterium salutis tum in Scriptura, tum in traditione invenitur (2 Patres).

R. — Textus manet. Nam emphasis est in studio Scripturae; traditio vero nullo modo excluditur.

6 — Pag. 27 lin. 34: addatur: proprii populi *sui*. Ratio: Latinitas melior (1 Pater).

R. — Non additur, quia idea exprimenda sufficienter per « proprii » exhibetur.

7 — Pag. 27 lin. 40 addatur: *Mos vero saecularis communitatum Christianorum instituendi nonnullos Seminaristas apud centrum Catholicitatis Missionibus quoque persequendum est*. Ratio: Textus ignorat consuetudinem aliquos iuvenes ex missionibus in Urbe formandi; non fundatur distinctio facta inter seminaristas instituendos et sacerdotes ulterius instituendos, de quibus pag. 28 linn. 1-8; iniuriosus est textus S. C. de Propaganda Fide quae hoc opus saltem ab 1622 peregit; iniusta est missionibus, quae ius habent, ut aliae nationes, iuvenes in Urbe formandi (10 Patres).

R. — Textus novus non addatur. Textus enim approbatus non excludit formationem in Urbe, dicit enim « quantum fieri potest »; non vero favet formationi extra propriam regionem ante sacerdotium susceptum, ne alumni a consuetudine patriae alienentur, et conditionibus Europae assuescant. Favet vero textus formationi
[47] specializatae iuvenum sacerdotum in Urbe. Totus textus insinuat meliorationem studiorum ecclesiasticorum in missionibus.

8 — Pag. 27 linn. 40-42: omittantur. Ratio: superfluum, inopportunum, textus pulchri indignum est loqui de administratione; problema non specifice missiones respicit; sapit tendentiam nimiae emphasis in res temporales (8 Patres).

R. — Tamen insistentia in administratione videtur necessaria, cum deficientia in hac re toties occurrat. Textus vero melius componitur

ita: « Cura tandem habeatur de formatione *in* administratione [47]
ordinata ecclesiastica, immo etiam oeconomica ».

9 — Pag. 28 lin. 3: deleatur « maxime in Urbe ». Ratio: Etiam in aliis locis et institutionibus optima formatio datur (8 Patres).

R. — Textus manet, cum nullatenus formationem in aliis centris formationis excludat. Sunt tamen aliquando rationes speciales institutionem in Urbe subeundi.

10 — Pag. 28 lin. 12: deleatur « iam ». Ratio: ita alii vere apti a diaconatu excludi viderentur (1 Pater).

R. — Acceptatur.

11 — Pag. 28 linn. 12-21 omittatur. Ratio: Ut maior libertas conferentiis episcopalibus detur in instituendo diaconatu (1 Pater).

R. — Textus iam probatus substantialiter mutari nequit. Concilii est dare normas generales ad introducendum diaconatum; nullo modo vero limitatur libertas conferentiarum episcoporum, cum dicatur, solum cum eis opportunum videatur diaconatum introducendum esse (linn. 9-10).

12 — Pag. 28 linn. 13, 14, 16 omittatur « vel ». Ratio: Non constat diaconatum pro singulis functionibus disiunctive sumptis dari posse, e. g. pro operibus caritatis, solum pro omnibus simul (1 Pater).

R. — Textus maneat; potest enim diaconatus pro diversis finibus dari. Falsum esset textum ita componere, ut solum pro omnibus muneribus simul sumptis diaconatus dandus videatur.

AD NUM. 17 [*De Catechistarum Institutione*]

1 — Pag. 29 linn. 1-2: deleantur verba « praesertim in re biblica et liturgica » vel dicatur « cum doctrinam catholicam tum liturgiam, necnon methodum catecheticam » (1 Pater).

R. — Renovatio actionis pastoralis a Concilio inducta, ad catechesim [48]
quod attinet, praesertim consistit in catechetica biblica et liturgica. Ergo oportet ut catechistae ad hanc formentur. Textus maneat.

2 — Pag. 29 lin. 22: loco « praesident » scribatur « praesunt » vel « praeeunt » quia vocabulum « praesidere » exprimit munus hierarchiae sacramentalis (1 Pater).

R. — Admittitur propter latinitatem.

[48] 3 — Pag. 29 lin. 26: verbum « canonica » deleatur vel saltem in nota iustificetur; nam hoc verbum respuitur a Decr. De Apostolatu Laicorum (1 Pater).

R. — Omnibus rite perpensis, non admittitur Modus, quia etsi ius conditum talem missionem canonicam nondum cognoscat, praxis tamen viget in multis locis, et non solum in missionibus.

4 — 65 Patres proponunt ut quae dicuntur de vita religiosa (n. 18) ponantur ante ea quae dicuntur de Catechistarum Institutione (n. 17).

R. — Non admittitur, quia catechistae magis quam religiosi in activitate missionali formaliter impenduntur.

AD NUM. 18 [*De Vita Religiosa promovenda*]

1 — Pag. 29 lin. 34: legatur: « affert, sed *per intimiorem consecrationem Deo in Ecclesia factam* lucide *quoque manifestat...* » (112 Patres.

R. — Admittitur.

2 — Pag. 30 lin. 9: post « devoveant » addatur: « curent ergo Superiores religiosorum et religiosarum ut in novitiis sua membra ex ipsa natione praeparent » (1 Pater).

R. — Inutilis additio cum totus numerus 18 de hac re agat.

3 — Pag. 30 lin. 25: loco « ubique instauretur » dicatur « gradatim instauretur » (9 Patres), quia Instituta contemplativa indigent auxilio continuo communitatis christianae pro sua sustentatione et progressu.

[49] R. — Non admittitur, quia ratio allata non solum non est stringens, sed remanet extranea argumento, scil. de plenitudine praesentiae Ecclesiae.

4 — Pag. 31 nota 21: addatur: « Decl. de Habitudine Ecclesiae ad Religiones non-christianas » (1 Pater).

R. — Acceptatur.

5 — Pag. 31 nota 26: supprimatur referentia ad « Lumen Gentium », 31, et servetur sola referentia ad « Lumen Gentium », 44; quia n. 31 de laicis agit et nullo modo de religiosis (110 Patres).

R. — Non admittitur, quia n. 31 in paragrapho secunda explicite agit de ratione signi quam religiosi exercent.

EMENDATIONES ADMISSAE [50]

Pag. 19 lin. 11 legatur: « quorum alii unam ex magnis religionibus sequuntur, alii notitiae ipsius Dei extranei manent, *alii* eius existentiam expresse negant, *immo quandoque oppugnant* ».

Pag. 19 lin. 24 legatur: « Omnes enim christifideles, ubicumque vivunt, exemplo vitae et testimonio verbi novum hominem, quem per baptismum induerunt, et virtutem Spiritus Sancti, quo *per* confirmatione*m* roborati sunt, ita manifestare tenentur, ut ceteri bona eorum opera considerantes glorificent Patrem (cf. *Mt.* 5, 16), et genuinum vitae humanae sensum, et communionis hominum universale vinculum *plenius* percipiant ».

Pag. 20 lin. 11 legatur: « Simul vero ad transformationem profundam attendant, quae inter gentes fit, et adlaborent ne homines nostrae aetatis scientiae et technologiae mundi moderni nimis intenti a rebus divinis alienentur, immo vero *ut* ad impensius desiderium veritatis et caritatis divinitus revelatae expergefiant ».

Pag. 20 lin. 27 legatur: « Praesentia christifidelium in coetibus humanis illa caritate animetur, qua nos dilexit Deus, qui vult ut et nos *invicem* eadem caritate diligamus. Caritas christiana *revera* ad omnes extenditur sine discrimine *stirpis,* conditionis socialis seu religionis; nullum expectat lucrum seu gratitudinem; sicut enim Deus dilexit nos amore gratuito, ita et fideles caritate sua *ipsi homini solliciti sint* diligendo eum eodem motu quo Deus hominem quaesivit ».

Pag. 21 lin. 12 legatur: « Laborent christifideles et cum ceteris omnibus collaborent in rebus oeconomicis et socialibus recte ordinandis. Speciali cura sese devove*ant* educationi puerorum et adolescentium per scholas diversi generis ».

Pag. 21 lin. 23 legatur: « Insuper partem assumant in conatibus eorum populorum qui, famem, ignorantiam et morbos debellando, meliores vitae conditiones condere et pacem in mundo firmare satagunt. In hac activitate fideles sociam operam suam *prudenter* praestare exoptent inceptis quae ab Institutis privatis et publicis, a guberniis, ab organis internationalibus, a diversis communitatibus christianis necnon religionibus non-christianis promoventur.

Pag. 22 lin. 31 legatur: « Quae conversio *sane* initialis intelligenda est, sufficiens tamen ut homo percipiat se, avulsum a peccato, introduci in mysterium amoris Dei, qui eum vocat ad personale commercium cum Seipso in Christo ineundum ».

[51] Pag. 23 lin. 3 legatur: « Hic transitus, secum trahens progressivam sensus et morum immutationem, cum suis socialibus consectariis manifestus fieri et tempore catechumenatus paulatim *evolvi* debet. *Cum* Dominus cui creditur signum sit contradictionis (cf. *Lc.* 2, 34; *Mt.* 10, 34-39), homo conversus rupturas et separationes non raro experitur, sed etiam gaudia quae non ad mensuram dat Deus (cf. *1 Thess.* 1, 6) ».

Pag. 23 lin. 23 legatur: « qui non est mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio et tirocinium *debite protractum,* quibus discipuli cum Christo suo Magistro coniunguntur ».

Pag. 24 lin. 6 legatur: « Initiatio autem illa christiana in catechumenatu non a solis catechistis vel sacerdotibus, sed a tota communitate fidelium, *speciali autem modo* a patrinis, est procuranda, ita ut catechumeni inde ab initio sentiant se pertinere ad Populum Dei ».

Pag. 24 lin. 29 legatur: « Missionarii ergo, cooperatores Dei (cf. *1 Cor.* 3, 9) tales suscitent fidelium congregationes, quae digne ambulantes vocatione qua vocatae sunt (cf. *Eph.* 4, 1), *munera a Deo sibi concredita exerceant sacerdotale, propheticum et regale* ».

Pag. 25 lin. 30 legatur: « Haec collaboratio instituatur non solum inter privatas personas, sed etiam, *de iudicio Ordinarii loci,* inter Ecclesias *vel communitates ecclesiales* earumque opera ».

Pag. 25 lin. 34 legatur: « *Christifideles* ex Gentibus cunctis in Ecclesia congregati, "neque regimine, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti",[13] ideoque in *honesta* consuetudine vitae gentis suae Deo et Christo vivant ».

Pag. 26 lin. 3 legatur: « Ad omnia haec obtinenda *maximum momentum habent* et speciali cura digni sunt *laici, christifideles nempe,* qui Christo per Baptismum incorporati, in saeculo *vivunt* ».

Pag. 26 lin. 17 legatur: « Iamvero ad Ecclesiae plantationem et ad incrementum communitatis christianae necessaria sunt varia ministeria, quae vocatione divina ex ipsa fidelium congregatione suscitata, ab omnibus diligenti cura sunt fovenda atque colenda; inter quae habentur munera sacerdotum, et catechistarum, *atque actio catholica.* Item Religiosi et Religiosae ad regnum Christi in animis radicandum et corroborandum illudque ulterius dilatandum sive oratione sive actuosa opera *indispensabile praestant officium* ».

Pag. 27 lin. 40 legatur: « Cura tandem habeatur de formatione *in* administrat*ione ordinata ecclesiastica, immo etiam* oeconomica ».

Pag. 28 lin. 12 legatur: « Iuvat enim viros qui ministerio vere diaconali funguntur, vel verbum divinum tamquam catechistae praedicantes, vel nomine parochi et episcopi dissitas communitates christianas mo-

derantes, vel caritatem exercentes in operibus socialibus seu caritativis, per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam corroborari et altari arctius coniungi, ut ministerium suum per gratiam sacramentalem diaconatus efficacius expleant ». [52]

Pag. 29 lin. 21 legatur: « Ipsi in suis communitatibus precibus *praesunt* et doctrinam tradunt ».

Pag. 29 lin. 30 legatur: « Inde a periodo plantationis Ecclesiae vita religiosa sedulo promoveatur, quae non solum pretiosa omninoque necessaria auxilia activitati missionali affert, sed *per intimiorem consecrationem Deo in Ecclesia factam* lucide *quoque* manifestat et significat intimam vocationis christianae naturam[26] ».

Pag. 31 nota 21 legatur: « Cf. Decretum De Oecumenismo, 4; *Decl. De habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas* ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, Caput II respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

CAPUT III [53]

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

Exitus suffragationum
(10-11 novembris 1965)

Suffr. X: nn. 19-20

Votantes	2.166
Placet	2.160
Non placet	4
Vota nulla	2

Suffr. XI: nn. 21-22

Votantes	2.109
Placet	2.106
Non placet	2
Vota nulla	1

[53] *Suffr. XII*: *de integro Capite*

Votantes	2.209
Placet	2.066
Non placet	10
Placet iuxta modum	131
Vota nulla	2

Integrum Caput a Congregatione Generali approbatum est.

Omnes modi, a Patribus tempestive introducti, praevie ordinati sunt et deinde a Commissione sedulo examinati.

AD TITULUM CAPITIS

1 — Dicatur « De Ecclesiis particularibus seu Dioecesibus » (idem dicatur pag. 33 lin. 24).

R. — Admitti nequit, quia sub n. 19 agitur de dioecesi, sed sub n. 22 vox « Ecclesia particularis » usurpatur in sensu latiore, de dioecesibus globatim in magno territorio socio-culturali consideratis.

[54] AD NUM. 19 [*De Ecclesiarum Novellarum incremento*]

1 — Pag. 32 lin. 20: post « socialis » inseratur « opportune et prudenter » (3 Patres).

R. — Admittitur.

2 — Pag. 32 lin. 24: Liturgia scribatur cum maiuscula sicut in aliis documentis Concilii.

R. — Admittitur.

3 — Pag. 32 linn. 35 ss.: legatur: « Hinc illa *omnia* colantur, quae ad fovendum ... ». Rationes: 1) vox « elementa » non est apta; 2) disiunctio inter theologica, psychologica et humana est infelix (1 Pater).

R. — Ad mentem secundae rationis textus scribatur: « Hinc colantur elementa theologica, psychologica et humana quae ad fovendum ».

4 — Pag. 33 linn. 5-6: verba « saepissime in pauperioribus orbis partibus sitae » omittantur (1 Pater). Offendunt et ad rem necessaria non sunt.

R. — Non admittitur, quia perplurimi Episcopi ex istis regionibus petierunt ut condicio tragica harum Ecclesiarum novellarum in facie mundi declararetur.

AD NUM. 20 [*De Ecclesiarum particularium activitate missionali*] [54]

1 — Pag. 33 lin. 37: post « sedulo » inseratur « quoque » (1 Pater).
R. — Admittitur.

2 — Pag. 33 linn. 39-40: omittatur « indifferentismus religiosus » (1 Pater) nam urbanizatio et migrationes ex una parte, indifferentismus religiosus ex altera parte, ad diversas categorias phenomenon pertinent.
R. — Admittitur, sed sufficienter provisum est in Modo praecedenti.

3 — Pag. 33 lin. 41 dicatur « presbyteri dioecesani » et nomen missionarius relinquatur absque adiectivo « exteris » (1 Pater).
R. — Non admittitur, claritatis causa.

4 — Pag. 34 lin. 3: loco « unum efforment presbyterium, adunatum » legatur « un*a*m efform*a*nt *familiam,* adunat*a*m » (1 Pater). In Decr. De Pastorali Episcoporum munere, 28 collato cum 34, [55]
presbyterium ex solis sacerdotibus dioecesanis constituitur.
R. — Non admittitur, quia non patet ex textibus allatis. De cetero, multi Episcopi ex missionibus rogaverunt ut Decr. De Activitate Missionali describat Presbyterium ut habetur in textu emendato.

5 — Pag. 34 lin. 6: post « sed » inseratur « etiam » (1 Pater).
R. — Admittitur.

6 — Pag. 34 linn. 16-20: loco « doctrinalis » dicatur « theologicae » et loco « scientiae theologicae » dicatur « scientiarum sacrarum » (1 Pater).
R. — Admittitur.

7 — Pag. 34 lin. 25 ss.: tota haec paragraphus ita modificetur ut clare appareat quid exhibeat (2 Patres).
R. — In nota 4 explicatur scil.: « [4] Cf. Decr. De Vita et Ministerio Presbyterorum, 10, ubi ad peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus faciliora reddenda, praevidetur constitutio Praelaturarum personalium, in quantum ratio apostolatus recte exercendi id postulaverit ».

8 — Pag. 34 lin. 40: loco « quos ... haberet » legatur « si quos ... habuerit » (2 Patres).
R. — Admittitur latinitatis causa.

9 — Pag. 35 lin. 5 loco « Missioni universali Ecclesiae » dicatur « activitati missionali Ecclesiae » (1 Pater).
R. — Nequit admitti ne confusio oriatur cum iis quae dicuntur pag. 34 lin. 25.

[55] 10 — Pag. 35 linn. 6-8: deleatur: « mittendo ... laborent » (1 Pater). Non enim desunt sacerdotes qui, ob zeli defectu, e sententia ista arguere possent ut in aliis regionibus, ubi condiciones meliores sunt, sistant.

R. — Non admittitur, quia hic agitur de vera vocatione missionaria, ab auctoritate ecclesiastica comprobanda.

11 — Pag. 35 lin. 9: loco « perfecta erit » dicatur « quodammodo consummabitur » (1 Pater).

R. — Admittitur.

[56] AD NUM. 21 [*De Apostolatu Laicorum fovendo*]

1 — Nota generalis: Mentio fiat scandali multiformis iniustitiae, quae peragitur contra nationes tertii mundi. Ratio: ne e nostro silentio scandalum oriatur (1 Pater).

R. — Res est magni momenti, sed in nostro numero, qui agit de laicis in missione formandis, de hac re agi non potest. Pertinere videtur ad schema 13.

2 — Textus abbrevietur, omittendo A. pag. 35 linn. 12-18; B. pag. 35 lin. 39 ad pag. 36 lin. 13. Ratio: ut evitentur repetitiones eorum quae in decreto iam habentur in nn. 11, 12, 15 (1 Pater).

R. — Omissio substantialis in textu iam approbato fieri non potest. Aliqua repetitio evitari non potest si, secundum desiderium Patrum, ea quae apostolatum laicorum spectant uno numero complectenda sunt; omissio enim unius aspectus essentialis falsam omnino ideam dare posset.

3 — Pag. 35 linn. 12-15: Textus positive ponatur: Ecclesia tunc vere fundata est ... Ratio: forma negativa exclusive sonat (1 Pater).

R. — Manet textus. Emphasis enim in eo ponitur, quod vera et plena constitutio Ecclesiae sine laicatu haberi non potest.

4 — Pag. 35 lin. 13: dicatur Ecclesia *particularis* (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium cum e contextu pateat. Textus vero exprimat Ecclesiam secundum totam suam realitatem constitui debere, quod melius exprimitur si simpliciter dicitur « Ecclesia ».

5 — Pag. 35 lin. 14: addatur: nec *perfectum* Christi signum est. Ratio: Ecclesia semper aliquatenus est signum Christi, et ad parallelismum cum « plene » vivit (lin. 13) (4 Patres).

R. — Admittitur.

6 — Pag. 35 lin. 15: addatur: hierarchia *sacra* seu *ecclesiastica.* Ratio: ne quis de interna organisatione laicorum cogitet (2 Patres). [56]

R. — Non videtur necessarium, cum in textu hierarchia et laici tamquam complementoria praesententur.

7 — Pag. 35 linn. 15-16 dicatur « exstet » et « laboret »; et loco « radicitus » dicatur « profunde » (1 Pater).

R. — Admittitur.

8 — Pag. 35 lin. 19: tollatur « maturum », quia non bene sonat tamquam epitheton laicatus (1 Pater). [57]

R. — Bonum est loqui de maturo laicatu. Laici simpliciter enim semper adsunt, ubicumque sunt baptizati. Textus vero agit de laicis qui munus suum in Ecclesia et in societate plene exercent, et hinc sint maturi.

9 — Pag. 35 lin. 24 omittatur « in qua nati sunt » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia textus autochtonos imprimis respicit.

10 — Pag. 35 lin. 36: additio fiat: Principale officium eorum est *consecratio sui ac mundi in mysterio altaris assumpta, et in eo Spiritu, qui revelat Filium,* testimonium *evangelii* Christi, quod vita ... Ratio: Aspectus Eucharisticus apostolatus exhibeatur, ne nimis « laicum » sonet (1 Pater).

R. — Additio substantialis ad textum approbatum fieri non potest. Idea consecrationis laicorum exhibetur linn. 30-35.

11 — Pag. 36 lin. 4: addatur: « nationis, *in quantum sunt mandatis Dei conformes* ». Ratio: Ne Christiani putent se mores etiam malos suae culturae servare posse (1 Pater).

R. — Additio non videtur necessaria, quia res evidens est. Insuper textus dicit culturam esse sanandam (lin. 5) et transformandam (lin. 9).

12 — Pag. 36 lin. 5: loco « sanare et servare » dicatur: « servare et sanare ». Ratio: Cultura in quantum est genuina, servanda, in quantum nociva, sananda est (1 Pater).

R. — Textus maneat, exprimit enim primo illam novitatem, quae semper per Christum venire debet, quod fit per sanationem; solum quae ita sanata sunt, etiam servari debent.

13 — Pag. 36 lin. 13 loco « disseminent etiam fidem » dicatur « testes fiant fidei » (1 Pater), nam vox « disseminare fidem » posset sensum prae se ferre proselytismi exaggerati.

R. — Non admittitur, quia est terminus biblicus (cf. *1 Thess.*) et ita expresse agitur de vocatione laicorum ad apostolatum directum.

[57] 14 — Pag. 36 lin. 25: omittatur: « laicos forment ». Ratio: Formatio laicorum non ad solos sacerdotes, sed ad omnes spectat (1 Pater).

[58] R. — Textus debet manere, nam est munus speciale sacerdotum laicos formare, maxime in missionibus. Operatio vero aliorum nullo modo excluditur.

15 — Pag. 36 lin. 30: omittatur « paterne ». Ratio: Paternalismum sapit (1 Pater).

R. — Acceptatur.

16 — Pag. 36 lin. 31: dicatur: « Decreti Apostolicam Actuositatem ». Ratio: citetur documentum analogo modo cum « Lumen Gentium » in eadem linea (1 Pater).

R. — Acceptatur.

AD NUM. 22 [*De Diversitate in Unitate*]

1 — Pag. 36 lin. 39: loco « ex terra bona » dicatur « in terra bona » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia « ex terra bona » se refert ad « succum trahit ».

2 — Pag. 37 lin. 14: loco « magno territorio » dicatur « magna regione » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia hic adhiberi debet expressio technica.

3 — Pag. 37 lin. 17: loco « facta et verba ... subiiciantur » dicatur « modus quo exprimuntur facta et verba ... subiciatur »; nam non ipsa facta et verba sunt investigationi subiicienda, sed potius modus et formulae quibus exprimuntur.

R. — Non admittitur. Etenim contentum revelationis, nempe facta et verba, investigationi subiiciuntur ut profundius intelligantur.

4 — Pag. 37 lin. 19: post « Patribus » inseratur « et Magisterio » (1 Pater).

R. — Admittitur.

5 — Pag. 37 lin. 18: loco « in Sacris Litteris » dicatur « in deposito Fidei » (1 Pater); insuper loco « consignata » dicatur « contenta » (alius Pater).

R. — Iam provisum est in Modo 4.

[59] 6 — Pag. 37 lin. 18 auferantur verba « in Sacris Litteris consignata et ab Ecclesiae Patribus explicata », quia sapit quaestionem de unico fonte (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia textus explicite loquitur de Traditione, cum mentionem facit de Ecclesiae Patribus. [59]

7 — Pag. 37 linn. 13-19: omnia ita recognoscenda sunt ut non sit discriminatio theologica (1 Pater).

R. — Iam provisum est in Modo 4.

8 — Pag. 37 linn. 18-19: legatur: « et ab Ecclesiae Patribus communique theologia explicata, per novas investigationes ad proprios idearum et cogitationum modos aptentur, cum eisque componantur » (3 Patres).

R. — Sufficienter provisum est in Modo 4.

9 — Pag. 37 lin. 19 dicatur « *indefessae* investigationi » ne habeamus tot theologias quot populos.

R. — Idea textus est clara et periculum quod timetur non adest.

10 — Pag. 37 lin. 19: post « subiiciantur » addatur: « immo ut debito tempore debitaque praeparatione et prudentia, alii etiam Ritus seu Ecclesiae particulares in Ecclesia exsurgant et floreant » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia additio longioris propositionis, et praesertim novae ideae est contra normas.

11 — Pag. 37 lin. 19: post « subiiciantur » addatur: « salvo sensu dogmatum a Magisterio authentico fidelibus imposito » (1 Pater).

R. — Iam provisum in Modo 4.

12 — Pag. 37 lin. 21 dicatur « ratione *etiam* habita » ne videatur schema conciliare sua facere ea omnia quae nunc passim audiuntur contra valorem universalem, in tempore et in spatio, tum theologiae tum philosophiae quae S. Thomam sequuntur ducem (1 Pater).

R. — Satis provisum est in Modo 4.

13 — Pag. 37 lin. 21: loco « philosophiae vel sapientiae » dicatur « *perennis* philosophiae *et* sapientiae » (3 Patres).

R. — Provisum est in Modo 4.

14 — Pag. 37 lin. 21 dicatur « *sanae* philosophiae » (1 Pater). [60]

R. — Non admittitur, quia philosophiae populorum, sub influxu Evangelii, sanari debent.

15 — Pag. 37 lin. 16 ss.: loco « Traditione universalis Ecclesiae » dicatur « Magisterio ecclesiastico » et loco « Sacris Litteris » legatur « Deposito Fidei »; ante « philosophiae » inseratur « verae » (53 Patres).

[60] R. — Inutiles mutationes quia per se patent et propositionem indebito modo gravant. Propterea, quoad mentem provisum est in Modo 4.

16 — Pag. 37 linn. 33-37: legatur: « Novarum denique Ecclesiarum particularium, suis traditionibus exornatarum, locus apparebit in ecclesiastica communione, sub primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet » (1 Pater) vel legatur « locum suum habebunt in ecclesiastica communione universi coetus caritatis cui praesidet Romanus Pontifex » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia nil affert ad textum priorem.

17 — Pag. 37 lin. 38: post « ergo » inseratur: « immo omnino convenit » (2 Patres).

R. — Admittitur.

18 — Pag. 37 lin. 40: loco « territorii » dicatur « regionis » (1 Pater).

R. — Iam responsum est in Modo 2.

19 — Tres Patres novam et longam paragraphum proponunt addendam in fine huius Capitis, de legitimitate et opportunitate novarum Ecclesiarum particularium.

R. — Haec additio esset contra normas, et ideae ibi expressae satis explicantur in textu emendato.

[61] EMENDATIONES ADMISSAE

Pag. 32 lin. 17 legatur: « laici per civilem et apostolicam operositatem ordinem caritatis et iustitiae in civitate instaurare nituntur; instrumenta communicationis socialis *opportune et prudenter* adhibentur ».

Pag. 32 lin. 35 legatur: « *Hinc colantur elementa theologica, psychologica et humana* quae ad fovendum hunc sensum communionis cum Ecclesia universali afferre valeant ».

Pag. 33 lin. 34 legatur: « Quod eximium munus ut rite adimpleat, penitus percipiat tum condiciones gregis sui tum intimas suorum concivium de Deo opiniones, sedulo *quoque* habita ratione illarum mutationum, quas urbanizationes uti dicunt, migrationes et indifferentismus religiosus introduxerunt.

Presbyteri locales in novellis Ecclesiis opus evangelizationis ardenter aggrediantur, communem operam instituendo cum missionariis exteris, quibuscum unum efforment presbyterium, adunatum sub auctoritate Epi-

scopi, non solum ad fideles pascendos et ad divinum cultum celebrandum, sed *etiam* ad Evangelium praedicandum iis qui foris sunt ». [61]

Pag. 34 lin. 15 legatur: « Curent Conferentiae Episcopales ut statis temporibus cursus renovationis biblicae, *theologicae,* spiritualis et pastoralis instituantur eo consilio, ut inter rerum varietates et mutationes clerus pleniorem cognitionem scientiarum sacrarum et methodorum pastoralium acquirat ».

Pag. 34 lin. 39 legatur: « Missionarios vero, *si* quos Apostolica Sedes ad hunc finem praesto *habuerit,* singuli Episcopi in suas dioeceses vocent vel libenter recipiant eorumque incepta efficaciter promoveant ».

Pag. 35 lin. 8 legatur: « Communio enim cum Ecclesia universali *quodammodo consummabitur,* cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt ».

Pag. 35 lin. 12 legatur: « Ecclesia non vere fundata est, non plene vivit, nec *perfectum* Christi signum est inter homines, nisi cum hierarchia laicatus veri nominis exstet et laboret. Evangelium enim non potest *profunde* infigi in ingeniis, vita et labore alicuius populi sine actuosa praesentia laicorum ».

Pag. 36 lin. 27 legatur: « eos in mysterio Christi profunde instruant, in practicas methodos introducant ac eis in difficultatibus adsint, ad mentem Constitutionis Lumen Gentium et Decreti Apostolicam Actuo- [62]
sitatem ».

Pag. 37 lin. 13 legatur: « Ad hoc propositum assequendum necesse est ut in unoquoque magno territorio socio-culturali, uti aiunt, ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente Traditione universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Sacris Litteris consignata et ab Ecclesiae Patribus *et Magisterio* explicata, novae investigationi subiiciantur ».

Pag. 37 lin. 38 legatur: « Optandum est ergo, *immo omnino convenit,* ut Conferentiae Episcopales intra limites uniuscuiusque magni territorii socio-culturalis inter se ita coadunentur, ut communibus consiliis hoc aptationis propositum concordi animo prosequi valeant ».

Pag. 38 nota 4 legatur: « cf. Decr. de Ministerio et vita presbyterorum, 10, ubi ad peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus faciliora reddenda, praevidetur constitutio Praelaturarum personalium, in quantum ratio apostolatus recte exercendi id postulaverit ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos Caput III respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[63]

Caput IV
DE MISSIONARIIS

Exitus suffragationum
(11 novembris 1965)

Suffr. XIII: nn. 23-26

Votantes	2.165
Placet	2.138
Non placet	18
Vota nulla	9

Suffr. XIV: n. 27

Votantes	2.151
Placet	2.117
Non placet	4
Vota nulla	30

Suffr. XV: de integro Capite

Votantes	2.138
Placet	1.816
Non placet	11
Placet iuxta modum	309
Vota nulla	2

Integrum Caput a Congregatione Generali approbatum est.

Omnes modi, a Patribus tempestive introducti, praevie ordinati sunt et deinde a Commissione sedulo examinati.

AD TITULUM CAPITIS

1 — Ad titulum capitis, 3 Patres volunt addere: « *ad exteros* ».

R. — Non admittitur, quia sensus tituli, ut iacet, respondet petitionibus plurium Patrum.

AD NUM. 23 [*De vocatione missionaria*] [63]

1 — Pag. 39, linn. 4-9: Textus ita mutetur: « Christus Dominus semper e numero discipulorum ad hierarchicum apostolatum vocat quos vult ipse ... Insuper per Spiritum Sanctum ... vocationem [64] ad missionalem activitatem in cordibus singulorum tam clericorum quam laicorum inspirat » (1 Pater).

R. — Sufficienter providetur in textu reemendato. Confer expensionem sequentis Modi.

2 — Pag. 39, lin. 5: Loco: « ut sint cum illo et ut mittat eos praedicare » dicatur: « ut mittat *in opus missionale* ».

R. — Admittitur quoad sensum addendo verbum « gentibus », quo tollitur omnis ambiguitas.

3 — Pag. 39, linn. 1-9: Unus Pater vult ut post verba « singulorum » addatur: *sive sacerdotum, sive fratrum, sororum vel laicorum.*

R. — Talis additio non videtur necessaria. Vide textum hoc n. linn. 17 et 18 et n. 26, lin. 28.

4 — Pag. 39 linn. 9-14 loco « vocationem missionariam » dicatur « *desiderium* vocationis missionariae » (1 Pater) et loco « Speciali enim vocatione signantur » dicatur « Signa enim specialis vocationis manifestant » (etiam alius Pater), ne interpretetur vocationem essentialiter in impulso interno consistere, quod a Pio Pp. X reprobatum fuit.

R. — In textu nullo modo dicitur vocationem essentialiter consistere in impulso interno; immo explicite dicitur dotes et ingenium corporis et animae esse signa vocationis.

5 — Pag. 39 linn. 9-11 legatur « vocationem missionariam *in Ecclesia* inspirare nunquam desinit simulque suscitat *Ordines et* Instituta » (1 Pater).

R. — Non admittitur; provisum est in textu linn. 18-19 et in nota 2.

6 — Pag. 39, lin. 11: Unus Pater: post verbum « evangelizationis », addatur: « in *terris missionum* ».

R. — Sufficienter provisum in expensione Modi 2.

7 — Pag. 39, lin. 11: Post verba « Instituta », addatur: *atque incepta* (5 Patres).

R. — Provisum est in nota 2, quae comitabitur textum, nec additio congrueret textui.

[65] 8 — Pag. 39, linn. 11-13: Unus Pater proponit ut textus ita legatur: « quae ad munus evangelizationis, ad totam Ecclesiam pertinens, *specialiter et unice devovant* ».

R. — Non admittitur, quia nimis restringeretur sensus totius capitis.

9 — Pag. 39, lin. 18: Unus Pater proponit quod in hoc loco et in num. 26 (pag. 41, lin. 27) post verbum « sacerdotes » ponatur: *diaconi.*

R. — Diaconi subintelliguntur in textu, sed explicita eorum mentio nondum expedire videtur.

10 — Pag. 39, lin. 23: Unus Pater proponit ut post lineam 23 dicatur de vera vocatione illorum qui mittuntur contra suam voluntatem.

R. — Non videtur opportuna talis additio.

AD NUM. 24 [*De Spiritualitate Missionaria*]

1 — Pag. 39 lin. 25 legatur « At vero Deo *per Ecclesiam* vocanti » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia plerumque iam ante interventum auctoritatis mittentis vocatus respondere debet. Ceterum de omnibus elementis vocationis agitur in schemate, n. 23.

2 — Pag. 39, lin. 25: Plures Patres (80) proponunt ita legere: « at vero *qui ad opus missionale exercendum* mittitur tali modo *oportet sit animatus ...* ».

R. — Textus retinetur ut clare appareat nexus cum praecedenti numero, ubi exponuntur elementa vocationis ad mentem Patrum qui Modum proponunt. Vide expensionem Modi sub n. 26 Mod. 1.

3 — Pag. 39, lin. 33:

90 Patres: Deleantur verba « ad vitam ».

9 Patres: loco « ad vitam » dicatur « *generose, volenti animo* ».

1 Pater: Restituatur vetus textus « *per totam vitam* ».

R. — Quamvis magni momenti sit labor eorum qui ad tempus operi missionali sese dant, existit tamen differentia obiectiva inter dedicationem temporariam et perpetuam adeo ut per analogiam, applicari valeat quod de consecratione religiosa affirmatur in Constitutione dogmatica « Lumen gentium »: Tanto perfectior erit sui ipsius ad activitatem missionalem deditio, quo per firmiora et stabiliora vincula id fiat. (Cf. « Lumen gentium » n. 44).
[66] Ceterum, bonum Ecclesiae postulat necessitatem et meritum dedicationis ad vitam extollere, siquidem opus missionale ple-

rumque diuturnam praeparationem et adaptationem exigit et laborem indefesse continuatum quousque vires suppetunt. Neque haec affirmatio standi vocationi « ad vitam » contradicit iis quae de operariis « ad tempus » dicuntur in aliis locis huius Decreti. Nam hic describitur ratio completa spiritualitatis missionariae prout ex Sacris Litteris eruitur et ipsum opus missionale postulat, et ibi alliciuntur quicumque in eodem opere ad tempus participant. Denique Commissio admittere potest Modos qui perficiunt expressionem conceptuum, non vero eos qui mutant ipsos conceptus in Congregatione generali larga maioritate approbatos. Proinde retinetur textus. [66]

4 — Pag. 40 lin. 4 loco « annuntians Evangelium » restituatur textus « Minister Evangelii » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia hic non agitur de toto ministerio, sed solum de praedicatione.

5 — Pag. 40, lin. 6: Unus Pater proponit deleri verba « pro quo legatione fungitur ». Ratio: non satis constat an possint applicari missionariis non sacerdotibus.

R. — Non admittitur. Quae hic dicuntur applicantur missionariis in genere quamvis non omnia omnibus pari ratione conveniant.

6 — Pag. 40, lin. 13: Addatur « In paupertate ».

R. — Non est necessarium. Alibi iam sermo fit de paupertate in hoc capite.

7 — Pag. 40, lin. 26: 259 Patres postulant ut post verba « in diem » addatur: « *inter se et cum neophytis missionarii omnes, sive autochtoni sive exteri, presbyteri, religiosi vel laici, communitatem apostolicam imitantes* (*Act. Apost.* 2, 42 et 4, 32 seq.) *cor unum sint et anima una ut credat mundus quia a Deo sunt missi.* Ordinarii vero...

R. — Admittitur ex parte in expensione Modi 6 sub n. 25 qui est locus aptior.

8 — Pag. 40, lin. 27: Unus Pater proponit addere post verbum missionarios « *tam sacerdotes quam alios in opere missionum cooperatores* ».

R. — Non videtur necessarium.

9 — Pag. 40, lin. 29: Unus Pater proponit addere verba: « *etiam institutis ad hoc aptis domibus* ». [67]

R. — Admittitur.

[67] AD NUM. 25 [*De formatione spirituali et morali*]

1 — Pag. 40, lin. 33: Unus Pater proponit ut addatur ante verba « debet enim »: « *Per baptismum et confirmationem ordinatus est ad munus missionale Ecclesiae; per vocationem propriam et expressam missionem conditus est in statu missionis, in nova conditione, ita ut totae vires suae consecrentur in spiritu evangelicae paupertatis* ».

R. — Non admittitur quia nihil addit iis qui in textu continentur.

2 — Pag. 40, lin. 35: Unus Pater proponit mutare verbum « laeto » verbo « *forti* ».

R. — Admittitur.

3 — Pag. 40, linn. 37-38 loco « mente aperta et corde dilatato » dicatur « corde magno et animo volenti » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Mutaretur sensus et obiectum textus.

4 — Pag. 40, lin. 39: Loco « alienis » dicatur « *diversis* » vel « *novis* » (2 Patres).

R. — Non admittitur quia mutaretur sensus textus.

5 — Pag. 40, lin. 40. Unus Pater proponit loco verbi « sponte » dicere « *generose* ».

R. — Admittitur.

6 — Pag. 41, lin. 2: Modus de quo in expensione 7 sub n. 24 hic ex parte admittitur. Post verbum « dedicant », addatur: « ita ut simul cum fidelibus communitatem apostolicam imitantes, cor unum sint et anima una (cf. *Act. Apost.* 2, 42; 4, 32 seq.).

7 — Pag. 41, linn. 4-5: Sex Patres proponunt loco « *vita spirituali* » scribatur « *Spiritu Christi* » vel « *mediis spiritualibus* ».

R. — Non admittitur quia Modus propositus non videtur perficere textum.

[68] 8 — Pag. 41, lin. 7: Unus Pater proponit addere aliquid de devotione erga B. V. Mariam.

R. — Hoc medium sanctificationis et alia includuntur sub conceptu vitae spiritualis et magis explicantur in Decreto « de Institutione Sacerdotali » ad quod refertur in nota 5.

9 — Pag. 41, linn. 8-9. Unus Pater vult ut clarius exprimatur quid sibi velint verba « discat in quibus sit sufficiens esse ».

R. — Non admittitur. Sunt verba Sacrae Scripturae.

AD NUM. 26 [*De formatione doctrinali et apostolica*] [68]

1 — Pag. 41, linn. 21-22: Plures (73) Patres proponunt verba « *vocationi divinae oboedientes* » omittenda esse et legendum: « Qui vero ad varias gentes mittentur ».

R. — Admittitur quia hoc loco non est cur vocatio divina explicite nominetur secus ac in n. 24. Vide expensionem Modi 1 num. 24.

2 — Pag. 41, lin. 21. Unus Pater proponit legendum esse: « Qui vero vocationi divinae oboedientes *vel mandato Ecclesiae aut superiorum* ».

R. — Provisum est in praecedenti Modo admisso.

3 — Pag. 41, lin. 24: Duo Patres proponunt post verba « Ex Sacris Scripturis » inserenda verba « *Matre Ecclesia duce* » vel « a Matre Ecclesia porrectis ».

R. — Additio non videtur necessaria; ceteroquin provisum est in nota 5, ubi refertur ad Decretum de Institutione sacerdotali.

4 — Pag. 41, linn. 29-30. Unus Pater proponit supprimere verba: « ne exigentiis futuri operis impares inveniantur », et dicere: « efformandi sunt *apud Instituta missionaria apte parata* ».

R. — Non admittitur quia opportunum videtur addere finem formationis et non opportunum videtur restringere illam formationem ad sola Instituta missionalia.

5 — Pag. 41, linn. 34-39. Unus Pater proponit melius ita legendum esse: « Quod de omnibus disciplinis valet, per quas parantur ad ministerium obeundum *et ad acquirendam* communem populorum, culturarum, religionum cognitionem »...

R. — Videtur retinendus textus quia melius exhibet necessitatem com- [69]
plendi formationem theologicam scientiis, scil. ethnologia, historia culturarum et religionum etc.

6 — Pag. 42, lin. 1. Unus Pater proponit delere verbum « apprime ».

R. — Non admittitur propter rationem iam allatam in anteacta relatione particulari de textu emendato ad numerum 26 D. Ceteroquin, sicut in Const. de Sacra Liturgia institutio liturgica saepius inculcatur, ita rationi omnino consentaneum est in Decreto de activitate missionali Ecclesiae congruam institutionem missiologicam urgere.

7 — Pag. 42 lin. 5 loco « nuntii Evangelii » dicatur « Evangelii praecones » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium.

[69] 8 — Pag. 42, lin. 8. Unus Pater proponit ut scribatur « efficaciores *censentur* » quia *recensentur* significat enumerare.

R. — Admittitur.

9 — Pag. 42 linn. 13-14 loco « artem catecheticam » reponatur « arte catechetica » (1 Pater).

R. — Remanet textus quia habet alium sensum.

10 — Pag. 42, lin. 18. Unus Pater proponit addere verba: « *Apud congruentia Instituta* ».

R. — Non admittitur. Vide expensionem Modi 4 n. 26, et etiam textum numeri 27.

11 — Pag. 42, lin. 19 scribatur: « Haec vero formationis genera *imprimis* in terris ad quas mittuntur (...) compleantur necesse est » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium.

12 — Pag. 42, lin. 26: Duo Patres proponunt ut dicatur: *Missionarii exteri* linguas ediscant.

R. — Non admittitur quia in multis locis ubi plures linguae habentur, haec restrictio inopportuna videtur.

13 — Pag. 42, lin. 42: Unus Pater proponit omittere verba: *quam perfectissime.*

R. — Admittitur ex parte dicendo: « *Nec desint qui perfecte sciant uti* » etc.

[70] AD NUM. 27 [*De Institutis in Missionibus laborantibus*]

1 — Unus Pater petit ut supprimantur omnia quae in hoc numero et in aliis locis schematis de Institutis missionalibus dicuntur quia triumphalismum apologeticum sapiunt.

R. — Quae petita sunt a multis Patribus et in Congregatione generali iam approbata, Commissio supprimere non potest. Praeterea, accusatio triumphalismi apologetici sustineri non potest. Ea quae dicuntur in veritate historica et in praesenti rerum conditione fundantur.

2 — Pag. 43, lin. 17: Unus Pater proponit loco « *commissa sunt* » dicatur « *commissa fuerunt* ».

R. — Non admittitur quia in textu non agitur de iure commissionis sed de opere in praeterito peracto.

3 — Pag. 43, lin. 24. [70]

Unus Pater proponit addere: « *Quae Instituta conentur ut magis ac magis apta instrumenta sint ad formationem missionariorum, ideo si necesse est se reforment secundum normas a competenti auctoritate edictas* ».

R. — Contentum additionis propositae alio loco huius Decreti (Cap. VI, n. 38) necnon in Decreto de accommodata renovatione vitae religiosae iam satis innuitur.

4 — Pag. 43, lin. 35 dicatur « Instituta missionalia ».

R. — Hic agitur de omnibus Institutis in missionibus laborantibus, uti dicitur in ipso textu.

EMENDATIONES ADMISSAE [71]

Pag. 39 lin. 1 legatur: « Quamvis cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit, Christus Dominus semper e numero discipulorum vocat quos vult ipse, ut sint cum illo et ut mittat eos *gentibus praedicare* (cf. *Mc.* 3, 13 s.) ».

Pag. 40 lin. 26 legatur: « Ordinarii vero et Superiores statutis temporibus missionarios coadunent, ut spe vocationis roborentur et in ministerio apostolico innoventur, *etiam institutis ad hoc aptis domibus* ».

Pag. 40 lin. 33 legatur: « Debet enim esse promptus ad initia capienda, constans ad opera perficienda, perseverans in difficultatibus, patienti et *forti* animo ferens solitudinem, defatigationem, infructuosum laborem ».

Pag. 40 lin. 39 legatur: « Alienis etiam populorum moribus et variantibus condicionibus *generose* se aptabit; concordi animo et mutua caritate sociam operam dabit fratribus et omnibus qui eidem operi sese dedicant, *ita ut simul cum fidelibus communitatem apostolicam imitantes cor unum sint et anima una* (cf. *Act.* 2, 42; 4, 32) ».

Pag. 41 lin. 21 legatur « Qui vero ad varias gentes mittentur, ut boni ministri Christi, enutriti sint "verbis fidei et bonae doctrinae" (*1 Tim.* 4, 6) quae praeprimis ex Sacris Scripturis haurient, perscrutantes Mysterium Christi, cuius praecones et testes erunt ».

Pag. 42 lin. 1 legatur: « Futuro missionario apprime necessarium est studiis missiologicis incumbere, id est cognoscere doctrinam et normas Ecclesiae circa activitatem missionalem, scire quas vias nuntii Evangelii decursu saeculorum percurrerint, necnon praesentem missionum condicionem simul ac methodos, quae nunc temporis efficaciores *censentur* ».

[71] Pag. 42 lin. 42 legatur: « Nec desint qui *perfecte sciant* uti instrumentis technicis et communicationis socialis, quorum momentum omnes magni faciant ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, Caput IV respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[72] CAPUT V

DE ORDINATIONE ACTIVITATIS MISSIONALIS

Exitus suffragationum
(11 novembris 1965)

Suffr. XVI: nn. 28-29

Votantes	2.131
Placet	2.064
Non placet	53
Vota nulla	14

Suffr. XVII: nn. 30-31

Votantes	2.125
Placet	2.105
Non placet	16
Vota nulla	4

Suffr. XVIII: nn. 32-34

Votantes	2.142
Placet	2.101
Non placet	37
Vota nulla	4

Suffr. XIX: de integro Capite

Votantes	2.153
Placet	1.428
Non placet	9
Placet iuxta modum	712
Vota nulla	4

AD NUM. 29 [*Ordinatio generalis*] [72]

1 — Pag. 45 linn. 16-23: 74 Patres volunt ut legatur « Episcopi vel singuli vel in coetum convocati, inter maioris momenti negotia speciatim rationem habeant activitatis missionalis quae est munus maximum et sanctissimum Ecclesiae ».

R. — Maneat textus; nam [73]

1) Praecise cum sollicitudo Evangelium annuntiandi urgeat imprimis Corpus Episcoporum, ad Synodum Episcoporum seu « stabile Episcoporum Consilium pro Ecclesia universa » pertinet in hac ordinatione generali partem agere.

2) Ad mentem motu proprio « Apostolica Sollicitudo », nullatenus hoc modo auctoritas Summi Pontificis limitatur.

2 — Pag. 45 linn. 16-33: Sive pro synodo Episcoporum sive pro Dicasterio De Propaganda Fide adhibeatur *forma optativa,* non forma praeceptiva (2 Patres).

R. — Non admittitur; quia in decretis conciliaribus parandis non videtur opportunum formam adhiberi tantum optativam, cum illa decreta ab ipso Summo Pontifice approbentur.

3 — Pag. 45 lin. 17: Auferatur adverbium « imprimis » ut in textu priore (unus Pater).

R. — Non admittitur. Christifideles omnes, ut multi Patres optime dixerunt, responsabilitatem pro parte sua in Evangelizando mundum assumere debent; quare verbum « imprimis » consulto hic positum, in memoriam revocat officium missionale omnium.

4 — Pag. 45 linn. 16-23: A. excludatur specialis ratio habenda de activitate missionali (2 Patres); nam *a*) non est iuxta tenorem motu proprio *Apostolica Sollicitudo* (unus Pater); *b*) Summus Pontifex sibi reservavit statuere argumenta pertractanda in singulis coetibus (alius Pater). B. mutetur sic: « ex commissione Summi Pontificis specialem rationem habere poterit » (tertius Pater).

R. — Admitti non potest; nam textus nullo modo imponit materiam a Synodo tractandam, sed petit ut in diversis materiis tractandis rationem habeat de peculiaribus missionum condicionibus.

5 — Pag. 45 lin. 24 ss. proponitur nova redactio textus (1 Pater).

R. — Totum textum transsumere esset contra normas; attamen Commissio censet ideam de operatione Spiritus Sancti textum feliciter complere, et proinde post verba « salvo iure Ecclesiarum

[73] Orientalium » inseruit: « Licet multiplici modo Spiritus Sanctus suscitet spiritum missionalem in Ecclesia Dei, et non raro actionem eorum quorum est moderari vitam Ecclesiae praeveniat, tamen pro sua parte etiam hoc Dicasterium promoveat vocationem et spiritualitatem missionariam, zelum et orationem pro missionibus necnon de istis nuntia genuina et adaequata producat ».

[74] 6 — Pag. 45 linn. 26-27 omittantur verba « nempe De Propaganda Fide » et « ubique terrarum »; loco « salvo iure Ecclesiarum Orientalium » dicatur « *ratione habita activitatis missionalis sive Ecclesiarum Occidentalium sive Orientalium. Coordinatione proinde et collaboratione debita et apta sub moderamine Summi Pontificis praemissa, a respectivo Dicasterio sive De Propaganda Fide sive Pro Ecclesiis Orientalibus,* promoveantur vocatio et spiritualitas ... » (4 Patres). In nota ponatur referentia ad Decr. De Eccl. Orient., 3.

Ratio: *a*) textus est iniuriosus Ecclesiis Orientalibus, et non conformis quoad ius praedicandi Evangelium, Decreto De Ecclesiis Orientalibus;

b) textus prout stat est revera confusus (1 Pater).

R. — Haec includuntur in verbis « salvo iure Ecclesiarum Orientalium »: hoc ius est imprimis ius praedicandi Evangelium; solum, non subiiciuntur Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ut ita notae earum specificae servari possint. Nullo modo videtur textus iniuriosus.

7 — Pag. 45 linn. 26-27: Loco « de Propaganda Fide » dicatur « De evangelizatione Fidei »; quia terminus « propaganda » in multis locis et nationibus male sonat, et in mentem revocat res commerciales et politicas (3 Patres).

R. — Non opportuna videtur huiusmodi mutatio cum a saeculis iam terminus in usu sit. Praeterea non est locus in textu conciliari urgere talis quaestionis solutionem.

8 — Pag. 45 lin. 30: post verba « ... salvo iure Ecclesiarum Orientalium » addatur « intimam tamen foveat relationem cum aliis Dicasteriis quousque sub eorundem dicione, propter peculiares rationes, Missiones habeantur » (265 Patres). Etenim propter peculiares rationes verae Missiones de facto hodie habentur sub ditione Sacrae Congregationis Consistorialis et Secretariae Status, tum in Asia tum in Africa tum denique in quibusdam regionibus Americae Latinae.

R. — Admittitur sed sub forma notae explicativae quae sic sonat:

« Si quae missiones propter peculiares rationes aliis Dicasteriis pro tempore adhuc subsunt, expedit ut illa Dicasteria relationem habeant cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide ut in omnibus missionibus ordinandis ac dirigendis ratio ac norma omnino constans atque uniformis haberi possit ». [74]

Non in textu ipso introducitur talis Modus, quia agitur de situatione transitoria pro qua Decretum proponit remedium, illud dicasterium unicum pro tota re missionali gubernanda.

9 — Pag. 46 lin. 9: Instituta suntne Instituta missiologica, missionalia, scientifica an alia? (1 Pater). [75]

R. — Ex contextu clarum est.

10 — Pag. 46 lin. 10: proponitur modus distribuendi subsidia (1 Pater).

R. — Non pertinet ad schema.

11 — Pag. 46 linn. 11-16: Deleantur, nam non cohaerent cum Decreto de Oecumenismo, 12, ubi accurate ponuntur limites huius cooperationis (sex Patres).

R. — Non admittitur, quia textus prout nunc iacet (cf. Modus 14) illud periculum vitat.

12 — Pag. 46 linn. 24-33 omittantur quia res pendet a Summo Pontifice (1 Pater).

R. — Ipse Summus Pontifex concretas suggestiones a Concilio petiit.

13 — Pag. 46 lin. 14: Verba « cum incoeptis missionalibus » deleantur quia periculum pro catholicis potest gignere. Dicatur « in incoeptis vitae socialis vel caritativae » (22 Patres) vel « cum incoeptis caritatis vel assistentiae socialis quae, in territoriis missionum, etiam aliae communitates christianae tractant » (unus Pater).

R. — Non admittitur, quia textus est iuxta spiritum Decreti « De Oecumenismo ».

14 — Pag. 46 linn. 11-16: Dicatur « Una cum Secretariatu ... vias et media ad procurandam *et ordinandam* fraternam collaborationem necnon conviventiam ... ut scandalum divisionis *pro posse tollatur* » (unus Pater).

R. — Admittitur.

15 — Pag. 46 lin. 16: Dicatur « minuatur » vel aliquid huiusmodi (unus Pater).

R. — Iam provisum est in praecedenti Modo.

[75] 16 — Pag. 46 lin. 13 supprimatur verbum « collaborationem » ut satis sit dicere « fraternam et ordinatam conviventiam » quia collaboratio huiusmodi practice difficilis et *periculosa* est (unus Pater).

R. — Non admittitur, quia cum Decr. « De Oecumenismo » non consonat.

[76] 17 — Pag. 46 linn. 11-16: « Stylus oportet adaequetur et perpoliatur » (unus Pater).

R. — Latinistis confiditur.

18 — Pag. 46 linn. 24-33: legatur: « In directione huius Dicasterii partem actuosam et decisivam, seu *vocem deliberativam* habeant repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex toto Orbe, *a Conferentiis Episcopalibus praesentati,* necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium, modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis. Hi omnes, *ad determinatum tempus nominati,* et statutis temporibus convocandi ... ».

Sic proponunt quadringenti sexaginta et unus Patres, ut Dicasterium de Propaganda Fide, quod operi missionali eximium praebuit auxilium, necessitatibus huius temporis melius aptetur.

Rationes: 1) Vera responsabilitas ius decisionis includit. Providetur in textu per verbum « decisivam ». Quod tamen est neologismus, cuius sensus in iure est parum praecisus. Proponitur additio « seu vocem deliberativam » qui est terminus in iure technicus et univocus.

2) Ad veram efficaciam obtinendam praevidetur ut *repraesentantes* seligantur eorum qui *in* missionibus vel *pro* eis adlaborant. Sed caracter vere repraesentativus magis in tuto ponendus videtur. Ideo proponitur additio, ubi de Episcopis agitur « *a Conferentiis Episcopalibus praesentati* ». Relatio ostendere potest *non omnes* totius Orbis Conferentias *simul* repraesentari debere (esset turba magna), sed, cum ad tempus designatio fiat, nunc quaedam, mox aliae ita tamen ut semper omnes « magnae zonae socio-culturales » (de quibus in N. 22 pag. 37 lin. 39) repraesententur.

3) Quoad directionem dynamicam, conditio sine qua non videtur ut non semper iidem viri, immo nec nimis longo tempore, ut membra Dicasterii fungantur. Ideo proponitur: « *ad determinatum tempus nominati* ». Aliqui Patres (18) loco « partem actuosam et decisivam » exoptant « *partem actuosam et potestatem decidendi* ».

R. — Mens huius numeri non est mutare vel augere *competentiam* SCPF, quae manet organum Romani Pontificis, et proinde requirit ut omnes huius Congregationis decisiones alicuius momenti indigeant approbatione Romani Pontificis sine qua nullam vim habent. [76]

Inserendo « seu vocem deliberativam » non apparet quid novi addatur, cum iam contineatur in « partem actuosam et decisivam habeant ». Attamen, cum a multis desideretur, dicitur: [77] « partem actuosam cum voto deliberativo habeant ».

« A Conferentiis episcopalibus praesentati ». Proponitur ut potius dicatur « auditis Conferentiis episcopalibus ». Si enim « praesentantur » a Conferentiis, nimis restringitur libertas Summi Pontificis in eis seligendis, cum seligere non possit nisi qui « praesentantur ». Dicto vero « auditis Conferentiis episcopalibus » datur tamen Conferentiis possibilitas suos homines praesentandi.

« Ad determinatum tempus nominati »: Commissio votis secretis censuit non esse faciendam insertionem, sed hoc iudicio Summi Pontificis relinquendum: « modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis.

19 — Pag. 46 lin. 27 post « Episcopi » inseratur « quicumque sit eorum ritus » uti habebatur antea (2 Patres).

R. — Continetur in « ex toto orbe ».

20 — Pag. 46 linn. 35-36: post verbum « experientiae » addatur « laboribus in missionibus auctae vel probatae » (unus Pater).

R. — In contextu, verbum experientia iam connotat experientiam vitae etiam missionalis.

21 — Pag. 47 lin. 1 post « Religiosarum » addatur « missionibus dedita, ex Constitutionibus vel cum notabili parte sodalium ».

R. — Ex contextu patet hic agi de Institutis missionalibus.

22 — Pag. 47 lin. 1 loco « repraesententur » dicatur « consulentur » (2 Patres).

R. — Non admittitur.

23 — Pag. 47 lin. 1: Non introducendae mulieres in consilio SCPF (unus Pater).

R. — Non admittitur quia res explicite a plurimis Patribus et pro validis rationibus petita fuit.

24 — Pag. 46 lin. 34 ss.: Addatur: « Optandum est ut magis ac magis strictum vinculum et intimus nexus inter missiones et hoc supremum Dicasterium habeatur. Ad quam optabilem connexionem

[77] arctiorem procurandam, SCPF de suiipsius sinu mittat viros expertos qui Missiones visitent, operarios confortent, problemata videant et quasi vivam et personalem rerum missionum cognitionem ad hoc dicasterium referant.

R. — Iam provisum est per novam ordinationem.

[78] AD NUM. 30 [*De ordinatione locali in Missionibus*]

1 — Pag. 47 linn. 14-17: Omittantur quia sunt repetitio Decreti « de Pastorali Episcoporum Munere », 35.

R. — Insertio haec petita fuit a multis Patribus.

2 — Pag. 47 lin. 17: Unus Pater: Vocabulum « ad hoc » non sat clare videtur.

R. — Consentit Commissio et proponit emendationem quae sequitur: « *Ad meliorem coordinationem Episcopus* constituat in quantum fieri potest Consilium » etc.

3 — Pag. 47 lin. 23: Unus Pater: Loco « aequa » scribatur « debita », quia « aequa » est verbum aequivocum.

R. — Maneat textus: « aequitas canonica » nullo modo est notio aequivoca.

AD NUM. 31 [*De coordinatione regionali*]

Pag. 47 lin. 33: Duo Patres: post verbum « seminaria » addatur: « scholae » (christianae).

R. — Addita sunt a Commissione verba « scholas superiores et technicas »; pro scholis inferioribus condendis collaboratio regionalis non videtur semper requiri.

AD NUM. 32 [*De ordinatione activitatis Institutorum*]

1 — Pag. 48 lin. 6 (17 Patres): Post verba « *inire conventiones* » addantur verba: « *secundum normas generales a S. C. de P. F. statuendas* ». Ratio: facilius ineuntur tales conventiones, si normae generales adsunt.

R. — Provisum additione a Commissione proposita in fine huius numeri, quae sic audit: « S. Sedis vero erit principia generalia delineare iuxta quae conventiones regionales vel etiam particulares ineantur ».

2 — Pag. 48 lin. 19 legatur « in quantum eorum fini congruit, *ipsi Dioecesi fidelia maneant* et opera specialia vel aliquam regionem

sibi assum*ere acceptent* ». Nam missionarii non debent radices figere; « assumant » est nimis auctoritativum. [78]

R. — Admittitur ad mentem: dicitur « assum*endo* » ut appareat quomodo intelligenda sit illa fidelitas. [79]

3 — Pag. 48 lin. 23: *A.* (102 Patres): Redeatur ad formulam anterioris textus: « *a S. Sede approbandas* ». Ratio:

1) non licet Episcopis rem definire propria auctoritate, nec Institutis arbitrio proprio in illis cedere, quae ad eorum indolem, vivendique rationem propriam pertinent. (Hanc rationem afferunt 59 Patres);

2) nullus Pater in aula proposuit hanc modificationem. (Hanc rationem afferunt 26 Patres);

3) perperam citatur decretum de pastorali munere Episcoporum, quia condiciones in missionibus sunt diversae ac in regionibus iuris communis. (Hanc rationem afferunt 25 Patres);

4) Sic habetur maior uniformitas. (Haec ratio affertur a 6 Patribus);

5) praesertim pro Institutis quae sunt iuris pontificii et internationalia uniformitas requiritur. (Hanc rationem afferunt 16 Patres).

B. Unus Pater: legatur: « *a S. Sede recognoscendas* ».

R. — Commissio, his Patribus ad mentem annuere volens, statuit lin. 15, post verbum « condicio » ponere linn. 22-25 eisque addere « S. Sedis erit principia generalia delineare iuxta quae conventiones regionales vel etiam particulares ineantur ». Dein sub alia alinea prosequatur textus « Quamquam Instituta parata erunt ... ».

4 — Pag. 48 lin. 7 (5 Patres): Post lineam 7 legatur: « S. Sedi (S. C. de P. F.) vero erit ius missionale stabilire, normasque statuere iuxta quas hae particulares conventiones ineantur ». Ratio: uniformitas quaedam in praxi.

R. — Commissio consentit et providit Modo praecedenti.

5 — Pag. 48 lin. 25 (12 Patres): in fine n. 32 addatur: « Aptando temporibus et locis renovatam Instructionem S. C. de P. F., quae normas saltem generales, practicas tamen, praebeat ».

R. — Consentit Commissio et providit Modo 2.

AD NUM. 33 [*De coordinatione inter Instituta*]

— Pag. 49 lin. 3 (unus Pater): scribatur « *supranationalia* ».

R. — Libenter acceptat Commissio emendationem.

[80] EMENDATIONES ADMISSAE

Pag. 45 lin. 24 legatur: « Pro omnibus Missionibus et pro tota activitate missionali unum tantum sit oportet Dicasterium competens, nempe "De Propaganda Fide" a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum et ipsum opus missionale et cooperatio missionaria, salvo tamen iure Ecclesiarum Orientalium[5 bis]. Licet multiplici modo Spiritus Sanctus suscitet spiritum missionalem in Ecclesia Dei, et non raro actionem eorum quorum est moderari vitam Ecclesiae praeveniat, tamen pro sua parte etiam hoc Dicasterium promoveat vocationem et spiritualitatem missionariam, zelum et orationem pro missionibus necnon de istis nuntia genuina et adaequata producat; ab eo suscitentur et secundum urgentiores necessitates regionum distribuantur missionarii ».

Pag. 46 lin. 11 legatur: « Una cum Secretariatu ad unitatem Christianorum fovendam quaerat vias et media ad procurandam *et ordinandam* fraternam collaborationem *necnon* conviventiam cum inceptis missionalibus aliarum communitatum christianarum, ut scandalum divisionis *pro posse* tollatur ».

Pag. 46 lin. 24 legatur: « In directione huius Dicasterii partem actuosam *cum voto deliberativo* habeant repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex toto orbe, *auditis Conferentiis Episcopalibus,* necnon moderatores Institutorum et Operum Pontificalium, modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, sub auctoritate Summi Pontificis supremam ordinationem totius operis missionalis exerceant ».

Pag. 47 lin. 17 legatur: « *Ad meliorem coordinationem Episcopus* constituat, in quantum fieri potest, Consilium pastorale, in quo clerici, religiosi et laici per delegatos selectos partem habeant ».

Pag. 47 lin. 29 legatur: « Ne insufficiens personarum et subsidiorum copia dissipetur, neve incepta sine necessitate multiplicentur, commendatur ut opera bono omnium inservientia collatis viribus condant, uti e. g. seminaria, *scholas superiores et technicas,* centra pastoralia, catechetica, liturgica necnon instrumentorum communicationis socialis ».

Pag. 48 lin. 14 legatur: « Cessante territorii commissione nova oritur condicio. Tunc Conferentiae Episcoporum et Instituta, communi consilio statuant normas, quae relationes inter Ordinarios locorum et Instituta moderentur. S. Sedis autem erit principia generalia delineare iuxta quae conventiones regionales vel etiam particulares ineantur.

Quamquam Instituta parata erunt continuare opus inceptum, collaborando in ministerio ordinario curae animarum, tamen crescente clero locali, providendum erit ut Instituta, quantum eorum fini congruit, ipsi dioecesi fidelia maneant, opera specialia vel aliquam regionem in ea generose assumendo ». [81]

Pag. 49 post notam 5 addatur: « 5 bis. Si quae missiones propter peculiares rationes aliis Dicasteriis pro tempore adhuc subsunt, expedit ut illa Dicasteria relationem habeant cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide, ut in omnibus Missionibus ordinandis ac dirigendis ratio et norma omnino constans atque uniformis haberi possit ».

QUAESITA PARTICULARIA

1 – *An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, n. 29 respicientes, cum correctionibus supra indicatis?*

2 – *An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, n. 32 respicientes, cum correctionibus supra indicatis?*

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, reliquos numeros Capitis V respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

CAPUT VI [82]

DE COOPERATIONE

Exitus suffragationum
(12 novembris 1965)

Suffr. XX: de integro Capite

Votantes	2.171
Placet	2.006
Non placet	6
Placet iuxta modum	158
Vota nulla	1

Integrum ergo Caput a Congregatione Generali approbatum est.

Omnes modi, tempestive a Patribus introducti, praevie ordinati sunt et deinde a Commissione sedulo examinati.

[82] AD NUM. 36 [*Missionale officium totius Populi Dei*]

1 — Pag. 50 linn. 13-14 putat unus Pater quae dicuntur de *expansione* et *dilatatione* non bene cohaerere cum imagine Corporis.

R. — Corpus de quo agitur est ipsa Ecclesia, cui expressiones adhibitae bene congruunt.

2 — Pag. 50 lin. 14: petit unus Pater ut introducatur expressio « sub ductu Pastorum ».

R. — Res patet nec est necesse ut ubique ponatur.

3 — Pag. 50 lin. 15: duobus Patribus non placet ut de Christifidelibus dicatur « ad plenitudinem *adducant* », quia plenitudo Corporis mystici est opus Dei.

R. — Textus melius respondet menti S. Pauli in *Eph.* 4, 13, ubi extolluntur partes ministeriales « in aedificationem Corporis Christi ».

4 — Pag. 50 linn. 27-32: petunt 93 Patres ut omittantur, sive quia non cohaerent cum Decreto de Oecumenismo sive immo ad indifferentismum ducere possunt.

[83] R. — Acceptatur, ita ut, suppressis linn. 30-32: « Commune enim... superare », addatur lineae 30: « ... praestabitur, iuxta normas Decreti de Oecumenismo, 12 ».

5 — Pag. 51 linn. 9-10, petit unus Pater ut loco « activitatem missionalem suam sentientes » dicatur fideles debere hanc uti onus, munus, debitum sentire.

R. — Non videtur opportunum ulterius definire partem fidelium in missione Ecclesiae stricte dicta, ne oriantur aequivocationes cum onere, munere vel debito quae incumbunt successoribus Apostolorum.

AD NUM. 38 [*Missionale Officium Episcoporum*]

1 — Pag. 51 lin. 39 ss. proponitur novus textus desumptus ex Const. Dogm. « Lumen Gentium », 23.

R. — Non admittitur; etiam textus noster iam approbatus est a Patribus.

2 — Pag. 52 linn. 1-2: proponunt 33 Patres: « ... sed *in bonum* totius mundi consecrati sunt », ut appareat alia et alia ratio consecrationis Episcopi pro sua dioecesi et pro mundo.

R. — Non acceptatur, cum nullum periculum aequivocationis in textu adsit, atque thesis nostra prorsus cohaereat cum doctrina Const. Dogm. « Lumen Gentium » circa collegialitatem.

3 — Pag. 52 lin. 5 unus Pater proponit additionem. [83]

R. — Probatur textus et rationes, sed non videtur ulterius gravandus textus schematis.

4 — Pag. 52, lin. 11: 7 Patres putant textum non bene ostendere communionem inter communitates descendere a communione inter Episcopos, iuxta doctrinam Const. Dogm. « Lumen Gentium ».

R. — Ad omnem prorsus aequivocationem tollendam, acceptatur, et proinde textus nunc legitur: « ... suas mutuo communicant, *cum* dilatatio corporis Christi munus totius Collegii Episcoporum sit ».

5 — Pag. 52 lin. 17 loco « visibilem » unus Pater vult « sensibilem », cum spiritus et ardor missionalis non solum visum afficere dicendus sit.

R. — Visibilitas hic sensu ampliore sumitur, eadem fere ratione qua ipsa Ecclesia visibilis dicitur. [84]

6 — Pag. 52 linn. 22-24: unus Pater vult loco « vocationes iuvenum... fovere » verba « iuvenes et clericos vocare, eosque ad Instituta missionalia conducere, grato animo... » ut ita magis extollatur pars Episcopi in manifestatione vocationis missionalis.

R. — Non videtur oppositio inter vocationem internam et externam; proinde textus in sua praesenti redactione conservatur. Ceteroquin, quaestio theoretica de vocatione perpenditur ad Caput IV schematis.

7 — Pag. 52 lin. 26 petunt tres Patres ut loco « Congregationes dioecesanas » dicatur « Instituta religiosa », cum et haec veniant sub sollicitudine Episcopi.

R. — Graves exsurgerent difficultates, si deberet etiam Congregationes hortari et adiuvare quae excedunt limites suae dioecesis; hic agitur de Institutis dioecesanis; de aliorum cooperatione agitur n. 40.

8 — Pag. 52 linn. 30-36: duo Patres novum textum proponunt ubi partes SCPF in distributione subsidiorum extolluntur.

R. — Textus non est immutandus, cum sit sat clarus, atque pondus SCPF implicite asseratur ubi dicitur subsidia haec per Pontificia Opera Missionalia praesertim colligenda esse: Pontificia enim Opera arcte cum SCPF connexa sunt.

[84] 9 — Pag. 52 lin. 31 loco « tribui debet » dicatur « tribuatur » ne auctoritate Concilii momentum Operum uti hodie sunt, fiat quasi immutabile.

R. — Non videtur necessarium.

10 — Pag. 52 lin. 35: unus Pater proponit textum addendum de modo concreto colligendi subsidia pro missionibus.

R. — Non spectat ad Concilium.

11 — Pag. 52 lin. 41: unus Pater optat ut post « Episcopi » inseratur « illarum dioecesium quae maiore vocationum copia ditantur ».

R. — Textus noster est in spiritu Enc. *Fidei Donum,* citatae in nota 4.

[85] 12 — Pag. 53 lin. 6: duo Patres novum textum addendum proponunt quo urgetur ratio missionalis in usu bonorum ecclesiasticorum, ad mentem Decreti « De pastorali Episcoporum munere, 6 ».

R. — Propositum probatur, attamen referentia ad dictum Decretum ponitur in linea 17 post verbum « tenentur » in nota 4 bis.

13 — Pag. 53, linn. 7-23: 88 Patres petunt textum ita emendari ut servetur libertas singulorum episcoporum in propria dioecesi, atque novum textum proponunt.

R. — Ratione habita Decreti « De pastorali Episcoporum munere, 38 », novus textus praesentatur: « Ut autem Episcoporum activitas missionalis, in bonum totius Ecclesiae efficacius exerceri possit, expedit ut Conferentiae Episcopales negotia moderentur quae ad ordinatam cooperationem propriae regionis spectant.

In suis Conferentiis agant Episcopi de sacerdotibus cleri dioecesani gentium evangelizationi devovendis; de certa stipe quam unaquaeque dioecesis propriis redditibus proportionatam quotannis pro opere missionum dare tenetur; de modis et mediis quibus missiones directe subveniuntur dirigendis et ordinandis; de Institutis missionalibus et seminariis cleri dioecesani pro missionibus adiuvandis et, si opus est, fundandis; de arctioribus nexibus inter huiusmodi Instituta et dioeceses fovendis ».

14 — Pag. 53 linn. 17-18: petit unus Pater ut subsidia haec ad clerum dioecesanum autochtonum praesertim dirigantur.

R. — Hoc non pertinet ad Concilium.

15 — Pag. 53 lin. 22: unus Pater additionem proponit de incardinatione missionariorum.

R. — Problema incardinationis ad revisionem codicis pertinet.

16 — Pag. 53 lin. 31 unus Pater petit ut omittatur « proprio ».

R. — Non admittitur.

17 — Pag. 53 lin. 33: unus Pater additionem proponit de coordinatione centrali, in ipsa SCPF, assistentiae immigrantium ex terris missionum. [85]

R. — Res est nimis particularis, atque potius ad reordinationem Dicasterii centralis de Missionibus pertinet.

AD NUM. 39 [*Missionale Officium Sacerdotum*] [86]

1 — Pag. 53 linn. 36-38: duobus Patribus non placet emendatio.

R. — Est doctrina nota et iam recepta in aliis documentis Concilii; cf. Const. Dogm. « Lumen Gentium », 28.

2 — Pag. 53 lin. 39: petit unus Pater ut loco « in servitium Missionum » dicatur « in servitium Missionis Ecclesiae », quod est verius.

R. — Admittitur ex parte, et proinde legitur « *etiam* in servitium Missionum ». Et sensus est: quatenus Missio Ecclesiae hanc etiam dimensionem strictius missionalem necessario habet.

3 — Pag. 54 lin. 22: duo Patres petunt ut mentio fiat hoc loco Pontificiae Unionis Missionalis Cleri.

R. — Non expedit unum ex Pontificiis Operibus Missionalibus expresse nominare dum alia non nominantur. Sufficiat generalis mentio n. 36.

AD NUM. 40

1 — Pag. 54 lin. 34: petunt tres Patres ut loco « hucusque » dicatur « recentioribus temporibus » vel « iam per plura saecula » ob veritatem historicam.

R. — Rationibus historicis denuo perpensis, tenet Commissio non esse recedendum a textu.

2 — Pag. 55 linn. 11-17: unus Pater petit suppressionem ob confusionismum.

R. — Non acceptatur propter momentum praesentiae Institutorum contemplativorum in misssionibus, prouti etiam recentiora documenta pontificia postulaverunt.

3 — Pag. 55 linn. 13-14: petit unus Pater ut accommodatio vitae contemplativae fiat non solum in traditionibus religiosis populorum, sed etiam aliis si opus sit.

R. — Accommodatio in genere regitur principiis alibi decursu priorum

[86] Capitum Decreti expressis. Cum vero accommodatio traditionibus religiosis peculiaris sit momenti, hic explicite urgetur.

[87] 4 — Pag. 55 lin. 20 ss.: tres Patres varia proponunt examini conscientiae Institutorum vitae activae.

R. — Proposita plerumque probantur; attamen agitur de rebus nimis particularibus vel non omnino necessariis. Utcumque textus noster iam sat fortis videtur et, uti speratur, efficax.

5 — Pag. 55 lin. 21: petit unus Pater ut loco « Regni Dei » ponatur « Regnum Christi », ob considerationes exegeticas.

R. — Transeat pro rationibus, sed Regnum Christi est etiam Regnum Dei.

6 — Pag. 55 lin. 36: unus Pater proponit longum textum de peculiari cura Episcopi in Congregationibus religiosis utriusque sexus condendis.

R. — Modus prorsus est extra competentiam Commissionis.

AD NUM. 42 [*Conclusio*]

1 — Pag. 57 lin. 9: unus Pater petit mutationem « Regni Dei » in « Regnum Christi ».

R. — Vide num 40 Modus 5.

2 — Pag. 57 lin. 15: tribus Patribus non placet « *Eodem* amore » cum amor Patrum nequeat aequare amorem Christi.

R. — Identitas est in genere (amor a Christo nobis communicatus), non in gradu vel pondere.

3 — Pag. 57 lin. 16: unus Pater petit ut loco « exardescunt » dicatur « exardescant ».

R. — Commissioni praeplacet modus indicativus.

4 — Tres Patres proponunt novas « conclusiones » a se exaratas.

R. — Perpulchrae utique, sed nimis mutant conclusionem iam approbatam.

[88] EMENDATIONES ADMISSAE

Pag. 50 lin. 27 legatur: « Hoc testimonium vitae facilius effectum suum obtinebit, si una cum aliis coetibus christianis praestabitur, *iuxta normas Decreti De Oecumenismo, 12* [1] » (reliqua usque ad « superare » omittuntur).

Pag. 52 lin. 8 legatur: « Vi istius communionis singulae Ecclesiae sollicitudinem omnium aliarum ferunt, proprias necessitates sibi invicem aperiunt, res suas mutuo communicant, *cum* dilatatio Corporis Christi munus totius Collegii Episcoporum sit [2] ». [88]

Pag. 53 linn. 7-23 legatur: « Ut autem Episcoporum activitas missionalis in bonum totius Ecclesiae efficacius exerceri possit, expedit ut Conferentiae Episcopales negotia moderentur quae ad ordinatam cooperationem propriae regionis spectant.

In suis Conferentiis agant Episcopi de sacerdotibus cleri dioecesani gentium evangelizationi devovendis; de certa stipe quam unaquaeque dioecesis propriis redditibus proportionatam quotannis pro opere missionum dare tenetur[4bis]; de modis et mediis quibus missiones directe subveniuntur dirigendis et ordinandis; de Institutis missionalibus et seminariis cleri dioecesani pro missionibus adiuvandis et, si opus est, fundandis; de arctioribus nexibus inter huiusmodi Instituta et dioeceses fovendis ».

Pag. 53 lin. 38 legatur: « Penitus ergo intelligant suam vitam *etiam* in servitium missionum consecratam esse ».

Pag. 58 post notam 4 addatur:

« [4bis] Decr. De Pastorali Episcoporum Munere, 6 ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, Caput VI respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

P. IOANNES SCHÜTTE

Superior generalis Societatis Verbi Divini

RELATIO GENERALIS [89]

In suffragationibus super schema Decreti « De activitate missionali Ecclesiae » diebus 10-11 novembris habitis, omnia capitula — unice capitulo quinto excepto — plus quam duabus ex tribus partibus simpliciter approbata sunt. Attamen, etiam horum capitulorum approbatorum Modi magna cum cura et diligentia prius a subcommissionibus, deinde a commissione plenaria examinati et expensi sunt, etiamsi Modi textum iam approbatum substantialiter mutantes vel ambiguum reddentes ad-

mitti non potuerunt. Relationem de singulis Modis habetis, ordinatam secundum capita et numeros, in foliis. In hac relatione generali ea tantum exponere velim quae vel ratione rei quam tangunt, vel numeri Patrum qui eis subscripserunt, generalioris momenti sunt.

I

Capitulum quintum maiorem quidem accepit numerum votorum « placet iuxta modum », sed Modi ipsi pauci sunt. Agitur praesertim de sequentibus:

A) *Ad num. 29* [*Ordinatio generalis*]:

1. Pag. 46, linn. 24-33, legatur: « In directione huius Dicasterii partem actuosam et decisivam, seu *vocem deliberativam* habeant repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex toto Orbe, *a Conferentiis Episcopalibus praesentati,* necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium, modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis. Hi omnes, *ad determinatum tempus nominati,* et statutis temporibus convocandi ... ».

Sic proponunt quadringenti sexaginta et unus Patres, ut Dicasterium de Propaganda Fide, quod operi missionali eximium praebuit auxilium, necessitatibus huius temporis melius aptetur.

Rationes quas proferunt: 1) Vera responsabilitas ius decisionis includit. Providetur in textu per verbum « decisivam ». Quod tamen est neologismus, cuius sensus in iure est parum praecisus. Proponitur additio « seu vocem deliberativam » qui est terminus in iure technicus et univocus.

2) Ad veram efficaciam obtinendam praevidetur ut *repraesentantes* seligantur eorum qui *in* missionibus vel *pro* eis adlaborant. Sed caracter vere repraesentativus magis in tuto ponendus videtur. Ideo proponitur additio, ubi de Episcopis agitur: « *a Conferentiis Episcopalibus praesentati* ». Relatio ostendere potest *non omnes* totius Orbis Conferentias *simul* repraesentari debere (esset turba magna), sed, cum ad tem-
[90] pus designatio fiat, nunc quaedam, mox aliae, ita tamen ut semper omnes « magnae zonae socio-culturales » repraesententur.

3) Quoad directionem dynamicam, necessarium esse videtur ut non semper iidem viri, immo nec nimis longo tempore, munere suo in Dicasterio fungantur. Ideo proponitur: « *ad determinatum tempus nominati* ».

Aliqui Patres (18) loco « partem actuosam et decisivam » exoptant *partem actuosam et potestatem decidendi.*

Responsio: De tribus modis qui proponuntur singulatim respondemus uti sequitur: [90]

a) « *seu vocem deliberativam* »: Revera non apparet quid novi addatur, cum iam contineatur in verbis « partem actuosam et decisivam habeant », in quantum haec valere potest in aliquo Dicasterio, quod est organum executivum Summi Pontificis. Ex altera autem parte verum est, quod « vox deliberativa » seu « votum deliberativum » uti terminus in iure technicus sensum exoptatum clariorem et magis univocum reddit quam expressio « partem decisivam habeant ». Ne autem eadem res diversis verbis repetatur, proponitur textus sequens: « partem actuosam cum voto deliberativo habeant ». Verbum tamen « cum voto deliberativo » hoc in casu propter competentiam solum executivam Dicasterii Romani Pontificis, restringendum esse videtur ad decisiones in administratione et executione activitatis missionalis necnon in materiis Summo Pontifici ad approbandum praesentandis; in sensu autem vere legislativo adhiberi nequit.

b) « *A Conferentiis episcopalibus praesentati* ». Proponitur ut potius dicatur « auditis Conferentiis episcopalibus ». Si enim « praesentantur » a Conferentiis, nimis restringitur libertas Summi Pontificis in eis seligendis, cum seligere non possit nisi eos qui « praesentantur ». Insuper, *alia adhuc accedit ratio.*[1] Hic non agitur de aliquo Synodo vel corpore legislativo, sed de actuosis officialibus administrativis, immo de ipsa dynamica directione totius activitatis missionalis, quae qualitates requirit vere speciales, necnon verum sensum et spiritum cooperationis (team-work, esprit de corps). Praesentatione autem stricte dicta rationes praevalere possent nimis externae, uti aut maior numerus repraesentantium selectorum aut nimia ratio servandae iustae proportionis inter varias Conferentias episcopales, quamvis unam post alteram sibi succedentes. Sed lex proportionis servandae saepe est ratio stagnationis, immo immobilitatis, quae *omnem* [2] dynamismum et veram strategiam impedit et excludit. Proponitur ergo: « auditis Conferentiis episcopalibus ».

c) « *Ad determinatum tempus nominati* »: Haec conditio, etiamsi per se vera et apta, videtur nimis particularis, quae quasi includitur in verbis « modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis ». Quinam modi et rationes remanerent Romano Pontifici decidendi, si ipsum schema iam haec particularia definiret?

2. Pag. 45 lin. 30: post verba « ... salvo iure Ecclesiarum Orientalium », addatur « intimam tamen foveat relationem cum aliis Dicasteriis quousque sub eorundem dicione, propter peculiares rationes, Missiones habeantur » (265 Patres). Etenim propter peculiares rationes verae Missiones de facto hodie habentur sub ditione Sacrae Congregationis Consi- [91]

[91] storialis et Secretariae Status, tum in Asia tum in Africa tum denique in quibusdam regionibus Americae Latinae.

R. Admittitur, sed sub forma notae explicativae *quae sic sonat*: « *Si quae missiones propter peculiares rationes aliis Dicasteriis pro tempore adhuc subsunt, expedit ut illa Dicasteria relationem habeant cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide ut in omnibus missionibus ordinandis ac dirigendis ratio ac norma omnino constans atque uniformis haberi possit* ».[3]

Non in textu ipso introducitur talis Modus, quia agitur de situatione transitoria pro qua Decretum proponit remedium, illud dicasterium unicum pro tota re missionali gubernanda. Insuper hae decisiones concretae dependent nec a schemate nec a Commissione, sed a Sancta Sede.

3. Pag. 45 linn. 16-23: 74 Patres volunt ut legatur « Episcopi vel singuli vel in coetum convocati, inter maioris momenti negotia speciatim rationem habeant activitatis missionalis quae est munus maximum et sanctissimum Ecclesiae ».

R. Maneat textus; nam:

1) Praecise cum sollicitudo Evangelium annuntiandi urgeat imprimis Corpus Episcoporum, ad Synodum Episcoporum seu « stabile Episcoporum Consilium pro Ecclesia universa » pertinet in hac ordinatione generali partem agere.

2) Ad mentem Motu Proprio « Apostolica Sollicitudo », nullatenus hoc modo auctoritas Summi Pontificis limitatur. Non enim agitur de materia proponenda pro Synodo, sed de ratione habenda activitatis missionalis Ecclesiae in materia a S. Pontifice Synodo proposita, ut nempe Synodus in diversis materiis tractandis rationem habeat de peculiaribus missionum condicionibus.

B) *Ad num. 32* [*De ordinatione activitatis Institutorum*]:

1. Pag. 48 lin. 6: Post « *inire conventiones* » addantur verba: « *secundum normas generales a S. C. de P. F. statuendas* » (17 Patres).

2. Pag. 48 lin. 23: Redeatur ad formulam anterioris textus: « *a S. Sede approbandas* » (102 Patres).

Rationes: 1) Non licet Episcopis rem definire propria auctoritate, nec Institutis arbitrio proprio in illis cedere, quae ad eorum indolem, vivendique rationem propriam pertinet. (Sic 59 Patres).

2) Arbitrarie citatur decretum de pastorali munere Episcoporum,
[92] quia condiciones in missionibus sunt diversae ac in regionibus iuris communis (25 Patres).

3) Sic habetur maior uniformitas (6 Patres), quae praesertim pro Institutis quae sunt iuris pontificii et internationalia, requiritur (16 Patres). [92]

Unus Pater vult, ut legatur: « *a S. Sede recognoscendas* ».

9. Commissio voluit providere difficultatibus et ideo in numero 32 transponit lineas 22-25 post verbum « condicio » in lin. 15, addendo aliquid de principiis generalibus a S. Sede statuendis, ita ut haec paragraphus nunc sic sonet: « Cessante territorii commissione nova oritur condicio. Tunc Conferentiae Episcoporum et Instituta communi consilio statuant normas, quae relationes inter Ordinarios locorum et Instituta moderentur. S. Sedis autem erit principia generalia delineare, iuxta quae conventiones regionales vel etiam particulares ineantur ».

Commissio enim censuit non expedire imponere Episcopis onus recurrendi pro omnibus conventionibus ad S. Sedem nec obligare Sacram Congregationem de P. F. ad examinandas omnes huiusmodi conventiones. Si Episcopi velint, recurrere possunt ad S. Sedem pro approbatione, non vero obligantur.

Quoties stipulationes contractus non sunt contra ius commune, contra ius proprium religiosorum aut contra normas a S. Sede statutas, nullus requiritur interventus S. Sedis.

II

A) *In Capite I.*

1. Ad num. 6, p. 11, linn. 15-21: Sat magnus numerus Patrum, praesertim ex America Latina orientium, extensionem notionis activitatis missionalis proponit, duobus diversis modis:

a) 151 Patres obiectum missionis ita definire volunt: « ... inter omnes creaturas, praesertim vero populos vel coetus nondum in Christum credentes ». Haec formula iam antea satis discussa, post serias iteratasque deliberationes a Commissione reiecta est, quia ipsam notionem activitatis missionalis nimis largam, immo penitus indefinitam redderet, quod nemini utilitatem afferre posset. Censuit ergo Commissio hunc Modum admitti non posse.

b) 60 Patres eundem finem prosequentes alium textum proponunt, qui penitus acceptus iterum ansam ambiguitatis praeberet. Attamen alia elementa utilia ex eo assumpta sunt, *ita ut nunc legatur*: «*Incepta peculiaria, quibus Evangelii praecones ab Ecclesia missi euntes in mundum universum munus Evangelium praedicandi et Ecclesiam ipsam implantandi inter populos et coetus nondum in Christum credentes exsequuntur, communiter "Missiones" nuncupantur...* ».[4] Ceteroquin iam in

[92] altera Relatione fusius, et ut mihi videtur, satis de situatione speciali et
[93] missionali partium Americae Latinae locutus sum, necnon quomodo hoc schema ei obvenit.

2. Ad Num. 5 et 6: 12 Patres novum ordinem textus pro numeris 5 et 6 proponunt. Post longam discussionem in subcommissione competenti factam censuit Commissio pro numero quinto ordinem textus approbati non esse mutandum, pro numero sexto autem propositionem istorum Patrum magna ex parte admitti posse. Sic numerus sextus nunc in novo ordine, magis logico uti speramus, praesentatur, immutatis autem tam contentis quam verbis textus ...[5].

B) *In Capite II.*

1. 54 Patres *proponunt ut pag. 23 linn. 12-16 legatur*: « *Actus enim fidei non ex coactione externa neque ex artificiis importunis, vel ex promissionibus bonorum temporalium oriri potest, sed ex libera et sincera voluntate hominis. Ecclesia fortiter quoque vindicat ius quo gaudent omnes homines ne iniquis vexationibus a fide deterreantur* ».

Ratio:[6] ne insinuetur missionarios catholicos infideles inducere ad fidem mediante coactione vel artibus importunis.

R.[7] Hic Modus non admittitur, quia haec nova redactio, insinuando talia media revera adhiberi, eaedem obnoxia esset falsae interpretationi ex parte eorum qui offendicula quaerunt.

2. Ad num. 15 pag. 25, linn. 15-33, ubi agitur de spiritu oecumenico: Aliqui Patres (58) postulant, ut hic textus de spiritu oecumenico aut supprimatur, aut penitus mutetur propter specialis Missionum condiciones, et ad evitandum indifferentismum et confusionem.

R. Ratio allegata non valet quia Concilium iam de hac re ex professo et diserte tractavit in Const. Dogm. « Lumen Gentium », 15 et in Decreto De Oecumenismo, quod textus emendatus suum facit verbis « seclusa omni tam indifferentismi et confusionismi ... specie ». Praeterea, hic textus, qui Decretum De Oecumenismo ad activitatem missionalem Ecclesiae applicat, et qui plene interpretandus est secundum mentem et normas huius Decreti, uti explicite dicitur (pag. 25, linn. 27-28), iam approbatus est, ideoque secundum normas non potest supprimi nec penitus et substantialiter mutari.

3. Ad Num. 18 [*De vita religiosa promovenda*]:

a) 65 Patres proponunt ut ea quae dicuntur de vita religiosa promovenda, ponantur ante n. 17, De Catechistarum Institutione.

R.[8] Non admittitur, quia praesens materiae ordo magis consonans videtur. Agitur hic enim de missionariis, qui formaliter uti missionarii in

activitate missionali impenduntur. Insuper sequitur ordinem Constitutionis «Lumen Gentium», quae tractat post clericos primum de laicis, deinde de religiosis, qui sive ad unum sive ad alterum ordinem pertinere possunt. [93]

b) 112 Patres postulant, ut pag. 29, lin. 34 legatur: «sed *per intimiorem consecrationem Deo in Ecclesia factam* lucide *quoque* manifestat ...», textus qui libenter admittitur. [94]

C) *In Capite III.*

Pag. 37, lin. 16 ss.: 53 Patres volunt ut loco «Traditione universalis Ecclesiae» dicatur «Magisterio Ecclesiastico», loco «Sacris Litteris» legatur «Deposito Fidei» et ante «philosophiae» inseratur «verae». Alii Patres vel similes vel alias mutationes huius textus proponunt.

R. Admittitur mentio Magisterii Ecclesiae, ita ut legatur: «ab Ecclesiae Patribus et Magisterio explicata». Ceterae mutationes propositae inutiles videntur, quia per se patent et sententiam nimis gravem et complicatam reddunt.

D) *In Capite IV.*

Praecipui et numerosiores Modi circa tria puncta versantur:

1. Ad num. 24: pag. 39, linn. 24-26: Sunt plures Patres (80) qui praescindere velint de vocatione divina, quando agitur de spiritualitate et formatione missionaria. Commissio autem tenet vocationis missionariae elementa naturale, divinum, hierarchicum ita inter se cohaerere, ut in vita spirituali seiungi nequeant. Insuper textus retineri debet, ut clare appareat nexus cum praecedenti numero (23), ubi exponuntur elementa vocationis.

2. Pag. 39, linn. 32-33, circa verba: «Ideo paratus esse debet *ad vitam* stare vocationi suae», Patres in varias sententias abierunt. 90 Patres volunt, ut deleantur verba «ad vitam», 9 Patres ut loco «ad vitam» dicatur «generose, volenti animo», unus ut restituatur textus prior «per totam vitam».

R. Censuit Commissio haec verba, uti in textu emendato inveniuntur, retinenda esse, qui textus ceteroquin iam valde mitigatus est. Quamvis enim magni momenti sit labor eorum qui ad tempus operi missionali sese dant, existit tamen differentia obiectiva inter dedicationem temporariam et perpetuam adeo ut per analogiam applicari valeat quod de consecratione religiosa affirmatur in Constitutione dogmatica «Lumen Gentium»: Tanto perfectior erit sui ipsius ad activitatem missionalem deditio, quo per firmiora et stabiliora vincula id fiat. (Cf. «Lumen Gentium»

[94] n. 44). Neque haec affirmatio standi vocationi « ad vitam » contradicit iis quae de operariis « ad tempus » dicuntur in aliis locis huius Decreti. Nam hic describitur ratio completa spiritualitatis missionariae prout ex Sacris Litteris eruitur et ipsum opus missionale postulat, et ibi alliciuntur quicumque in eodem opere ad tempus participant.

[95] 3. Ad pag. 40, lin. 26: 259 Patres postulant ut post verba « in diem » addatur: « *inter se et cum neophytis missionarii omnes, sive autochtoni sive exteri, presbyteri, religiosi vel laici, communitatem apostolicam imitantes* (*Act. Apost.* 2, 42 et 4, 32 seq.) *cor unum sint et anima una ut credat mundus quia a Deo sunt missi* ».

R. Commissio censuit hanc insertionem hoc in numero non tam congruam esse, eam autem ad partem admitti posse in fine primae alineae numeri 25: « ita ut simul cum fidelibus communitatem apostolicam imitantes, cor unum sint et anima una (cf. *Act. Ap.* 2, 42; 4, 32 ss.) ».

E) *In Capite VI.*

1. Ad pag. 50, linn. 27-32: petunt 93 Patres ut omittantur verba de communi testimonio cum aliis coetibus christianis praestando, sive quia non cohaereant cum Decreto de Oecumenismo sive immo ad indifferentismum ducere possint.

R. Haec suggestio non tota sed partim acceptatur, ita ut suppressis linn. 30-32 addatur lineae 30: « praestabitur, iuxta normas Decreti de Oecumenismo, 12 ».

2. Pag. 53, linn. 7-23: 88 Patres petunt textum ita emendari ut servetur libertas singulorum episcoporum in propria dioecesi, atque novum textum proponunt.

R. Ratione habita Decreti « De pastorali Episcoporum munere », 38, novus textus praesentatur: « Ut autem Episcoporum activitas missionalis, in bonum totius Ecclesiae efficacius exerceri possit, expedit ut Conferentiae Episcopales negotia moderentur quae ad ordinatam cooperationem propriae regionis spectant.

In suis Conferentiis agant Episcopi de sacerdotibus cleri dioecesani gentium evangelizationi devovendis ... ».

Venerabiles Patres,

Remanet mihi nunc gratissimum officium omnibus Patribus, qui suos Modos dederunt et sic ad hoc schema Decreti « De activitate missionali Ecclesiae » perficiendum et perpoliendum quam maxime contulerunt, nomine totius Commissionis sinceras fervidasque grates agere.

Speramus fore ut haec expensio Modorum, a competenti Commissione [95]
magna cum diligentia et consideratione votorum vestrorum facta, et post liberam fervidamque discussionem unanimi voto approbata, vestris desideriis satisfaciat ideoque a vobis benigne accipiatur et voto definitivo approbetur.

In oratione: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] In expensione Modorum Capitis I aliqua correctio facienda est, nempe ad n 5, pag. 8, lin. 38, ubi unus Pater post « resurrectione » vult addere « et ascensione », Modus qui in folio expensionis Modorum pag. 14, n. 5, admittendus proponitur. Revera autem admitti non potest, quia non congruit cum parte posteriore eiusdem sententiae, ubi dicitur « priusquam assumeretur in caelum » Habeatis nos excusatos si propter parcitatem temporis tardioris hanc mutationem proponimus, etiamsi grato animo erga Patrem qui recte et benevolenter hanc animadversionem ad nos pervenire fecit. [6] pag. 23, linn. 12-16, alium textum proponunt. [7] Sed. [8] Sed.

Moderator: Gratias maximas ex imo corde rev.mo ac sollerti relatori, toti commissioni una simul cum peritis qui egregie cooperati sunt in redactione schematis. Loquitur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, videatis pag. 29: Quaesitum particulare [*cf. pag. 34*]. Quaeritur: « An placeat expensio facta a commissione de Missionibus circa Modos, n. 6 respicientes, cum correctionibus supra indicatis? » *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, numeri et paginae, qui indicantur in hoc fasciculo, referuntur ad ultimam editionem schematis, quod factum est post discussionem, nempe ad schema emendatum [*cf. vol. IV, pars VI, pag. 207 ss.*]. Ergo respondeatis tantum per *placet* et *non placet.*

Interea, uti ius statuit, communico Patribus exitus suffragationum, quae factae sunt circa expensionem Modorum schematis declarationis *de libertate religiosa.* Hi exitus publicati iam sunt in ephemeride cui titulus *L'Osservatore Romano,** sed Patribus in aula communicandi sunt.

Suffragatio 507, super nn. a 1 ad 5:

Praesentes votantes	2.242
Dixerunt *placet*	1.989
non placet	246
placet iuxta modum	3
Vota nulla	4

---

* *Cf. vol. IV, pars VI, pag. 779-780.*

Suffragatio 508, super nn. a 6 ad 8:

Praesentes votantes		2.200
Dixerunt	*placet*	1.957
	non placet	237
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		4

Suffragatio 509, super nn. a 9 ad 12:

Praesentes votantes		2.210
Dixerunt	*placet*	1.989
	non placet	217
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		2

Suffragatio 510, super nn. a 13 ad 15:

Praesentes votantes		2.228
Dixerunt	*placet*	2.033
	non placet	190
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		4

Suffragatio 511, super integro schemate cum Modis insertis:

Praesentes votantes		2.216
Dixerunt	*placet*	1.954
	non placet	249
	placet iuxta modum	7
Suffragia nulla		6

Ideo schema fuit approbatum in congregatione generali et delatum est Summo Pontifici pro eo deferendo sessioni publicae.

Proponitur nunc, assentiente em.mo moderatore, suffragatio quae sequitur. Videatis adhuc pag. 29 [*cf. pag. 34*]. Quaesitum generale: « An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, reliquos numeros Capitis I respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, in suffragatione 506, quae fuit circa schema decreti *de apostolatu laicorum,* et facta est in sessione publica, aliquid contigit quod communicare oportet Patribus. Machina, quae numerandis schedis disposita erat, dilaceravit aliquantisper et ita reiecit 35 schedas quae ideo transcriptae non sunt in folio exituum. Cum scrutatores hoc animadverterunt, et hoc factum est post publicationem suffragationis in aula, illas 35 schedas attente consideraverunt et viderunt, sine ulla dubitatione, eas deferre suffragationem *placet.*

Quapropter cum de hac re, quae inter humanos contingere potest, et contingit, factus sit actus publicus ab ipsis scrutatoribus et subsignatus a notariis, exitus illius suffragationis officialis hic esse debet:

Praesentes votantes	2.342
Dixerunt *placet*	2.340
non placet	2

Uti videtis, Patres venerabiles, aliquando etiam machinae tabescunt et nos alacriores esse debemus!

Moderator: Proponitur aliud quaesitum ad suffragationem.

Secretarius generalis: Videatis pag. 52 [*cf. pag. 55*]. Quaeritur: « An placeat expensio facta a commissione de Missionibus circa Modos, cap. II respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet?*

Lego vobis, Patres venerabiles, *Intimationem* pro die 7 decembris, quam vos iam habuistis vel habebitis intra pauca momenta; sed legenda est [*cf. vol. IV, pars I, pag. 57*].

Moderator: Proponitur novum quaesitum ad suffragationem.

Secretarius generalis: Videatis pag. 62. Est suffragatio 515 [*cf. pag. 63*]. Quaeritur: « An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos cap. III respicientes, cum correctionibus supra indicatis? » *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, die 2 decembris proximi, nempe feria quinta, hora 17 cum dimidio, in auditorio Palatii Pii, via della Conciliazione, auctore em.mo card. Gracias, in anniversario participationis Summi Pontificis Congressui Eucharistico Bombayensi, exhibebitur teniola documentaria (film documentario) cui titulus: *Cristo in India,* quae teniola memorat mirabilem eventum cum commentario, lingua italica, rev. P. Pellegrino. Omnes Patres humanissime invitantur.

Moderator: Proponitur ulterius quaesitum ad suffragationem.

Secretarius generalis: Consulatis pag. 71 [*cf. pag. 72*]. Est suffragatio 516: « An placeat expensio facta a Commissione de Missionibus circa Modos, cap. IV respicientes, cum correctionibus supra indicatis? » *Placet* an *non placet,* Patres venerabiles?

Hodie, Patres, dabitur vobis etiam *Intimatio* pro die 8 decembris, quam igitur, intervallo usus, vobis communico ... [*cf. vol. IV, pars I, pag. 58*].

Adunatio Patrum fit in hac aula. Postea initium habet processio ex hac aula ad forum S. Petri, nempe, uti audistis, ad aream ante Basilicam patentem. Hoc statutum est ut omnia ordinate fieri possint. Ergo omnes episcopi, Patres, convenient in hanc aulam et, postquam in ea sumpserint suas vestes, initium habebit processio ex hac aula ad forum S. Petri — Piazza San Pietro.

Moderator: Proponitur aliud quaesitum ad suffragationem.

Secretarius generalis: Numerus ultimae suffragationis, quae postremo lecta est, est 516.

Videatis nunc pag. 81 [*cf. pag. 81*]. Est suffragatio 517. Primum quaesitum particulare: *Placet* an *non placet?*

Moderator: Proponitur aliud quaesitum particulare in pag. 81.

Secretarius generalis: Est suffragatio 518: secundum quaesitum particulare [*cf. pag. 81*]. *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, distribuetur, uti dixi, hodie fasciculus *de presbyterorum ministerio et vita*. Si quis forte non receperit antequam discedat ex hac aula, petat a nostro officio mechanographico, quia suffragatio facienda est feria quinta proxima.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, attendatis! Die 4 decembris proxima, hora quinta post meridiem, in Basilica S. Pauli de Urbe, habebitur sacra celebratio ad christianorum unitatem fovendam, quam participabit Beatissimus Pater Paulus VI una cum Patribus Sacri Concilii Oecumenici. Participabunt etiam Observatores ad Concilium delegati.

Moderator: Proponitur novum quaesitum ad suffragationem.

Secretarius generalis: Videatis pag. 81 [*cf. pag. 81*]. Quaesitum generale. *Placet* an *non placet?*

Moderator: Proponitur ulterius quaesitum ad suffragationem.

Secretarius generalis: Videatis, Patres, pag. 88 [*cf. pag. 87*]. *Placet* an *non placet?* Est suffragatio 520.

Post aliquod tempus, Patres venerabiles, ita statuentibus em.mis moderatoribus, proponetur, « si et quatenus », suffragatio super integro schemate cum Modis insertis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, lego exitum *suffragationis 512,* quae est prima hodie facta:

Patres praesentes votantes	2.229
Dixerunt *placet*	2.209
non placet	20

Patres venerabiles, en exitum *suffragationis 513*:

Patres praesentes votantes	2.210
Dixerunt *placet*	2.189
non placet	18
Suffragia nulla	3

Quidam Patres non intellexerunt in qua Basilica habenda sit illa celebratio sacra. Dixi S. Pauli in Urbe; at quaesierunt utrum sit Basilica S. Pauli extra Muros. Est eadem, tandem aliquando, nam muri sunt antiqui!

Moderator: Proponitur ultimum quaesitum ad suffragationem de integro schemate *de activitate missionali Ecclesiae.*

Secretarius generalis: Proponitur suffragationi integer textus schematis *de activitate missionali Ecclesiae,* cum Modis insertis.

Prae oculis, Patres venerabiles, habeatis sive textum emendatum sive Modos, qui modo suffragationi subiecti sunt. Textus ita incipit: « Ad Gentes divinitus missa ut sit "universale salutis sacramentum" Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris oboediens, Evangelium ad omnes homines nuntiare contendit. Ipsi enim Apostoli, in quibus Ecclesia est condita, vestigia Christi sequentes, "praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias". Eorum successorum officium est hoc opus perenne reddere, ut "sermo Dei currat et clarificetur" et Regnum Dei ubique terrarum annuntietur et instauretur.

In praesenti autem rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Ecclesia, sal terrae et lux mundi, urgentius vocatur ad omnem creaturam salvandam et renovandam, ut omnia in Christo instaurentur, et in Ipso homines unam familiam unumque populum Dei constituant.

Quare haec Sancta Synodus, dum ob praeclara opera per generosam totius Ecclesiae industriam peracta Deo gratias agit, missionalis activitatis principia delineare, et vires omnium fidelium colligere cupit, ut populus Dei, per angustam viam crucis procedens, regnum Christi, Domini et conspectoris saeculorum, ubique diffundat eique advenienti vias paret ».

Et reliqua, usque ad verba conclusionis quae habentur in pag. 57, n. 42: « Patres Concilii una cum Romano Pontifice, officium Regnum Dei ubique diffundendi gravissime sentientes, omnes Evangelii praecones peramanter salutant, eos praesertim qui pro Christi nomine persecutionem patiuntur, socii eorum passionum effecti.

Eodem amore quo Christus erga homines flagravit, et ipsi exardescunt. Conscii autem Deum esse qui efficit ut Regnum suum in terris adveniat, una cum omnibus christifidelibus preces effundunt, ut per intercessionem Virginis Mariae Reginae Apostolorum, gentes quamprimum ad agnitionem veritatis adducantur et claritas Dei quae in facie Christi Iesu resplendet per Spiritum Sanctum omnibus illucescat ».

Patres venerabiles, hic textus, quem pro toto lectum habetis, nempe cum Modis insertis, *placet*ne vobis an *non placet?*

Audiatis, Patres, exitum *suffragationis 514*:

Patres praesentes suffragantes	2.162
Dixerunt *placet*	2.133
non placet	26
Suffragia nulla	3

Moderator: Proxima congregatio generalis, feria quinta, die 2 mensis decembris, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLXVI

2 decembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXVI

2 decembris 1965

Exc.mus D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, *subsecretarius Ss. Concilii*:

Fratres venerabiles, haec Missa in honorem S. Ioseph, huius Concilii Patroni, dicitur pro unitate Ecclesiae.

Det nobis Deus idipsum sapere in alterutrum ut unanimes uno ore honorificemus Deum et Patrem Domini Iesu Christi!

Missa finita, exc.mus D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis,* intimavit: Exeant omnes! Sed maneant pueri cantores, qui nos suis cantibus delectent.

Post intervallum 8 momentorum, recitata fuit oratio: *Adsumus*...

Secretarius generalis: Congregationem generalem 166, moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Ex hac vita discessit, Patres venerabiles, exc.mus D. Ioseph Albers, ep. Lansingensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis. Oremus pro anima ipsius!

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant: *De profundis clamavi ad te, Domine* ... (et prosequitur alternatim cum Patribus).

Oremus. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum Ioseph pontificali fecisti dignitate ...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, in hac congregatione procedetur ad suffragandos Modos schematis *de presbyterorum ministerio et vita,* utique post lectam relationem.

Sed commissio nos monet ut emendemus errorem qui est in pag. 10, lin. 19: deleatur verbum « sibi », ita ut textus sic sonet: « ... missionem apostolicam a Christo concreditam ... », sine « sibi » [*cf. pag. 111*].

Audiatis, Patres, exitus suffragationum super Modis schematis decreti *de activitate missionali Ecclesiae.*

Suffragatio 515:

Patres praesentes votantes	2.161
Dixerunt *placet*	2.142
non placet	16
Suffragia nulla	3

Suffragatio 516:

Patres praesentes votantes	2.169
Dixerunt *placet*	2.147
non placet	22

Suffragatio 517:

Patres praesentes votantes	2.169
Dixerunt *placet*	2.112
non placet	54
Suffragia nulla	3

Suffragatio 518:

Patres praesentes votantes	2.168
Dixerunt *placet*	2.152
non placet	14
Suffragia nulla	2

Suffragatio 519:

Patres praesentes votantes	2.195
Dixerunt *placet*	2.175
non placet	18
Suffragia nulla	2

Suffragatio 520:

Patres praesentes et suffragantes	2.186
Dixerunt *placet*	2.159
non placet	24
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio 521, de integro schemate *de activitate missionali Ecclesiae*:

Patres praesentes et suffragantes		2.182
Dixerunt	*placet*	2.162
	non placet	18
	placet iuxta modum	1
Suffragium nullum		1

Ergo schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* placuit Patribus in congregatione generali et proponetur Beatissimo Patri ut deferatur sessioni publicae. [*Plausus*]

Audiatis, Patres venerabiles! Mox distribuetur vobis fasciculus, ut ita dicam, continens schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Revera labor sive ex parte commissionis sive ex parte nostrae secretariae fuit improbus. Hic textus impressus est hac nocte [*plausus*], et ideo non potuimus omnia dare Patribus, nam fasciculus integer numerat, ni fallor, circa 400 paginas.

In fasciculo, qui distribuitur hodie, continetur integer textus constitutionis pastoralis cum Modis acceptatis; continetur etiam elenchus correctionum admissarum omnium, ad omnia capita pertinentium scilicet; et insuper quaesita omnia quae proponentur inde a sabbato proximo. Praeterea habetur expensio Modorum partis I.

Alius fasciculus qui continet expensionem Modorum partis II remittetur crastina ad vestra domicilia. Sed videatis, Patres! Facile coniicitur, quanto labore distineatur nostra Secretaria his ultimis diebus. Nostro labori additur etiam hic, quia fuit necessarius. Quapropter rogamus vos, vel melius rogamus eos qui in privatis domiciliis habitant vel sunt admodum pauci in aliqua domo, ut velint ipsi, unus ex ipsis vel aliquis a secretis, venire ad nostram secretariam in Via Serristori ad alium fasciculum accipiendum, crastina horis matutinis usque ad horam 13,30. Nos mittemus fasciculos in illas domus, in illa diversoria, in illa loca in genere, ubi sunt plures Patres. Ergo velitis nos adiuvare hac ultima occasione. A vobis postulamus tamquam donum finale!

Statuerunt moderatores, cum hodie sint paucae suffragationes, ut relatio circa modos huius schematis nunc legatur. Sed vos habetis relationem iam impressam in fasciculo qui distributus est vel distribuetur, hoc mane. Ergo, antequam discedamus a congregatione, legetur relatio generalis circa expensionem Modorum, ita ut unusquisque in studio iam possit habere aliquam sententiam, aliquam ideam de labore peracto et ita suffragium dare inde a sabbato proximo.

Suffragationes, ut video, sunt, ni fallor, 13. Sunt 12 utique, sed

habebitur postea suffragatio de integro schemate. Distribuentur ita suffragationes: sabbato proximo, fient ad 9-10 suffragationes, uti possibile erit, et feria secunda proxima fient reliquae. Et cum exspectandum sit — nam est ultima congregatio generalis — ut sciantur exitus omnium suffragationum, secus non possumus petere a Sanctissimo Domino ut deferatur ad sessionem publicam, quae est postridie, illud tempus in rebus gratissimis insumemus. Videbimus postea. Gratias.

Moderator: Faveat ergo nunc exc.mus D. Franciscus Marty, arch. Remensis, relator, relationem legere de expensione Modorum super schemate *de presbyterorum ministerio et vita*.

SCHEMA DECRETI DE PRESBYTERORUM MINISTERIO ET VITA TEXTUS RECOGNITUS ET MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI EXAMINATI *

[5] RELATIO GENERALIS

Venerabiles Patres,

Haec relatio, quam de mandato iterum Commissionis Vobis facio, Vobis rationem reddere intendit de receptis vel non receptis Modis, quos Patres in suffragatione diebus 12 et 13 novembris 1965 habita proposuerunt. Permulti quidem fuerunt Modi propositi, sed instanti ac continuo labore Commissio nostra omnes consideravit atque perpendit, tam qui ab uno Patre quam qui a multis Patribus propositi sunt. Vobis iterum gratias referimus quam maximas, quia haud paucis Modis adiuvantibus apti fuerimus qui ad meliorem clarioremque formam textum schematis reduceremus. Facere non potuimus quin quoad substantiam fideliter servaremus ipsum schematis decreti textum, quippe qui a Patribus approbatus fuerit. Quae vero mutationes in textu receptae sunt, si substantiam dictorum intactam relinquunt, perfectiorem tamen eundem, ut

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 165, die 30 novembris 1965.

videtur, eiusque formam certo clariorem reddunt. Praecipuas textus mutationes breviter in hac relatione indicamus, Vobis aliunde de omnibus propositis modis responsum Commissionis praebentes in fasciculo quem prae manibus habetis. [5]

Imprimis quaedam generalia dicenda sunt. Censuit Commissio nomen « Decretum » esse servandum, nec « Constitutionem » appellari posse hoc documentum, quippe quod praesertim respiciat pastorale exercitium ministerii Presbyterorum atque rationem vitae sacerdotalis. Dum enim doctrina de Presbyteratu praebetur in Constitutione dogmatica « Lumen Gentium », hoc documentum, non secus ac Decretum « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », licet etiam quaedam doctrinalia contineat, Decreti nomine merito appellatur.

Titulus documenti est « De Presbyterorum ministerio et vita ». Cui titulo addita non sunt verba « praesertim dioecesanorum », quae aliqui Patres addenda rogarunt. In hoc enim schemate de Presbyterorum ministerio agitur, et de eorum vita, prout exigitur ab ipso ministerio ad quod implendum ipso Presbyteratu ordinantur. Quare de omnibus haec dicta valent Presbyteris, quatenus in ministerio partes habent ii, qui ceterum ipsius Presbyteratus ratione ad ministerium per se ordinantur.

Divisio schematis remanet uti est, licet aliqui Patres aliam divisionem proposuerint. Re quidem vera, declarationes non tantum de ministerio Presbyterorum, sed etiam de eorum vita quae habentur, non valent intelligi nisi in ipsa Ecclesiae missione. Itaque, oportet in primo Capite ut tractetur de Presbyteratus natura in missione Ecclesiae, ut sic fundamentum praebeatur commune iis quae de ministerio in Capite II et de [6]
vita Presbyterorum in Capite III declarantur.

Ad Caput primum quaedam certo dicenda sunt. Satisfacere non potuit Commissio petitioni quattuor Patrum, qui rogarunt ut in initio num. 2 insereretur paragraphus, in qua synthetice Christi sacerdotium describeretur. Talis enim additio, quae quidem rationem alicuius « Modi » excederet, non apparet necessaria, cum non pauca de Christi sacerdotio in hoc schemate habeantur cumque attendenda semper sit doctrina quam de sacerdotio Christi et Ecclesiae tradit Constitutio dogmatica « Lumen Gentium », quae uti fundamentum habenda est omnium in hoc schemate declaratorum. Sed nec obsecundare potuit Commissio votis eorum Patrum, ad quorum mentem in hoc schemate tradenda esset definitio illa scholastica sacerdotii, quae fit per affirmationem potestatis consecrandi Eucharistiam. Cum enim ad mentem huius Concilii, et iuxta multorum Patrum petita, necesse sit ut Presbyterorum sacerdotium connectatur cum sacerdotio Episcoporum, quod culmen et plenitudo sacerdotii declaratur, necessario Presbyterorum sacerdotium in hoc schemate considerandum

[6] est sub respectu non unius muneris, sed trium munerum, atque uti cum Apostolis eorumque missione colligatum.

Ad Caput II, in quo de Presbyterorum ministerio agitur, quaedam particularia tantum hic notanda sunt. Petentibus nonnullis Patribus, explicite quaedam dicuntur de Sacramentis Baptismi, Poenitentiae et Olei Infirmorum (n. 5). Iuxta aliquorum Patrum votum, in textu recognito Presbyteris etiam speciali modo commendatur sollicitudo religiosorum, virorum et mulierum, quippe qui in domo Domini pars sint praecellens (n. 6). Petente uno Patre, in n. 9, ubi tractatur de Presbyterorum cum laicis conversatione, additur quaedam declaratio, quae obligationes laicorum erga Presbyteros respicit. Re quidem vera textus anterior de solis Presbyterorum erga laicos obligationibus agebat, et merito, ut videtur, quaesitum est ut etiam de Presbyterorum iustis expectationibus sermo fieret. Alias mutationes in textu inductas non paucas, quibus quidem multis satisfit petitionibus, Patres in particularibus Commissionis responsis videre poterunt.

Caput III, in quo de Presbyterorum vita tractatur, plerique Modi respiciunt. Imprimis respondere intendimus iis Patribus qui aestimant textum schematis negligere sanctitatem internam fundatam in animi contentione morali atque proponere sanctitatem mere obiectivam, ipsa quidem consecratione adeptam atque ab ipso ministerii exercitio firmatam. Textus autem schematis uti iacet non semel necessitatem affirmat sanctitatis internae ex virtutum exercitio manantis. Attamen ut clarius appareat schema huius Decreti agere non tantum de sanctitate obiectiva, in sacramentali ordinatione radicata et ministerio firmata, sed etiam de sanctitate interna, virtutum exercitio acquirenda, quaedam mutationes in textu numeri 12 introducuntur: iuxta petita a 2 Patribus, deletur
[7] textus Levitici 21, 8, quippe qui ad solam se referat sanctitatem obiectivam, prout in Veteri Testamento requirebatur; insuper non pauca adduntur verba, ex quibus manifeste elucet textum etiam sanctitatem internam spectare.

Tandem, non possumus quin in hac relatione sermonem etiam faciamus quaestionis coelibatus, de qua Modi prolati sunt multi, et quandoque inter se divergentes. Attento animo eos consideravimus, ut Vobis apparebit ex responsis ad singulos Modos datis. Ad hanc vero quaestionem quod attinet, haec praecipua notare necesse videtur. Imprimis simpliciter omittere non potuimus in numero 16 verba quae ad Presbyteros coniugatos in Ecclesiis orientalibus attinent, licet praetermissio a non paucis Patribus petita fuerit. Re quidem vera, talis praetermissio, quae aliorum Patrum votis esset contraria, procul dubio esset mutatio substantialis textus a Patribus iam approbati; insuper, tali praetermissioni obstat

indoles universalis Decreti, quippe quod pro universa Ecclesia valeat [7]
atque ideo Presbyteros diversorum Rituum in eadem exsistentium respicere debeat. Attamen, in textu de Presbyteris coniugatis agente, quaedam quae antea habebantur omissa sunt, dum alia adduntur quae aptiora videntur: praetermittuntur verba quae pertinent ad officia vitae coniugalis Presbyterorum in matrimonio viventium, quippe quae de omnibus valeant coniugatis, et Presbyteris non sunt propria; adduntur vero alia verba, quoad substantiam quidem desumpta ex Litteris Encyclicis Pii XI « Ad Catholici sacerdotii ». Praeterea, ad rationes quod attinet, quibus fulcitur convenientia coelibatus pro Presbyteris, servantur quidem omnes rationes in textu iam approbato quae allegantur, sed diverso ordine exponuntur: prima ratio affertur ipsa Presbyterorum Christo consecratio, quae per coelibatum nova et eximia ratione efficitur; secundo loco notatur altera ratio, quae nempe in coelibatus valore significandi et testificandi consistit. Hoc quidem modo perfecta habetur textus huius schematis cum Constitutione dogmatica « Lumen Gentium » et cum Decreto « Perfectionem caritatis » convenientia.

Ad ceteros modos quod attinet, Vos rogamus, Patres venerabiles, ut responsa legere velitis, quae Commissio, maxima adhibita cura, danda aestimavit.

Venerabiles Patres, suffragationi vestrae iterum subiicitur hoc schema decreti « De Presbyterorum ministerio et vita ». Confidit Commissio ut huic eiusdem textui diligenter recognito approbationem vestram plane, et quidem suffragio quasi unanimo, concedere velitis. Haec enim quasi unanima consensio Praesulum et ipsa carissimis nostris Presbyteris animum addere potest atque ad eorundem spiritualem profectum non parum conferre valet.

† Franciscus Marty
Archiepiscopus Remensis

SCHEMA DECRETI DE PRESBYTERORUM MINISTERIO ET VITA [9]

PROOEMIUM

1. Presbyterorum Ordinis in Ecclesia excellentiam iam pluries haec Sacrosancta Synodus in memoriam omnium revocavit.[1] Cum tamen huic Ordini in Ecclesiae Christi renovatione partes maximi momenti et in dies quidem difficiliores assignentur, perutile visum est fusius et profun-

[9] dius de Presbyteris tractare; *ea* quae *hic* dicuntur *omnibus Presbyteris* applicantur, *speciatim iis* qui curae animarum inserviunt, congrua congruis referendo *ad religiosos Presbyteros quod attinet.* Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in Populum Dei, Corpus Christi et Templum *Spiritus Sancti,* hic in terris, indesinenter aedificatur. Quapropter, ut in adiunctis pastoralibus et humanis persaepe tam funditus mutatis eorum ministerium efficacius sustineatur atque eorundem vitae melius provideatur, Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur declarat ac decernit.

NOTAE

[1] CONC. VAT. II. Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 97 ss.; Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 5 ss.; Decr. *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965; Decr. *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965.

NB. Emendationes in textum introductae litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur.

Quoad citationes non litterales Sacrae Scripturae, quae in schemate habentur, referentia non in ipso textu, sed in notis nunc fit.

[10]

CAPUT I

PRESBYTERATUS IN MISSIONE ECCLESIAE

2. [*Natura presbyteratus*]. Dominus Iesus, « quem Pater sanctificavit et misit in mundum » (*Io.* 10, 36), unctionis *Spiritus* qua unctus est [1] totum Corpus suum mysticum particeps reddit: in eo enim omnes fideles sanctum et regale sacerdotium efficiuntur, spirituales offerunt hostias Deo per Iesum Christum, et virtut*es* annuntiant Eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum.[2] Nullum ergo datur membrum quod in missione totius Corporis partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet Iesum in corde suo,[3] et spiritu prophetiae testimonium de Iesu reddere.[4]

Idem vero Dominus, inter fideles, ut in unum coalescerent corpus, in quo « non omnia membra eundem actum habent » (*Rom.* 12, 4), quosdam instituit ministros, qui, in societate fidelium, sacra *Ordinis* potestate poller*ent Sacrificium offerendi et peccata remittendi,*[5] *atque* sa-

cerdotali officio publice pro hominibus *nomine Christi* fungerentur. [10]
Itaque, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre,[6] Christus, per ipsos Apostolos, consecrationis missionisque suae participes effecit eorum successores, Episcopos,[7] *quorum* munus ministerii, subordinato gradu, Presbyteris tradi*tum est,*[8] ut in Ordine presbyteratus constituti, ad rite explendam missionem apostolicam a Christo concreditam, Ordinis episcopalis essent cooperatores.[9]

Officium Presbyter*orum, utpote* Ordin*i episcopali coniunctum,* participat auctoritatem qua Christus Ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit. Quare sacerdotium Presbyterorum initiationis christianae Sacrament*a* quidem *supponit,* peculiari tamen illo Sacramento confertur, quo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti, speciali charactere *signantur* et sic Christo Sacerdoti configurantur, ita ut in persona Christi Capitis agere valeant.[10]

Munus Apostolorum cum pro sua parte participent, Presbyteris gratia datur a Deo ut sint ministri Christi Iesu in gentibus, *sacro* Evangelii *munere* fungentes, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto.[11] Per Evangelii enim apostolicum nuntium convocatur et congregatur Populus Dei, ita ut omnes ad hunc Populum pertinentes sanctificati cum sint Spiritu Sancto, seipsos offer*ant* « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » (*Rom.* 12, 1). *Per* Presbyter*orum autem ministerium* sacrificium spirituale fidelium *consummatur in unione cum* sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod per manus eorum, *nomine totius Ecclesiae,* in Eucharistia incruente et sacramentaliter *offertur,* donec Ipse Dominus veniat.[12] *Ad hoc tendit atque in hoc consummatur Presby-* [11]
terorum ministerium. Eorum *enim* ministratio, quae ab evangelico nuntio incipit, e Sacrificio Christi suam vim et virtutem haurit, atque eo tendit ut « tota redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam se ipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus ».[13]

Finis igitur quem ministerio atque vita persequuntur Presbyteri est gloria Dei Patris in Christo procuranda. Quae gloria in eo est quod homines opus Dei in Christo perfectum conscie, libere atque gra*te ac*cipiunt, *illudque in tota vita sua manifestant.* Presbyteri itaque, sive orationi et adorationi vacent, sive verbum praedicent, sive *Eucharisticum Sacrificium offerant et cetera* Sacramenta administrent, sive alia pro hominibus exerceant ministeria, conferunt *cum* ad gloriam Dei augendam *tum* ad homine*s in* vi*ta divina provehendos. Quae omnia, dum ex Paschate Christi manant, in glorioso Eiusdem Domini adventu consummabuntur, cum Ipse tradiderit Regnum Deo et Patri.*[14]

[11] 3. [*Presbyterorum in mundo condicio*]. Presbyteri, ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum *ut offerant dona et sacrificia pro peccatis,*[15] cum ceteris hominibus, tamquam cum fratribus conversantur. Sic et Dominus Iesus, Filius Dei, homo ad homines a Patre missus, habitavit in nobis et voluit per omnia fratribus assimilari, absque tamen peccato.[16] Ipsum iam imitati sunt sancti Apostoli, et testatur beatus Paulus, Doctor gentium, « segregatus in Evangelium Dei » (*Rom.* 1, 1), omnia omnibus se factum esse ut omnes faceret salvos.[17] Presbyteri Novi Testamenti, vocatione quidem et ordinatione sua, quodam modo in sinu Populi Dei segregantur, non tamen ut separentur, sive ab eo, sive a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod Dominus eos assumit.[18] Ministri Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si ab eorum vita condicionibusque alieni remanerent.[19] Ipsum eorum ministerium *speciali titulo* exigit ne huic saeculo sese conforment; [20] simul tamen requirit ut in hoc saeculo *inter* homin*es* vivant, et sicut boni pastores oves suas cognoscant, easque etiam quae non sunt ex hoc ovili adducere quaerant, ut et ipsae vocem Christi audiant et fiat unum ovile et unus Pastor.[21] Quod ut consequi valeant multum conferunt virtutes quae in humano consortio *merito* aestimantur, ut sunt cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque, quas Apostolus Paulus commendat, dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).[22]

[12] NOTAE

[1] Cf. *Mt.* 3, 16; *Lc.* 4, 18; *Act.* 4, 27; 10, 38.

[2] Cf. *1 Pt.* 2, 5 et 9.

[3] Cf. *1 Pt.* 3, 15.

[4] Cf. *Apoc.* 19, 10; CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 35: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 40-41.

[5] CONC. TRID., Sess. 23, cap. 1 et can. 1: DENZ. 957 et 961 (1764 et 1771).

[6] Cf. *Io.* 20, 21; CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 18: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 14-15.

[7] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[8] Cf. ibid.

[9] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio. Haec verba iam inveniuntur in *Sacramentario Veronensi* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1956, p. 122); item in *Missali Francorum* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1957, p. 9); item in *Libro Sacramentorum Romanae Ecclesiae* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1960, p. 25); item

in *Pontificali Romano-Germanico* (ed. Vogel-Elze, Città del Vaticano 1963, vol. I, [12]
p. 34).

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 10: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 14-15.

[11] Cf. *Rom.* 15, 16 gr.

[12] Cf. *1 Cor.* 1, 26.

[13] S. Augustinus, *De civitate Dei,* 10, 6: *PL* 41, 284.

[14] Cf. *1 Cor.* 15, 24.

[15] Cf. *Hebr.* 5, 1.

[16] Cf. *Hebr.* 2, 17; 4, 15.

[17] Cf. *1 Cor.* 9, 19-23 Vg.

[18] Cf. *Act.* 13, 2.

[19] « Huiusmodi vero religiosae ac moralis perfectionis studium magis magisque excitatur externis etiam condicionibus, quibus Ecclesia vitam agit; nequit enim ea immobilis manere atque incuriosa vicissitudinis humanarum rerum, quae circa sunt et multiplicem vim habent ad eius agendi rationem, eique modum et condiciones imponunt. Pro comperto sane est, Ecclesiam ab humana consortione non seiungi, sed in ea versari, ideoque ipsius filios ab eadem moveri ac duci, eiusque cultum civilem imbibere, legibus obtemperare, mores induere. Haec vero Ecclesiae consuetudo cum humana societate continenter difficiles parit quaestiones, quae nunc potissimum praegraves sunt... (...) Gentium Apostolus ita suae aetatis christianos hortabatur: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?... aut quae pars fideli cum infideli?* (*2 Cor.* 6, 14-15). Hanc ob causam qui in praesenti educatores praeceptoresque in Ecclesia agunt, eos necesse est catholicam iuventutem commonefacere praestantissimae condicionis suae, atque officii, quod inde nascitur, vivendi in hoc mundo, non autem ad huius mundi sensum, convenienter ad hanc precationem, a Christo Iesu pro discipulis suis factam: *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*: *de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* (*Io.* 17, 15-16). Quam precationem asciscit sibi Ecclesia.

Nihilominus tamen huiuscemodi discrimen non idem significat atque disiunctionem; neque neglegentiam declarat, neque metum neque contemptionem. Etenim cum Ecclesia se ab hominum genere discernit, adeo huic non obsistit, ut potius
cum eo coniungatur » (Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: [13]
A.A.S., 56 [1964] p. 627 et 638).

[20] Cf. *Rom.* 12, 2.

[21] Cf. *Io.* 10, 14-16.

[22] Cf. S. Polycarpus, *Epist. ad Philippenses,* VI, 1: « Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes, visitantes infirmos omnes, non neglegentes viduam aut pupillum aut pauperem; sed solliciti semper de bono coram Deo et hominibus, abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, iudicio iniusto, longe recedentes ab omni avaritia, non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati » (ed. F. X. Funk, *Patres Apostolici,* I, p. 303).

[14]

RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS PROOEMII ET CAPITIS I

In suffragatione de Prooemio et integro Capite I schematis « De ministerio et vita Presbyterorum », die 12 novembris 1965, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.154
Placet	1.772
Non placet	16
Placet iuxta modum	361
Vota nulla	5

Prooemium ergo et integrum Caput I, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbata sunt. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

MODI GENERALES

1 — Rogant aliqui Patres (47) ut titulus documenti sit *Constitutio,* non vero Decretum, quia doctrinalis indoles schematis atque momentum quod habet suadent ut iam nunc Constitutio appelletur.

R. — Remaneat appellatio *Decretum,* quia, licet doctrinalis habeatur expositio de natura Presbyteratus, documentum praesertim respicit pastorale exercitium ministerii Presbyterorum atque rationem vitae sacerdotalis. Ipsa doctrina de Presbyteratu iam in Constitutione dogmatica *De Ecclesia* traditur, sicut in eadem traditur doctrina de Episcopatu. Sicut documentum *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia* merito vocatur Decretum, ita et documentum de Presbyterorum ministerio eorumque vita vocari debet Decretum.

2 — Rogant non pauci Patres (139) ut titulus Decreti sit « De ministerio et vita Presbyterorum *speciatim dioecesanorum* ». Rationes allegantur quia schema non agit de sacerdotio qua tali, sed de sacerdotibus dioecesanis et nonnisi analogice de illis qui

N.B. Referentia quae in his relationibus saepe fiunt ad paginas et lineas schematis remittunt ad *textum emendatum* editionis Patribus traditae die 9 currentis mensis novembris.

in ministerio inserviunt, et quia quae dicuntur de spiritualitate Presbyterorum exclusive valent de sacerdotibus dioecesanis, non vero de religiosis, qui habent spiritualitatem propriam. [14]

R. — Cum de *ministerio* Presbyterorum quaestio sit, et de vita eorum uti exigitur ab ipso ministerio, declarationes schematis reapse valent de omnibus Presbyteris, qui in ministerio partem habent; ceterum Presbyteratus ordinatur ad ministerium, ita ut per se valeant declarationes de omnibus Presbyteris, quatenus de facto in ministerio partes habent. [15]

3 — Rogant aliqui Patres (43) ut alia divisio schematis habeatur, et dividatur Decretum in duo capita, quorum primum quattuor partes complectatur, scilicet 1) Presbyteratus in missione Ecclesiae; 2) Presbyterorum munera; 3) Presbyterorum habitudo ad alios; 4) Presbyterorum distributio et vocationes sacerdotales; et quorum alterum agat de vita Presbyterorum. Ratio allegatur, quia munera non possunt intellegi et definiri nisi in missione Ecclesiae, cuius sunt pars integra.

R. — Maneat divisio uti est. Verum est munera Presbyterorum intellegi debere in missione Ecclesiae, sed etiam quae de Presbyterorum vita dicenda sunt et dicuntur tantummodo intelleguntur in missione Ecclesiae. Itaque antequam de muneribus et de ministerio atque postea de Presbyterorum vita quaestio esse possit, tractatur de natura Presbyteratus, scilicet de Presbyteratu in missione Ecclesiae. Haec expositio de natura Presbyteratus, cum commune fundamentum praebeat iis quae dicuntur de ministerio et iis quae dicuntur de vita Presbyterorum, praemitti debet, et ideo in Primo Capite de eadem tractatur.

4 — Latinitatis causa, titulus sit: *De Presbyterorum ministerio et vita* (1 Pater).

R. — Accipitur Modus.

AD SINGULOS NUMEROS

AD NUMERUM 1

5 — Proponunt 64 Patres alium ordinem eorum quae dicuntur in Prooemio, in quo assumi deberent linn. 1-28 pag. 50, nempe duae primae paragraphi Conclusionis. Sic iam ab initio quae dicuntur de difficultatibus hodiernis Presbyterorum proponerentur, et bene connecterentur cum affirmatione accommodationis ad necessitates pastorales temporis huius.

[15] R. — Modus non accipitur: mutationem nimiam induceret, necnon Prooemium nimis longum redderet. De difficultatibus aptus locus invenitur in Exhortatione finali.

[16] 6 — Pag. 9, linn. 7-11: Criticam movent 78 Patres quia modus dicendi unitatem sacerdotii non bene servaret, acsi esset duplex Sacramentum Ordinis, unum pro Presbyteris dioecesanis, alterum pro religiosis curae animarum non incumbentibus. Diversos Modos proponunt.

R. — Admittitur Modus a 61 Patribus propositus, nempe: « perutile visum est fusius et profundius de Presbyteris tractare; *ea* quae *hic* dicuntur *omnibus Presbyteris* applicantur, *speciatim iis* qui curae animarum inserviunt, congrua congruis referendo *ad religiosos Presbyteros quod attinet* ».

7 — Pag. 9, lin. 11. Addatur: « ... inserviunt, *immo et Episcopis* ». Ratio est quia Episcopi sunt « conseniores » (cf. *1 Pt.* 5, 1); psychologice ita facilius exhortationes et admonitiones accipientur (1 Pater).

R. — Non admititur. Episcopi iam suum « speculum » acceperunt in Decreto *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia.* Nunc de Presbyteris sermo fit. Hic vel illic, in textu, vox « sacerdotes » adhibita est, quando dicta ad Episcopos simul ac ad Presbyteros formaliter referri debent.

8 — Pag. 9, linn. 15-17. Non placet modus loquendi, quia Ecclesia *est* Populus Dei, Corpus Christi et Templum Domini; non « aedificatur » (1 Pater).

R. — Non accipitur. Cf. *Mt.* 16, 18; *Eph.* 2, 21-22; 4, 12 et 16.

9 — Pag. 9, linn. 16-17. Dicatur: « Templum *Spiritus Sancti* », ita ut praesentatio trinitaria Ecclesiae melius consonet cum verbis Const. *Lumen gentium* et Decreti *De activitate missionali Ecclesiae* (1 Pater).

R. — Modus accipitur ad mentem. Scribatur: « Templum *Spiritus Sancti* ».

10 — Pag. 9, lin. 15. Dicatur: « ... cuius participant *in Episcopo* (vel *una cum Episcopo*) ministerium ». Ratio est quia in schemate plerumque videntur Presbyteri seorsum ab Episcopo ministerium exercere. Atqui Presbyteri munus essentialiter cum Episcopi munere coniungitur (1 Pater).

R. — Modus non admittitur, quia iam sufficienter rationi allatae providetur: cf. passim, et speciatim n. 7. Cf. etiam responsiones ad Modos nn. 14, 22 et 24.

11 — Pag. 9, linn. 22-23. Dicatur: « quae sequuntur *statuit* (vel *declarat*) », quia verba « declarat et decernit » iuridismum sonant (1 Pater). [17]

R. — Non admittitur: « statuit » mutatum est propter ipsam rationem allatam (cf. pag. 54, sub litt. F); « declarat » insufficiens est, quia revera aliqua decernuntur.

AD NUMERUM 2

12 — In initio huius numeri inseratur brevis paragraphus, ubi synthetice sed expresse personale Sacerdotium Christi describatur in suis elementis essentialibus (4 Patres).

R. — Rationes sane validas afferunt. Attamen hoc novis explicationibus indigeret, quae rationem alicuius « Modi » excederent. Ergo non accipitur.

13 — Unus Pater dicit: « Etsi forte colligi posset ex primo capite et prioribus numeris capitis secundi quod essentialis ratio Presbyteratus desumitur ex ordine ad Eucharistiam in cuius consecratione Presbyter mortem Christi Deo sacramentaliter offert, necnon panem vitae sibi et fidelibus, postmodum ipsis distribuendum, conficit, haec veritas fundamentalis nervoso quodam modo esset in textu exprimenda »; textum inserendum proponit. Cui aliquo modo accedunt alii tres Patres.

R. — Modus, ut proponitur, non accipitur. Attamen intentioni vel rationi aliquo modo satisfit, fortius sublineando momentum SS. Eucharistiae quam Presbyteri consecrant ac celebrant, nempe inserendo, pag. 12, lin. 23, post ref. *1 Cor.* 11, 26: « *Ad hoc tendit atque in hoc consummatur Presbyterorum ministerium* », et, in lin. 38, « *sive Sacrificium Eucharisticum offerant* ». Cf. etiam n. 5 schematis et responsum ad Modum sequentem, necnon ad Modum n. 19.

14 — Unus ex tribus memoratis Patribus vellet ut clarius definiretur Sacerdotium ministeriale, et hoc praecise e munere eucharistico.

R. — Hic vel illic providetur. Maior tamen pars Patrum, ut ex animadversionibus in Aula factis vel in scriptis Commissioni transmissis patet, vult ut sacerdotale Presbyterorum munus ex *Episcoporum* munere quasi derivari ostendatur atque cum eo connectatur; illud autem Episcoporum munus latius patet quam munus Eucharisticum, quamvis in illo consummetur, et proprie *apostolicum* censeri debet, sicut patet ex Const. dogm. *Lumen*

[18] *gentium* (c. 3) et ex Decreto *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia.* Haec conciliaria documenta ante oculos habere oportet, sicut et Commissio semper habuit. Sacerdotium Presbyterorum in eadem linea ac sacerdotium Episcoporum, positis ponendis, delineandum est.

15 — Unus Pater vituperat textum, quia de sacerdotio, ut ait, « metaphorico » fidelium prius agit. Modum non proponit.

R. — *a*) Vox « metaphoricum » *consulto* in Const. dogm. *Lumen gentium* omissa est (cf. nn. 8 et 34).

b) A sacerdotali munere totius mystici Corporis Christi incipiendum est, sicut res ipsa exigit et sicut fecit Const. dogm. *Lumen gentium.* Eo magis quod Presbyterorum sacerdotium *ministeriale* est, simul ac hierarchicum. Respicit ergo servitium Populi sacerdotalis Dei.

16 — Pag. 11, linn. 2-5. Dicatur: « Dominus Iesus, "quem Pater sanctificavit et misit in mundum" (*Io.* 10, 36), *unctionis Spiritus Sancti a Patre acceptae* (*Act.* 10, 38; *Lc.* 4, 18), totum *Populum Dei* parti*cipem reddit* » (1 Pater).

R. — Modo proposito satisfit pro parte, dicendo: « unctionis *Spiritus* qua unctus est », et addendo, in nota, ref. ad *Mt.* 3, 16; *Lc.* 4, 18; *Act.* 4, 27; 10, 38.

17 — Pag. 11, lin. 8. Dicatur « virtutes », loco « virtutem » (1 Pater).

R. — Modus admittitur.

18 — Pag. 11, linn. 14-15. Criticam movent 8 Patres circa verba « spiritu prophetiae » et citationem *Apoc.* 19, 10. Dicunt enim prophetiam peculiare charisma esse, quod nonnullis tantum datur (cf. *1 Cor.* 12, 29); ideo postulant ut hoc incisum deleatur.

R. — Non admittitur, quia: *a*) non agitur de peculiari charismate, sed de participatione omnium fidelium muneris prophetici Christi, in sensu numeri 35 Const. dogm. *Lumen gentium* (in quo referentia invenitur ad *Apoc.* 19, 10); *b*) in Apoc. agitur non de solo Ioanne, sed de « testimonio Iesu », quod habent omnes fideles: cf. 19, 10 et 12, 17. Fiat tamen in nota referentia ad Const. *Lumen gentium,* n. 35.

19 — Pag. 11, linn. 19-21. Mutationes petunt 57 Patres, et quidem:

a) Ne intellegi possit Presbyterorum sacram potestatem ex eo *unice* profluere quod sacerdotali officio *publice* pro hominibus ipsi funguntur (4 Patres). Inde unus Pater proponit ut dicatur:

« sacra *Ordinis* potestate pollentes »; alius: « ... pollentes, pro hominibus *nomine ipsius Christi,* sacerdotali officio fungerentur ». [19]

b) Ex eisdem Patribus, unus proponit ut dicatur: « ... in societate fidelium, *hierarchica dignitate* pollentes, sacerdotali *et pastorali* officio pro hominibus fungerentur »; ita ut clare et plene affirmetur *quod* sit et *quid* sit hierarchia.

c) Alius Pater proponit ut scribatur: « ... pollentes, *Sacerdotium Christi sacramentaliter hic in terris perpetuarent* ».

d) Dicatur: « ... instituit ministros, qui, in *communitate* fidelium, *bonorum spiritualium ex voluntate divina gaudentium haec bona spiritualia hominibus tradant* » (52 Patres).

R. — *a*) Admittitur et, prae oculis quoque habita mente Patrum de quibus in Modo 13, scribatur: « sacra *Ordinis* potestate pollerent *Sacrificium offerendi et peccata remittendi, atque* sacerdotali officio publice pro hominibus *nomine Christi* fungerentur ». Attamen non deletur vox « publice », quia est expressio formalis et apta ut distinguatur sacerdotium personale et privatum omnium christifidelium a sacerdotio ministrorum. Sic aliquo modo satisfit animadversioni *b*).

c) Formula proposita sufficiens non videtur, quia hoc etiam faciunt, suo modo, omnes baptizati. Intentioni autem Modi satisfit mutatione acceptata.

d) Sic insufficienter dicerentur quae dicenda sunt. Talis enim definitio etiam simplicibus charismaticis applicari posset. Insuper indoles hierarchica ministrorum fortius exprimi debet.

20 — Pag. 11, linn. 25-27. Censent 81 Patres ex textu, prout iacet, concludi posse Presbyteratus Ordinem non ab Apostolis, sed ab Ecclesia ipsa, qua talem institutum fuisse. Proponunt diversos Modos, quorum revera plures vexatam hanc quaestionem dirimere dicerentur modo strictiori et minus prudenti quam Concilium Tridentinum (cf. Denz. 966; Denz.-Sch. 1776) vel Const. dogm. *Lumen gentium,* n. 28.

R. — Intentioni Modorum horum satisfit dicendo: « Episcopos, *quorum* munus ministerii, subordinato gradu, Presbyteris tradi*tum est,* ut in Ordine ... ». Sic factum exprimitur, quin difficilis quaestio historica dirimatur ac dogmati detrimentum vel minimum afferatur.

21 — Pag. 11, linn. 27-28. Loco « Presbyteris legitime tradiderunt », scribatur: « *Cum* Presbyteris *ex virtute Spiritus Sancti communi-*

[19] *caverunt* ». Ratio est quia sic modus dicendi erit minus canoni-
[20] sticus et magis theologicus, et sic etiam melius servatur parallelismus cum lineis praecedentibus (25 Patres).

R. — Non admittitur. Formula enim proposita, etsi iuste de Spiritu Sancto mentionem faciat, non sufficienter exprimit indolem *hierarchicam* Ordinationis.

22 — Pag. 11, lin. 32:

a) Deleatur verbum « etiam », ne ulla insinuetur oppositio inter officium Presbyterorum et officium Episcoporum (74 Patres).

b) Ex iisdem Patribus, 72 proponunt ut dicatur: « Officium Presbyter*orum, utpote* Ord*ini episcopali coniunctum,* participat ... ». Ratio est ne videatur Presbyteros ad Christum directe et immediate referri, cum natura sua et Ordine suo sint Ordinis episcopalis cooperatores.

c) Dicatur: « ... Officium Presbyter*orum ad sacerdotium commune fidelium ordinatur, sed ad illud, quantum sublime, reduci non potest.* Participat *enim* auctoritatem ... ». Ratio eadem est quam ratio indicata pag. 54, sub littera E (1 Pater).

R. — Ad *a*) accipitur; ad *b*) accipitur, et ad mentem, ideo dicatur: « Officium Presbyter*orum, utpote* Ord*ini episcopali coniunctum,* participat ... »; ad *c*) non accipitur, quia non est necessarium: providetur in toto schemate. Insuper de tali « ordinatione » ad commune fidelium sacerdotium, etsi in Const. dogm. *Lumen gentium* inniti posset (cf. n. 10, 2), difficultates alibi motae sunt.

23 — Pag. 12, linn. 1-3. Periculum cuiusdam ambiguitatis vident 9 Patres in modo loquendi de « fundatione » Ordinis in Sacramentis initiationis christianae, et diversas formulas proponunt.

R. — Accipitur, ad mentem, et scribatur: « Sacerdotium Presbyterorum initiationis christianae Sacramen*ta* quidem *supponit,* peculiari tamen illo Sacramento confertur ... ».

24 — I) Pag. 12, linn. 4-6. Loco « speciali charactere donantur, et sic ... valeant », dicatur: « speciali dono *ac particulari modo* Christo sacerdoti configurantur, ita ut *missionis episcopalis participes facti,* in persona Christi ... ». Quia: *a*) Vox « character » scholastice sonat et gratiam non significat; *b*) De participatione missionis episcopalis mentio fiebat in textu antiquo et reassumi debet, quia ad fundamenta doctrinalia pertinet, sicut patet ex Const. *Lumen gentium* et ex ipso intento totius schematis (1 Pater).

II) In lin. 5, ubi dicitur « Christo Sacerdoti configurantur », [20]
addatur vox « specialiter », quia iam baptismo omnes fideles [21]
Christo Sacerdoti configurantur (1 Pater).

III) Loco « donantur », scribatur « signantur » (1 Pater).

IV) Deleatur vox « sic » in lin. 5. Ratio est quia aliter significare videretur configurationem cum Christo in solo charactere consistere (1 Pater).

V) In lin. 6 restituantur verba prioris textus, et dicatur: « ita ut missionis episcopalis particeps factus »; sed in lin. 8, insuper scribatur « Munus quidem Apostolorum, cum pro sua parte *in Episcopo* (vel: *in coniunctione cum Episcopo;* vel: *in Episcopi mysterio;* vel: *in Episcopi ministerio*) participent » (1 Pater).

R. — Ad I), *a*) Vox « character » traditionalis est, nec insane sapit scholam; non sufficit verbis indistinctis uti quibus exprimerentur insimul character et gratia.

Ad I), *b*) Non admittitur, quia haec idea passim in schemate exprimitur.

Ad II) Iam provisum, cum dicatur: « *speciali* charactere ..., *et sic,* Christo ... ».

Ad III) Accipitur.

Ad IV) Non admittitur: « sic » necessarium est ad exprimendum qua ratione Christo Sacerdoti specialiter configurantur. Nullo modo insinuatur solo charactere Presbyteros Christo configurari.

Ad V) Non accipitur expressio « in Episcopo », vel alia similis, quia sic canonizaretur aliqua conceptio, forsan probabilis, certe tamen disputabilis.

Scribatur ergo: « quo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti speciali charactere *signantur,* et sic Christo Sacerdoti configurantur, ita ut in persona Christi Capitis agere valeant ».

25 — Pag. 12, lin. 7. Addantur verba: « ... valeant. *Ad Evangelium praedicandum, fideles pascendos et ad divinum cultum celebrandum* ». Ratio est quia haec verba erant in textu priori, et desumuntur ex Const. *Lumen gentium;* insuper, verbum faciunt de cultu celebrando, de quo nullibi loquitur hoc Decretum (1 Pater).

R. — Modus, sicuti proponitur, non admittitur; quia: *a*) oneraret sententiam iam longam; *b*) Presbyteri semper dicuntur participare Episcoporum munera, quae revera talia sunt; *c*) verum non est de cultu nullibi sermonem fieri: cf. inter alia n. 5 schematis et additionem factam ad calcem praesentis numeri.

[21] 26 — Pag. 12, lin. 8. Deleatur verbum « quidem ». Erronee enim adhibetur; munere transitionis inter duas paragraphos sufficienter fungitur propositio causalis « munus ... participent » (1 Pater).

R. — Accipitur.

[22] 27 — Pag. 12, lin. 8 et ss. Unus Pater censet totam hanc paragraphum vix intelligi posse ab ordinariis Presbyteris. Nullum tamen Modum proponit.

R. — Textus iam a magna maioritate Patrum approbatus est. Explanandus erit modo congruo.

28 — Pag. 12, lin. 10. Deleantur verba « in gentibus » et loco eorum dicatur « omni creaturae »: quod clarius et magis biblicum videtur (2 Patres).

R. — Non admittitur. Sunt enim verba ipsius S. Pauli. Nec argui potest ex hoc quod in Decreto *De activitate missionali Ecclesiae,* vox « gentes » designat paganos, quia adhibetur in alio contextu, in alio schemate, quin pagani excludantur a praesenti consideratione.

29 — Pag. 12, linn. 10-11. Loco « sacerdotio Evangelii fungentes », dicatur « Sacro Evangelii munere fungentes ». Ratio est scripturistica, et innititur alicui dissertationi a Perito factae (1 Pater).

R. — Modus accipitur, et ad mentem.

30 — Pag. 12, lin. 15 et ss. Dicatur: « ... congregatur Populus Dei *ad celebrandum sacrificium Christi, Unici Mediatoris, quod per manus Presbyterorum in Eucharistia incruente et sacramentaliter celebratur donec veniat* (cf. *1 Cor.* 11, 26). *Quo fit* ut omnes ad *hunc* Populum pertinentes, sanctificati cum sint Spiritu Sancto, seipsos offerre possint « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » (*Rom.* 12, 1) ». Sic melius apparet Eucharistiam metam esse congregationis Populi Dei et fontem a quo emanat virtus sacrificii spiritualis (74 Patres).

R. — Modus sicut formulatur non accipitur. Quia: *a*) Populus Dei, non ad hoc tantum congregatur; *b*) sic non congrue distinguerentur duo gradus: primus, in quo fideles ipsi sese Deo offerunt hostiam viventem, etc. (*Rom.* 12, 1; 15, 16), alter in quo Presbyteri agunt ita ut sacrificium spirituale fidelium coniungi possit sacramentaliter pleneque Sacrificio Christi. Rationi tamen allatae et intentioni Modi satisfieri videtur acceptando Modum sequentem.

31 — Pag. 12, linn. 18-22. Dicatur: « ... (*Rom.* 12, 1). *Per* Presbyte*rorum autem ministerium* sacrificium spirituale fidelium *consum-*

matur in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod per [22]
manus eorum, *nomine totius Ecclesiae,* in Eucharistia incruente
et sacramentaliter *offertur,* donec ... ». Textus emendatus denuo [23]
emendari debet. Etenim: *a*) spirituale sacrificium fidelium iam ante celebrationes Missarum coniungitur cum sacrificio Christi, scilicet mentaliter et ipsis fidelibus operantibus; haec coniunctio vero *consummatur* in celebratione SS. Eucharistiae a Presbyteris facta una cum fidelibus; *b*) utile videtur hic adiungere Presbyteros nomine Ecclesiae offerre, quia hoc a Concilio Tridentino dicitur, et rationem praebet propter quam sacrificia spiritualia fidelium cum Eucharistia coniungi possint ac debeant (1 Pater).

R. — Modus accipitur, ad mentem.

32 — Pag. 12, lin. 17. Loco « possint », dicatur « debent ». Ratio est ut melius respondeatur verbis S. Pauli dicentis « Obsecro ... » (*Rom.* 12, 1) (1 Pater).

R. — Modus, sicut proponitur, non accipitur, quia est alia idea. Dicatur tamen: « seipsos *offerant* ».

33 — Pag. 12, linn. 18-23. Dicatur: « Presbyteri *autem* sacrificium spirituale fidelium coniungere valent cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod *manibus suis* in Eucharistia celebr*ant,* donec ... » (1 Pater).

R. — Textus aliquo modo mutatus (cf. Modum 31) quaesitui satisfacit.

34 — Pag. 12, linn. 18-23. Proponitur mutatio sat substantialis, nempe: « *Per manus* Presbyter*orum* quidem *Ipse Spiritus Christi, "unus et idem in Capite et in membris existens",* sacrificium spirituale fidelium cum sacrificio *cruento Capitis, cui adfuit,* coniungit. In Eucharistia *enim, praesente Spiritu Christi, per ministerium Presbyterorum sacrificium cruentum Capitis repraesentatur* et incruente sacramentaliter*que* celebratur donec Ipse Dominus veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) ». Quia: *a*) Presbyteri sacrificium spirituale fidelium cum sacrificio Christi solummodo eo coniungunt, quod Ipse Spiritus Christi primarie hanc coniunctionem efficit, sicut patet ex textibus in nota adnexis, et quod idem Spiritus praesens est in sacrificio altaris; *b*) sublineatur momentum oecumenicum (1 Pater).

R. — Mutatio esset nimis substantialis ideoque non accipitur.

35 — Pag. 12, lin. 19. Addatur: « ... Presbyteri *ut Ecclesiae ministri* » (4 Patres).

R. — Aliquo modo iam provisum est in Modo n. 31 (« nomine totius Ecclesiae »); ceterum, Presbyteri agunt, non ut Ecclesiae ministri,

[24] sed ut ministri Christi (cf. *Lumen gentium,* nn. 10, 2 et 28: « in persona Christi agentes »).

36 — Pag. 12, linn. 23-24. Iam dictum est supra (in Modo n. 13) Commissionem censere, post citationem ex *1 Cor.* 11, 26, addere oportere verba haec: « Ad hoc tendit atque in hoc consummatur Presbyterorum ministerium ».

37 — Pag. 12, lin. 24. Loco « Ministratio igitur eorum », scribatur: « Eorum igitur ministratio » (1 Pater).

R. — Accipitur. Dicatur tamen, ratione Modi praecedentis: « Eorum *enim* ministratio ».

38 — Pag. 12, lin. 31. Addatur: « ... corpus essemus". *Ita Presbyteri, inter primum et secundum adventum Domini, essentialiter a Christo Domino mittuntur, unctione Spiritus Sancti consecrati, ut Mysterium Paschale annuntient, actuent et significent, et ut ita praeparent definitivam recapitulationem omnium in Christo, in fine temporum consequendam, cum Christus iterum apparuerit ad tradendum Regnum Deo et Patri* ». Opportunum est praesentare, expressis verbis, notionem Mysterii Paschalis et eschatologiae, de quibus ne ullum verbum in schemate (4 Patres).

R. — Non admittitur Modus, neque ratio: cf. pag. 12, linn. 23-27; pag. 17, linn. 9-10; etc. Cum tamen res maximi momenti sit, additur in fine totius numeri 2 (pag. 12, lin. 41): « *Quae omnia, dum ex Paschate Christi manant, in glorioso Eiusdem Domini adventu consummabuntur, cum Ipse tradiderit Regnum Deo et Patri* (cf. *1 Cor.* 15, 24) ».

39 — Pag. 12, linn. 34-36.

a) Addatur: « ... in Christo perfectum recipiunt *et pro sua parte in mundo hodierno efficiunt* ». Quia gloria Dei non procuratur tantum gratiarum actione, sed etiam instrumentali cooperatione hominum in Eius opus (1 Pater).

b) Legatur: « ... homines opus *SS. Trinitatis* in Christo perfectum conscie, libere atque grate recipiunt ». Ratio est stylistica (1 Pater).

c) Loco « in Christo perfectum recipiunt », dicatur « in Christo patratum accipiunt »: *accipiunt* melius convenit cum « conscie et libere » (1 Pater).

R. — Ad *a*) ratio est valida; formula minus recta, quia, agendo de
[25] gloria Dei, manere debemus in ambitu notionis gloriae, quae *manifestationem* innuit. Intentioni providebitur.

Ad *b*) quoad stylisticam mutationem, admittitur. [25]

Ad *c*) admittitur. Scribatur ergo: « opus Dei in Christo perfectum conscie, libere atque grat*e accipiunt, illudque in tota vita sua manifestant* ».

40 — Pag. 12, lin. 37. Deleantur verba « et adorationi ». Quia adoratio et oratio non possunt disiungi (1 Pater).

R. — Non disiunguntur. Nonnulli Patres petierunt ut momentum doxologicum sublineetur.

41 — *a*) Pag. 12, lin. 38. Addantur haec verba vel similia: « ... praedicent *sive sacrificium Eucharisticum offerant* ». Ratio patet ex proposito (5 Patres).

b) Loco « administrent », dicatur « celebrent », vel « conficiant » (7 Patres).

c) Dicatur qualis species vitae a Presbyteris promoveri debeat, et proponunt addere, vel « divinam », vel « supernaturalem » (6 Patres).

d) Non tantum addatur mentio SS. Liturgiae, sed fiat mutatio stylistica (1 Pater).

R. — *a*) Quoad sensum admittitur.

b) Non accipitur. Verbum *administrare* est traditionale et satis clarum.

c) Accipitur ad mentem, et dicatur « in vita divina ».

d) Substantialiter accipitur, et tota sententia sic scribatur: « ... praedicent, *sive Eucharisticum sacrificium offerant et cetera* Sacramenta administrent, sive alia pro hominibus exerceant ministeria, conferunt, *cum* ad gloriam Dei augendam, *tum* ad homine*s in* vita *divina provehendos* ».

42 — Denique, ad mentem Modi 38, quae in loco indicantur, addantur in linea 41, scilicet: « *Quae omnia, dum ex Paschate Christi manant, in glorioso Eiusdem Domini adventu consummabuntur, cum Ipse tradiderit Regnum Deo et Patri* (cf. *1 Cor.* 15, 24) ».

AD NUMERUM 3

43 — Pag. 13, linn. 1-4. Addantur verba textus allegati (cf. *Hebr.* 5, 1), scilicet: « ... quae sunt ad Deum *ut offerant dona et sacrificia pro peccatis* ». Ut finis primarius sacerdotii clare indicetur (3 Patres).

R. — Accipitur ad mentem. Cum tamen textus Epist. ad Hebraeos [26]
formaliter agat de Pontificibus Veteris Legis necnon de Christo,

[26] cuius illi typum gestabant, citatio fiat sine uncis et cum *cf.* ante *Hebr.* 5, 1.

44 — Pag. 13, lin. 8 et ss. Verbis «absque tamen peccato» substituantur verba «ut misericors fieret», vel «ut compati possit infirmitatibus nostris (cf. *Hebr.* 4, 15)». Ratio est quia verba «absque peccato» referuntur ad similitudinem quam Christus nobiscum habuit quoad «tentationem» (1 Pater).

R. — Etsi ratio allata vera sit, stet textus, quia verba «absque tamen peccato» assumuntur in contextu largiori, ad illustrandam dialecticam condicionem missionis christianae: *cum* hominibus, et tamen mundo non conformis...

45 — Pag. 13, lin. 19. Addatur: «... (cf. *Act.* 13, 2). *Salva tamen exceptione data in schemate De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia (n. 35) pro Religionibus quae vitae mere contemplativae addicuntur*». Ratio patet ex textu proposito (4 Patres).

R. — Iam provisum in Modo n. 6.

46 — Pag. 13, linn. 20-22. Dicatur: «Ministri Christi *existimari* non possent...». Ita ut: *a*) vitetur quodvis periculum textum interpretandi in sensu Donatistarum; *b*) textus magis concordet cum implicita referentia paulina, *1 Cor.* 4, 1 (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium: revera, Presbyteri ministri *esse* non possunt si alius vitae quam terrenae..., etc.

47 — Pag. 13, lin. 20 et ss. Dicatur: «nisi vitae *ex cruce ac resurrectione Christi* oriund*ae* testes...». Ut formula magis positiva evadat (1 Pater).

R. — Non admittitur: «alius vitae quam terrenae» exprimit dialecticam condicionem ministerii, quae per totam paragraphum inculcatur.

48 — Pag. 13, lin. 24. Idem Pater desiderat ut scribatur: «Ipsum eorum ministerium *speciali titulo* exigit». Ratio est quia exigentia haec valet pro omnibus christifidelibus.

R. — Accipitur.

[27] 49 — Pag. 13, linn. 26-27. Deleantur verba: «ut in hoc saeculo cum omnibus hominibus vivant», quia sunt mera repetitio eorum quae sub linn. 23-24 dicta sunt (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia sic in loco omitteretur aliquod elementum dialecticae de qua iam dictum est in Modis 44 et 47.

50 — Pag. 13, linn. 26-27. Dicatur: « ... in hoc saeculo *inter* homin*es, salvis exigentiis vitae sacerdotalis,* vivant ... ». Quia: *a*) « cum omnibus hominibus » aequivocationes et abusus excitare possent; *b*) haec verba videntur contradicere his quae in n. 8 dicuntur de aliqua vita communi; *c*) falsum est Presbyteros debere vivere « cum omnibus hominibus » (2 Patres). [27]

R. — Modus accipitur, et ad mentem, omissis tamen verbis « salvis exigentiis vitae sacerdotalis », quorum contentum aliter et alibi in contextu exprimitur.

51 — Pag. 13, linn. 31-33. Loco « quod ut consequi ... magni aestimantur », dicatur: « Quod ut consequi valeant, *praeter eminentes vitae christianae* virtutes, multum *etiam* conferunt virtutes quae in humano consortio ... » (42 Patres).

R. — Modus non accipitur. Nulla fit in textu comparatio inter diversas virtutes.

52 — Pag. 13, lin. 33. Loco « magni », dicatur « iure ». Ne putetur illas virtutes commendari quia mundo placent (8 Patres).

R. — Intentioni horum Patrum satisfit dicendo: « merito ».

QUAESITUM

An placeat expensio Modorum facta a Commissione de disciplina cleri et populi christiani circa Modos Prooemium et Caput I respicientes?

CAPUT II [28]

PRESBYTERORUM MINISTERIUM

I – PRESBYTERORUM MUNERA

4. [*Presbyteri, verbi Dei ministri*]. Populus Dei primum coadunatur verbo Dei vivi,[1] quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere.[2] Cum enim nemo salvari possit, qui prius non crediderit,[3] Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi,[4] ut, mandatum exsequentes Domini: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15),[5] Populum Dei constituant et augeant. Verbo enim salutari in corde non fidelium suscitatur et in corde fidelium alitur fides,

[28] qua congregatio fidelium incipit et crescit, secundum illud Apostoli: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17). Omnibus ergo debitores sunt Presbyteri, ut cum eis communicent veritatem Evangelii[6] qua in Domino gaudent. Sive igitur, conversationem inter gentes habentes bonam, ad Deum glorificandum eas adducunt,[7] sive, aperte praedicantes, mysterium Christi non credentibus annuntiant, sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student, eorum semper est non sapientiam suam, sed Dei verbum docere omnesque ad conversionem et ad *sanctitatem* instanter invitare.[8] Sacerdotalis vero praedicatio, in hodiernis mundi adiunctis haud raro perdifficilis, ut auditorum mentes aptius moveat, verbum Dei non modo generali et abstracto tantum exponere debet, sed concretis applicando vitae circumstantiis veritatem Evangelii perennem.

Ita ministerium verbi multiformiter exercetur, secundum diversas audientium necessitates et praedicantium charismata. In regionibus vel coetibus non christianis, *nuntio Evangelico homines ad fidem et Sacramenta salutis adducuntur,*[9] in ipsa autem communitate christianorum, praesertim pro illis qui parum intellegere vel credere videntur quod frequentant, verbi praedicatio requiritur ad ipsum ministerium Sacramentorum, quippe quae sint Sacramenta fidei, quae de verbo nascitur et nutritur,[10] *quod praecipue valet pro* Liturgia verbi in Missarum celebratione, in qua inseparabiliter uniuntur annuntiatio mortis et resurrectionis Domini, responsum populi audientis *et* oblati*o* ipsa qua Christus Novum Foedus confirmavit in Sanguine suo, cui oblationi fideles, et votis et Sacramenti perceptione, communicant.[11]

[29] 5. [*Presbyteri Sacramentorum et Eucharistiae ministri*]. Deus qui solus Sanctus et Sanctificator est voluit quasi socios et adiutores sibi assumere homines qui operi sanctificationis humiliter inserviant. Hinc Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur, ut, *participes Sacerdotii Christi speciali ratione effecti,* in *Sacris* celebrandis tamquam ministri agant *Eius,* qui suum sacerdotale munus *per Spiritum suum* iugiter pro nobis in Liturgia exercet.[12] *Baptismate quidem homines in Populum Dei introducunt; Sacramento Poenitentiae peccatores cum Deo et Ecclesia reconciliant; oleo infirmorum aegrotantes alleviant; celebratione praesertim Missae Sacrificium Christi sacramentaliter offerunt.* In *omnibus autem* Sacramentis conficiendis, ut iam primaevae Ecclesiae temporibus testatus est beatus Ignatius Martyr,[13] Presbyteri diversis rationibus *cum* Episcopo *hierarchice colliguntur,* et sic eum in singulis fidelium congregationibus quodammodo praesentem reddunt.[14]

Cetera autem Sacramenta, *sicut et* omnia ecclesiastica ministeria, *et* opera apostolatus, cum Sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur.[15] In Sanctissima enim Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur,[16] ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas *una* cum Ipso offerendos. Quapropter Eucharistia ut fons et culmen totius evangelizationis apparet, dum catechumeni ad participationem Eucharistiae paulatim introducuntur, et fideles, iam sacro baptismate et confirmatione signati, plen*e* per receptionem Eucharistiae Corpori Christi inseruntur. [29]

Est ergo Eucharistica Synaxis centrum congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edocent igitur Presbyteri fideles *divinam victimam in* Sacrificio *Missae* Deo *Patri* offerre *atque cum ea oblationem vitae suae facere; in spiritu Christi Pastoris* instituunt eos peccata sua corde *contrito* Ecclesiae *in Sacramento Poenitentiae* submittere, ita ut magis magisque in dies ad Dominum convertantur, memores verborum Eius: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum caelorum » (*Mt.* 4, 17). Ipsos pariter edocent Sacrae Liturgiae celebrationes ita participare, ut sinceram orationem in eis quoque attingant; eos ad spiritum orationis semper perfectiorem per totam vitam exercendum, pro uniuscuiusque gratiis et necessitatibus, manuducunt, *omnesque ad officia proprii status observanda,* et profectiores ad consilia Evangelii, modo cuique congruo exercenda, alliciunt. Erudiunt proinde fideles ut possint hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.[17]

Laudes et gratiarum actiones quas adhibent in Eucharistiae celebratione ipsi Presbyteri ad diversas horas diei dilatant in Divino persolvendo Officio, *quo quidem* nomine Ecclesiae, pro toto populo sibi *com-* [30]
misso, immo pro universo mundo, *Deum deprecantur.*

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, fidelesque congregantur, et in qua praesentia *Filii* Dei *Salvatoris nostri in ara sacrificali pro nobis oblati, in auxilium atque solatium fidelium colitur,* nitida, orationi et sacris sollemnibus apta esse debet.[18] In ea Pastores et fideles invitantur ut grato animo respondeant dono Ipsius, qui per Humanitatem suam continuo vitam divinam in membra Corporis sui infundit.[19] Curent Presbyteri scientiam et artem liturgicam recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

[30] 6. [*Presbyteri, populi Dei rectores*]. Munus Christi Capitis et Pastoris pro sua parte auctoritatis exercentes, Presbyteri, *nomine* Episco*pi,* familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt, et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt.[20] Ad hoc autem ministerium exercendum, sicut ad cetera munera Presbyteri, confertur potestas *spiritualis,* quae quidem ad aedificationem datur.[21] In aedificanda autem Ecclesia, Presbyteri cum omnibus eximia humanitate ad exemplar Domini conversari debent. Neque iuxta placita hominum,[22] sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae erga eos agere debent, eos docentes et ut filios etiam carissimos[23] monentes, secundum verba Apostoli: « Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).[24]

Quapropter *ad* sacerdot*es,* qua in fide educat*ores, pertinet* curare sive per se sive per alios, ut singuli fideles ad suam propriam vocationem secundum Evangelium excolendam, ad sinceram operosamque caritatem, et ad libertatem, qua Christus nos liberavit,[25] in Spiritu Sancto adducantur. Parum proderunt caeremoniae, etsi pulchrae, vel consociationes, etsi florentes, si non ordinantur ad educandos homines ad maturitatem christianam consequendam.[26] Quam ut promoveant, eis auxilio erunt Presbyteri ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigant, quae sit Dei voluntas perspicere valeant. Edoceantur etiam christiani ut non sibi solum vivant, sed, secundum exigentias novae legis caritatis, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret[27] et ita omnes officia sua in communitate hominum christiane absolvant.

Quamvis vero omnibus debitores sint, Presbyteri tamen peculiari modo commendatos sibi habent pauperes et tenuiores cum quibus Dominus Ipse sese sociatum ostendit,[28] et quorum evangelizatio signum messianici operis datur.[29] Peculiari etiam diligentia prosequentur iuniores, et insuper coniuges ac parentes, qui ut in amicales coetus *conveniant* optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. *Meminerint Presbyteri religiosos omnes*
[31] *viros ac mulieres, quippe qui pars praecellens sint in domo Domini, speciali cura dignos esse ad eorum spiritualem profectum in bonum totius Ecclesiae.* Maxime tandem solliciti sint aegrotantium et morientium, eos visitantes et in Domino confortantes.[30]

Munus vero Pastoris non ad fidelium singillatim curam habendam coarctatur, sed *etiam* ad genuinam communitatem christianam efformandam proprie extenditur. Spiritus autem communitatis debite ut colatur, non tantum ecclesiam localem sed et universam Ecclesiam amplecti debet. Communitas autem localis non suorum dumtaxat fidelium curam fovere, sed etiam zelo missionali imbuta viam ad Christum omnibus homi-

nibus parare debet. Specialiter tamen sibi commendatos habet catechumenos et neophytos, qui gradatim ad vitam christianam cognoscendam et ducendam educandi sunt. [31]

Nulla tamen communitas christiana aedificatur nisi radicem cardinemque habeat in Sanctissimae Eucharistiae celebratione,[31] a qua ergo omnis educatio ad spiritum communitatis incipienda est. Quae celebratio ut sincera et plena sit tam ad varia caritatis opera mutuumque adiutorium quam ad missionalem actionem, necnon ad varias christiani testimonii formas, ducere debet.

Praeterea caritate, oratione, exemplo et poenitentiae operibus, ecclesialis communitas veram erga animas ad Christum adducendas maternitatem exercet. Ipsa enim instrumentum efficax constituit quo nondum credentibus via ad Christum eiusque Ecclesiam indicatur vel sternitur, quo etiam fideles excitantur, aluntur et ad pugnam spiritualem roborantur.

In exstruenda vero christianorum communitate, Presbyteri numquam alicui ideologiae vel factioni humanae inserviunt, sed, ut Evangelii Praecones et Ecclesiae Pastores, ad Corporis Christi spirituale incrementum consequendum operam impendunt.

II – Presbyterorum habitudo ad alios

7. [*Habitudo inter Episcopos et Presbyterium*]. Presbyteri omnes, una cum Episcopis, unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant, ut ipsa unitas consecrationis missionisque requirat hierarchicam eorum communionem cum Ordine Episcoporum,[32] *quam optime* aliquando in liturgica concelebratione *manifestant, et* cum quibus coniuncti profitentur se Eucharisticam Synaxim celebrare.[33] Episcopi igitur, *propter* donum Spiritus Sancti quod Presbyteris in sacra Ordinatione *datum est,* illos hab*ent* ut *necessarios* adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et pascendi plebem Dei.[34] Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum sollemniter postulant a Deo super Presbyterum ordinandum infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro »,[35] quemadmodum in eremo Moysis spiritus [32]
in mentes septuaginta virorum prudentium propagatus est,[36] « quibus ille adiutoribus usus in populo innumeras multitudines facile gubernavit ».[37] Propter hanc ergo in eodem sacerdotio atque ministerio communionem, Episcopi ut *fratres et* amicos suos habeant Presbyteros,[38] eorumque bonum, tam materiale quam *praesertim* spirituale ipsis pro viribus cordi sit. *Potissimum enim in illos sacerdotum suorum sanctitu-*

[32] *dinis grave recidit onus*: [39] *maximam ergo curam exerceant in continua formatione Presbyterii sui.*[40] Eos libenter audiant, immo consul*ant* et cum eis colloquantur de iis quae ad necessitates operis pastoralis et ad bonum dioeceseos spectant. Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur, modo *hodiernis adiunctis ac necessitatibus accommodato,*[41] forma ac normis iure determinandis, coetus seu senatus [42] sacerdotum, Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos *suis consiliis* efficaciter adiuvare possit.

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem Sacramenti Ordinis qua Episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi Pastoris. Suo igitur Episcopo sincera caritate et oboedientia adhaereant.[43] Quae sacerdotalis oboedientia, cooperationis spiritu perfusa, fundatur in ipsa participatione ministerii episcopalis, quae Presbyteris per Sacramentum Ordinis et missionem canonicam confertur.[44]

Unio Presbyterorum cum Episcopis eo magis nostris diebus requiritur quod aetate hac nostra, diversis ex causis, incepta apostolica non tantum multiplices formas induere, verum etiam limites unius paroeciae vel dioeceseos praetergredi necesse est. Nullus ergo Presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis Presbyteris, sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt.

8. [*Fraterna coniunctio et cooperatio inter Presbyteros*]. Presbyteri, per Ordinationem in Ordine presbyteratus constituti, *omnes inter se intima fraternitate sacramentali nectuntur;* specialiter *autem* in dioecesi cuius servitio sub Episcopo proprio addicuntur unum Presbyterium efformant. *Etsi* enim *diversis* officiis mancip*entur,* unum *tamen gerunt* sacerdotale pro hominibus ministerium. Ad idem enim opus ut cooperentur mittuntur omnes Presbyteri, sive ministerium paroeciale vel supraparoeciale exerceant, sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferant, sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum, *ubi id* probante *quidem competenti* Auctoritate *expedire videatur,* sortem participantes, sive tandem alia opera apostolica *vel ad apostolatum ordinata* adimpleant. Ad unum omnes quidem conspirant, ad aedificationem nempe Corporis Christi, quae, nostris praesertim temporibus, multiplicia officia necnon novas accommodationes requirit. Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri, sive dioecesani sive religiosi, sese invicem
[33] adiuvent, ut semper sint cooperatores veritatis.[45] Cum ceteris ergo membris huius Presbyterii, unusquisque specialibus apostolicae caritatis, ministerii et fraternitatis nexibus coniungitur: quod iam ab antiquis temporibus liturgice significatur, cum Presbyteri adstantes super novum

electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere invitentur, [33] *et cum Sacram Eucharistiam unanimo corde concelebrant.* Singuli ergo Presbyteri cum confratribus suis uniuntur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis, atque ita manifestatur illa unitas qua Christus voluit suos in unum esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre.[46]

Quam ob rem, qui sunt provectioris aetatis iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis inceptis et oneribus ministerii adiuvent, itemque mentem eorum, etsi a propria diversam, intellegere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur. Iuvenes pariter revereantur aetatem atque experientiam seniorum cumque illis de rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et libenter collaborent.

Spiritu fraterno ducti, Presbyteri hospitalitatem ne obliviscantur,[47] colant beneficentiam et communionem bonorum,[48] praesertim solliciti eorum qui sunt aegroti, afflicti, laboribus nimis onerati, solitarii, e patria exsules, necnon eorum qui persecutionem patiuntur.[49] Etiam ad relaxandum animum libenter *et cum gaudio* conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus Apostolos defatigatos invitabat: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31). Insuper, ut Presbyteri in vita spirituali et intellectuali colenda mutuum iuvamen inveniant, ut aptius in ministerio cooperari valeant utque a periculis solitudinis forte orientibus eripiantur, aliqua vita communis vel aliquod vitae consortium inter eos foveatur, quod tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel communem mensam, vel saltem frequentes ac periodicos conventus. Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, *statutis a competenti ecclesiastica auctoritate recognitis,* per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt.

Demum, ratione eiusdem communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri *specialiter* obligatos erga eos qui *aliquibus* difficultatibus laborant; *quibus tempestivum* praebeant auxilium, etiam *si opus sit* eos discrete monendo. Illos autem qui in quibusdam defecerunt *fraterna* caritate atque magno *animo* semper prosequantur, *pro ipsis instantes preces Deo effundant eisque continuo sese praebeant ut revera fratres et amicos.*

9. [*Presbyterorum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdotes, licet Sacramenti Ordinis ratione praestantissimum ac necessarium in Populo et pro Populo Dei munus patris et magistri exerceant, tamen simul cum omnibus christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis [34]

[34] gratia Eius Regni participes facti.[50] Cum omnibus enim in fonte baptismi regeneratis Presbyteri sunt fratres inter fratres,[51] utpote membra unius eiusdemque Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus demandata est.[52]

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi,[53] cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque propriam, quam *laici* in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant. Iustam etiam libertatem, quae omnibus in civitate terrestri competit, sedulo in honore habeant. Libenter audiant laicos, eorum desideria fraterne considerantes, eorumque experientiam *et competentiam* in diversis campis humanae actionis agnoscentes, ut simul cum ipsis signa temporum recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint,[54] charismata *laicorum multiformia, tam humilia quam altiora, cum sensu fidei detegant, cum gaudio agnoscant, cum diligentia foveant.* Inter alia vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, peculiari cura digna sunt, quibus non pauci ad altiorem vitam spiritualem attrahuntur. *Item* cum fiducia laicis in servitium Ecclesiae officia committant, eis agendi libertatem et spatium relinquentes, immo eos ut opera etiam sua sponte aggrediantur opportune invitantes.[55]

Presbyteri demum in medio laicorum posi*ti sunt* ut omnes ad caritatis unitatem ducant « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes » (*Rom.* 12, 10). *Eorum* igitur *est* diversas mentes ita componere ut nemo in fidelium communitate extraneum se sentiat. Boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, *sunt* defensores, atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur.[56] *Peculiari sollicitudini eorum committuntur* qui a praxi Sacramentorum, immo a fide forsan defecerunt, *quos quidem* ut bon*i* pastore*s adire non* omitt*ent.*

Ad praescripta de oecumenismo attendentes,[57] ne oblivisc*antur* fratres qui plena nobiscum ecclesiastica communione non fruuntur.

Commendatos sibi tandem habe*bunt* illos omnes qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt.

Ipsi vero christifideles conscii sint se obligatos esse Presbyteris suis, et ideo filiali amore eosdem, pastores suos et patres, prosequantur; item, eorum sollicitudines participantes, oratione et opera quantum fieri possit auxilio sint suis Presbyteris, ut hi aptius difficultates superare et fructuosius officia sua adimplere valeant.[58]

III – PRESBYTERORUM DISTRIBUTIO ET VOCATIONES SACERDOTALES [35]

10. [*Apta Presbyterorum distributio*]. Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae. Christi enim Sacerdotium, cuius Presbyteri *vere* participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech arcano modo praefiguratur.[59] Meminerint igitur Presbyteri omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter Presbyteri illarum dioecesium, quae maiore vocationum copia ditantur, libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum.

Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, pervetere hoc instituto firmo manente, ipsum tamen hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeat. Ubi *vero* ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt. Ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae.

Ad novam tamen regionem, praesertim si illius linguam et mores nondum bene cognoverint, in quantum fieri potest, Presbyteri ne mittantur singuli, sed, ad exemplum Christi discipulorum,[60] saltem bini vel terni, ut ita mutuo sibi sint adiutorio. Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita spirituali, necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia. Magnopere expedit simul ut, qui novam nationem petunt, apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam peculiarem indolem psychologicam et socialem illius populi cui in humilitate servire volunt quam perfectissime cum eodem communicantes, ita ut exemplum sequantur Pauli Apostoli, qui de se ipso dicere potuit: « Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer... » (*1 Cor.* 9, 19-20).

[35] 11. [*Presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus*]. Pastor
et Episcopus animarum nostrarum,[61] ita suam Ecclesiam constituit, ut
[36] Populus quem elegit et acquisivit sanguine suo[62] semper et usque in finem saeculi suos habere deberet sacerdotes, ne umquam christiani essent sicut oves non habentes pastorem.[63] Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto, suum esse officium duxerunt ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2). Quod officium sane pertinet ad ipsam mission*em* sacerdotal*em, qua quidem particeps fit Presbyter* sollicitud*inis* totius Ecclesiae, ne in Populo Dei hic in terris operarii umquam desint. Quoniam tamen « rectori navis et navigio deferendis ... causa communis exsistit »,[64] ideo universus Populus christianus edoceatur suum esse officium diversimode cooperandi, per instantem orationem *itemque per alia media quae sibi praesto sunt,*[65] ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit verbi ministerio proprioque testimonio vitae, *spiritum servitii et verum gaudium paschale aperte manifestantis,* sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, ac quos, sive iuvenes sive adultiores, prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcendo curis *neque* incommodis adiuvare ut se rite praeparent ac proinde aliquando, plena eorum libertate externa et interna servata, ab Episcopis vocari possint. Ad hunc finem prosequendum, maximae utilitatis est diligens ac prudens directio spiritualis. Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut sollicitudinem Domini pro grege suo cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere cum propheta: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8). Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam ita exspectanda est, ac si modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri perveniat. Ipsa enim potius ex signis intellegenda et diiudicanda est, quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa attente a Presbyteris consideranda sunt.[66]

Ipsis ergo valde commendantur Opera vocationum, sive dioecesana sive nationalia.[67] In praedicationibus, in catechesi, in scriptis periodicis, diserte declarentur oportet necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis, sensus et praestantia ministerii sacerdotalis in vivida luce ponantur, quippe in quo cum tantis oneribus tanta gaudia componantur, et in quo praesertim, ut docent Patres, potest dari Christo maximum testimonium amoris.[68]

NOTAE [36]

[1] Cf. *1 Pt.* 1, 23; *Act.* 6, 7; 12, 24. « Praedicaverunt (Apostoli) Verbum veritatis et genuerunt ecclesias » (S. AUGUSTINUS, *In Ps.*, 44, 23: *PL* 36, 508).

[2] Cf. *Mal.* 2, 7; *1 Tim.* 4, 11-13; *2 Tim.* 4, 5; *Tit.* 1, 9.

[3] Cf. *Mc.* 16, 16.

[4] Cf. *2 Cor.* 11, 7. De Presbyteris, utpote qui sint Episcoporum cooperatores, [37] valent quoque illa, quae de Episcopis dicuntur. Cf. *Statuta Ecclesiae Antiqua,* c. 3: ed. Ch. Munier, Paris 1960, p. 79; *Decretum Gratiani,* C. 6, D. 88: ed. Friedberg, I, 307; CONC. TRIDENTINUM, Decr. *De reform.,* Sess. V, c. 2, n. 9: *Conc. Oec. Decreta,* ed. Herder, Romae 1963, p. 645; Sess. XXIV, c. 4 (p. 739); CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 29-31.

[5] Cf. *Constitutiones Apostolorum,* II, 26, 7: « (Presbyteri) sint doctores scientiae divinae, cum et ipse Dominus nos mandaverit dicens: Euntes docete etc. » (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* I, Paderborn 1905, p. 105). - *Sacramentarium Leonianum* et cetera sacramentaria usque ad *Pontificale Romanum,* Praefatio in Ordinatione Presbyteri: « Hac providentia, Domine, apostolis filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus (vel: praedicationibus) impleverunt ». - *Liber Ordinum Liturgiae Mozarabicae,* Praefatio ad ordinandum Presbyterum: « Doctor plebium et rector subiectorum, teneat ordinate catholicam fidem, et cunctis annuntiet veram salutem » (ed. M. Férotin, Paris 1904, col. 55).

[6] Cf. *Gal.* 2, 5.

[7] Cf. *1 Pt.* 2, 12.

[8] Cf. Ritum Ordinationis Presbyteri in Ecclesia Alexandrina Iacobitarum: « ... Congrega populum tuum ad verbum doctrinae, quemadmodum nutrix quae fovet filios suos » (H. DENZINGER, *Ritus Orientalium,* Tom. II. Würzburg 1863, p. 14).

[9] Cf. *Mt.* 28, 19; *Mc.* 16, 16; TERTULLIANUS, *De baptismo,* 14; S. ATHANASIUS, *Oratio 40 contra Arianos,* 42 (*PG* 26, 237); S. HIERONYMUS, *In Mat.,* 28, 19 (*PL* 26, 218 BC): « Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem »; S. THOMAS AQ., *In I*[am] *Decretalem*: « Salvator noster discipulos ad praedicandum mittens, tria eis iniunxit. Primo quidem ut docerent fidem; secundo, ut credentes imbuerent sacramentis ».

[10] Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, n. 35, 2: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 109.

[11] Cf. ibid., n. 33, 35, 48, 52 (pp. 108-109, 113, 114).

[12] Cf. ibid., n. 7 (pp. 100-101); PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 230.

[13] S. IGNATIUS M., *Smyrn.,* 8, 1-2: ed. Funk, p. 282, 6-15; *Constitutiones Apostolorum, VIII,* 12, 3 (ed. F. X. Funk, p. 496); VIII, 29, 2 (p. 532).

[14] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[15] « Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitae, et omnium sacramentorum finis » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 73, a. 3 c); cf. *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3.

[37] [16] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 66, a. 3, ad 1; q. 79, a. 1, c, et ad 1.

[17] Cf. *Eph.* 5, 19-20.

[18] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 114, 2: « ... sacrosque calices, et sancta velamina, et cetera quae ad cultum dominicae pertinent passionis... ex consortio corporis et sanguinis Domini eadem qua corpus eius et sanguis maiestate veneranda » (*PL* 22, 934). Vid. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, nn. 122-127: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 130-132.

[19] « Insuper visitationem sanctissimi Sacramenti, in nobilissimo loco et quam honorificentissime in ecclesiis secundum leges liturgicas adservandi, interdiu facere ne omittant, utpote quae erga Christum Dominum, in eodem praesentem, sit et grati animi argumentum et amoris pignus et debitae adorationis officium » (PAU-
[38] LUS VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 [1965], p. 771).

[20] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[21] Cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10.

[22] Cf. *Gal.* 1, 10.

[23] Cf. *1 Cor.* 4, 14.

[24] Cf. *Didascalia,* II, 34, 2-3; II, 47, 1; *Constitutiones Apostolorum,* II, 47, 1 (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* I, p. 116, 142 et 143).

[25] Cf. *Gal.* 4, 3; 5, 1 et 13.

[26] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 58, 7: « Quae utilitas est parietes fulgere gemmis, et Christum in paupere mori? » (*PL* 22, 584).

[27] Cf. *1 Pt.* 4, 10 ss.

[28] Cf. *Mt.* 25, 34-45.

[29] Cf. *Lc.* 4, 18.

[30] Aliae categoriae nominari possunt, v. g. migrantes, nomades, etc., De quibus agitur in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965.

[31] Cf. *Didascalia,* II, 59, 1-3: « Docens autem iube et hortare populum in ecclesia frequentare et penitus numquam deesse, sed convenire semper et ecclesiam non angustare, cum se substrahunt, et minus membrum facere corpus Christi... Nolite ergo vosmetipsos, cum sitis membra Christi, spargere ab ecclesia, cum non coadunamini; Christum enim caput habentes secundum promissionem ipsius praesentem et communicantem vobis, nolite ipsi vos neglegere nec alienare salvatorem a membris suis nec scindere nec spargere corpus eius... » (ed. F. X. Funk, I, p. 170); PAULUS VI, Allocutio iis qui ex italico clero interfuerunt Coetui XIII per hebdomadam habito Urbiveti v. « di aggiornamento pastorale », 6 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 750 ss.

[32] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35.

[33] Cf. sic dictam *Constitutionem Ecclesiasticam Apostolorum,* XVIII. Presbyteri sunt sýmmystai et synepímachoi Episcoporum (ed. Th. Schermann, *Die allgemeine Kirchenordnung,* I, Paderborn 1914, p. 26; A. HARNACK, T. u. U., II, 4, p. 13, n. 18 et 19); PSEUDO-HIERONYMUS, *De Septem Ordinibus Ecclesiae*: « ... in benedictione cum episcopis consortes mysteriorum sunt » (ed. A. W. Kalff, Würzburg 1937, p. 45); S. ISIDORUS HISPALENSIS, *De Ecclesiasticis Officiis,* c. VII: « Praesunt enim Ecclesiae Christi et in confectione Corporis et San-

guinis consortes cum episcopis sunt, similiter et in doctrina populorum et in officio praedicandi »: *PL* 83, 787. [38]

[34] Cf. *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. F. X. Funk, p. 108); *Constitutiones Apostolorum,* II, 28, 4; II, 34, 3 (ibid., p. 109 et 117).

[35] *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 522, 13); cf. *Epitome Const. Apost.,* VI (ibid., II, p. 80, 3-4); *Testamentum Domini*: « ... da ei Spiritum gratiae, consilii, et magnanimitatis, spiritum presbyteratus... ad coadiuvandum et gubernandum populum tuum in opere, in metu, in corde puro » (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69). Item in *Trad. Apost.* (ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique,* Münster i. W. 1963, p. 20).

[36] Cf. Num. 11, 16-25.

[37] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio; quae verba iam habentur in *Sacramentario Leoniano, Sacramentario Gelasiano* et *Sacramentario Gregoriano.* Similia inveniuntur in Liturgiis Orientalibus: cf. *Trad. Apost.*: « ... respice super servum tuum istum et impartire spiritum gratiae et consilii, presbyteris ut adiuvet et gubernet plebem tuam in corde mundo sicuti respexisti super populum electionis tuae et praecepisti Moysi ut elegeret presbyteros [39]
quos replesti de spiritu tuo quod tu donasti famulo tuo » (ex antiqua versione latina Veronensi ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique de S. Hippolyte. Essai de reconstruction,* Münster i. W. 1963, p. 20); *Const. Apost.* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 522, 16-17); *Epit. Const. Apost.* 6 (ed. Funk, II, p. 20, 5-7); *Testamentum Domini* (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69); *Euchologium Serapionis,* XXVII (ed. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* II, p. 190, linn. 1-7); *Ritus Ordinationis in ritu Maronitarum* (trad. H. Denzinger, *Ritus Orientalium,* II, Würzburg 1863, p. 161). Inter Patres citari possunt: Theodorus Mopsuestenus, *In 1 Tim.* 3, 8 (ed. Swete, II, pp. 119-121); Theodoretus, *Quaestiones in Numeros,* XVIII (*PG* 80, 372 b).

[38] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35.

[39] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 576; S. Pius X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

[40] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, nn. 15 et 16.

[41] In iure condito iam habetur Capitulum Cathedrale, tamquam Episcopi « senatus et consilium » (*C.I.C.,* c. 391), vel, eo deficiente, Coetus consultorum dioecesanorum (cf. *C.I.C.,* cc. 423-428). In votis tamen est talia instituta ita recognoscere, ut hodiernis adiunctis atque necessitatibus melius provideatur. Uti patet, huiusmodi Coetus Presbyterorum differt a Consilio pastorali de quo in Decreto *Christus Dominus* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, n. 27, cui pertinent etiam laici, et cuius est tantummodo pervestigare quae ad pastoralia opera spectant. De Presbyteris ut consiliariis Episcoporum videri possunt *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. Funk, I, p. 108); it. *Const. Apost.,* II, 28, 4 (ed. Funk, I, p. 109); S. Ignatius M., *Magn.,* 6, 1 (ed. Funk, p. 234, 10-16); *Trall.,* 3, 1 (ed. Funk, p. 244, 10-12); Origenes, *Adv. Celsum,* 3, 30: Presbyteri sunt consiliarii seu boúleytai: *PG* 11, 957 d - 960 a).

[42] S. Ignatius M., *Magn.,* 6, 1: « Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei presbyteris loco senatus apostolici, et

[39] diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit » (ed. Funk, p. 234, 10-13); S. IGNATIUS M., *Trall.,* 3, 1: « Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur » (*ibid.,* p. 244, 10-12); *Philad.,* VIII, 1; S. HIERONYMUS, *In Isaiam,* II, 3 (*PL* 24, 61 A): « Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum, coetum presbyterorum ».

[43] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Urbis curiones et quadragenarii temporis oratores in Aede Sixtina habita, die 1 martii 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 326.

[44] Cf. *Const. Apost.,* VIII, 47, 39: « Presbyteri... absque sententia episcopi nihil peragant; ipse enim est, cui commissus est populus Domini et a quo de animabus eorum ratio poscetur » (ed. Funk, p. 577).

[45] Cf. *3 Io.* 8.

[46] Cf. *Io.* 17, 23.

[47] Cf. *Hebr.* 13, 1-2.

[48] Cf. *Hebr.* 13, 16.

[49] Cf. *Mt.* 5, 10.

[50] Cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13.

[51] Cf. *Mt.* 23, 8. « Opus est deinde, ut ea de re quod hominum pastores,
[40] patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam tuam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 647).

[52] Cf. *Eph.* 4, 7, 16; *Const. Apost.,* VIII, 1, 20: « Quin etiam neque episcopus in diaconos vel presbyteros se extollat, neque presbyteri in plebem; ex utriusque enim coetus compositio extat » (ed. F. X. Funk, I, p. 467).

[53] Cf. *Phil.* 2, 21.

[54] Cf. *1 Io.* 4, 1.

[55] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[56] Cf. *Eph.* 4, 14.

[57] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Unitatis redintegratio,* de oecumenismo, 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90 ss.

[58] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[59] Cf. *Hebr.* 7, 3.

[60] Cf. *Lc.* 10, 1.

[61] Cf. *1 Pt.* 2, 25.

[62] Cf. *Act.* 20, 28.

[63] Cf. *Mt.* 9, 36.

[64] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[65] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 2.

[66] « La voce di Dio che chiama si esprime in due modi diversi, meravigliosi e convergenti: uno interiore, quello della grazia, quello dello Spirito Santo, quello ineffabile del fascino interiore che la "voce silenziosa" e potente del Signore esercita nelle insondabili profondità dell'anima umana; e uno esteriore, umano, sensibile, sociale, giuridico, concreto, quello del ministro qualificato della Parola di Dio, quello dell'Apostolo, quello della Gerarchia, strumento indispensabile, istituito e voluto da Cristo, come veicolo incaricato di tradurre in linguaggio speri-

mentabile il messaggio del Verbo e del precetto divino. Così insegna con San Paolo la dottrina cattolica: *Quomodo audient sine praedicante... Fides ex auditu* (*Rom.* 10, 14 et 17)» (PAULUS VI, *Exhortatio,* habita die 5 maii 1965: *L'Osservatore Romano,* 6-5-65, pag. 1). [40]

[67] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 2.

[68] Hoc docent Patres, dum explicant verba Christi Petro: « Amas me? ... Pasce oves meas » (*Io.* 21, 17): sic S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De sacerdotio,* II, 1-2 (*PG* 47-48, 633); S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* P. I, c. 5: *PL* 77, 19 a.

RELATIO [41]
DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS II

In suffragatione de Capite II Schematis « De ministerio et vita Presbyterorum », die 12 novembris 1965, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.129
Placet	1.548
Non placet	9
Placet iuxta modum	568
Vota nulla	4

Integrum ergo Caput II, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examini sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

MODI GENERALES

1 — 1 Pater postulat ut expresse dicatur Presbyteros cleri dioecesani Presbyterio uniri et inseri per unionem et oboedientiam proprio Episcopo dioecesano et non tantum per unionem cum Collegio Episcoporum.

R. — Hoc expresse dicitur in n. 8, pag. 22, linn. 8-12, necnon in n. 7, pag. 21, linn. 31-37.

2 — 1 Pater postulat ut prius verbum fiat de munere offerendi sacrificium eucharisticum.

R. — Ordo a schemate propositus ille est qui in Const. *De Ecclesia* admissus est pro descriptione munerum Episcoporum, qui habent plenitudinem Sacramenti Ordinis. Idem ordo certe servandus est pro Presbyteris.

[41]
AD SINGULOS NUMEROS

AD NUMERUM 4

3 — 7 Patres postulant ut in pag. 15, lin. 3, loco « sacerdotum » dicatur « presbyterorum ». Ratio est quia vox *sacerdos* in traditione reservatur Episcopo.

[42] R. — Vox « sacerdos » hic conservatur, quia principium quod ponitur valet de omnibus sive Episcopis sive Presbyteris. Ceterum, iam a tempore S. Cypriani (*Ep.* 61, 3; 72, 2), Presbyteri et ipsi sacerdotes dicuntur.

4 — 1 Pater in pag. 15, lin. 4 postulat ut deleatur allusio ad *1 Tim.* 4, 15-16, eiusque loco scribatur: *1 Tim.* 4, 11-13.

R. — Modus admittitur.

5 — Pag. 15, lin. 4. Deleatur cit. *Mal.* 2, 7, quia agitur ibi de sacerdotio Veteris Legis, ex quo nullo modo derivat sacerdotium Novi Testamenti (2 Patres).

R. — Hoc verum est; tamen sacerdotium Veteris Legis erat aliquomodo adumbratio novi sacerdotii. Citatio nostra invenitur etiam in Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii Fastigium* Pii XI; immo *Missale Romanum* vv. 6-7 eiusdem cap. Malachiae citat in Festo S. Irenaei Episcopi et Martyris, in Introitu. Modus ergo non recipitur.

6 — Pag. 15, linn. 7-8. Dicatur: « *cooperatores ac ab ipsis missi* ». Ratio est quia sic reservatur casus sacerdotum monachorum et eremitarum qui, cum missionem pastoralem non accipiant, hoc officium non habent (2 Patres).

R. — Munus praedicandi in ipsa ordinatione confertur, etsi exercitium pendeat a missione canonica. Quod hic affirmatur habetur etiam in Const. *De Ecclesia,* n. 28. Ceteroquin, in ipsa celebratione Missae, datur semper aliqua proclamatio Mysterii Christi. Modus ergo non recipitur.

7 — Pag. 15, lin. 7. Deleatur vox « *utpote* ». Ratio est quia Presbyteri debent praedicare ex ipsa sua natura, et non quia cooperatores Episcoporum (2 Patres).

R. — Modus non admittitur. Presbyteri enim, ex natura sua, sunt cooperatores Episcoporum, quibus, ut successoribus Apostolorum, munus praedicandi omnibus gentibus demandatum est. Cf. textum Praefationis in Ordinatione Presbyteri, in Pontifi-

cali Romano et ceteris Pontificalibus linguae latinae, citatum in nota 3. [42]

8 — Pag. 15, lin. 9. Loco *Evangelium ... evangelizandi,* scribatur: *Evangelium ... praedicandi,* ad vitandam repetitionem (2 Patres).

R. — Servatur textus, qui magis consonat cum ipsis verbis S. Pauli in *2 Cor.* 11, 7.

9 — Pag. 15, lin. 10. Deleatur citatio *2 Tim.* 4, 5, quia iam citatur in linea 5 (1 Pater). [43]

R. — Modus admittitur.

10 — Pag. 15, lin. 8. Deleatur verbum « *primum* », ratione claritatis (1 Pater).

R. — In contextu verba sufficienter clara sunt. Ceterum videantur textus Conc. Tridentini qui in nota 2 indicantur.

11 — Pag. 15, lin. 22 et ss. Loco *sive ... sive ...*, dicatur: *si ... si,* vel *quando ... quando ...* Ratio est quia navitates quae enumerantur non se excludunt, sed sunt aspectus eiusdem navitatis (1 Pater).

R. — Mutatio non videtur esse necessaria. Textus satis clarus est.

12 — Pag. 15, lin. 31. Loco: « *ad vitae christianae perfectionem* », dicatur: « *ad sanctitatem* », quia magis consonant cum modo dicendi Const. *De Ecclesia,* cap. V (6 Patres).

R. — Modus admittitur.

13 — Pag. 15, lin. 32 ad pag. 16, lin. 6. Deleantur hae lineae, quia idea repetitur in sequentibus lineis (5 Patres).

R. — Idea non est omnino eadem. In lineis citatis agitur de modo praedicandi qui non debet esse tantum abstractus et generalis, sed etiam concretus. In sequentibus, agitur de diversis categoriis auditorum quibus praedicandum est. Modus ergo non recipitur.

14 — Pag. 16, linn. 3-6. Dicatur: « Verbum Dei concretis applicando vitae circumstantiis exponere debet, *ut cum fiducia notum faciat mysterium Evangelii* » (cf. *Eph.* 6, 19). Ratio est quia in hac perpulchra paragrapho male sonant verba negativa; potius fiducia suscitari debet, quae per totam Scripturam summopere indicatur (2 Patres).

R. — Verba non sunt negativa: dicitur *non tantum sed,* quod nihil excludit. Formula proposita videretur negare expositionem generalem et abstractam *umquam* faciendam esse, quod non videtur posse admitti. Modus ergo non recipitur.

[43] 15 — Pag. 16, lin. 5. Dicatur: « *expositionem* veritatis perennis Evangelii », loco: « veritatem Evangelii perennem ». Ratio est ne videatur quod veritas Evangelii mutatur secundum concretas vitae circumstantias (1 Pater).

[44] R. — Textus nullo modo loquitur de mutatione veritatis, sed de applicatione immutabilis seu perennis veritatis ad circumstantias concretas. Modus ergo non recipitur.

16 — Pag. 16, linn. 11-12. Dicatur quod haec prima praedicatio Evangelii ad sacramenta ducit (76 Patres).

R. — Textus sic mutatur: « In regionibus vel coetibus non christianis, *nuntio Evangelico homines ad fidem et sacramenta salutis adducuntur* ». Modus ergo admittitur.

17 — Pag. 16, linn. 18-19. Loco: « ... eximium tenet locum ... », dicatur: « ... *ideo necessarium locum* ... ». Sic melior nexus habetur cum praecedentibus, et ita non potest intellegi quod eximium locum tenet liturgia verbi *prae* Liturgia eucharistica (2 Patres).

R. — Modus admittitur. Scribatur: « Quod *praecipue* valet *pro* Liturgia verbi in Missarum celebratione ... ».

18 — Pag. 16, linn. 21-22. Dicatur: « ... inseparabiliter uniuntur *in* oblatione ... », et non « cum oblatione ». Ratio est quia haec ultima expressio videtur innuere quod annuntiatio mortis Domini est aliquid extraneum ab oblatione Christi quacum unitur. Quod theologice verum non est, nam annuntiatio mortis Domini constituit ipsam oblationem et sacrificium (2 Patres).

R. — Textus nullo modo separat, cum dicatur: inseparabiliter. Tamen ad vitandas discussiones possibiles, textus sic mutatur: « ... in qua inseparabiliter uniuntur annuntiatio mortis et resurrectionis Domini, responsum populi audientis *et* oblat*io* ipsa qua Christus Novum Foedus ... ». Modus ergo admittitur.

AD NUMERUM 5

19 — Pag. 16, lin. 31. Addatur quod Presbyter, per ordinationem, fit particeps sacerdotii Christi (1 Pater).

R. — Modus admittitur. Sic scribatur: « Hinc Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur, ut, *participes Sacerdotii Christi speciali ratione effecti,* in ... ministri agant *Eius,* qui suum sacerdotale munus ... ».

20 — Pag. 16, lin. 31. Deleantur verba « ministrante Episcopo », [44]
quia haec dependentia ab Episcopo nimis frequenter in schemate inculcatur (1 Pater).

R. — In hoc loco, cum agatur de ipsa ordinatione sacerdotali, men- [45]
tio Episcopi ordinantis omnino est necessaria. Modus ergo non recipitur.

21 — Pag. 16, lin. 32. Addantur verba: « ... ut, *in sacrificio Missae offerendo* et in sacramentis ministrandis ... » (3 Patres).

R. — Vox *Sacramentum* includit etiam, ut evidens est, Sacrificium Missae. Attamen, ut ratio habeatur alicuius usus qui nimis distinxit inter Sacrificium et Sacramentum, scribatur: « ... ut in *Sacris* celebrandis », quod certe omnia comprehendit.

22 — Pag. 16, lin. 34. Dicatur: « ... qui suum sacerdotale munus *per Spiritum suum* iugiter pro nobis in Liturgia exercet ». Ut ratio citantur verba Pii XII, in Encyclica *Mystici Corporis Christi* (*A.A.S.*, 35, 1943, pag. 230) (1 Pater).

R. — Modus accipitur.

23 — Pag. 16, lin. 34. Aliquid explicite dicatur de Sacramentis Baptismi, Poenitentiae et Extremae Unctionis (7 Patres). Praeterea unus Pater vellet quod saltem semel dicatur Presbyterum Sacrificium Christi incruente repraesentare seu offerre.

R. — In n. 2 (pag. 12, lin. 22) iam dicitur quod Presbyter « incruente et sacramentaliter » celebrat Sacrificium Christi. Tamen, facimus hanc additionem in lin. 34: « ... in Liturgia exercet. *Baptismate quidem homines in Populum Dei introducunt; sacramento Poenitentiae peccatores cum Deo et Ecclesia reconciliant; oleo infirmorum aegrotantes alleviant; celebratione praesertim Missae Sacrificium Christi sacramentaliter offerunt.* In *omnibus autem* Sacramentis ... ».

24 — Pag. 16, lin. 38. Loco « ab Episcopo *pendent* » (quod est nimis « imperiosum ») dicatur: « ... Episcopo (aptissime ac) hierarchice colliguntur » (1 Pater).

R. — Modus admittitur. Dicatur: « ... *cum* Episcopo *hierarchice colliguntur* ».

25 — Pag. 16, linn. 38-40. Haec verba deleantur, quia Presbyter praesentem reddit non Episcopum sed Christum (1 Pater).

Scribatur: « ... praesentem *etiam* reddunt », ut ratio habeatur etiam praesentiae sacramentalis Christi (2 Patres).

[45] R. — De praesentia Christi in Eucharistia alibi clare et sufficienter dicitur. In hoc contextu agitur tantum de praesentia Episcopi,
[46] quae iisdem verbis affirmatur in Const. *De Ecclesia,* ut dicitur in nota 10. Praeterea, non esset verum affirmare quod in *omnibus* sacramentis conficiendis Presbyteri Christum sacramentaliter praesentem reddunt. Modus ergo non admittitur.

26 — Pag. 17, linn. 4-5. Constructio phraseos meliorari posset (1 Pater).

R. — Modus admittitur. Scribatur: « Cetera autem sacramenta, *sicut et* omnia ecclesiastica ministeria et opera apostolatus, cum Sacra Eucharistia cohaerent ... ».

27 — Pag. 17, lin. 10. Loco « panisque vivus per Carnem suam ... », dicatur: « ... *per veritatis et pacis dona* Spiritu Sancto vivificat*a* et vivificant*ia* ... ». Cur mentio fit solum de pane? Obliviscitur *res* sacramenti Eucharistiae (scilicet, si bene intelligimus, unitas Corporis Mystici) (43 Patres).

R. — Formula proposita minime videtur textum meliorare. Formula « Panis vivus » desumitur a verbis ipsius Christi in *Io.* 6, 41. Neque necesse est in hoc loco integrum tractatum de Eucharistia proponere. Modus ergo non admittitur.

28 — Pag. 17, linn. 13-14. Dicatur: « ... et adducuntur ad *Ipsum,* suos labores cunctasque res creatas cum Ipso offerendos » (1 Pater).

R. — Si idea proposita est quod fideles invitantur ad Christum ipsum offerendum, haec idea iam exprimitur verbis: « *cum Ipso* offerendos ». Ut tamen hoc clarius appareat, textus ita mutatur: « ... cunctasque res creatas *una* cum Ipso offerendos ».

29 — Pag. 17, lin. 14. Loco « offerendos », dicatur « offerendas », propter latinitatem (1 Pater).

R. — Optima latinitas exigit « offerendos » post enumerationem in qua dantur verba tum masculini tum feminini generis.

30 — Pag. 17, lin. 19. Dicatur *plene* loco *plenius*. *Plenius* enim insinuat quod iam plene in Baptismate et Confirmatione Corpori Christi inseruntur fideles; dum sacramentum plenitudinis, seu quo fideles plene Christo incorporantur est ipsa Eucharistia (cf. S. THOMAS, *Sum. Th.,* 3, q. 73, a. 3, c.) (2 Patres).

R. — Modus admittitur.

[47] 31 — Pag. 17, linn. 21-22. Verba deleantur, quia gravant inutiliter sententiam (1 Pater).

R. — Modus admittitur, quia haec non sunt necessaria.

32 — Pag. 17, linn. 23-24. Prima propositio deleatur, quia idea iam invenitur in paragrapho praecedenti (1 Pater). Alius Pater vellet addere: « ... Synaxis, *quam Presbyter conficit,* centrum *et fons vitae* congregationis ... ». [47]

R. — Additiones quae proponuntur non sunt necessariae. Ipsa tamen propositio, uti iacet, conservanda est, nam incipit nova idea, nempe de momento Eucharistiae in vita ipsius Congregationis fidelium.

33 — Pag. 17, lin. 24. Dicatur: « Edocent igitur Presbyteri fideles *divinam victimam in* Sacrificio *Missae* Deo *Patri* offerre *atque cum ea oblationem vitae suae facere* ». Cf. Encycl. *Mediator Dei,* et Const. *De Ecclesia,* II, n. 10 (2 Patres).

R. — Modus admittitur.

34 — Pag. 17, lin. 23 et ss. Ponantur omnia verba in modo coniunctivo vel adhortativo: Edoceant ... Instituant, etc. (1 Pater).

R. — Hic fit descriptio muneris Presbyteri, et ideo indicativus modus servatur. Ceterum, plures Patres petierunt ut formulae adhortativae pro posse vitentur.

35 — Pag. 17, lin. 27. Addatur: « *Ex alia parte,* instituunt eos ... », ut melius distinguatur inter Eucharistiam et alia Sacramenta (1 Pater).

R. — Res per se patet, neque necesse est quidquam addere.

36 — Pag. 17, linn. 27-30. Dicatur: « *In Spiritu Christi Pastoris, sacramentum poenitentiae administrando,* instituunt eos peccata sua corde sincero clavibus Ecclesiae submittere, ita ut ... convertantur, *verbum Domini exsequentes*: « Poenitentiam agite ... » ut melius extollatur momentum Sacramenti Poenitentiae (24 Patres).

R. — Modus pro parte accipitur, ut dicitur in Resp. ad Modum sequentem.

37 — Pag. 17, linn. 27-30. Dicatur: « ... corde *contrito* Ecclesiae *in Sacramento Poenitentiae* submittere »; sic textus melius consonat cum mente Constitutionis *De Sacra Liturgia* (74 Patres).

R. — Textus sic sonet: « *In spiritu Christi Pastoris,* instituunt eos peccata sua corde *contrito* Ecclesiae *in Sacramento Poenitentiae* submittere, ita ut ... ». [48]

38 — Pag. 17, lin. 32. Addatur: « *Sedulo autem impendant in Sacramenti Poenitentiae divino fungendo munere, omnino sem-*

[48] *perque parati quotiescumque a fidelibus exquirantur, non obstantibus ceteris sui ministerii officiis* » (39 Patres).

R. — Haec adhortatio in loco non est apta, quia hic describuntur munera Presbyteri. De ipsa tamen ratio habebitur in n. 13 (cf. Modum 35 Articuli I, Capitis III).

39 — Pag. 17, lin. 32. Addatur: « *Sedulo autem impendant in Sacramenti Poenitentiae divino fungendo munere, quo nihil efficacius ad fidelium perfectionem promovendam, et nihil gratius Christo Domino, cum eius munera expressius significant magistri, medici, patris et iudicis animarum* » (1 Pater).

R. — Eadem responsio ac in Modo praecedenti. Tamen ultima verba non placent: munera enim Christi quae enumerantur aptius exprimuntur Sacrificio Missae. Similiter perfectio fidelium magis promovetur per Eucharistiam quam per Sacramentum Poenitentiae.

40 — Pag. 17, linn. 30-32. Citatio *Mt.* 4, 17 non est apta (1 Pater).

R. — Evidens est non agi in hoc textu de Sacramento Poenitentiae, sed de virtute eiusdem nominis. Tamen recte citatur hic textus, quia Sacramentum supponit virtutem poenitentiae.

41 — Pag. 17, lin. 37. Addatur: « ... manuducunt *ad officiorum observantiam,* et profectiores ad consilia...» (1 Pater).

R. — Modus admittitur cum parva mutatione: « ... manuducunt, *omnesque ad officia proprii status observanda,* et profectiores ad consilia ...».

42 — Pag. 17, lin. 39 ad pag. 18, lin. 2. Deleantur haec verba quia, licet sint Sancti Pauli, ad rem de qua hic agitur nihil afferre videntur, sed magis lectioni spirituali conveniunt (1 Pater).

R. — Periodus maneat: Sacramenta enim et speciatim Eucharistia ad gratiarum actionem continuam ducere debent.

43 — Pag. 18, linn. 6-8. Loco « recitant », dicatur « deprecantur » vel « orant ». Officium enim Divinum non debet esse mera recitatio sed vera oratio (12 Patres).

[49] R. — Scribatur: « ... in Divino persolvendo Officio, quo quidem, nomine Ecclesiae, pro toto populo sibi *commisso,* immo pro universo mundo, Deum *deprecantur* ».

44 — Pag. 18, lin. 11. Dicatur: « ... et in qua praesentia *Filii* Dei, *Salvatoris nostri in ara sacrificali pro nobis oblati, in auxilium atque solatium fidelium colitur,* nitida ... ». Particularis enim

praesentia divina quae in nostris ecclesiis habetur est praesentia Christi Dei-Hominis; neque manifestatur (ut dicitur in textu), quia sola fide cognoscitur. Praeterea relatio illius praesentiae cum sacrificio Missae indicari debet (26 Patres). [49]

R. — Modus accipitur. Sed lin. 14 deleri potest.

45 — Pag. 18, lin. 15. Dicatur: « ... ut grato animo ac *pio cultu* respondeant ... ». Nisi enim hoc scribatur, videtur textum reducere debitum ad solum animum gratum et non ad actus honorificos et latreuticos, et ita non responderet animadversionibus Patrum de quibus dicit nota (K) (2 Patres).

R. — Haec additio videtur esse superflua. Non omnia possunt dici hic de cultu Eucharistiae. Praeterea adhibetur verbum « colitur » in sententia addita iuxta Modum n. 44.

46 — Pag. 18, lin. 17. Dicatur: « ... continuo *actione personali* membra Corporis vit*a* divin*a* *ditat* ». Hic modus loquendi magis convenit cum modo personali cogitandi hominum in mundo huius temporis. Cf. etiam S. Thomam (Sum. Th. 3, q. 8, a. 5, ad 1^m): « Gratia non derivatur a Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi » (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Additio non est necessaria.

47 — Pag. 18, linn. 18-19. Deleatur verbum « maxime », quia maior valor tribui videtur studio artis liturgicae quam studio scientiae liturgicae (1 Pater).

R. — Modus accipitur.

48 — Pag. 18, linn. 20-21. Deleantur verba: « a christianis communitatibus sibi commissis ». Nam superflua et ambigua sunt. Opinioni enim ansam praebent ministerium suum Presbyteris non a competenti auctoritate conferri, sed ab ipsa communitate, scilicet a populo fidelium (1 Pater).

R. — Haec verba non sunt superflua: si delentur, posset intellegi quod laus Dei a solo Presbytero et non a communitate facienda est. Neque sunt ambigua: agitur enim de communitatibus *sibi commissis*, quod omnem ambiguitatem tollit. [50]

AD NUMERUM 6

49 — Pag. 18, lin. 26:

a) Loco « ducentibus Episcopis », dicatur: « *cooperatores Episcoporum* », vel « *mittentibus Episcopis* ». Vox enim *du-*

[50] *centibus* est insufficiens, *cooperatores* autem est vox liturgica in Ordinatione Presbyterorum (70 Patres).

b) Agatur de *Episcopo* in singulari, et sic dicatur: « *Episcopi nomine* », vel « *in Episcopi persona* », vel « *simul cum Episcopo ducente* » (1 Pater).

R. — Pluries iam invenitur in schemate expressio « cooperatores Episcoporum » et necesse est aliquando variare. Revera vox *ducentibus* fortior est quam *mittentibus* uti proponitur, quia indicat continuam actionem Episcopi regentis communitatem, etiam postquam miserit Presbyterum. Ad vitandas tamen difficultates, dicatur: « Munus Christi Capitis et Pastoris pro sua parte auctoritatis exercentes, Presbyteri, *nomine* Episco*pi,* familiam Dei ... ».

50 — Pag. 18, lin. 31. Dicatur: « ... confertur potestas *spiritualis* », ad vitandam opinionem naturalisticam quae cogitat tantum de potestate naturali (1 Pater).

R. — Accipitur Modus.

51 — Pag. 19, lin. 1. Expressio « qua in fide educatorum » est ambigua, cum ultima vox intellegi possit ut genitivum adiectivi *educatus* (4 Patres).

R. — Dicatur: « Quapropter *ad* sacerdo*tes,* qua in fide educato*res, pertinet* curare ... ».

52 — Pag. 19, lin. 7. Addatur quod vocatio christiana est simul vocatio ad apostolatum (1 Pater).

R. — Hoc indicatur, etsi aliis verbis, in linn. 15-18.

53 — Pag. 19, linn. 23 et 27. Dicatur *habeant,* loco *habent* et *prosequantur,* loco *prosequentur* (2 Patres).

[51] R. — Modus non est admittendus, ne multiplicentur voces adhortatoriae. Praeterea hic agitur de *descriptione* muneris.

54 — Pag. 19, linn. 26-32:

a) Hae lineae deleantur, quia enumerantur pauperes, tenuiores, coniuges, parentes, iuniores, aegrotantes, morientes, et de omnibus dicitur quod Presbyter peculiarem diligentiam vel sollicitudinem habere debet. Qui super omnibus insistit, super nihilo insistit (1 Pater).

b) Aliquid dicatur de speciali cura de mulieribus religiosis (1 Pater).

R. — Quoad *a*): haec verba non possunt deleri, quia esset mutatio substantialis in textu iam approbato. Quoad *b*) vide infra, Modum n. 59.

55 — Pag. 19, linn. 27-28. Deleantur verba: « in quibus futurum tempus iam adesse videtur », quia est locus communis seu « slogan » (1 Pater). [51]

R. — Accipitur Modus. Praeterea Commissio censet in lin. 30 dicendum esse « conveniant », loco « coeant ».

56 — Pag. 19, lin. 33. Addatur: « ... eos *assidue* visitantes » (1 Pater).

R. — Additio non est necessaria.

57 — Pag. 19, lin. 34. Dicatur hic aliquid de Eucharistia et de Oleo Infirmorum (2 Patres).

R. — Hic agitur de munere regendi Populum Dei; de Sacramentis quaestio est in numero praecedenti.

58 — Pag. 19, lin. 34. Addatur: « ... in Domino confortantes *et in apostolatum includentes* (vel *ad apostolatum praeparantes*) ». Etenim non tantum sani sed etiam aegrotantes debent esse apostoli (1 Pater).

R. — Iam provisum est in Decreto *De apostolatu laicorum*.

59 — Pag. 19, lin. 34:

a) Addatur: « ... in Domino confortantes. *Digni sunt omni laude qui curam adhibent specialem in moderandis spiritualiter confratribus, religiosis atque fidelibus ad perfectionem assequendam quod attinet* » (38 Patres).

b) Alia formula in eodem sensu proponitur: « ... in Domino confortantes. *Meminerint Presbyteri religiosos omnes viros ac mulieres, quippe qui pars praecellens sint in domo Domini,* [52] *speciali cura dignos esse ad eorum spiritualem profectum in bonum totius Ecclesiae* » (1 Pater).

R. — Aliqua additio videtur esse necessaria quoad curam religiosorum. De cura laicorum ad perfectionem consequendam habetur iam propositio in pag. 25, linn. 2-5, ideo retinetur formula proposita sub *b*), quae tamen videtur ponenda in lin. 32, post verba « pleniusque agant ».

60 — Pag. 19, linn. 35-36. Dicatur: « non *tantum* ad fidelium ... sed *etiam* ad genuinam ... », ne videatur negligi cura singularum personarum (1 Pater).

R. — Hoc satis indicatur verbis « non *coarctatur* ... sed extenditur ».

61 — Pag. 19, lin. 38. Deleatur verbum *proprie,* ne cura singulorum appareat ut impropria (1 Pater).

[52] R. — Textus sic emendetur: « ... sed *etiam* ad genuinam communitatem christianam efformandam proprie extenditur ».

62 — Pag. 19, lin. 41. Addatur: « ... amplecti debet *in spiritu fraternitatis communis in Domino* (*Mt.* 23, 8) ». Nam omnes sumus filii Dei omnesque fratres sumus in Domino (1 Pater).

R. — Haec vera quidem sunt, locus tamen non videtur aptus, neque expressio proposita est valde felix. Modus ergo non recipitur.

63 — Pag. 20, lin. 11. Deleatur verbum *enim* (1 Pater).

R. — Deleatur.

64 — Pag. 20, lin. 13. Deleantur verba *ad invicem,* quia iam dicitur *mutuum* (2 Patres).

R. — Deleantur.

65 — Pag. 20, linn. 22-23. Deleantur verba: « *spiritualiter debiliores* ». Omnes enim a communitate adiuvari debent (1 Pater).

R. — Deleri possunt.

66 — Pag. 20, linn. 25-30. Restituatur textus prior, quia clarior et quia ostendit unionem cum Episcopo, quod est maximi momenti (2 Patres).

R. — Servetur textus, ad mentem animadversionum, et ad mentem multorum Patrum.

[53] AD NUMERUM 7

67 — Clarius appareat munus Episcopi ut capitis et Presbyterorum ut corporis Presbyterii, mutuas, arctissimas, vitales et necessarias relationes habentes. Haec omnia iustificentur argumentis Traditionis. Vitetur species pragmatismi, nempe doctrina de Presbyterio ne exponatur tantummodo quasi modus agendi nostris diebus accommodatus, sed tamquam conclusio necessaria ex principiis fundamentalibus constitutionis Ecclesiae particularis (1 Pater).

R. — Re vera Commissio hoc idem criterium sequi conata est. Prae oculis quidem habita est Traditio (cf. notas 21-29), et pariter vitata est enumeratio iurium et officiorum in redactione huius textus, quae enumeratio potius pertinet ad stylum canonum Codicis. Ceteroquin textus a Concilio approbatus est.

68 — *a*) Adiungatur brevis sectio specialis, cui titulus « De habitudine inter Summum Pontificem et Presbyterium »; insistatur

in devotione, fidelitate et oboedientia versus Summum Pontificem et Sanctam Sedem (1 Pater). [53]

b) Loco opportuno haec addantur: « *Fervido amore, sincera oboedientia ac reverentia prosequuntur Summum Pontificem, eosdemque sensus in Christi Vicarium fidelibus suis saepe commendent, quia Ipse est centrum unitatis, columna et firmamentum veritatis* ». Ratio est quia nullibi in schemate commendantur explicite amor, oboedientia et cetera quae sunt inter prima officia sacerdotis (3 Patres).

R. — Non possumus novum numerum addere. Quae dicuntur in schemate circa relationes Presbyterorum cum Ordine Episcoporum et cum proprio Episcopo maximo quidem gradu referuntur ad Summum Pontificem, qui est Christi Vicarius et Caput Collegii episcopalis. Attamen, praeter ea quae iam habentur in n. 15, pag. 38, lin. 24, referentia explicita fit in n. 19, ubi, multis Patribus id postulantibus, restituitur pars textus prioris circa Magisterium Ecclesiasticum ac praecipue circa Romanorum Pontificum documenta.

69 — Ad vitandum stylum hortatorium, adhibeatur modus indicativus in pag. 21, linn. 2, 17, 19 et 32 (3 Patres).

R. — In pag. 21, lin. 2 dicatur « habent », loco « habeant ». Sed ut hoc fieri possit, emendentur verba in pag. 20, lin. 40. Paragraphus ergo ita sonet: « Episcopi igitur, *propter* donum Spiritus Sancti quod Presbyteris in sacra Ordinatione *datum est,* [54] illos hab*ent* ut ... ». In aliis vero locis modus indicativus adhiberi nequit.

70 — *a*) Pag. 20, linn. 31-34. Titulus huius numeri sit « Habitudo inter Episcop*um* et Presbyterium », et textus sic mutetur: « Presbyteri omnes, una cum Episc*opo,* unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita *in dioecesi* participant ... ». Etenim non de Episcopis, sed de Episcopo oportet loqui, quia Presbyterium formatur ab uno Episcopo cum suis sacerdotibus (1 Pater).

b) Eodem loco dicatur: « una cum *suo* Episcopo » vel « una cum *suis* Episcopis » (1 Pater).

R. — Non accipitur. Textus videtur sat clarus. In lin. 32-35 affirmatur tantum participatio sacerdotii et ministerii Christi, quae quidem communis est cum Episcopis tum Presbyteris omnium dioecesium. De constitutione Presbyterii iam dicitur in n. 8, pag. 22, linn. 7-12.

[54] 71 — Pag. 20, lin. 34. Dicatur: « ... sacerdotium et ministerium Christi *per Spiritum Suum* ita participant ... » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Iam provisum est in lin. 40 et ss.

72 — *a*) Pag. 20, linn. 36-39. Dicatur: « ... communionem cum Ordine Episcoporum, quam optime aliquando in *eucharistica* concelebratione *manifestant* ». Sic enim textus clarior redditur (1 Pater).

b) Expungatur verbum « aliquando », quia potest intellegi ac si concelebratio crebra non sit accepta (1 Pater).

c) Expungantur verba: « aliquando etiam in liturgica concelebratione », quia impossibile est ut omnes Presbyteri alicuius dioecesis cum Episcopo eodem die concelebrent (3 Patres).

R. — Admittitur quoad substantiam, ita ut dicatur: « ... communionem cum Ordine Episcoporum *quam optime* aliquando in liturgica concelebratione *manifestant,* et cum quibus coniuncti profitentur se ... ».

73 — Pag. 20, lin. 39. Addantur haec verba: « ... Synaxim celebrare. *Sacerdotes munera ac ministeria sua nonnisi in communione cum Collegio Episcoporum eiusque Capite exercere possunt, eo quod illis collata sunt in adiutorium et organum Ordinis episcopalis. Sed in communione cum Collegio missio Presbyterorum, suo gradu subordinato, universalis est quoad munera, quoad gen-* [55] *tes, quoad necessitates et ad universam Ecclesiam extenditur, sicut universalis est et ad universam Ecclesiam protenditur missio Collegii Episcoporum* ». Ita enim patet strictissima unio Presbyterorum cum Collegio Episcoporum, extollitur illorum dignitas ac via aperitur magnis inceptis in servitium totius Ecclesiae (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. De communione hierarchica iam sermo est in linn. 35-37 immediate praecedentibus. De Presbyteris vero ut adiutoribus seu cooperatoribus Ordinis episcopalis pluries ac diserte agitur in schemate. Demum de universalitate missionis quam Presbyteri in Ordinatione recipiunt sermo est in n. 10, pag. 26, linn. 5-20.

74 — Pag. 20, lin. 39 et ss. Textus prior restituatur, nam Episcopus est minister, haud vero fons donorum quae accipit Presbyter in ordinatione vi Sacramenti Ordinis (1 Pater).

R. — Iam provisum in responsione ad Modum 69.

75 — Pag. 21, lin. 2. Dicatur:

a) « illos habeant ut *connaturales et necessarios* adiutores

et consiliarios ». Ut clare appareat ministerium Presbyterorum esse necessarium, et non tantum ad supplementum. Praeterea hoc modo manifestatur hanc necessitatem non esse mere extrinsecam, quasi alii possint Presbyterorum locum tenere (55 Patres). [55]

b) « veros *et necessarios* adiutores » (1 Pater). Vel: « illos habeant ut *necessarios* adiutores et *veros* consiliarios » (4 Patres).

c) « illos hab*ent* (...) adiutores et consiliarios ». Adhibetur modus indicativus, quia exprimitur id quod sunt ex definitione Presbyterii (8 Patres).

R. — Admittuntur partim hi Modi, ita ut dicatur: « illos habent ut *necessarios* adiutores et consiliarios ». Deletur autem verbum « veros », quia hic conceptus iam includitur in voce « necessarios ».

76 — Pag. 21, lin. 4. Dicatur: « docendi, sanctificandi et *regendi* », quia hoc magis concordat cum Const. *Lumen gentium* et cum Decreto *Christus Dominus* (1 Pater).

R. — Non admittitur. Idea est eadem, et alia ex parte Presbyteri plu-ries in schemate appellantur *rectores* Populi Dei, praesertim in n. 6. Etiam in Const. dogm. *Lumen gentium* et in Decreto « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » aliquando [56]
dicitur « Pastores » loco « Rectores ».

77 — Pag. 21, linn. 10-14. Deleantur haec verba, quia: *a*) agitur de expressione valde analogica, quae magis obscurat quam in lucem ponit agi non de spiritu hominis (Moysis vel Episcopi), sed de spiritu Dei mediante Ecclesia (Episcopo) tradendo. Ceterum tum in libro Num. tum in Pont. Rom. clare Deus ut subiectum propagationis spiritus Moysis apparet, quod in textu schematis non statim videtur; *b*) in Vetere Testamento non agitur de eligendis levitis (sacerdotibus), sed de adiutoribus Moysis in rebus populi Israelitici civilibus administrandis (22 Patres).

R. — Maneat textus. Etenim haec verba, in eodem sensu analogico quem habent in schemate, iam inveniuntur in Pontificali Romano et in multis documentis Traditionis (cf. notam 22).

78 — *a*) Pag. 21, lin. 16. Addantur verba: « Episcopi, *qui sunt perfectores suorum Presbyterorum* », et fiat referentia ad Decretum *Christus Dominus*, n. 15 (3 Patres).

b) Pag. 21, lin. 17. Dicatur: « ... eorumque bonum tam ma-

[56] teriale quam *praesertim spirituale* ipsis pro viribus cordi sit. *Potissimum enim in illos sacerdotum suorum sanctitudinis grave recidit onus* (1): *maximam ergo curam exerceant in continua formatione Presbyteri sui* (2), *ad exemplum Domini Iesu, qui cum esset cum discipulis suis, eos custodiebat in nomine Patris, cuius sermonem dabat, pro ipsis orabat, et eos in veritate sanctificabat, immo et Seipsum sanctificabat ut et ipsi sanctificati essent in veritate* (cf. *Io.* 17, 9-19) ».

Notae: (1) Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.* 51 (1959), p. 576; S. PIUS X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: S. Pii X Acta, vol. IV (1908), p. 237 ss.

(2) Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, nn. 15 et 16.

Non expedit ut officium potissimum tantummodo innuatur per solum verbum « spirituale », quin ulla exprimatur obligatio (« cordi sit ») (36 Patres).

R. — Admittitur, forma abbreviata et cum notis propositis, Modus sub litt. *b*), ita ut amplius agatur de sollicitudine circa bonum spirituale Presbyterorum. Dicatur ergo: « ... tam materiale quam *praesertim* spirituale ipsis pro viribus cordi sit. *Potissi-*
[57] *mum enim in illos sacerdotum suorum sanctitudinis grave recidit onus* (1): *maximam ergo curam exerceant in continua formatione Presbyteri sui* (2) ».

Non adhibetur verbum « perfector », uti proponitur sub *a*), quia, etsi inveniatur apud Dionysium Pseudoareopagitam et S. Thomam Aq. (ex. gr. *De perfectione vitae spir.,* cc. 17-18), vix a coaetaneis nostris intellegeretur, et difficile in modernas linguas verteretur.

79 — Pag. 21, lin. 16.

a) Addantur verba: « Episcopi ut *fratres et* amicos », quia communio in sacerdotio Christi, quae habetur inter Episcopos et Presbyteros, est fundamentum fraternitatis christianae manifestandae, et saltem in uno loco de hac fraternitate in schemate sermo esse debet (27 Patres).

b) Addantur verba: « Episcopi ut *filios et* amicos suos », quia sic melius exprimitur relatio ontologica inter sacerdotium Episcopi et sacerdotium Presbyterorum, uti fit in Const. *Lumen gentium,* n. 28 (3 Patres).

R. — Admittitur Modus sub *a*), propter rationem allatam.

80 — Pag. 21, linn. 19-20. [57]
a) Dicatur: « ... immo velint quandoque consulere et cum eis colloquantur ... » (1 Pater).
b) Dicatur: « ... immo consulent, *si possibile sit* ». Etenim saepe valde difficile est in dioecesibus maioribus consulere cum omnibus Presbyteris (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. In textu minime dicitur Episcopum consulere debere omnes Presbyteros neque de omnibus rebus.

81 — Pag. 21, linn. 20-22. Dicatur: « Eos libenter audiant, immo consultent, *ut homines maturos et responsabiles considerent* et cum eis colloquantur de iis quae ad necessitates operis pastoralis et ad bonum dioeceseos spectant, *vitantes omnem speciem paternalismi vel despotismi* » (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Id quod postulatur iam dicitur implicite in textu.

82 — Pag. 21, lin. 22. Addantur verba: « ... bonum dioeceseos spectat. *Invigilent Episcopi ut omnes Presbyteri, praesertim qui de facto propter munus temporale, infirmitatem vel senectutem officio sacerdotali non funguntur, se membra Presbyterii vere sentiant et sacerdotium re quam saepissime exerceant secundum possibilitatem* ». Ratio est quia recenseri quoque de- [58]
bent hi Presbyteri (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Omnes Presbyteri aliquo modo suum ministerium exercent, saltem in celebratione cotidiana Sacrificii Eucharistici, quae eis enixe commendatur (cf. pag. 35, linn. 33-35), vel in Divino Officio persolvendo, vel in aliis precibus vel operibus poenitentiae pro hominibus offerendis, etc. Quapropter omnes conspirant ad unum sacerdotale ministerium. Ideo quae dicuntur in n. 8 (pag. 22, lin. 15 ss.) et in n. 2 (pag. 12, linn. 32-41), valent pro omnibus, etiam pro infirmis, vel pro iis qui senectute laborant, etc.

83 — Pag. 21, linn. 24-25. Dicatur: « habeatur, *modo hodiernis adiunctis et necessitatibus accommodato,* forma ac normis ... », quia Concilium minime affirmare vult normas in Codice contentas minus aptas fuisse eo tempore quo Codex redigebatur (1 Pater).

R. — Admittitur.

84 — Pag. 21, linn. 25-26.
a) Dicatur: « Presbyterium *quodammodo* repraesentantium » (40 Patres).

[58] *b*) Expungantur verba: « Presbyterium repraesentantium », quia haec verba nimis vaga sunt (7 Patres), et in modernis linguis verbum « repraesentantes » designat coetum democraticum efformatum a membris electis a communitate, et praeterea periculum adest ne Presbyteri ius sibi vindicent eligendi suos repraesentantes (4 Patres).

c) Expungantur verba « seu senatus », quia vitandus est conceptus modernus sic dicti « Parlamenti » (9 Patres).

d) Addantur verba: « Presbyterium repraesentantium, *una cum peritis laicis* », nam hodiernis temporibus adiutorium et cooperatio laicorum in dioecesi dirigenda omnino praetermitti nequit (1 Pater).

e) In linea 27 dicatur: « qui Episcopum in regimine dioecesis *consilio* adiuvare possit », quia vitandum est periculum concipiendi Ecclesiam ut societatem democraticam (3 Patres). Vel dicatur: « qui Episcopum in regimine dioeceseos competenter *consulere et* adiuvare possit » (1 Pater).

R. — Modi partim admittuntur. Nempe dicatur: « Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos *suis consiliis* efficaciter adiuvare possit ».

[59] 85 — Pag. 21, lin. 27. Addatur: « ... adiuvare possit, *quin tamen ullo modo concipiatur notio "ordinis sacerdotalis" aut "presbyteratus", qui ab Episcopo distingui vel ipsi opponi possit* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus enim clarus videtur, neque indiget hac additione. Praeterea in schemate diserte dicitur Presbyteros esse cooperatores Ordinis episcopalis (cf. praesertim n. 2), sed dicitur etiam hanc cooperationem non esse mere passivam (cf. n. 15).

86 — Pag. 21, lin. 27. Addatur: « ... adiuvare possit. *Communio hierarchica uniuscuiusque Presbyteri habetur, servatur ac roboratur per communionem cum proprio Episcopo, qui membrum est Collegii Episcoporum. "Presbyteri ... unum presbyterium cum suo episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum"* (Const. *Lumen gentium*, n. 28). *Presbyterium hoc dioecesanum est, non universale, quia vi ordinationis membrorum suorum et communionis cum Episcopo proprio, perfecte communicat cum Collegio Episcoporum* ». Ratio propter quam haec additio proponitur est quia sic habentur natura et limites Presbyterii, ratio oboedientiae et reverentiae erga Episcopum et ratio vividioris caritatis erga membra Presbyterii (1 Pater).

R. — Additio non admittitur. Textus schematis sat clarus videtur. Cf. etiam Resp. ad Modum n. 70. Est idem quod continetur in verbis « communio hierarchica ». [59]

87 — Pag. 21, linn. 29-31. Dicatur: « ... qua Episcopi gaudent, *quaeque causa fuit cur potuerint in sacerdotio Christi participes effici,* in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi Pastoris *eosque ut patres suos in Christo ament.* Suo igitur Episcopo ... ». Ratio est quia Presbyteri non solum debent videre in Episcopo suo auctoritatem Christi, sed etiam reputare sacerdotium suum quasi extensionem atque incrementum sacerdotii Episcopi sui atque ideo Episcopum suum quasi patrem in Christo diligere (3 Patres).

R. — Non recipitur. Hae additiones non videntur necessariae, quia in textu satis extolluntur rationes unitatis Presbyterorum cum proprio Episcopo.

88 — Pag. 21, lin. 30. Addantur verba: « ... qua Episcopi gaudent. *Meminerint Episcopos esse "oeconomos gratiae Supremi Sacerdotii"* (cf. Const. *Lumen gentium,* n. 26) *et christifidelium perfectores* (cf. Decr. *"Christus Dominus"*, n. 16) *praesertim religiosorum et presbyterorum* (*vel clericorum*). In *Episcopis* [60]
etiam revereantur ... ». Ratio est quia munus sanctificandi maximum locum habet quando de habitudine inter Episcopos et Presbyterium agitur (1 Pater).

R. — Iam provisum est in Resp. ad Modum 78.

89 — Pag. 21, lin. 31. Addatur: « ... Suo igitur Episcopo *perfectori* sincera caritate ... », hic enim oportet exprimere clarius rationem adhaesionis caritatis et oboedientiae sacerdotum erga Episcopum (2 Patres).

R. — Iam provisum est in Resp. ad Modum 78.

90 — Pag. 21, lin. 31. Addantur verba: « ... Suo igitur Episcopo *praesertim in iis quae ad suam sanctificationem pertinent* sincera caritate ... », quia Episcopus perfector est, et proinde ius et munus habet invigilandi ut sacerdotes partem habeant in exercitiis spiritualibus, recollectionibus, etc. (1 Pater).

R. — Sufficit id quod dicitur in textu, ubi commendatur totalis caritas et oboedientia, quae omnia complectuntur. Ceteroquin haec idea clare exprimitur in novo textu addito iuxta Modum n. 78.

91 — Pag. 21, lin. 32. Retineatur textus praecedens: « ... adhaereant, *nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur*

[60] *generoso animo adimpleant* ». Ratio est quia: *a*) tantummodo ita significatur plena communicatio quae intercedere debet inter Episcopum et Presbyterium (2 Patres); *b*) nulla datur causa expungendi hanc commendationem, quae ad perfectionem oboedientiae pertinet, quaeque, in hodiernis adiunctis, est valde opportuna (5 Patres).

R. — Non recipitur. Etenim haec sententia invenitur in n. 15 (cf. pag. 38, lin. 26).

92 — Pag. 21, lin. 34. Dicatur: « ... sacerdotalis oboedientia cooperationis spiritu perfusa, *natura sua* fundatur ... », quia magis consonat cum iis quae dicuntur in Const. *Lumen gentium* (8 Patres).

R. — Sufficit ut textus ita sonet: « Quae sacerdotalis oboedientia, cooperationis spiritu perfusa, (...) fundatur in ... ».

93 — Pag. 21, lin. 34. Dicatur: « ... fundatur in ipsa *hierarchica* participatione ministerii episcopalis ... ». Sublineandum enim est quod participatio de qua hic agitur non est participatio qualiscumque, sed in sua origine est essentialiter hierarchica, i. e. subordinata. Hinc radicalis ratio oboedientiae sacerdotalis:
[61] Presbytero confertur sacerdotium ut sit cooperator subordinatus sui Episcopi (1 Pater).

R. — Iam provisum est in ipso n. 7, pag. 20, lin. 35, et pag. 21, linn. 36-37, ubi sermo est de hierarchica communione Presbyterorum cum Episcopis. Modus ergo non recipitur.

94 — Pag. 21, linn. 36-37. Dicatur: « ... quae Presbyteris per Sacramentum Ordinis confertur *et per missionem canonicam determinatis personis et locis applicatur* ». Ratio est quia participatio ministerii confertur per Sacramentum, haud vero per missionem canonicam. Haec tantum applicat potestatem ministerialem quam Presbytero iam contulit Ordinatio (1 Pater).

R. — Radicalis participatio ministerii episcopalis Presbyteris per Sacramentum confertur; exercitium vero ministerii per missionem canonicam. Ergo sufficit quod dicitur in textu, et Modus non recipitur.

95 — Pag. 21, lin. 37. Addatur: « ... canonicam confertur. *Haec oboedientia erga superiores ne impediat oboedientiam quae Deo ipsi debetur. Spiritus enim Dei etiam in Presbyteris charismata sua "dividit singulis prout vult"* (*1 Cor.* 12, 11), *quae omnia cooperantur in Ecclesiae aedificationem. Haec charismata ab episcopis libenter agnoscantur et foveantur. Ita Spiritus non extin-*

guitur, sed libertas filiorum Dei in Ecclesia magis ac magis effulget ». Ratio est quia charismata maximum momentum etiam pro relationibus inter Episcopum et Presbyteros habent. Oboedientia, si praesentatur modo unilaterali, potius aversionem quam adhaesionem Presbyterorum creat (1 Pater). [61]

R. — De hoc adspectu charismatum agitur in Const. *Lumen gentium*, n. 7. Praeterea cf. quae dicuntur de oboedientia in numero 15, pag. 38, lin. 36 usque ad pag. 39, lin. 3.

96 — Pag. 22, lin. 4. Dicatur: «... suam missionem *fructuose* adimplere valet ... ». Ratio est quia sic magis affirmatur quam necessariae sint cohaesio et coordinatio virium (3 Patres).

R. — Non admittitur. Verbum « satis » videtur sufficiens.

AD NUMERUM 8

97 — Pag. 22, lin. 7 usque ad pag. 23, lin. 10: Loco textus emendati ponatur textus prior (1 Pater).

R. — Agitur de mutatione fere integri numeri, a Congregatione Generali iam approbati: Modus ergo non accipitur.

98 — Pag. 22, linn. 8-10. Dicatur: « Presbyteri, per Ordinationem *sacerdotalem* in Ordine presbyteratus constituti, *omnes inter se intima fraternitate sacramentali nectuntur*; specialiter autem ... » (1 Pater). [62]

R. — Unio Presbyterorum cum Episcopis et inter se, in ambitu ecclesiali, utpote quae in Sacramento Ordinis fundetur est iuris divini; sed addictio alicui dioecesi particulari et proinde Presbyterio dioecesano est iuris ecclesiastici. Modus ergo admittitur, sed expungitur verbum *sacerdotalem*.

99 — Pag. 22, linn. 10-12. Dicatur: « ... cuius servitio *addicuntur*, sub Episcopo proprio unum Presbyterium efformant ». Praeterea pag. 22, lin. 13, expungantur verba: « *sub Episcopo duce et moderatore* » (1 Pater).

R. — Quod servitium vel diversa officia Presbyterorum sub Episcopo (duce et moderatore) exerceri debent, multoties in schemate dicitur, quare haec duo verba, *duce et moderatore*, omitti possunt. Episcopus tamen nominandus est tamquam ratio unitatis Presbyterii in unaquaque dioecesi. Ideo Modus admittitur.

100 — Pag. 22, lin. 11. Expungatur verbum « proprio », quia expressio « Episcopo proprio » sensum ambiguum in textu habet (1 Pater).

[62] R. — Modus non accipitur. Bene intellegitur verba se referre ad Episcopum dioecesis.

101 — Pag. 22, lin. 12. Addantur verba: « ... unum Presbyterium efformant *ad modum corporis seu collegii* » (1 Pater).

R. — Non videtur acceptandus Modus, ne innuatur aliqua aequiparatio inter Collegium Episcoporum, quod est iuris divini, et Presbyterium dioecesanum.

102 — Pag. 22, linn. 12-14. Dicatur: « *Etsi* enim diversis officiis, sub Episcopo duce, mancipentur, unum *tamen gerunt* sacerdotale pro hominibus ministerium » (1 Pater).

R. — Modus partim accipitur (cf. Modum 99). Sic dicatur: *Etsi* enim diversis officiis mancipentur, unum *tamen gerunt* sacerdotale pro hominibus ministerium.

103 — Pag. 22, linn. 15-22. Dicatur: « Ad idem enim opus mittuntur omnes Presbyteri, sive ministerium paroeciale vel supraparoeciale exerceant, sive (...) alia opera apostolica adimpleant; *immo*
[63] *aliquibus ex ipsis missio specialis in bonum Ecclesiae, probato suo cuiusque dono, ab Episcopo concreditur, ut scientiae investigandae aut tradendae operam conferant vel etiam manibus laborent, ipsorum operariorum sortem participantes.* Ad unum omnes ... » (3 Patres).

R. — Provisum in responsione ad Modum n. 106.

104 — Pag. 22, linn. 18-19. Expungantur verba: « *sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferant* » (1 Pater). Dicatur: « sive scientiae *sacrae* investigandae ... » (1 Pater).

R. — Licet primo aspectu non omnes scientiae investigandae videantur connumerandae inter ministeria sacerdotalia, pariterque pericula non desint in hac investigatione pro hominibus qui alte non polleant scientia sacra, labor tamen quaerendi veritatem in omnibus campis scientiae est servitium hominibus factum, quo Dei gloria inter homines augetur. Modus ideo non admittitur. Cf. tamen Modum 108.

105 — Pag. 22, linn. 19-22. Dicatur: « ... operam conferant, sive, *si hanc missionem ad operarios ab Episcopo receperint, manibus etiam laborantes,* sive tandem alia opera apostolica adimpl*entes, omnes in eodem redemptionis Christi officio et responsabilitate participant.* Ad unum omnes ... » (1 Pater).

R. — Provisum in responsione ad Modum n. 106.

106 — Pag. 22, linn. 19-21: [63]

a) Expungantur verba: « probante Auctoritate », et in lin. 16 dicatur: « ... omnes Presbyteri, *iussu et iudicio Episcopi* » (72 Patres).

b) Dicatur simpliciter: « Ad unum enim opus ut cooperentur mittuntur omnes Presbyteri, *quodcumque ministerium pastorale exerceant, sive paroeciale sive supraparoeciale sit.* Ad unum omnes... » (2 Patres). Vel dicatur: « ... Ad unum enim opus ut cooperentur mittuntur omnes Presbyteri, sive ministerium paroeciale *sive* supraparoeciale exerceant (...), sive tandem alia opera ... » (2 Patres).

c) Expungantur verba: « *sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum sortem probante Auctoritate participantes* » (368 Patres).

d) Pag. 22, lin. 26. Addantur verba: « ... accommodationes requirit, *tamen optandum est quemquam Presbyterum etiam in missione speciali exercere possit diversa munera Presbyteratus* » (69 Patres). Vel dicatur: « ... accommodationes requirit, *salvis tamen semper exigentiis status sacerdotalis necnon prio-* [64]
ritate munerum quae directe sacerdotalia sunt » (1 Pater).

R. — Textus propositus in linn. 19-21 iam approbatus est a Congregatione Generali. Adsunt tamen multi Modi qui ipsum roborant, multique qui textum reiiciunt: aliqui vero Patres textum approbant, sed simul desiderant ut aliqua verba addantur, ne aliquis Presbyter detrimentum patiatur.

Primi, qui proponunt Modum 106 *a*) volunt ut loco « *probante Auctoritate* » dicatur « *iussu et iudicio Episcopi* ». Formula proposita non videtur suscipienda, quia non retinetur opportunum Episcopos ad hanc missionem difficillimam complendam iubere et mittere posse Presbyteros, qui non sint dispositi. Alii, qui volunt ut hae lineae supprimantur (cf. 106 *b,* et 106 *c*), asserunt: nequit Concilium definitive sancire modum aut exercendi ministerium aut gerendi vitam sacerdotalem cuius fructus, sive pro ipso sacerdote sive pro fidelium communitate, nondum comperti sunt, quin praetermittatur experientia hucusque potius negativa in hac materia. Ad hanc propositionem sic respondetur: ea de causa, licet omnia ministeria sacerdotalia requirant missionem et approbationem Episcopi, uti patet etiam ex hoc n. 8, pag. 22, lin. 16, tamen solummodo pro hoc apostolatu speciali dicitur *probante Auctoritate.* Auctoritas, cum approbat, dat normas ut pericula vitentur. De facto, iure peragitur hic apostolatus

[64] in non paucis nationibus, cum in Ecclesia Latina tum in aliquibus Ecclesiis Orientalibus. Concilium nequit proinde ignorare hanc ministerii formam. Attamen, ut satisfiat Modis sub 106 *b*) et 106 *c*) contentis, proponitur hic textus: « sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum, *ubi id* probante *quidem competenti* Auctoritate *expedire videatur,* sortem participantes ... ».

Alii tamen (cf. Modum 106 *d*) proponunt ut aliqua verba addantur ut in mentem revocetur exigentias ministerii sacerdotalis semper prae oculis habendas esse, sed de hoc iam providetur in pluribus locis schematis, e. g. in n. 3.

107 — Pag. 22, lin. 20. Addantur verba: « ipsorum operariorum sortem probante Auctoritate, *tamquam verum testimonium amoris Ecclesiae erga eos,* participantes » (1 Patres).

R. — Non accipitur, quia sententia nimis oneraretur.

108 — Pag. 22, lin. 22. Dicatur: « sive tandem alia opera apostolica *vel ad apostolatum ordinata* adimplent » (1 Pater).

R. — Modus accipitur. Sic etiam satisfit Modis sub n. 104 recensitis.

[65] 109 — Pag. 22, linn. 27-28. Expungantur verba: « *sive dioecesani sive religiosi* », et dicatur: « ... ut omnes Presbyteri *in dioecesi adlaborantes* » (1 Pater).

R. — Non accipitur, necessaria est enumeratio.

110 — Pag. 22, lin. 27, et pag. 23, lin. 2. Adhibeatur modus indicativus, ad vitandum stylum hortatorium (2 Patres).

R. — Non est exhortativus.

111 — Pag. 22, linn. 28-29. Addantur verba: « ... sive dioecesani sive religiosi, *sive sint unius eiusdemque ritus sive diversi,* sese invicem adiuvent, ut semper sint cooperatores veritatis (cf. *3 Io.* 8). *Presbyteri autem diversi ritus, addicti in eodem territorio curae christifidelium proprii ritus, non solum abstinere sedulo debent ab omni forma sic dicti proselytismi ritualis inter fideles diversi ritus e proprio, sed etiam, pro posse, tenentur fraterne adiuvare collegas Presbyteros in opere apostolatus eorum in medio fidelium sui proprii ritus, ad mentem Decretorum huius S. Synodi "De oecumenismo" et "De Ecclesiis Orientalibus" atque Decretorum Apostolicae Sedis* ». Ut vitentur abusus in hoc campo (1 Pater).

R. — Non accipitur. De hoc iam agitur in Decreto « De Ecclesiis Orientalibus ».

112 — Pag. 22, lin. 28. Dicatur: « ... sese invicem *et Episcopum* adiuvent ». Cf. Const. *Lumen gentium,* n. 28 et Decretum *Christus Dominus,* nn. 28 et 33-35 (6 Patres). [65]

R. — Haec additio non videtur necessaria: Schema enim est totaliter imbutum spiritu cooperationis cum Episcopo et oboedientiae erga ipsum.

113 — Pag. 22, lin. 29. Addantur verba: « ... cooperatores veritatis (cf. *3 Io.* 8) *ut in spe et gaudio Christi ambulent* ». Quia de gaudio Presbyterorum nulla mentio fit in schemate (1 Pater).

R. — Idea alibi exprimitur. In pag. 23, lin. 19 dicatur: « ... libenter *et cum gaudio* conveniant... ». Praeterea cf. verba addita in nn. 11 et 22 schematis.

114 — Pag. 22, linn. 32-33. Dicatur: « *Quae omnia* iam ab antiquis temporibus liturgice signific*antur* » (vel pag. 32, linn. 32-36 ponantur post lin. 12). Ratio est quia impositio manuum simul cum Episcopo ordinante non significat liturgice nexum inter Presbyteros unius dioeceseos, simpliciter, sed etiam nexum cum [66]
proprio Episcopo (4 Patres).

R. — Unio Presbyterorum inter se in Presbyterio necessario secumfert arctam unionem cum Episcopo, uti abunde patet ex toto hoc numero. Ideo Modus non accipitur.

115 — Pag. 22, lin. 36. Addatur: « ... manus imponere invitentur, *et cum Sacram Eucharistiam unanimo corde concelebrant* ». Quia concelebratio est expressio eminens fraternitatis sacerdotum (17 Patres).

R. — Accipitur Modus.

116 — Pag. 22, lin. 40. Addatur: « ... in unum esse consummatos ut *gaudium Domini in eis sit et gaudium eorum impleatur* (*cf. Io.* 15, 11), *atque* cognoscat... ». Perutile videtur evocare Presbyteris saepe in animo fractis gaudium promissum a Domino (9 Patres).

R. — Cf. responsionem ad Modum n. 113.

117 — Pag. 22, lin. 42. Addatur: « ... Filium missum esse a Patre (cf. *Io.* 17, 23). *Qui vi muneris officium Superioris inter alios sacerdotes obtinent, discant ceteris amabiliter et fraterne consulere; qui vero subordinate adlaborant in coadiuvando superiore, cui Ordinarius maiorem responsabilitatem contulit, fideli oboedientia eum prosequantur* ». Hic enim opportuna videtur mentio de oboedientia et obsequio, quae debentur non tantum

[66] Ordinario, sed iis etiam qui ab Ordinario constituti sunt in auctoritate (1 Pater).

R. — Provisum in n. 15, pag. 38, lin. 25.

118 — Pag. 23, linn. 3-10. Dicatur: « ... qui in primis *muneribus* et oneribus ministerii adiuvent, itemque... et libenter *in ipsorum inceptis et muneribus* collaborent ». Ne nimis *incepta* repetatur; et quia iuvenes, praesertim in hodiernis temporibus, non semper libenter in inceptis seniorum collaborant (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus sufficienter exprimit ideam.

119 — Pag. 23, linn. 13-14. Dicatur: « ... colant communionem bonorum *modo stabili et ordinato* et beneficentiam (cf. *Hebr.* 13, 16) ... ». Quia inter sacerdotes eiusdem dioecesis magna habetur differentia bonorum, quae sustineri nequit (3 Patres).

R. — Non admittitur. Textus debet generaliter loqui.

[67] 120 — Pag. 23, lin. 19. Dicatur: « ... libenter *inter se* conveniant » (1 Pater).

R. — Non accipiatur. Textus clarus est. (Cf. etiam resp. n. 113).

121 — Pag. 23, linn. 20-22. Deleantur verba: « misericorditer » et « in desertum locum », ut textus sobrior sit (1 Pater).

R. — Deleatur verbum « misericorditer », sed maneat textus evangelicus.

122 — Pag. 23, lin. 22. Addatur: « ... *Mc.* 6, 31). *Curent ergo Episcopi ut sacerdotibus omnibus praesertim in cura animarum laborantibus aliquod sufficiens et continuum feriarum tempus quotannis tribuatur ad valetudinem mentis et corporis stabiliendam vel recuperandam.* Insuper ... (1 Pater).

R. — Accipitur: cf. verba addita in n. 20 schematis.

123 — Pag. 23, linn. 27-33. Dicatur: « ... eripiantur, *Sancta Synodus profitetur suam mentem esse ut ab omnibus Presbyterorum coetibus vita communis tamquam meta habeatur constanter inquirenda, progressive ad effectum deducenda et ultimo feliciter contingenda.*

Propterea satagant Episcopi ut in sua cuiusque dioecesi et mens et praxis promoveatur vitae communis, et in suo cuiusque Seminario iam a primis annis in alumnorum mentes persuasio irrepat et convalescat, post adeptum Sacerdotium, ad validiorem Sacri ministerii fecunditatem, vitae communi se esse praestitutos » (1 Pater).

R. — Non accipitur. Idea satis exprimitur in textu approbato.

124 — Pag. 23, lin. 25. Dicatur: « ... utque *funditus eripiantur a periculis exsurgentibus tum a solitudine tum a cohabitatione cum laicis utcumque propinquis, Sancta Synodus profitetur suam mentem esse ut ab omnibus Presbyterorum coetibus vita communis tamquam meta habeatur constanter inquirenda, progressive ad effectum deducenda et ultimo feliciter contingenda. Propterea satagant Episcopi ut in sua quisque dioecesi et mens et praxis promoveatur vitae communis, et in suo quisque Seminario iam a primis annis in alumnorum mentes persuasio irrepat et convalescat, post adeptum Sacerdotium, ad validiorem Sacri Ministerii fecunditatem, vitae communi, ad nutum Episcopi, se esse praestitutos.* Magni quoque habendae sunt ... » (3 Patres). [67]

R. — Videatur Resp. ad Modum 123.

125 — Pag. 23, lin. 30. Dicatur: « induere potest. *Propterea satagant Episcopi ut in sua quisque dioecesi et mens et praxis promoveantur vitae communis, et in suo quisque Seminario iam a primis annis in alumnorum mentes persuasio irrepat et convalescat, post adeptum Sacerdotium, ad validiorem sacri ministerii fecunditatem, vitae communi, ad nutum Episcopi, se esse praestitutos.* Magni quoque ... » (1 Pater). [68]

R. — Vide Resp. ad Modum 123.

126 — Pag. 23, linn. 32-33. Deleantur verba: « vel saltem frequentes ac periodicos conventus », quia non sunt aliqua vita communis vel aliquod vitae consortium (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Sunt enim aliquod vitae consortium.

127 — Pag. 23, lin. 33. Addatur: « ... periodicos conventus. *Ut istis conventibus adire possint sacerdotes solitarii in regionibus longioribus et ruralibus degentes, eis ad tempus etiam breve, substituti praestentur, sive e clero dioecesano sive religioso* ». Ratio est quia in his regionibus remotis, parochi, propter causas pastorales, non possunt paroeciam relinquere sine substituto sacerdote, et ita longe a consortio confratrum, privantur bonis spiritualibus (3 Patres).

R. — Modus non accipitur. Res est nimis particularis pro Decreto Conciliari.

128 — Pag. 23, linn. 33-39. Illa verba omittantur et addatur commendatio pro votis privatis, secreto faciendis, pro illis sacerdotibus, qui desiderant vivere in statu perfectionis. Ratio est quia

[68] ita evitaretur divisio inter clerum dioecesanum et provideretur illis sacerdotibus qui vota facere volunt et perfectius vivere (1 Pater).

R. — Mittatur haec suggestio ad Commissionem Iuri Canonico recognoscendo.

129 — Pag. 23, linn. 33-39. Associationes, de quibus hic sermo est, debent iuridice submitti Episcopo. Quae dicuntur in pag. 58-59 sub littera (D) omnino respuenda sunt (30 Patres).

R. — Rationes a Commissione allatae, quibus se refert Modus, omnino validae sunt. Non potest negari Presbyteris id quod laicis, attenta dignitate naturae humanae, Concilium declaravit congruum, utpote iuri naturali consentaneum.

[69] 130 — Pag. 23, lin. 33. Addatur: « Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, *statutis ab auctoritate ecclesiastica probatis* per aptam et convenienter ... ». Ex textu prouti sonat associationes sic dictae patrioticae in statibus socialisticis nulla approbatione ab Ecclesia indigere videntur. Tali interpretationi contradicit praxis Ecclesiae. Notandum, quod illae associationes ex statutis saepe ad pietatem et munera sacerdotalia melius implenda fundatae sunt. Si quaelibet pia unio ab Ecclesia approbari debet, a fortiori associationes sacerdotum. Ad evitandam falsam interpretationem saltem aliquid certo dici debet (2 Patres).

R. — Modus accipitur: associationes enim, de quibus sermo agit, proprium iter habent iuridicum, quod generatim incipit cum adprobatione Episcopi, et tandem multoties ipsius Sanctae Sedis. Proinde dicatur: « *statutis a competenti ecclesiastica auctoritate recognitis* per aptam ... ».

131 — Pag. 23, lin. 34. Addatur: « ... associationes quae, *de consensu Episcopi* (vel *Episcopo benedicente*) per aptam et ... ». Ad abusus praecavendos, Episcopi adprobatio requiritur (2 Patres).

R. — Iam provisum est in Resp. ad Modum 130.

132 — Pag. 23, linn. 33-39. Dicatur: « Magni quoque habendae sunt et *sollicitudini pastorali Conferentiarum Episcopalium committendae* associationes quae, per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, *ideoque fidelem coniunctionem atque generosam cooperationem cum suo Episcopo, necnon communionis sacerdotalis vinculum inter Presbyteros*

roborent (cf. *Lumen gentium,* n. 41), et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt ». Ratio est quia de associationibus sacerdotalibus Episcopi collegialiter sponsores sunt et omnes Presbyteri fructum capient ex hac pastorali sollicitudine Episcoporum (124 Patres). [69]

R. — Huiusmodi associationes possunt esse non solum interdioecesanae, prout innuitur in hoc Modo, sed etiam diffundi valent in plures nationes. Non accipitur proinde prima pars huius Modi. Quoad alteram vero partem cf. responsum ad Modum 130. Hae quidem sunt rationes quas competens ecclesiastica auctoritas prae oculis habet in recognoscendis huiusmodi Associationibus.

133 — Pag. 23, lin. 34. Addatur: « Magni quoque habendae sunt *et sollicitudini pastorali Episcopi vel Conferentiarum Episcopalium committendae* et diligenter ... » (1 Pater). [70]

R. — Videatur Resp. ad Modum 132.

134 — Pag. 23, lin. 40 ad pag. 24, lin. 5. Dicatur: « Demum, ratione eiusdem (...) communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri specialiter obligatos erga eos qui *aliquibus* difficultatibus (...) laborant; quibus *tempestivum* praebeant auxilium, etiam *si opus sit* eos discrete monendo. Illos autem qui in quibusdam defecerunt *fraterna* caritate atque *magno animo* semper prosequantur, *pro ipsis continuas Deo preces effundant eisque continuo sese praebeant ut revera fratres et amicos* ». Etenim magis extollendus est spiritus fraternae caritatis, et vitanda est vox *misericordia* quae meram sapit compassionem (4 Patres).

R. — Modus admittitur, sed, ad vitandam repetitionem eiusdem verbi, dicatur: « ... *instantes* Deo preces ... ».

AD NUMERUM 9

135 — Adiungatur in hoc numero praescriptio de vestibus clericalibus propriis. Ratio allegatur, quia catholici et non-catholici Presbyterum semper ut hominem Dei agnoscere debent (1 Pater).

R. — Ne addatur talis praescriptio, quia, cum de peculiari quaestione agat, ad Codicem I. C. et ad ius particulare singularum regionum refertur.

136 — Pag. 24, lin. 15. Relatio Presbyteri erga fideles dicatur relatio patris ad filios, non vero relatio inter fratres. Ratio est quia

[70] illud congruit conscientiae populi christiani et quia, sicut in familia naturali, ita etiam in familia spirituali, qui ministrat et praeest dicitur pater (1 Pater).

R. — Haec Presbyteri paternitas affirmatur in lin. 10, ubi dicitur eius munus esse patris et magistri. In Epistolis S. Pauli asseritur apostolum esse et *fratrem* et *patrem.*

137 — Pag. 24, lin. 27. Addatur textus in quo « ... Sancta Synodus profitetur suam mentem esse ut ab omnibus Presbyterorum coetibus vita communis tamquam meta habeatur constanter inquirenda, progressive ad effectum deducenda et ultimo feliciter contingenda ... » (2 Patres).

[71] R. — Non admitti potest haec additio, quia in n. 8 sufficienter asseritur convenientia vitae communis et vitae consortii inter sacerdotes, et quia secundum varia locorum adiuncta instauranda haec vita communis est diiudicanda. Cf. responsum ad Modum 123.

138 — Pag. 24, lin. 27. Proponitur correctio, ne textus intelligi possit uti commendans Presbyteris ut suam propriam partem agnoscant (1 Pater).

R. — Admittitur correctio, ita ut textus sit: « Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque propriam quam *laici* in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant ... ».

139 — Pag. 24, lin. 30. Deleantur verba: « iustam etiam libertatem quae omnibus in civitate terrestri competit », quia verba sunt aequivoca, periculosa et ad nos non pertinent (1 Pater).

R. — Non admittitur correctio, quia agnoscendae sunt ab Ecclesia libertates quas laici in campo sibi proprio habent, et quia oportet ut affirmetur hoc officium legis naturalis. Ceterum haec desumuntur fere ad verba ex Const. *Lumen gentium,* n. 37.

140 — Pag. 24, lin. 36, aut ad finem numeri. Addatur textus in quo obligationes fidelium erga sacerdotes suos affirmentur, quia textus huius numeri, uti iacet, nimis durus apparet, cum de solis obligationibus Presbyterorum agat, non vero eorundem iustas expectationes asserat (1 Pater).

R. — Admittitur additio facienda, et in fine numeri 9, pag. 25, lin. 37 et ss. additur textus: « *Ipsi vero christifideles conscii sint se obligatos esse Presbyteris suis, et ideo filiali amore eosdem, pastores suos et patres, prosequantur; item, eorum sollicitudines participantes, oratione et opere quantum fieri*

possit auxilio sint suis Presbyteris, ut hi aptius difficultates superare et fructuosius officia sua adimplere valeant ». Fiet in nota referentia ad Const. *Lumen gentium,* n. 37. [71]

141 — Pag. 24, lin. 34. Addatur: « ... experientiam *et competentiam* in diversis ... », quia etiam Presbyteri experientiam habere possunt, ubi laici competentiam habent (1 Pater).

R. — Admittitur modus et addantur verba « experientiam *et competentiam* ».

142 — Pag. 24, lin. 39. Magis extollatur momentum charismatum laicorum, et proponitur textus quo minus abstracte haec eorum charismatum aestimatio affirmatur (1 Pater). Alius Pater [72] rogat ut statim post haec verba de aestimatione charismatum laicorum, inseratur textus qui habetur in pag. 25, linn. 2-5, quia idearum ordinatio magis logica ita apparet.

R. — Admittitur uterque Modus propositus, ita ut textus fiat: « Probantes spiritus si ex Deo sint (cf. *Io.* 4, 1), charismata *laicorum multiformia, tam humilia quam altiora, cum sensu fidei detegant, cum gaudio agnoscant, cum diligentia foveant.* Inter alia vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, peculiari cura digna sunt, quibus non pauci ad altiorem vitam spiritualem attrahuntur. *Item* cum fiducia laicis in servitium Ecclesiae officia committant eis agendi libertatem et spatium relinquentes, immo eos ut opera etiam sua sponte aggrediantur invitantes ».

143 — Pag. 25, lin. 5. Addantur verba quibus Presbyteris cura specialis committitur religiosorum omnium, virorum et mulierum, quippe qui pars sint praecellens in domo Domini (1 Pater).

R. — In hoc numero agitur de Presbyterorum habitudine ad laicos et logice sermo fieri non potest de religiosis. Alibi, scilicet in n. 6, additur haec idea (cf. Modum n. 59).

144 — Pag. 25, lin. 16. Inserantur quaedam verba de obligationibus Presbyterorum caritatis et gratitudinis erga domesticos fideliter inservientes (1 Pater).

R. — Non admittitur Modus, quia textus Decreti non potest ad particularia descendere et de singulis categoriis mentionem facere personarum quae revera Presbyteris inserviunt. Cf. tamen verba addita in n. 20, quamvis ibidem potius agatur de iustitia.

145 — Pag. 25, lin. 16. Addantur verba: « *parati pro ovibus suis etiam vitam dare, exempla praeclara sequentes fratrum suorum con-*

[72] *fessorum et martyrum*», quia requiritur ut monstretur defensionem fidei hodie haud raro maxima sacrificia exigere (1 Pater).

R. — Admittitur hic Modus, ita tamen ut hic conceptus recenseatur in n. 13 schematis (cf. Modum 36, Art. I, Cap. III).

146 — Pag. 25, linn. 6-16. Enuntientur haec verba non modo subiunctivo, sed indicativo (1 Pater).

R. — Admittitur Modus, et cf. textus sub Modo sequenti.

[73] 147 — Pag. 25, linn. 29-36. Paragraphus haec dividatur in tres paragraphos distinctas, ut textus de oecumenismo separetur ab aliis dictis, ita ut non possit uti offensivus haberi pro fratribus seiunctis (2 Patres).

R. — Admittitur Modus et textus sit sequens, pro linn. 6-36: «*Presbyteri demum* in medio laicorum *positi sunt* ut omnes ad caritatis unitatem ducant «caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes» (*Rom.* 12, 10). *Eorum* igitur *est* diversas mentes ita componere, ut nemo in fidelium communitate extraneum se sentiat. Boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, *sunt* defensores, atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur (cf. *Eph.* 4, 14). *Peculiari sollicitudini eorum committuntur* qui a praxi Sacramentorum, immo a fide forsan defecerunt, *quos quidem ut boni pastores adire non omittent.*

Ad praescripta de oecumenismo attendentes, non *obliviscentur* fratres qui plena nobiscum ecclesiastica communione non fruuntur.

Commendatos sibi tandem habe*nt* illos omnes qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt».

AD NUMERUM 10

148 — Pag. 26, lin. 6. Ante verba «Donum spirituale» dicatur: «*Quamvis unusquisque sacerdos pro definita parte Ecclesiae ordinatus est,* donum spirituale ...», ne «visionarii» quidam a suo assignato loco discedant (1 Pater).

R. — Modus non admittitur. Hic enim agitur de *dono spirituali,* seu de participatione ipsius Sacerdotii Christi Eiusque universalis missionis. Non agitur de *titulo Ordinationis.*

149 — Pag. 26, lin. 8:

a) Dicatur: «...missionem *promovet*», quia missio univer-

salis revera confertur in Ordinatione, sicut postea affirmatur [73]
(2 Patres).

b) Dicatur: « ... missionem *confertur* », quia Ordinatio non praeparat, sed confert missionem Presbyteris (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus est satis clarus.

150 — Pag. 26, linn. 13-15:

a) Dicatur: « Christi enim sacerdotium *de quo* (...) Presbyteri *vere* participes facti sunt ». Aptius enim dicitur *Presbyteros* ordinatos esse ad ministerium sacerdotii cuius plenitudo est in [74]
Christo solo. Praeterea etiamsi verbum « plenitudo » hic recte adhiberi possit, minus tamen aptum videtur, propter ambiguitatem quae exsurgit si comparetur cum expressione « plenitudo Sacramenti Ordinis », quae ad Episcopatum pertinet (1 Pater).

b) Dicatur: « ... Christi, ad cuius *ministerium* Presbyteri *ordinati sunt* », quia Presbyteri non sunt participes plenitudinis sacerdotii Christi, sed ordinati ad ministerium sacerdotii, cuius plenitudo est in Christo (59 Patres).

R. — Admittitur Modus sub *a*), sed dicatur: « Christi enim sacerdotium, cuius Presbyteri *vere* participes facti sunt ».

151 — Pag. 26, linn. 23-24. Emendetur verbum: « ... ditantur, *laudandi sunt* si paratos se praebeant ». Sic vitatur modus loquendi qui secumferre videtur aliquam normam directivam obligatoriam ad omnes Presbyteros, e quo sequi possunt anxietates.

R. — Modus non accipitur. Hic non datur norma obligatoria, neque textus huic interpretationi ansam praebet.

152 — Pag. 26, lin. 24. Addatur verbum: « ... permittente, exhortante vel *mittente* proprio Ordinario » (1 Pater).

R. — Non accipitur: exhortatio iam supponit desiderium mittendi.

153 — Pag. 26, lin. 25. Addantur verba: « ... in regionibus, missionibus, *paroeciis ruralibus et solitariis,* vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum. *Idem vero dicatur de religiosis qui, faventibus superioribus, in promptum se habeant ut his paroeciis ruralibus et solitariis pari carentia laborantibus saltem ad tempus adiutorium ministeriale tamquam parochi praestant* ». Ratio est quia nihil dicitur de valore paroeciarum ruralium (1 Pater).

R. — Additio superflua videtur, cum paroeciae iam intellegantur sub verbis generalioribus « regiones », vel « opera », etc. Quoad religiosos, cf. responsum ad Modum sequentem.

[74] 154 — Pag. 26, lin. 27. Addatur: «...exercendum; *quod quidem, ut supra* (n. 1) *dicitur, congrua congruis referendo, applicatur Presbyteris religiosis quoque, qui aequo curae animarum inservire queunt*». Etenim aliquibus in locis inveniuntur domus religiosae cum plurimis sodalibus in Presbyteratu, qui neque curam animarum neque opera apostolatus exercent (3 Patres).

[75] R. — Modus non accipitur, esset enim repetitio eorum quae dicuntur in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, nn. 33-35. Praeterea, uti in ipso Modo innuitur, iam provisum est in Prooemio schematis.

155 — Pag. 26, linn. 31-37. Integro manente textu, periodus in tres partes dividatur, nempe: a linea 27 ad 31, et ponatur punctum post «respondeat»; a linea 31 ad 37, et ponatur punctum post «perficiendae sunt»; a linea 37 usque ad lineam 5 paginae sequentis (4 Patres).

R. — Modus accipitur.

156 — Pag. 26, lin. 38. Agatur etiam de institutis missionalibus (1 Pater).

R. — De his institutis diserte et aptiore loco tractat Concilium in schemate Decreti «De activitate missionali Ecclesiae», n. 37. Modus ergo non accipitur.

157 — Pag. 27, lin. 5. Addantur verba: «...totius Ecclesiae. *Ordinarii istarum dioecesium vel praelaturarum pro peculiaribus operibus pastoralibus perficiendis, tenentur ad curandum de membrorum vita spirituali deque eorum specifica et technica actione et formatione ubicumque illi suum exerceant laborem*». Ratio est ut de iis laudandis inceptis amplius agatur (3 Patres).

R. — Patet hoc ius et officium istorum Ordinariorum erga suos Presbyteros, in quacumque terrarum orbis parte laborantes; sed agitur de re nimis particulari. Additio ergo non recipitur.

158 — Pag. 27, lin. 5. Addatur: «...totius Ecclesiae. *Iuxta pastoralem dioecesis necessitatem facilius habeatur Presbyterorum mobilitas seu commutatio in officiis perfungendis, ne ipsi obsolescant, praesertim vero ad eorundem ministerii experientiam renovandam, augendam ac perficiendam*» (28 Patres).

R. — De hoc satis provisum est in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, n. 31. Modus ergo non admittitur.

AD NUMERUM 11 [75]

159 — Pag. 27, lin. 41 usque ad pag. 28, lin. 2. Rogat unus Pater ut loco verborum « naturam missionis sacerdotalis, *a qua oritur sollicitudo totius Ecclesiae,* ne in Populo Dei ... » haec alia po- [76]
nantur: « ... naturam missionis sacerdotalis, *quae sollicita esse debet* ne in Populo Dei ... ». Ratio adducitur, quia verba uti sunt non faciunt ad rem.

R. — Correctio uti proponitur admitti non potest, quia missio non est sollicita. Proponitur ideo mutatio textus sequens: « Quod officium sane pertinet ad ipsam missio*nem* sacerdota*lem,* qua *quidem particeps fit Presbyter* sollicitud*inis* totius Ecclesiae, ne ... ».

160 — Pag. 28, lin. 3. Rogat unus Pater ut post verbum « operarii » haec addantur: « operarii *ex omni lingua, stirpe et natione* », ut ubique sacerdotes habeantur nativi.

R. — Non admittitur Modus, quia generalis affirmatio sufficit. Ceterum de illis cf. schema « De activitate missionali Ecclesiae », n. 6 et Cap. II.

161 — Pag. 28, linn. 7-8. Dicatur: « ... diversimode cooperandi *tam* per orationem *quam per alia media, de quibus explicite quaestio est in Decreto « De Institutione sacerdotali »*, ut semper Ecclesia ... ». Ratio adducitur quia oratio non est solum medium, et referentia debet fieri ad illud Decretum, in quo quaestio sat complete tractatur (1 Pater).

R. — Admittitur Modus, et dicatur: « ... diversimode cooperandi, per instantem orationem *itemque per alia media quae sibi praesto sunt,* ut semper Ecclesia ... ». Et in nota fiat referentia ad Decretum *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, n. 2.

162 — Pag. 28, linn. 8-9. Addatur: « ... ut semper Ecclesia habeat sacerdotes *tam dioecesanos quam religiosos* qui necessarii sint ... » (18 Patres).

R. — Non admittitur Modus. Sacerdotes necessarii sunt ad divinam missionem explendam, sed quatenus operarii in hac divina missione distingui non debent dioecesani et religiosi.

163 — Pag. 28, lin. 12. Dicatur: « ... proprioque testimonio vitae, *spiritum laeti servitii et verum gaudium paschale aperte manifestantis,* sacerdotii excellentiam ... », quia requiritur testimonium gaudii in ministerio (4 Patres).

[76] R. — Admittitur Modus, sed expungatur verbum « laeti », ne idem conceptus bis exprimatur.

[77] 164 — Pag. 28, lin. 12. Dicatur: « ... proprioque vitae *laeto* testimonio », quia laetitia debet esse nota vitae Domino dedicatae.

R. — Provisum in textu admisso (cf. Modum 163).

165 — Pag. 28, lin. 13 (Itemque pag. 40, linn. 32 et 44; pag. 50, lin. 31). Loco verbi « sacerdotium » dicatur *ministerium sacerdotale,* quia sacerdotium reservatur Christo et Ecclesiae sacerdotali, et verba proposita melius congruunt cum notione presbyteratus (55 Patres).

R. — Modus non admittitur. Oportet ut extollatur ipsiusmet sacerdotii excellentia.

166 — Pag. 28, lin. 16. Ratione latinitatis dicatur: « ... nullis parcendo curis *neque* incommodis ... » (1 Pater).

R. — Admittitur.

167 — Pag. 28, lin. 22. Dicatur: « ... directio spiritualis *specialiter participatione exercitiorum spiritualium* », quia momentum experientia constat (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia inter media praesertim eminet directio spiritualis, dum alia media, valde utilia, non in specie nominantur.

168 — Pag. 28, linn. 29-35. Unus Pater censet comparationem inter « vocem Domini ad aures vocantis » et « signa vocationis » nimis simplicem esse, et recolendum aestimat duplex elementum vocationis, divinum scilicet et ecclesiasticum.

R. — Non est admittendus Modus, quia non datur tractatio de natura vocationis, sed praebentur indicationes de cura vocationum pro Presbyteris, atque etiam pro parentibus et magistris.

169 — Pag. 28, lin. 29. Rogat unus Pater ut proponatur clara descriptio vocationis sacerdotalis, qualis habetur in Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii* et in Adhort. ap. *Menti Nostrae,* loco vagae indicationis, ne obscuretur doctrina quam Pontifices elaboraverunt.

R. — Non pertinet ad hoc Decretum doctrinam tradere de *vocationibus.* Tantummodo quaestio est de *cura* vocationum. Ad reliqua, conferantur quae habentur in Decreto *Optatam totius,* de institutione sacerdotali.

170 — Pag. 28, linn. 36-37. Dicatur: « ... commendantur Opera vocationum sive dioecesana sive nationalia *necnon opus pontificium vocationum religiosarum* », quia vita religiosa et instituta religiosa sunt maximi momenti in Ecclesia, teste Const. dogm. *Lumen gentium* (19 Patres). Pariter rogat unus Pater ut dicatur: « ... sive dioecesana sive nationalia, *sive sacerdotalia sive religiosa* ». [78]

R. — Non admittitur Modus. Praestantia vocationis religiosae omnino certa est, et affirmatur in Const. dogm. *Lumen gentium* et de ea agitur in Decreto *Perfectionem caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae. In hoc autem Decreto quaestio non est de religiosis qua talibus, sed de Presbyteris, qui ministerio sacerdotali sese devovent.

171 — Pag. 28, lin. 37. Dicatur: « ... sive nationalia, *quae in servitium vocationum tam sacerdotalium quam religiosarum merito ordinanda sunt* » (1 Pater).

R. — Provisum in responsione ad Modum n. 169.

QUAESITUM

An placeat expensio modorum facta a Commissione de disciplina cleri et populi christiani circa modos Caput II respicientes?

CAPUT III [79]

PRESBYTERORUM VITA

I – PRESBYTERORUM AD PERFECTIONEM VOCATIO

12. [*Presbyterorum ad sanctitatem vocatio*]. Sacramento Ordinis Presbyteri Christo Sacerdoti configurantur, ut ministri Capitis, ad totum Eius Corpus quod est Ecclesia extruendum et aedificandum, tamquam Ordinis episcopalis cooperatores. Iam quidem in baptismi consecratione, sicut omnes christifideles, signum et donum acceperunt tantae vocationis et gratiae ut, *vel in infirmitate humana,*[1] perfectionem prosequi possint et debeant, iuxta verbum Domini: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). Ad illam vero perfectionem acquirendam peculiari ratione *tenentur* sacerdotes, quippe qui, Deo in Ordinis receptione *novo modo* consecrati,

[79] Christi Aeterni Sacerdotis viva instrumenta efficiantur, ut mirab*ile opus* Eius, *quod* superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora *per*sequi valeant.[2] Cum ergo omnis sacerdos, suo modo, ipsius Christi personam gerat, particulari quoque gratia ditatur ut, inserviendo plebi commissae et universo Populo Dei, Eius perfectionem aptius prosequi possit, cuius partes sustinet, utque humanae infirmitati carnis medeatur sanctitas Illius, qui nobis factus est Pontifex « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26).

Christus, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum,[3] « dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum » (*Tit.* 2, 14), et sic *per passionem* intravit in gloriam suam;[4] simili modo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti consecrati et a Christo missi, *in seipsis opera carnis mortificant et* hominum servitio totaliter se devovent, et sic in sanctitate qua in Christo ditati sunt ad perfectum virum[5] progredi valent.

Itaque, ministerium Spiritus et iustitiae[6] exercentes, dummodo sint docibiles Spiritui Christi qui eos vivificat et ducit, in vita spiritus firmantur. Per ipsas enim cotidianas sacras actiones, sicut et per integrum suum ministerium, quod cum Episcopo et Presbyteris communicantes exercent, ipsi ad vitae perfectionem ordinantur. Ipsa autem sanctitas Presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert: quamvis enim gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere possit, tamen per illos ordinaria lege
[80] praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum Apostolo dicere *valeant*: « Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Quapropter haec Sacrosancta Synodus, ad suos fines pastorales renovationis internae Ecclesiae, diffusionis Evangelii in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes Sacerdotes ut, *aptis adhibitis mediis ab Ecclesia commendatis,*[7] ad illam semper maiorem sanctitatem nitantur, qua evadant in dies aptiora instrumenta in servitium totius Populi Dei.

13. [*Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet*]. Sanctitatem propria ratione consequentur Presbyteri mun*era sua* sincere et indefesse in Spiritu Christi exercentes.

Verbi Dei ministri cum sint, cotidie legunt et audiunt Dei verbum quod alios docere debent; quod si simul in seipsos recipere satagant,

perfectiores in dies fient Domini discipuli, iuxta verba Pauli Apostoli [80]
ad Timotheum: « Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae: ista in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 15-16). Quaerentes enim quomodo aptius contemplata aliis tradere possint,[8] profundius sapient « investigabiles divitias Christi » (*Eph.* 3, 8) et multiformem sapientiam Dei.[9] Prae oculis habentes Dominum esse qui corda aperit [10] et sublimitatem non ex ipsis sed e Dei virtute provenire,[11] in ipso actu verbi tradendi intimius cum Christo Magistro coniungentur Eiusque Spiritu ducentur. Ita communicantes cum Christo, Dei participant caritatem, cuius mysterium, a saeculis absconditum,[12] in Christo revelatum est.

Ut *Sacrorum* ministri, praesertim in Sacrificio Missae, Presbyteri personam specialiter gerunt Christi, qui seipsum ad sanctificandos homines victimam dedit; ideoque invitantur ut quod tractant imitentur, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, membra sua a vitiis et concupiscentiis mortificare procurent.[13] In mysterio Sacrificii Eucharistici, in quo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent, opus nostrae redemptionis continuo exercetur,[14] et ideo enixe commendatur eius celebratio cotidiana, *quae quidem* etiam *si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae.*[15] Ita, dum Presbyteri cum actu Christi Sacerdotis se coniungunt, cotidie se totos Deo offerunt, et, dum Corpore Christi nutriuntur, ex corde participant Eius caritatem qui se *in cibum* dat fidelibus. Similiter in Sacramentis administrandis cum intentione et caritate Christi uniuntur; *quod speciali ratione efficiunt, cum Sacramenti Poenitentiae fungendo muneri omnino semperque paratos se ostendant quotiescumque id a fidelibus rationabiliter petitur.* In Officio Divino recitando, vocem praebent Ecclesiae, quae in oratione, nomine totius generis humani, perseverat, una cum Christo, qui est « semper [81]
vivens ad interpellandum pro nobis » (*Hebr.* 7, 25).

Populum Dei regentes et pascentes, caritate Boni Pastoris incitantur ut animam suam dent pro ovibus suis,[16] *parati quoque ad supremum sacrificium, exemplum sequentes sacerdotum qui etiam hodiernis temporibus vitam suam ponere non renuerunt;* educatores *in fide* cum sint, et ipsi habentes « fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi » (*Hebr.* 10, 19), ad Deum accedunt « cum vero corde in plenitudine fidei » (*Hebr.* 10, 22); spem erigunt firmam pro fidelibus suis,[17] ut possint consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua et ipsos Deus exhortatur; [18] communitatis rectores ascesim pastoris animarum propriam colunt, propriis commodis renuntiantes, non quod sibi utile est quaerentes sed quod multis, ut salvi fiant,[19] semper ulterius progredientes

[81] ad opus pastorale perfectius complendum et, ubi opus sit, ad novas vias pastorales ingrediendas parati, sub ductu Spiritus amoris, qui ubi vult spirat.[20]

14. [*Unitas et harmonia vitae Presbyterorum*]. Hodierno in mundo, cum tot sint officia quae obire debent homines cumque tanta sit diversitas problematum quibus anguntur, quaeque saepius ipsis celeriter solvenda sunt, in discrimine haud raro versantur qui sese in diversa dispergant. Presbyteri autem, permultis obligationibus sui muneris implicati et distracti, non sine anxietate quaerere possunt quomodo cum exterioris actionis ratione interiorem vitam suam ad unitatem componere valeant. Quam vitae unitatem, nec mere externa operum ministerii ordinatio, nec sola pietatis exercitiorum praxis, *quantumvis ad eam fovendam conferat,* efficere potest. Eam vero exstruere valent Presbyteri exemplum in ministerio adimplendo sequentes Christi Domini, cuius cibus erat voluntatem facere Illius qui Eum misit ut opus suum perficeret.[21]

Re quidem vera Christus, ut eandem voluntatem Patris in mundo per Ecclesiam indesinenter faciat, per ministros suos operatur, et ideo semper principium et fons remanet eorum vitae unitatis. Presbyteri ergo suae vitae unitatem consequentur sese Christo coniungentes in agnitione voluntatis Patris et in dono sui ipsius pro grege sibi commisso.[22] Sic Boni Pastoris partes agendo, in ipso caritatis pastoralis exercitio invenient vinculum perfectionis sacerdotalis ad unitatem eorum vitam et actionem redigens. Haec quidem pastoralis caritas[23] maxime profluit a Sacrificio Eucharistico, quod ideo centrum et radix totius vitae Presbyteri exstat, ita ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat. Hoc autem obtineri nequit, nisi ipsi sacerdotes in mysterium Christi oratione semper intimius penetrent.

Ut unitatem vitae suae etiam concrete verificare valeant, omnia incepta sua considerent probantes quae sit voluntas Dei,[24] quae nempe sit inceptorum cum normis evangelicae missionis Ecclesiae conformitas.
[82] Fidelitas enim erga Christum a fidelitate erga Ecclesiam suam seiungi nequit. Pastoralis ergo caritas postulat ut Presbyteri, ne in vacuum currant,[25] in vinculo communionis cum Episcopis et cum aliis in sacerdotio fratribus semper laborent. Hac ratione agentes, Presbyteri propriae vitae unitatem invenient in ipsa missionis Ecclesiae unitate, sicque cum Domino suo, et per Eum cum Patre, in Spiritu Sancto, unientur, ut possint consolatione repleri et superabundare gaudio.[26]

II – Peculiares exigentiae spirituales in vita Presbyteri [82]

15. [*Humilitas et oboedientia*]. Inter virtutes quae ministerio Presbyterorum maxime requiruntur, nominanda est illa dispositio animi qua semper parati sunt non suam voluntatem quaerere, sed voluntatem Eius qui misit eos.[27] Divinum enim opus ad quod implendum a Spiritu Sancto assumpti sunt,[28] omnes humanas vires humanamque sapientiam trascendit; nam « infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia » (*1 Cor.* 1, 27). Propriae igitur infirmitatis conscius, verus Christi minister in humilitate laborat, probans quid sit beneplacitum Deo,[29] atque, veluti alligatus Spiritu,[30] ab Illius voluntate in omnibus ducitur, qui omnes homines vult salvos fieri; quam voluntatem in cotidianis rerum adiunctis detegere et exsequi potest, humiliter inserviendo omnibus qui ei, in munere sibi commisso et in multiplicibus vitae suae eventibus, a Deo concrediti sunt.

Ministerium autem sacerdotale, cum sit ministerium ipsius Ecclesiae, nonnisi in *communione hierarchica* totius corporis adimpleri potest. Caritas ergo pastoralis Presbyteros urget ut, *in hac communione agentes,* voluntatem propriam per oboedientiam servitio Dei ac fratrum dedicent, in spiritu fidei accipientes et exsequentes quae a Summo Pontifice et a proprio Episcopo necnon ab aliis superioribus praecipiuntur vel commendantur; libentissime impendentes et superimpendentes seipsos [31] in quocumque munere etiam humiliori et pauperiori quod ipsis concreditur. Hac enim ratione necessariam unitatem servant et firmant cum fratribus suis in ministerio, maxime autem cum eis quos Dominus rectores visibiles Ecclesiae suae constituit, et ad aedificationem operantur Corporis Christi, quod « per omnem iuncturam subministrationis » crescit.[32] Haec oboedientia, quae ad maturiorem libertatem filiorum Dei adducit, natura sua exigit ut, *dum,* in suo munere adimplendo, caritate moti, vias novas ad maius Ecclesiae bonum prudenter exquir*unt,* Presbyteri incepta sua fidenter proponant, et necessitudines gregis sibi commissi instanter exponant, parati *semper* ad illorum se subiiciendos iudicio, qui princeps in Ecclesia Dei regenda munus exercent.

Hac humilitate et oboedientia responsabili et voluntaria Presbyteri sese Christo conformant, sentientes in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens ... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9), et hac oboedientia inoboedientiam Adami [83]
devicit redemitque, testante Apostolo: « Per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboeditionem, iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

[83] 16. [*Coelibatus amplexandus et ut donum aestimandus*]. Perfecta *et perpetua* propter Regnum caelorum continentia *a Christo Domino commendata,*[33] *per decursum temporum et etiam nostris diebus a non paucis christifidelibus libenter accepta et laudabiliter observata,* ab Ecclesia *speciali modo* pro vita sacerdotali semper permagni hab*ita est.* Est enim signum simul et stimulus caritatis pastoralis atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo.[34] Non exigitur quidem a sacerdotio suapte natura, uti apparet ex praxi Ecclesiae primaevae[35] et ex traditione Ecclesiarum Orientalium, ubi praeter illos qui cum omnibus Episcopis ex dono gratiae coelibatum eligunt servandum, sunt etiam optime meriti Presbyteri coniugati: *dum vero ecclesiasticum coelibatum commendat,* Sacrosancta *haec* Synodus, *nullo modo absimilem illam disciplinam immutare intendit, quae in Orientalibus Ecclesiis legitime viget, omnesque illos* peramanter hortatur, *qui* in matrimonio *presbyteratum receperunt,* ut, in *sancta* vocatione perseverantes, plene et generose vitam suam gregi sibi commisso impend*ere pergant.*[36]

Coelibatus vero multimodam convenientiam cum Sacerdotio habet. Missio enim sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » (*Io.* 1, 13) habet. Per virginitatem autem vel coelibatum propter Regnum caelorum servatum,[37] Presbyteri *nova et eximia ratione Christo consecrantur, Ei* facilius indiviso corde adhaerent,[38] liberius in *Ipso* et per Ipsum *servitio Dei et hominum* sese dedicant, Eius Regno ac operi regenerationis supernae *expeditius* ministrant, et sic *aptiores fiunt qui* paternitatem in Christo *latius accipiant. Hoc ergo modo, coram hominibus profitentur se velle indivise* muneri sibi commisso *dedicari,* fideles scilicet despondendi uni viro, illosque exhibendi virginem castam Christo,[39] *et sic* arcan*um illud evocant* connubi*um a Deo conditum et in futuro plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet.*[40] Signum insuper vivum efficiuntur illius mundi futuri, per fidem et caritatem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores.[41]

His rationibus in *my*sterio Christi Eiusque *m*issione fundatis, coelibatus, qui prius sacerdotibus commendabatur, postea in Ecclesia *Latina* omnibus ad Ordinem sacrum promovendis *lege impositus est.* Quam legislationem, *ad eos qui ad Presbyteratum destinantur quod attinet,* Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat et confirmat, confidens in Spiritu donum coelibatus, sacerdotio Novi Testamenti tam congruum,
[84] liberaliter a Patre dari, dummodo qui sacerdotium Christi per Sacramentum Ordinis participant, immo et universa Ecclesia, humiliter et

enixe illud expetant. *Exhortatur etiam haec Sacra Synodus* omnes Presbyte*ros,* qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi libera voluntate secundum exemplum Christi acceperunt ut, illi magno animo et toto corde inhaere*ntes,* atque in hoc statu fideliter persever*antes,* agnosc*ant* praeclarum illud donum, quod a Patre sibi datum est quodque a Domino tam aperte extollitur,[42] necnon prae oculis habe*ant* magna mysteria, quae in eo significantur atque *adimplentur.* Quo magis autem perfecta continentia in mundo huius temporis a non paucis hominibus impossibilis reputatur, eo humilius et perseverantius Presbyteri gratiam fidelitatis, numquam petentibus denegatam, una cum Ecclesia expostulabunt, cuncta subsidia supernaturalia et naturalia insimul adhibentes, quae omnibus praesto sunt. *Normas praesertim asceticas quae ab experientia Ecclesiae probantur et quae in mundo hodierno haud minus necessariae sunt, sequi ne omittant.* Rogat itaque haec Sacrosancta Synodus non solum sacerdotes, sed et omnes fideles, ut eis hoc pretiosum donum coelibatus sacerdotalis cordi sit, petantque omnes a Deo, ut Ipse illud donum Ecclesiae suae semper abundanter largiatur. [84]

17. [*Habitudo ad mundum bonaque terrestria, et voluntaria paupertas*]. Amicabili et fraterna conversatione inter se et cum ceteris hominibus, discere valent Presbyteri valores humanos colere et bona creata tamquam Dei dona aestimare. Versantes in mundo sciant tamen semper se secundum verbum Domini Magistri nostri non esse de mundo.[43] Utentes ergo mundo tamquam non utentes,[44] pervenient ad illam libertatem, qua liberati ab omni cura inordinata dociles fiunt ad vocem divinam in vita cotidiana audiendam. Ex hac libertate et docilitate excrescit discretio spiritualis qua recta habitudo ad mundum bonaque terrestria invenitur. Quae habitudo ideo pro Presbyteris magni est momenti, quia missio Ecclesiae in medio mundo adimpletur et quia bona creata profectui personali hominis prorsus sunt necessaria. Grati ergo sint pro omnibus, quae eis Pater caelestis ad vitam recte peragendam largitur. Discernant tamen oportet in lumine fidei omnia, quae eis occurrant, ut ad rectum usum bonorum Dei voluntati respondentem ducantur et quae missioni suae sunt obnoxia respuant.

Sacerdotes enim, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bonis temporalibus uti debent tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem eadem destinari licet.

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum sacerdotes, adiuvantibus quatenus fieri possit peritis laicis moderentur, atque eadem destinent semper eos in fines ad

[84] quos prosequendos Ecclesiae licet bona temporalia possidere, videlicet ad
[85] cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.[45] Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, salvo iure particulari,[46] Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint. Itaque officium ecclesiasticum ne quaestui habeant neve redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant.[47] Quare sacerdotes, nequaquam divitiis cor apponentes,[48] omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

Immo ad paupertatem voluntariam amplexandam invitantur, qua Christo manifestius conformentur, et ad sacrum ministerium promptiores fiant. Christus enim propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut Illius inopia divites essemus.[49] Apostoli autem exemplo suo testificati sunt gratuitum Dei donum gratis dandum esse,[50] scientes et abundare et penuriam pati.[51] Sed et aliqualis rerum communis usus, ad instar bonorum communionis quae in historia primaevae Ecclesiae extollitur,[52] caritati pastorali optime viam sternit; et per eam vivendi formam Presbyteri laudabiliter ad praxim reducere possunt spiritum paupertatis qui a Christo commendatur.

Spiritu ergo Domini ducti, qui Salvatorem unxit et evangelizare pauperibus misit,[53] Presbyteri, necnon et Episcopi, omnia illa vitent quae pauperes quolibet modo avertere possent, prae ceteris Christi discipulis omnem speciem vanitatis in suis rebus seponentes. Habitationem suam ita disponant, ut haec nemini impervia appareat et ut nemo umquam, etiam humilior, eam frequentare vereatur.

III – Subsidia pro Presbyterorum vita

18. [*Subsidia vitae spiritualis fovendae*]. Unionem cum Christo ut in omnibus vitae adiunctis fovere valeant, Presbyteri, praeterquam exercitio conscio ministerii sui, gaudent mediis communibus et particularibus, novis et veteribus, quae Spiritus Sanctus in Populo Dei suscitare numquam destitit et quae Ecclesia ad suorum membrorum sanctificationem commendat, immo aliquando et iubet.[54] Prae omnibus spiritualibus subsidiis illi eminent actus, quibus christifideles ex duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae Verbo Dei nutriuntur;[55] quanti momenti sit eorum assidua frequentatio pro sanctificatione Presbyterorum propria neminem latet.

Christo Salvatori et Pastori intime uniuntur sacramentalis gratiae ministri per fructuosam Sacramentorum receptionem, speciatim in frequenti Poenitentiae sacramentali actu, quippe qui, cotidiana conscientiae discussione praeparatus, necessariam cordis conversionem ad Patris misericordiarum amorem tantopere foveat. Sub lumine fidei lectione divina enutritae, possunt Dei voluntatis signa et Eius gratiae impulsus in variis vitae eventibus sedulo inquirere, et ita missioni suae in Spiritu Sancto assumptae doci*liores* in dies fieri. Talis docilitatis mirum exemplum in Beata Maria Virgine semper inveniunt, quae, a Spiritu Sancto ducta, seipsam mysterio hominum Redemptionis totam devovit;[56] *quam Summi et Aeterni Sacerdotis Matrem et Apostolorum Reginam, atque ministerii sui praesidium, Presbyteri filiali devotione et cultu venerentur ac diligant.* [85] [86]

Ad *suum* ministerium cum fidelitate adimplendum, *colloquium cotidianum cum Christo Domino in visitatione et personali cultu Sanctissimae Eucharistiae sibi cordi sit*; recess*ui* spirituali*i* libenter *vacent atque directionem spiritualem magni habeant.* Multimodis, speciatim per probatam orationem mentalem et varias precum formas, quas libere eligunt, Presbyteri quaerunt et a Deo enixe rogant illum verae adorationis spiritum, quo ipsi, simul cum plebe sibi commissa, intime se cum Christo Novi Testamenti Mediatore uniant, et ita tamquam filii adoptionis clamare possint: « Abba, Pater » (*Rom.* 8, 15).

19. [*Studium et scientia pastoralis*]. Presbyteri ab Episcopo in sacro ritu Ordinationis admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei ».[57] Scientia autem ministri sacri sacra esse debet, quia e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa. Praeprimis itaque hauritur ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae,[58] sed et studio Sanctorum Patrum et Doctorum aliorumque Traditionis monumentorum fructuose nutritur. *Praeterea, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Conciliorum ac Romanorum Pontificum documenta, atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae scriptores.*

Cum vero nostris temporibus cultura humana et etiam scientiae sacrae novo gressu progrediantur, incitantur Presbyteri ut scientiam suam de divinis et humanis apte et sine intermissione perficiant, atque ita ad colloquium cum coaetaneis opportunius ineundum se praeparent.

Quo facilius Presbyteri in studia incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt institutio, iuxta cuiusque territorii condiciones, cursuum vel congressuum, erectio centrorum pastoralibus

[86] studiis destinatorum, constitutio bibliothecarum et apta per personas idoneas studiorum moderatio. Considerent insuper Episcopi singuli aut inter se uniti modum opportuniorem efficiendi ut omnes sui Presbyteri, statis temporibus, maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione,[59] frequentare possint cursum, quo ipsis praebeatur occasio cum ad pleniorem methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem roborandam et ad mutuo
[87] experientias apostolicas cum fratribus communicandas.[60] His aliisque aptis subsidiis peculiari cura iuventur etiam neoparochi et illi qui novo pastorali operi addicuntur, vel qui in aliam dioecesim vel nationem mittuntur.

Tandem solliciti erunt Episcopi ut aliqui ad profundiorem rerum divinarum scientiam se dedicent, ut numquam desint magistri ad clericos instituendos idonei, ut reliqui sacerdotes et fideles iuventur ad necessariam sibi doctrinam comparandam, utque sanus in sacris disciplinis foveatur progressus, qui Ecclesiae prorsus est necessarius.

20. [*Aequa remuneratio Presbyteris providenda*]. Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri qui aequam recipiant *remunerationem,* quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7),[61] atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14). Quapropter, quatenus aequae Presbyterorum remunerationi non aliunde provisum fuerit, ipsi fideles, quippe in quorum bonum Presbyteri operam impendant, vera obligatione tenentur curandi ut eisdem necessaria ad vitam honeste et digne ducendam subsidia procurari valeant. Episcopi autem de hac eorum obligatione fideles monere tenentur et curare debent, sive singuli pro sua quisque dioecesi, sive aptius plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur, quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum qui in Populi Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt. Remuneratio *autem* ab unoquoque percipienda, ratione quidem habita *tum ipsius muneris naturae tum* locorum temporumque condicionum, fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem *non solum debite providendi remunerationi eorum qui servitio Presbyterorum se dedicant, sed etiam* indigentibus per seipsos aliqua ratione subveniendi, quod ministerium erga pauperes, iam a primis suis exordiis, magno semper in honore Ecclesia habuit. *Haec remuneratio insuper talis sit, quae Presbyteris permittat quotannis debitum et sufficiens habere feriarum tempus, quod quidem, ut Presbyteri habere valeant, Episcopi curare debent.*

Officio vero, quod sacri ministri adimplent, praecipuum momentum

tribuere oportet. Quare systema sic dictum beneficiale relinquatur aut saltem ita reformetur ut pars beneficialis, seu ius ad redditus ex dote officio adnexos, habeatur tamquam secundaria, et princeps in iure tribuatur locus ipsi officio ecclesiastico, quod quidem deinceps intellegi debet quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum. [87]

21. [*Massae bonorum communes constituendae atque praevidentia socialis in favorem Presbyterorum ordinanda*]. Prae oculis semper habeatur exemplum credentium in primaeva Ecclesia hierosolymitana, in qua « erant illis omnia communia » (*Act.* 4, 32), « dividebatur autem singulis prout cuique opus erat » (*Act.* 4, 35). Summopere itaque congruit [88] ut, in regionibus saltem in quibus cleri sustentatio penitus aut magna ex parte a fidelium oblationibus pendet, bona in hunc finem oblata colligat institutio quaedam dioecesana, quam administrat Episcopus adiuvantibus sacerdotibus delegatis et, ubi utilitas id suadeat, etiam laicis in re oeconomica peritis. In votis quoque est ut praeterea, quantum fieri possit, in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis, qua valeant Episcopi aliis obligationibus erga personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia harum inopiam suppleat.[62] Quae etiam massa communis imprimis constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, provenientibus.

In nationibus praeterea ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut, attentis semper legibus ecclesiasticis et civilibus, habeantur sive instituta dioecesana, etiam inter se foedarata, sive instituta pro variis dioecesibus simul constituta sive associatio pro toto territorio condita, quibus, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideatur tum congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae, quam vocant, tum debitae sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero instituto erecto opem ferant, moti spiritu solidarietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum,[63] simul considerantes se ita, sine anxietate de sorte futura, alacriore sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti penitus se tradere posse. Satagant autem ii, ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur consequantur latiusque propagentur.

[88] NOTAE

[1] Cf. *2 Cor.* 12, 9.

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 10.

[3] Cf. *Io.* 10, 36.

[4] Cf. *Lc.* 24, 26.

[5] Cf. *Eph.* 4, 13.

[6] Cf. *2 Cor.* 3, 8-9.

[7] Cf. inter alia:

S. PIUS X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.

PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S,.* 51 (1959), p. 545 ss.

[89] [8] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 7.

[9] Cf. *Hebr.* 3, 9-10.

[10] Cf. *Act.* 16, 14.

[11] Cf. *2 Cor.* 4, 7.

[12] Cf. *Eph.* 3, 9.

[13] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[14] Cf. *Missale Romanum,* Oratio super oblata dominicae IX post Pentecosten.

[15] « Quaelibet enim Missa, etsi a sacerdote privatim celebratur, privata tamen non est, sed actus Christi et Ecclesiae; quae quidem Ecclesia in sacrificio, quod offert, seipsam tamquam universale sacrificium discit offerre et unicam et infinitam redemptricem sacrificii Crucis virtutem universo mundo ad salutem applicat. Unaquaeque enim Missa quae celebratur, non pro aliquorum tantum sed pro totius etiam mundi salute offertur (...) Paterne igitur et enixe commendamus sacerdotibus, qui potissimum gaudium Nostrum et corona Nostra sunt in Domino, ut... quotidie digne et devote Missam celebrent » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 [1965], pp. 761-762). Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, nn. 26 et 27: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 107.

[16] Cf. *Io.* 10, 11.

[17] Cf. *2 Cor.* 1, 7.

[18] Cf. *2 Cor.* 1, 4.

[19] Cf. *1 Cor.* 10, 33.

[20] Cf. *Io.* 3, 8.

[21] Cf. *Io.* 4, 34.

[22] Cf. *1 Io.* 3, 16.

[23] « Officium amoris pascere dominicum gregem » (S. AUGUSTINUS, *Tract. in Io.,* 123, 5: *PL* 35, 1967).

[24] Cf. *Rom.* 12, 2.

[25] Cf. *Gal.* 2, 2.

[26] Cf. *2 Cor.* 7, 4.

[27] Cf. *Io.* 4, 34; 5, 30; 6, 38. [89]
[28] Cf. *Act.* 13, 2.
[29] Cf. *Eph.* 5, 10.
[30] Cf. *Act.* 20, 22.
[31] Cf. *2 Cor.* 12, 15.
[32] Cf. *Eph.* 4, 11-16.
[33] Cf. *Mt.* 19, 12.
[34] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 42: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 47-49.
[35] Cf. *1 Tim.* 3, 2-5; *Tit.* 1, 6.
[36] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 28.
[37] Cf. *Mt.* 19, 12.
[38] Cf. *1 Cor.* 7, 32-34.
[39] Cf. *2 Cor.* 11, 2.
[40] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, nn. 42 et 44: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 47-49 et 50-51; Decretum *Perfectionis caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, 28 oct. 1965, n. 12.
[41] Cf. *Lc.* 20, 35-36; PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 24-28; PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 169-172.
[42] Cf. *Mt.* 19, 11.
[43] Cf. *Io.* 17, 14-16. [90]
[44] Cf. *1 Cor.* 7, 31.
[45] *Conc. Antioch.,* can. 25: MANSI 2, 1328; *Decretum Gratiani,* c. 23, C. 12, q. 1.
[46] Hoc intellegitur praesertim de iuribus et consuetudinibus in Ecclesiis Orientalibus vigentibus.
[47] *Conc. Paris.,* a. 829, can. 15: M. G. H., Sect. III, *Concilia,* t. 2, pars 6 622; *Conc. Trid.,* Sess. XXV, *de reform.,* cap. 1.
[48] Cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61.
[49] Cf. *2 Cor.* 8, 9.
[50] Cf. *Act.* 8, 18-25.
[51] Cf. *Phil.* 4, 12.
[52] Cf. *Act.* 2, 42-47.
[53] Cf. *Lc.* 4, 18.
[54] Cf. *C.I.C.,* can. 125 ss.
[55] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Perfectionem caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, 28 oct. 1965, n. 6; Const. dogm. *Dei verbum,* de Divina Revelatione, 18 nov. 1965, n. 21.
[56] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 65: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 64-65.
[57] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».
[58] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Dei verbum,* de Divina Revelatione, 18 nov. 1965, n. 25.
[59] Hic causa idem non est ac cursus ille pastoralis, statim post ordinationem perficiendus, de quo in Decreto *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 22.

[90] [60] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, n. 16.

[61] Cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18.

[62] Cf. *2 Cor.* 8, 14.

[63] Cf. *Phil.* 4, 14.

[91]

CONCLUSIO ET EXHORTATIO

22. Sacrosancta haec Synodus *gaudia vitae sacerdotalis prae oculis habens, etiam* difficultates *non praeterire potest,* quas in hodiernae vitae adiunctis patiuntur Presbyteri. Scit etiam quantum condiciones oeconomicae et sociales, immo et hominum mores, transformantur, quantumque ordo valorum in aestimatione hominum immutatur; Ecclesiae ministri inde, immo et nonnumquam christifideles, in hoc mundo quasi alienos ab ipso se sentiunt, anxie quaerentes quibusnam idoneis mediis et verbis cum eodem communicare valeant. Nova enim quae fidei obstant impedimenta, apparens peracti laboris sterilitas necnon acerba quam experiuntur solitudo, eos in periculum adducere possunt ne animo deprimantur.

Mundum autem, qualis hodie dilectioni et ministerio Pastorum Ecclesiae concreditur, sic Deus dilexit, ut Filium suum Unigenitum pro ipso daret.[1] *Revera,* mund*us hic,* multis quidem peccatis detent*us* sed non parvis etiam facultatibus praedit*us,* Ecclesi*ae* lapides vivos[2] *praebet,* qui coaedificantur in habitaculum Dei in Spiritu.[3] Idem Spiritus Sanctus, dum Ecclesiam impellit ut ad mundum huius temporis adeundum novas vias aperiat, congruas quoque ministerii sacerdotalis accommodationes suggerit ac fovet.

Meminerint Presbyteri se in opere exercendo numquam solos esse, sed inniti omnipotenti Dei virtute; *atque in Christum credentes, qui eos ad Sacerdotium suum participandum vocavit, cum omni fiducia suo ministerio sese devoveant, scientes potentem esse Deum ut augeat in eis caritatem.*[4] *Meminerint etiam* fratres in sacerdotio, immo et fideles totius mundi sibi socios habere. Cooperantur enim omnes Presbyteri in exsequendo Dei salutari proposito, mysterio scilicet Christi seu sacramento abscondito a saeculis in Deo,[5] quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec Eiusdem compleatur aetatis mensura. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo,[6] fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces Populi Dei, exemplum sequentes fidelis Abrahae, qui fide « oboedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: et exiit, nesciens quo iret » (*Hebr.* 11, 8). Revera mysteriorum

Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum Dominus Iesus, qui dixit: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33), his verbis Ecclesiae suae non promisit perfectam in hoc saeculo victoriam. Gaudet vero Sa- [91]
crosancta Synodus quod terra Evangelii semine inseminata nunc multis [92]
in locis fructificat sub ductu Spiritus Domini, qui replet orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum vere missiona*lem* excitavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universis orbis Presbyteris peramanter grates agit: « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu » (*Eph.* 3, 20-21).

NOTAE

[1] Cf. *Io.* 3, 16.
[2] Cf. *1 Pt.* 2, 5.
[3] Cf. *Eph.* 2, 22.
[4] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».
[5] Cf. *Eph.* 3, 9.
[6] Cf. *Col.* 3, 3.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS III [93]

ARTICULUS I

In suffragatione de Articulo I Capitis III schematis « De ministerio et vita Presbyterorum », die 12 novembris 1965, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.134
Placet	2.037
Non placet	2
Placet iuxta modum	95

Integer ergo Articulus I Capitis III, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatus est. Omnes Modi, a Patribus introducti praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

[93] AD NUMERUM 12

1 — Petunt quattuor Patres ut fere ubique in hoc numero, loco « Presbyteri » dicatur « Sacerdotes » (et sic iam in titulo articuli), et ideo pag. 33, linn 2-6 dicatur: « Sacramento Ordinis *Sacerdotes* Christo configurantur ... et aedificandum », supprimendo verba « tamquam Ordinis episcopalis cooperatores ».

R. — Non accipitur. Verbum « Sacerdotes » adhibetur quando expresse loquendum est de Presbyteris *et de Episcopis*. Attamen, quamvis quae de sanctitate dicuntur valeant, positis ponendis, etiam de Episcopis, schema de Presbyteris tractare debet (cf. Prooemium). Insuper verba deleta necessaria sunt, et ratione doctrinae et ratione petitionum plurimorum Patrum.

2 — Pag. 33, lin. 3. Loco « configurantur », ponatur « ordinantur », aut « destinantur », vel etiam « configurantur et destinantur », ne sacramentum Ordinis sumatur tamquam mera configuratio, quae similitudinem unice insinuat (1 Pater).

R. — Ratio imaginis hic bene congruit; idea proposita in verbis sequentibus enuntiatur.

[94] 3 — Pag. 33, lin. 8 ss. Textus legatur: « ... signum et donum acceperunt tantae vocationis et gratiae ut *media infirmitate humana* perfectionem prosequi ... ». Ratio: ne oblivioni dentur verba S. Pauli: « Virtus in infirmitate ... » (2 *Cor.* 13, 9 ss.) (1 Pater).

R. — Admittitur quoad sensum, mutando tamen verbum « media », quod obscurum est, et dicendo: « ut *vel in infirmitate humana,* perfectionem ... ».

4 — Pag. 33, lin. 8. Ratione maioris claritatis expungatur verbum « tantae » (1 Pater).

R. — Stet textus. Ratio cogens non videtur.

5 — Pag. 33, linn. 13-15. Loco « peculiari ratione ordinantur sacerdotes », dicatur « *maiori* ratione » (4 Patres), et « *tenentur* sacerdotes » (1 Pater), ut vitetur occasio confusionis cum ipsa Ordinatione sacramentali.

R. — Retineatur verbum « peculiari »; admittitur « tenentur », dicendo: « Ad illam vero perfectionem acquirendam peculiari ratione *tenentur sacerdotes* ... ».

6 — Pag. 33, lin. 15. Dicatur: « in Ordinis receptione Deo *specialiter* consecrati », quia in praecedenti sententia iam sermo fuit de consecratione, nempe baptismali (1 Pater).

R. — Satisfit intentioni scribendo: « qui Deo, in Ordinis receptione *novo modo* consecrati ». [94]

7 — Pag. 33, linn. 16-19. Ratione latinitatis scribatur: « ... ut mirab*ile* Eius *opus, quod* superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora *prosequi* valeant » (1 Pater).

R. — Emendatio prima admittitur, non vero altera, quia verbum « prosequi » adhibetur in lin. 23. Scribatur ergo: « ... ut mirab*ile opus* Eius, *quod* superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora *per*sequi valeant ».

8 — Pag. 33, linn. 16-19. Textus obscurus est, ideo dicatur: « ... efficiantur, *qui eorum ministerio utitur ut ad plenum effectum* per tempora *deducant* mirabile *suum opus, quo homines cum Patre et inter se conciliat* » (2 Patres).

R. — De obscuritate sat provisum est, mutando « operam » in « opus » et « consequi » in « persequi » (cf. Modum 7).

9 — Pag. 33, linn. 17-19 et 24-25. Expungantur verba: « quae superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit » et « utque humanae infirmitati carnis medeatur sanctitas Illius ». Rationes sunt quia: *a*) sic indebite introducitur vel insinuatur theoria Origenista de redintegratione universali; *b*) insuper, obscuritate laborat altera phrasis; *c*) utraque sententia gravat textum, qui stylistice melius sine illis sonaret (1 Pater). [95]

R. — Negatur alteram phrasim Origenismum sapere. Ad primam quod attinet, nihil aliud insinuat nisi sic dictam Redemptionem obiectivam, quae in hominibus per tempora ad effectum deducitur. Ceterum ad verbum desumpta est ex Litt. Encycl. Pii XI, *Ad catholici sacerdotii* (*A.A.S.*, 28 [1936], p. 10), inclusis verbis supra vituperatis « mirabilem eius operam ». Haec referentia, eaque sola (cf. Modum 14) in nota ponitur.

10 — Pag. 33, lin. 19 ad pag. 34, lin. 11:

a) Deleantur linn. 28-31, quia de sanctitate obiectiva et legali loquuntur, prout requirebatur in Veteri Testamento, non de sanctitate interna christiana (2 Patres).

b) Proponunt 12 Patres aliam redactionem pro toto textu, incipiendo a pag. 33, lin. 19 usque ad pag. 34, lin. 11. Textus sic sonaret: « Cum ergo omnis sacerdos, suo modo, Ipsius Christi personam gerat, qui nobis factus est "sanctus, innocens,

[95] impollutus, segregatus a peccatoribus" (*Hebr.* 7, 26) quique "dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum" (*Tit.* 2. 14), particulari quoque gratia ditatur, ut inserviendo seseque devovendo plebi commissae et universo Populo, in dies magis caritate Ipsius Pastoris et Episcopi animarum nostrarum informetur huiusque caritatis fructus in tota sua vita ferat». Rationes: 1) in schemate aliqua distinctio adesse videtur inter perfectionem individualem (pag. 33, linn. 19-27) et perfectionem pastoralem (pag. 34, linn. 6-11); 2) textus propositus clarius exprimit omnem sanctitatem specifice sacerdotalem specifice profluere e sanctitate unici Pontificis Novi Testamenti; 3) citatio ex *Lev.* 21, 8 non congruit, propter rationem in 1) allatam.

c) Duo Patres proponunt ut expungatur totum incisum a pag. 33, lin. 32 ad pag. 34, lin. 15, et restituatur pars omissa prioris textus, pag. 33, linn. 15-21. Rationes: omittendo paragraphum priorem, introducitur conceptus sanctitatis obiectivae, iuxta quem omnes sacerdotes sancti essent ipsa consecra-
[96] tione sacramentali, et amplius sanctificarentur per solum ministerium sacrum, neglecto omni conatu interno. Sic *substantialiter* mutatus est textus a Patribus approbatus. Quoad connexionem inter sanctitatem et ministerium sat alibi providetur (nn. 15, 17, etc.).

d) Unus Pater aliquas mutationes proponit in pag. 34, lin. 5ss., et introducit citationem ex *2 Cor.* 19, 2, ad melius extollendum momentum Crucis, et ad vitandam omnem speciem «triumphalismi» in modo cogitandi de sanctitate hominis.

R. — Ad *a*) admittitur, et sic pro parte satisfit *b*).

Ad *b*) sententia esset nimis longa, et omitterentur allusiones ad *Io.* 10, 36 et *Lc.* 24, 26, quae tamen sunt ad rem, necnon mentio Spiritus *Sancti* (et Sanctificantis).

Ad *c*) negatur ratio allata. Ceterum, excepta citatione ex *1 Cor.* 9, 27, textus prior nihil aliud dicebat ac textus emendatus, et iam agebat de sanctificatione per ministerium, secundum postulata permultorum Patrum. Ut autem evidens sit intentionem textus aliam esse ac eam, quae ei imputatur, in pag. 34, lin. 8 haec addantur: «...a Christo missi, *in seipsis opera carnis mortificant et* totaliter hominum servitio...».

Ad *d*) assumantur ex Modo proposito verba «et sic *per pas-*

sionem intravit» (pag. 34, lin. 5), sine citatione ex 2 *Cor.* 12, 9, cuius iam mentio fit (cf. Modum 3). [96]

Textus ergo sic sonat: « Cum ergo omnis sacerdos, suo modo, ipsius Christi personam gerat, particulari quoque gratia ditatur ut, inserviendo plebi commissae et universo Populo Dei, Eius perfectionem aptius prosequi possit, cuius partes sustinet, utque humanae infirmitati carnis medeatur sanctitas Illius, qui nobis factus est Pontifex "sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus" (*Hebr.* 7, 26). (...)

Christus, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36), "dedit semetipusm pro nobis, ut nos redimet ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum (*Tit.* 2, 14), et sic *per passionem* intravit in gloriam suam (cf. *Lc.* 24, 26); simili modo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti consecrati et a Christo missi, *in seipsis opera carnis mortificant et* hominum servitio totaliter se devovent, et sic in sanctitate qua in Christo ditati sunt, ad perfectum virum (cf. *Eph.* 4, 13) progredi valent ».

11 — Pag. 34, lin. 17. Proponunt 25 Patres ut dicatur, nonnullis verbis omissis vel mutatis in formula, « cum Episcopo, qui est perfector tam clericorum quam laicorum », cum referentia ad Const. dogm. *Lumen gentium* (sic aiunt): revera, ut duo Pa- [97] tres innuunt, ad Decretum *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, cap. II, n. 15. Ratio: utile est in memoriam Presbyterorum revocare hoc munus Episcopi proprii erga sanctitatem cleri sui.

R. — Modus, sicut propositus est, nimis oneraret sententiam. Insuper provisum iam est in responsione ad Modum 78 Capitis II.

12 — Pag. 34, lin. 23. Dicatur: « ... opus salutis explere possit, *prouti de facto evenit in Sacramentorum administratione* », ut in tuto ponatur doctrina de Sacramentis ex opere operato operantibus (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Haec doctrina evidenter subintellegitur.

13 — Pag. 34, lin. 28. Dicatur: « cum Apostolo *verius* dicere poss*int* », quia: *a*) Apostolus loquitur de omnibus qui in statu sunt gratiae; qualificatio *verius* necessaria est ne videamur distinguere tantum inter Presbyteros de mortali peccato impoenitentes et ceteros; *b*) humilitatem Presbyterorum attendere debemus (1 Pater).

[97] R. — Contextus clarus est. Dicatur tamen: « cum Apostolo dicere *valeant* ».

14 — Pag. 34, lin. 34. Addatur: « ... hortatur omnes sacerdotes ut, *aptis adhibitis mediis ab Ecclesia commendatis,* ad illam semper ... ». Ratio est quia textus nimio optimismo laborat, et taceri non debent condiciones a documentis SS. Pontificum commendatae (1 Pater).

R. — Accipitur Modus, cum referentia ad illa documenta, quae revera iam citabantur pag. 48, sub nota 1: haec ergo nota transferatur de pag. 33, lin. 19 ad finem incisi in Modo propositi.

15 — Pag. 34, linn. 34-37. Dicatur: « ... vehementer hortatur omnes sacerdotes, ut illam semper maiorem sanctitatem *prae se ferant, qua Christum pro grege suo et pro mundo praesentem reddunt fideique christianae veritatem testificantur, illis imprimis virtutibus insigniti, quae homines hodiernos convincunt, uti sunt fides viva, spes firma atque in adversis fortitudo, caritas actuosa, quae propria negligit aliorumque necessitatibus semper patet. Sic* evad*unt,* in dies aptiora instrumenta in servitium totius Populi Dei *et omnium eorum, quos adiuvandos Deus eis committit* » (12 Patres).

[98] R. — Ideae expressae sparsim in schemate sufficienter inveniuntur. Mutatio proposita mensuram simplicis « Modi » excedit, et ideo non acceptatur.

16 — Pag. 34, lin. 37. Addatur: « ... Populi Dei. *Episcopi, quippe qui omnium sibi concreditorum sint perfectores, sanctitatem sui Presbyterii promoveant, aptis consiliis atque particularibus etiam normis illud in eadem excolenda dirigentes* ». Ratio concordat cum ratione Modi 11 (4 Patres).

R. — Iam provisum est in responsione ad Modum 11.

AD NUMERUM 13

17 — Sermo fiat de B. Maria Virgine (4 Patres).

R. — Alibi in schemate provisum est: cf. n. 18.

18 — Pag. 34, lin. 40. Loco « sanctitatem », dicatur « perfectam caritatem ». Accuratius oportet distinguere inter sanctitatem, quae primarie est sanctitas Christi in baptismate et in Ecclesia participata, et perfectionem, quae magis ad exercitia hominis spectat (1 Pater).

R. — Non accipitur, ut respectus habeatur ad rationem eorum Patrum qui iam schema vituperant, et quidem iniuste, quia momentum curae propriae sanctimoniae debilitaretur. [98]

19 — Pag. 34, lin. 41. Deleatur vox « triplex », quia superfluum esse videtur definire theoriam de triplici munere (1 Pater).

R. — Admittitur, quamvis doctrina haec de facto sit doctrina Vaticani II. Dicatur: « munera sua », loco: « triplex suum munus ».

20 — Pag. 34, lin. 41. Loco « Presbyteri », dicatur « Sacerdotes » (4 Patres: cf. Mod. 1).

R. — Non admittitur.

21 — Pag. 35, lin. 1. Dicatur: « ... ministri cum sint, *curent legere et audire* Dei verbum ... », quia audire quotidie verbum Dei nimis onerosum et saepe impossibile est (1 Pater).

R. — Maneat textus: non agitur de auditione alicuius concionis, sed de auditione verbi in lectione Scripturae et celebratione SS. Liturgiae.

22 — Pag. 35, linn. 19-22. Expungatur textus et loco eius reintroducatur pars omissa textus prioris, linn. 9-14. Item, linn. 23-43 pag. 35 et linn. 1-23 pag. 36 expungantur et reintroducatur textus prior, pag. 35, linn. 15-33 ad pag. 36, linn. 5-23. Si tamen phrases novae conservantur, iterum reponatur modus subiunctivus. Quia *a*) nova forma introducta est nullo petente, proprio marte Commissionis; *b*) per has variationes, Commissio systematice intendit eliminare verae sanctitatis moralis notionem, eam mutando in solam obiectivam et sacramentalem, nullam dispositionem internam subiecti exigentem (2 Patres). [99]

R. — Commissioni intentio prava false et gratuito imputatur. Multi Patres petierunt ut pro posse vitetur modus exhortatorius, qui forma subiunctiva introducitur. Maneat ergo textus a longe maiori Patrum parte approbatus.

23 — Pag. 35, lin. 24. Loco « Presbyteri », dicatur « Sacerdotes »: iidem 4 Patres ac in Modo 1.

R. — Eodem modo respondetur. Maneat textus.

24 — Pag. 35, lin. 23. Loco « Sacramentorum ministri », dicatur « *Sacrorum* ministri », quia in hodierno verborum usu, « sacramentum » clare distinctum sensum a verbo « sacrificium » habet (1 Pater).

[99] R. — Non accipitur, quia in textu nulla ambiguitas habetur, et quia Sacrificium Eucharisticum in ipso Altaris Sacramento celebratur.

25 — Pag. 35, lin. 35. Loco « Presbyteri », dicatur « Sacerdotes »: iidem 4 Patres ac in Modo 1.

R. — Eadem ratione ac in Modo 1, non admittitur.

26 — Ordo dictorum mutetur, ita ut numerus initium sumat in pag. 35, lin. 23 ad pag. 36, lin. 4, et prosequatur cum his quae adsunt pag. 35, linn. 1-22; denique apponantur quae habentur pag. 36, linn. 5-23. Ut firma maneant ea quae dicta sunt in n. 4 de primatu celebrationis Eucharistiae in vita sacerdotali (1 Pater).

R. — Non admittitur: numerus sequitur ordinem trium munerum ut in schemate invenitur, quum nunc sermo fiat de requisitis ac emolumentis horum munerum quoad sanctificationem Presbyteri. Totus ordo schematis deberet mutari, quod rationem alicuius Modi excederet. Ordo iste est ordo exercitii, non ordo ontologicae dignitatis.

[100] 27 — Pag. 35, linn. 30-35. Loco: « In mysterio Sacrificii ... et ideo eius celebratio ... », dicatur: « *Quia* in mysterio ... eius celebratio ... ». Ita, contra errores grassantes, amplius commendatur celebratio quotidiana (1 Pater).

R. — Non admittitur: cf. infra, Mod. 31.

28 — Pag. 35, lin. 33. Loco « exercetur », ponatur « exseritur ». Sic enim habent codices meliores (1 Pater).

R. — Non admittitur, donec Missale Romanum corrigatur ad meliores criticas lectiones: in praesenti rerum statu, Presbyteri, cum correctione proposita, haud facile allusionem ad textum Missalis recognoscerent. Insuper, sicut ipse fatetur Pater, Const. *De Sacra Liturgia* sic textum Orationis citavit.

29 — Pag. 35, lin. 34:

a) Expungantur verba « etiam non praesente populo ». Illa verba contradicunt spiritui Articuli 27 Const. *De Sacra Liturgia,* ubi petitur ut inculcetur celebrationem cum frequentia et actuosa participatione fidelium esse praeferendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae. Insuper, illa generalis et absoluta affirmatio sonat sicuti quid inauditum in documentis ecclesiasticis; a multis intelligeretur Concilium proponere ut quid normale celebrationem sine ulla assistentia, ne quidem acolythi requisiti. Illa documenta, sicuti sunt Const. *De Sacra*

Liturgia et Encycl. Litt. *Mysterium fidei* distinctiones congruas [100]
longe lateque afferunt. Cum autem ibi tantum breviter res tangatur, simpliciter dicatur: « Missae celebratio cotidiana enixe commendatur »: quod sufficit et omnibus requisitis satisfacit (27 Patres).

b) Retineantur verba increpata (3 Patres).

R. — Textus caute (cf. supra Mod. 11) simul ac fortiter sanam exprimit doctrinam, sine praeiudicio ulteriorum explanationum. Nihil aliud facit nisi rationem dare quare « celebratio cotidiana enixe commendatur ». Addatur tamen in nota referentia ad Const. *De Sacra Liturgia,* et conferatur Resp. ad Mod. 31.

30 — Pag. 35, lin. 34. Deleantur verba: « etiam non praesente populo », et addantur sequentia: « Et si absentia populi, ministro excepto, non est ratio sufficiens ut sacerdos non celebret, tamen sollicitudinem habeat ut Missa celebretur coram multitudine fidelium » (1 Pater), vel: « Caveant etiam ut ministrum semper habeant secundum normas liturgicas » (1 Pater). Quia: *a*) Clausula vituperata videtur commendare anomaliam. *b*) Magis magisque in usu est celebratio sine ullo ministro, aliquando [101]
in condicionibus non dignis. Insuper est contra naturam dialogi ut celebrans ipse sibi ipsi respondeat « et cum spiritu tuo ». Concilium non debet problema dirimere unilateraliter; si illud congrue tractare non potest, melius taceat.

R. — De abusibus providere debent Ordinarii. Cf. Resp. ad Mod. sequentem.

31 — Pag. 35, lin. 34. Loco « etiam non praesente populo », scribatur « etiam *privatim* ». Quia: *a*) expressio delenda infausta videtur. Tacere non debemus valorem absolutum Sacrificii Missae, sed insimul vitare ne scandalum fratribus a nobis seiunctis afferamus, dum credunt nos negligere praesentiam fidelium; *b*) Litt. Encycl. *Mysterium fidei* vitant expressionem « etiam non praesente populo », et dicunt « privatim », ulterius explanando quomodo Missa, sic dicta privata, revera « privata » non sit (3 Patres).

Alius Pater proponit formulam: « *quae,* etiam non praesente populo, *eius nomine fit* ».

Alius: « etiam populo Dei tantummodo moraliter praesente ».

Alii duo Patres: « et ideo eius celebratio cotidiana enixe commendatur, etiam *si privatim, solo ministro inserviente et respondente celebranda esset* ».

[101] Alius additionem proponit, nempe: « *attentis tamen necessitatibus et iustis desideriis fidelium ut Missae celebrationi intersint* », ne ansa praebeatur sacerdotibus sensu pastorali parum imbutis, qui nimis facile sese excusant a celebratione coram populo.

R. — Scribatur: « et ideo enixe commendatur eius celebratio cotidiana, *quae quidem etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae* » (et servatur referentia ad Litt. Encycl. *Mysterium fidei*).

32 — Pag. 35, linn. 34-35. Additiones diversae proponuntur:

a) « enixe commendatur, *utpote ad promovendam sanctitatem sacerdotalem maxime idonea* » (32 Patres);

b) « *ad sanctificationem suam et pro totius mundi salute* » (1 Pater);

c) « *Quapropter omnino comprobatur sacerdotium monachorum, qui, intra saepta monasterii Missas celebrantes, munus illud exercent, quo amplissima peculiarium gratiarum copia ad salutem, tum ipsis, tum fideli populo et toti Ecclesiae, tum universo mundo provenit* » (cf. Litt. Encycl. *Mysterium*
[102] *fidei*, Romae, ed. Ancora, 1965, pag. 30). Ratio patet ex textu proposito et ex periculo, quod e schemate oriri posset, dubia vel perturbationes in mente nonnullorum monachorum excitandi circa rationes eorum ad Presbyteratum ordinationis (27 Patres);

d) « enixe commendatur, *cum debita praeparatione et gratiarum actione* », quia haec, proh dolor, parvipenduntur ab aliquibus, non sine detrimento eorum fervoris et populorum aedificationis (1 Pater).

R. — Ad *a*) et *b*): hoc a toto contextu satis inculcatur. Non admittitur. Ad *c*): quia, ex dictis in Prooemio, congrua congruis referenda sunt, iam in textu providetur: revera additio proposita, nihil aliud est quam aliquis « embolismus » eorum quae in linn. 30-35 dicuntur. Ergo, non videtur necessarium. Ad *d*): non admittitur: pertinet potius ad libros asceticos.

33 — Pag. 35, lin. 39. Loco « panem eucharisticum », dicatur: « cibum (cf. *Io*. 6, 55) », ut usurpetur locutio verior et magis traditionalis (2 Patres).

R. — Admittitur. Dicatur: « qui se *in cibum* dat fidelibus ».

34 — Pag. 35, lin. 39. Loco « panem eucharisticum », dicatur: « sacramentaliter » (5 Patres).

R. — Non admittitur, quia nec necessarium nec pulchrum: tota paragraphus evidenter de Sacramento Eucharistiae tractat. [102]

35 — Pag. 35, lin. 41. Attentis expostulatis in Modo 38 Capitis II additur textus: «... uniuntur; *quod speciali ratione efficiunt, cum Sacramenti Poenitentiae fungendo muneri omnino semperque paratos se ostendant quotiescumque id a fidelibus rationabiliter petitur.* In officio ...».

36 — Pag. 36, lin. 7. Addatur: «... (cf. *Io.* 10, 11) *sequentes quoque praeclara exempla plurimorum sacerdotum qui decursu saeculorum, etiam nostris temporibus, animam suam pro ovibus suis dederunt*». Ratio patet ex textu factisque omnibus notis (1 Pater).

R. — Admittitur, et ad mentem. Scribatur: «... (cf. *Io.* 10, 11), *parati quoque ad supremum sacrificium, exemplum sequentes sacerdotum qui etiam hodiernis temporibus vitam suam ponere non renuerunt;* educatores ...».

37 — Pag. 36, lin. 8. Loco «fidei», dicatur «in fide», sicut in pag. 19, lin. 1 et pag. 57, sub litt. C (3 Patres). [103]

R. — Admittitur: «Educatores *in fide* cum sint».

38 — Pag. 36, lin. 19. Addatur: «... (cf. *1 Cor.* 10, 33) *prompti ad collaborandum cum aliis, etsi haec collaboratio conatus exigat*», quia haec forma «ascesis» pastoralis hodie frequens, necessaria necnon sat onerosa est (6 Patres).

R. — Implicite dicitur in loco, et explicite in n. 8. Non ergo videtur necessarium.

AD NUMERUM 14

39 — Pag. 36, lin. 35 ad pag. 37, lin. 17. Restituatur textus prior approbatus. Ratio eadem est ac in Modo 22 (2 Patres).

R. — Admitti non potest. Ratio non valet. Praeterea textus prior nondum erat a Concilio approbatus.

40 — Pag. 36, linn. 35-37. Dicatur: «Quam unitatem *ministerii operatio maxime exigit et* pietatis exercitiorum praxis *nutrit et roborat.* Eam vero ...». Rationes: *a*) formula negativa maxime periculosa est; *b*) evidens est praxim exercitiorum pietatis necessariam esse, sine qua non potest obtineri unio cum Christo de qua in sequentibus lineis agitur (1 Pater).

[103] R. — Modus non accipitur. Rationi allatae satisfit addendo in lin. 37: «... pietatis exercitiorum praxis, *quantumvis ad eam fovendam conferat,* efficere potest».

41 — Pag. 36, linn. 39-40. Addatur: «... sequentes Christi Domini *in oratione ad Patrem instantis vel etiam pernoctantis,* cuius cibus ...». Ratio est quia textus passim videtur cuidam humanismo nimis indulgere et ascesim supernaturalem minus commendare (1 Pater).

R. — Sententia nimis oneraretur; mentio instantis orationis coarctaret sensum huius pericopae, qui largior est. Ratio non videtur vera. Ceterum iam nonnulli nostri Modi momentum ascesis confirmant: cf. Modos 10, 14, 18 et 32 *d*.

42 — Pag. 37, linn. 7-12. Dicatur: «Sic Boni Pastoris partes agendo *in exercitio muneris sublimis celebrationis Divini Sacrificii Altaris necnon munerum* caritatis pastoralis invenient vinculum
[104] perfectionis sacerdotalis ad unitatem eorum vitam et actionem redigens. Haec quidem pastoralis caritas maxime profluit *ab ipso* Sacrificio Eucharistico ...» (1 Pater).

R. — Non admittitur: vinculum perfectionis non est in celebratione Sacrificii, sed invenitur in exercitio *caritatis*: cf. *Col.* 3, 14. Insuper, vera quae sic dicenda proponuntur, iam inveniuntur in sententia sequenti: «haec *quidem* ...».

43 — Pag. 37, linn. 11-12. Dicatur, ut in textu priori: «Haec *autem* pastoralis caritas (...) profluit a *Sacramento Altaris,* quod ideo ...». Ratio est ne indulgeri videatur tendentiae pietatem ad Sacrificium reducendi, non ad Sacramentum, quod permanenter adorationi fidelium praebetur (1 Pater).

R. — Non admittitur: ratio caritatis pastoralis maxime profluit a Sacrificio Christi qua tali. De adoratione SS. Eucharistiae in numeris 5 et 18 sermo expresse fit.

44 — Pag. 37, lin. 17. Dicatur: «... nisi ipsi sacerdotes *ad* mysterium Christi semper intimius penetr*andum et clarius manifestandum, orationi quotidie vacent et exercitiis vitae spiritualis constanter sese reficiant, et sacramentali confessione sese purificent*». Ratio est quia periculum instat non satis commendandi exercitia pietatis et sacramentorum frequentationem (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia hic agitur de unitate vitae Presbyterorum. Rationibus vero allatis satisfit in responsionibus ad Modos circa n. 18 schematis.

45 — Pag. 37, lin. 22. Dicatur: « ... quae nempe sit inceptorum cum Ecclesiae evangel*ica* missio*ne et* normis conformitas ». Ratio est quia non ipsi Presbyteri iudicare possunt de normis: sunt enim Ecclesiae ministri, non iudices (5 Patres). **[104]**

R. — Difficultas, si adsit, non tolleretur, quia magis in verbo « probantes » poni videtur; attamen nullo modo commendatur Presbyteris abusus iudicii privati, sicut patet ex lineis sequentibus, quae rationi allatae satisfacere videntur. Aliqua norma practica tantum datur ad unitatem vitae in multis et diversis inceptis servandam. Modus ergo non accipitur.

46 — Pag. 37, lin. 28. Loco « cum Episcopis » dicatur « cum Episcopo proprio », quia Presbyter concrete vivere debet in communione non cum omnibus Episcopis, sed speciatim cum proprio Episcopo: cf. in schemate pag. 34, lin. 17 et pag. 38, lin. 25 (8 Patres).

R. — Consulto tali modo scriptus est textus, quia revera multa demandantur Presbyteris, quae non solum ab Episcopo proprio veniunt, sed etiam a collegialibus decretis vel monitionibus, immo a Summo Pontifice. **[105]**

47 — Pag. 37, lin. 25. Dicatur: « Pastoralis ergo caritas, *natura sua* postulat ut ... in vinculo communionis *hierarchicae* cum ... ». Ratio est ut vinculatio manifestetur non solum verbis quae horizontalitatem exprimant, sed etiam verticalitatem: cf. *Lumen gentium,* n. 21 (7 Patres).

R. — Non admittitur. Non adest communio hierarchica cum aliis in sacerdotio fratribus. Idea intenta adest in contextu; insuper de communione hierarchica pluries iam dicitur in schemate.

QUAESITUM

An placeat expensio Modorum facta a Commissione de disciplina cleri et populi christiani circa Modos Articulum I Capitis III (nn. 12-14) respicientes?

[106]

RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS III

ARTICULUS II

In suffragatione de Articulo II Capitis III schematis « De ministerio et vita Presbyterorum », die 13 novembris 1965, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.076
Placet	1.434
Non placet	11
Placet iuxta modum	630
Vota nulla	1

Integer ergo Articulus II Capitis III, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatus est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

MODI GENERALES

1 — 1 Pater iudicat ea quae dicuntur in nn. 15-17 esse nimis timida, et optat textum magis firmum, in quo exigentiae pro vita sanctificationis Presbyterorum clarius exprimantur.

1 Pater dolet quod ablata sit mentio explicita consiliorum Evangelicorum.

1 Pater, e contra, vellet textum breviorem, in quo solummodo principia generalia darentur, remittendo particularia ad Codicem Iuris Canonici.

R. — Hi Modi generaliores exigerent substantialem modificationem totius textus, quod esset contra suffragationem in Aula conciliari factam.

AD NUMERUM 15

2 — Pag. 37, lin. 39. Dicatur: « dispositio animi qua semper parati sunt », loco: « dispositio animi qua parati sunt semper » (1 Pater).

R. — Admittitur.

3 — Pag. 38, lin. 18 et ss. Dicatur: « Ministerium autem sacerdotale, cum sit ministerium ipsius Ecclesiae, nonnisi in communione *hierarchica* totius corporis adimpleri potest. *Haec vero communio* Presbyteros urget ut voluntatem propriam per oboedientiam... ». Ratio est quia fundamentum oboedientiae non est caritas pastoralis, sed dependentia a voluntate Dei per superiores hierarchicos manifestata (7 Patres). [107]

R. — Modus admittitur, cum tamen parva modificatione; nam non est omnino verum quod fundamentum oboedientiae non sit caritas pastoralis; caritas enim est fons omnium virtutum, et, in isto casu, est caritas, seu voluntas boni communis, quae urget Presbyteros ad agendum in communione hierarchica. Textus ergo sic sonet: « Ministerium autem sacerdotale, cum sit ministerium ipsius Ecclesiae, nonnisi in *communione hierarchica* totius corporis adimpleri potest. Caritas ergo pastoralis Presbyteros urget, ut, *in hac communione agentes,* voluntatem ... ».

4 — Pag. 38, lin. 18 et ss. Idem dicatur ac in modo praecedenti, addendo tamen: « ... *natura sua* nonnisi in communione hierarchica ... ». Quae verba desumuntur ex Const. De Ecclesia, n. 21 b (ubi tamen agitur de Episcopis) (9 Patres).

R. — Modus non admittitur, quia idea iam adest implicite in textu.

5 — Pag. 38, lin. 22 et ss. Dicatur: « ... per oboedientiam servitio Dei ac fratrum dedicent, *communione activa voluntatis cum* Summo Pontifice et proprio Episcopo necnon aliis superioribus, in spiritu fidei accipient et exsequ*entur* quae ab *iisdem* praecipiuntur ... ». Normae practicae oboedientiae supponunt dispositionem internam voluntatis, quae modo positivo exprimitur verbis: « communione activa voluntatis »; praeterea his verbis nexus datur cum elaboratione oboedientiae « adultae » et responsabilis quae in pag. 38, linn. 36-37, et in pag. 39, linn. 4-5 invenitur (12 Patres).

R. — Idea iam sufficienter videtur exprimi verbis: *voluntatem dedicent.* Idea autem communionis exprimitur in Modo antea admisso.

6 — Pag. 38, lin. 24. Addantur verba: « ... quae a Summo Pontifice, *a legibus Ecclesiae* (*canonicis et liturgicis*) et a proprio Episcopo ... ». Quia hodie talis oboedientia speciatim com-

[107] mendanda est (44 Patres). Alia formula proponitur: « *quae*
[108] *a iure communi aut particulari, tum a* Summo Pontifice et a proprio Episcopo ... » (1 Pater).

R. — Leges Ecclesiae non sunt nisi expressiones voluntatis sive Romani Pontificis vel totius Collegii Episcoporum (si agitur de iure communi), sive Episcoporum (si agitur de iure particulari). Unde additio non videtur necessaria.

7 — Pag. 38, lin. 25. Deleantur verba: « necnon ab aliis superioribus ». Ratio est quia Presbyter nullum alium superiorem habet praeter Romanum Pontificem et proprium Episcopum (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia sunt revera alii superiores.

8 — Pag. 38, lin. 26. Addatur verbum: « ... necnon ab aliis superioribus *legitime* praecipiuntur ... ». Ratio est quia Presbyterorum obligationes merito in schemate indicantur, sed indicandum est quales reapse sunt, et simul, implicite saltem, eorum iura determinari debent (5 Patres).

R. — Non admitittur Modus, quia hoc subintellegitur in textu.

9 — Pag. 38, lin. 36 et ss. Textus sic mutetur: « Haec oboedientia exigit ut Presbyteri *dum* in suo munere adimplendo, vias novas ad maius Ecclesiae bonum prudenter exquir*unt,* incepta sua fidenter propon*unt,* et necessitudines ... expo*nunt,* parati sint ad illorum se subiiciendos iudicio, qui ... ». Ratio est quia textus uti iacet insistere videtur ante omnia in libera initiativa sacerdotum, oboedientiam vero tantummodo indirecte, et quasi per quandam concessionem (tamen!) commendare (9 Patres).

R. — Textus sic mutatur: « Haec oboedientia, quae ad maturiorem libertatem filiorum Dei adducit, natura sua exigit ut, *dum,* in suo munere adimplendo, caritate moti, vias novas ad maius Ecclesiae bonum prudenter exqui*runt,* Presbyteri incepta sua fidenter proponant, et necessitudines gregis sibi commissi instanter exponant, parati *semper* ad illorum se subiiciendos ... ».

AD NUMERUM 16

10 — Pag. 39, linn. 16-17. Dicatur: « Perfecta *et perpetua* propter Regnum caelorum continentia ... » (44 Patres).

R. — Modus accipitur.

11 — Pag. 39, linn. 16-17. Addatur: « ... continentia *a Christo Domino commendata* (cf. *Mt.* 19, 12) *per decursum temporum et etiam nostris diebus a non paucis christifidelibus libenter accepta et laudabiliter observata* ab Ecclesia *speciali modo* pro vita sacerdotali ... » (1 Pater). [109]

R. — Modus accipitur. Sic enim illa perfecta continentia minus intellegitur tamquam monopolium clericorum et religiosorum.

12 — Pag. 39, lin. 19. Dicatur: « ... semper permagni ha*bita est* » (1 Pater); vel « *ab exordiis* habe*tur* » (1 Pater).

R. — Dicatur: « semper permagni ha*bita est* ».

13 — Pag. 39, linn. 22-23. Dicatur: « ... Non exigitur quidem a sacerdotio *qua tali,* uti apparet ... » (2 Patres).

R. — Non admittitur. Textus est satis clarus.

14 — Pag. 39, linn. 23-24:

a) Addatur: « ... uti apparet ex praxi *apostolica* (cf. *1 Tim.* 3, 2-5; *Tit.* 1, 6) *et* Ecclesiae primaevae *necnon* ex traditione ... » (110 Patres).

b) Deleatur mentio praxeos Ecclesiae primaevae (1 Pater).

R. — Modo sub *a*) proposito satisfit, ita ut textus remaneat uti iacet in schemate, sed in nota ponatur referentia ad *1 Tim.* 3, 2-5 et *Tit.* 1, 6.

15 — Pag. 39, linn. 27-35:

a) Linn. 28-35 omittantur (93 Patres), propter diversas rationes: sive quia talia verba infirmant quae de coelibatu eiusque convenientia dicuntur (71 Patres), sive quia non expedit ut Presbyteris coniugatis dentur consilia pro vita matrimoniali, quae consilia de omnibus uxoratis valent (68 Patres), sive quia suspicionem provocant circa adimpletionem officiorum status a Presbyteris orientalibus, et sic talia consilia offensiva pro ipsis videntur (17 Patres). Postulant ut deleantur tantum verba « optime meriti » 40 Patres. Unus Pater vult ut deleatur verbum *etiam* in lin. 27, quia paritatem introducit inter sacerdotes coniugatos et alios.

b) Tres Patres postulant ut deleantur tantum verba quae de officiis vitae coniugalis dicuntur (linn. 30-32), quia haec officia in aliis documentis Concilii inveniuntur.

c) Volunt 17 Patres ut, manente textu, deleantur tantummodo verba: « in sancto matrimonio viventes » (linn. 29-30) et « in sacerdotali vocatione perseverantes » (linn. 32-33).

[110] *d*) Unus Pater vult ut omnia a lin. 28 ad finem paragraphi ponantur in fine eiusdem numeri 16, pag. 41, lin. 16, hoc modo: « Ecclesiarum Orientalium vero Presbyteros coniugatos Sancta Synodus vehementer hortatur ... » etc. Nam haec verba, uti nunc iacent, videntur interrumpere expositionem rationum quibus coelibatus sacerdotalis commendatur.

e) Tres Patres postulant ut, in lin. 28, haec fiat additio: « ... Presbyteri coniugati, *qui modo propriae condicionis ad unicam sacerdotii perfectionem vertuntur. Hi omnes mysterium sacrae liturgiae ministrantes, Ecclesiam ut virginem et sponsam ita contemplantur, ut vitam sancti matrimonii clarius assumant et* omnibus fidelibus dent exemplum amoris, fidelitatis et castitatis ( ), necnon christianae educationis ... ». Ratio est quia Presbyteratus coniugatorum, qualis in Oriente viget, altera forma est presbyteratus, qui proprio valore per se gaudet. Coniugati enim Presbyteri seligunt rationem sponsalem Ecclesiae ostendere, sicut et coelibes rationem Eius virginalem. Praeterea non expedit hic inducere exhortativum textum qui ad omnes fideles coniugatos pertinet.

f) Postulant 5 Patres ut, post lin. 35 haec addantur fere ad litteram ex Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii* (*A.A.S.*, 28 [1936], pag. 28) desumpta: « Verba vero quae facimus ecclesiasticum coelibatum commendantes non idcirco intellegi volumus, ac si Nobis in mente esset absimilem illam disciplinam quodammodo improbare ac redarguere, quae in Orientales Ecclesias legitime invecta est, sed e contra Sacrosancta haec Synodus eam comprobat et confirmat ». Ratio est quia unilaterale videtur si Concilium Oecumenicum pro comprobatione et confirmatione disciplinae unius ritus loqueretur nec quidquam diceret de confirmatione quoque et comprobatione disciplinae diversae aliorum rituum, quae non minus antiqua est et in Novo Testamento radices tam profundas habet quam alia disciplina. Ideo Concilium Oecumenicum debet loqui cum aequitate de utraque.

g) Vult unus Pater ut dicatur Presbyteros coniugatos vivere in matrimonio *ante* Ordinationem contracto.

R. — Ad *a*): tota pericopes non videtur posse deleri, quia esset mutatio substantialis textus a Concilio approbati.

Ad *b*): possunt deleri ea quae pertinent ad officia vitae coniugalis Presbyterorum in matrimonio viventium.

Ad *c*): haec verba partim emendantur.

Ad *d*): remaneat textus in loco, cum aliqua mutatione (cf. resp. ad *f*). [110]

Ad *e*): additio proposita admitti nequit, theologice enim nec dici neque insinuari potest Presbyteratum non esse omnino eiusdem rationis, sive sit in coniugatis sive non. [111]

Ad *f*): haec verba partim assumuntur.

Ad *g*): haec determinatio admittitur.

Textus ergo sic sonet:

« ... optime meriti Presbyteri coniugati: *dum vero ecclesiasticum coelibatum commendat, Sacrosancta haec Synodus nullo modo absimilem illam disciplinam immutare intendit, quae in Orientalibus Ecclesiis legitime viget, omnesque illos* peramanter hortatur, *qui* in matrimonio *presbyteratum receperunt,* ut, in *sancta* vocatione perseverantes, plene et generose vitam suam gregi sibi commisso impen*dere pergant* » (et in nota fiet referentia ad Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* uti proponitur sub *f*).

16 — Pag. 39, linn. 36-37. Addatur: « ... multimodam convenientiam cum sacerdotio habet *ut ab eo quasi a genuino fonte promanare vi*deatur ». Ratio: ut roboretur affirmatio; rationes enim convenientiae aliquibus forsan nimis extrinsecae videbuntur (1 Pater).

R. — Modus admitti non potest. Si coelibatus a sacerdotio quasi a fonte promanaret, omnes sacerdotes deberent necessario esse coelibes, quod dici non potest.

17 — Pag. 39, lin. 37 ad pag. 40, lin. 8:

a) Hae lineae deleantur (8 Patres); non enim videtur ad rem ratio in textu allata. Character spiritualis missionis sacerdotalis non pessumdatur per condicionem matrimonialem subiecti. Praeterea verba Sancti Ioannis nullum nexum habent cum coelibatu Presbyterorum. Ceterum quae dicuntur pag. 40, linn. 2-8 convenientiam coelibatus sacerdotalis fundant in testimonio connubii Christi cum genere humano in Ecclesia; argumentum potius in contrariam conclusionem inducere potest, ut patet ex ipso Sancto Paulo (*Eph.* 5, 25), secundum quem matrimonium est Sacramentum amoris Christi erga suam Sponsam.

b) Pag. 40, lin. 2. Dicatur: « Presbyteri ergo per coelibatum *intimam cum Christo unionem amoris habent* » (1 Pater), vel « *Christo intimius consecrantur* » (332 Patres), vel « *intimius assimilantur et consecrantur* » (1 Pater). Deinde textus prose-

[111] quatur: « missionem *Eius* qui in Ecclesia ... » (cf. rationes horum Modorum in resp. ad Modum n. 21).

c) Pag. 40, lin. 2. Dicatur: « Presbyteri ergo (vel *enim*), *per perfectam illam victoriam spiritus supra carnem* (cf. *Rom.* 8, 13), *Deo amatori castitatis cariores effecti, facilius spiritualia*
[112] *percipiunt.* Missionem Christi, qui in Ecclesia ... ». Ratio est: 1) bonum esse videtur affirmari coelibatum sacerdotalem esse victoriam spiritus supra carnem, qua datur a Deo sensus perfectior rerum spiritualium (7 Patres); 2) ne nimis extenuetur magna differentia inter Presbyteros coniugatos (de quibus tantae laudes in initio paragraphi) et eos qui castitatem profitentur, et sic melius ad spiritualia percipienda disponuntur (1 Pater).

d) Pag. 40, lin. 2. Dicatur: « ... habet. *Ii* ergo Presbyteri *qui* coelibatum *observant,* missionem Christi ... ». Ratio est quia haec redactio in memoriam revocat legem coelibatus suos effectus non producere eo ipso quod exsistit aut ab auctoritate promulgatur, sed exclusive in quantum a Presbyteris revera observatur (1 Pater).

R. — Ad *a*): Videtur textum non posse totaliter deleri, cum approbatus sit a maioritate Patrum. Ita tamen mutari debet, ut vitetur impressio minoris aestimationis pro presbyteratu coniugatorum. Cf. *Lumen gentium,* 44 et Decr. *Perfectionem caritatis,* 12.

Ad *b*): Modus admittitur. Verba tamen proposita aliquo modo mutari debent, ne insinuetur consecrationem coelibatus intimiorem esse quam consecrationem quae ab ipsa Ordinatione confertur. Hae duae consecrationes non possunt poni in eodem ordine.

Ad *c*): Non videtur posse admitti: illa enim facilior perceptio rerum spiritualium est fructus virtutis castitatis, haud vero ipsius coelibatus qua talis. Praeterea minus congruit expressio « cariores Deo amatori castitatis effecti »: id enim quod carior Deo reddit est gradus superior caritatis, qui haberi etiam potest in matrimonio, ut evidens est.

Ad *d*): Modus non admittitur, nam hic loquimur de coelibatu qua tali.

Textus ergo mutatur in quibusdam, uti dicitur post Modum 21.

18 — Pag. 39, lin. 37. Inseratur haec phrasis, vel alia similis: « ... cum sacerdotio habet. *Convenit enim imprimis cum ipso ob sublime eius munus Deo in Persona Christi offerendi Sacrificium Passio-*

nis et Mortis immaculati Agni pro vivis et defunctis in Altari. [112]
Missio *quoque* sacerdotis ... » (1 Pater).

R. — Modus non admittitur. Videtur enim affirmare quod Sacrificium
Missae non potest digne offerri nisi ab iis qui coelibatum ser-
vant. Praeterea videtur innuere quod exigentia coelibatus ideo
ab offerentibus Missam requiritur, quia illud quod offertur est
« immaculatus Agnus », quod aliquo modo supponit vitam ma- [113]
trimonialem « maculare » uxoratos: quod certe admitti nequit.

19 — Pag. 40, linn. 5-6. Expungantur verba « atque testimonium sociale ... sibi commissi » (1 Pater), quia sunt verba valde debilia et non plene in veritate fundata: sunt enim loci ubi status coelibatarius spernitur, et contra status coniugalis magni habetur.

R. — Revera non agitur de testimonio reddendo circa dignitatem coelibatus, sed de natura muneris presbyteratus, qui totus dedicatur operi supernaturali quo fideles uni viro Christo despondentur. Verbum tamen *sociale* deleri potest, ad mentem Decreti *Perfectionem caritatis,* n. 12, ubi dicitur: « Sic ipsi coram omnibus christifidelibus mirabile illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet ». Scribatur ergo: « coram *hominibus* ».

20 — Pag. 40, lin. 5. Addatur: « ... coram mundo *plenius adimplent et* aperte testificantur ... » (1 Pater).

R. — Modus non admittitur, quia insinuat Presbyteros coniugatos minus plene adimplere suum munus.

21 — Pag. 41, linn. 13-14. Hae lineae deleantur, eorumque loco scribatur: « ... neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 35-36). *Vita ergo et ministerium Presbyterorum castitatem* (vel *virginitatem*) *propter Regnum caelorum* amplexan*dam* (cf. *Mt.* 19, 12) valde suadent. In virginitate enim ... » (289 Patres). Rationes hae sunt: distinctio in textu proposita inter rationes theologicas et pastorales convenientiae coelibatus directe contradicit Constitutioni *Lumen gentium* et Decreto *Perfectionem caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae. In textu enim emendato res actu ita proponuntur ac si unica vel principalis ratio theologica coelibatus esset in eiusdem valore significandi et testificandi, reliquae vero rationes essent tantummodo ordinis practici et pastoralis. Iamvero in Constitutione *Lumen gentium* haec conceptio, postulantibus 679 Patribus, dudum data opera reiecta est (cf. schema constitutionis « De Ecclesia », 1964,

[113] Relatio de n. 44, pp. 162 et 163, C et D; et praesertim ibid., pag. 173, 5). Similiter in n. 12 Decreti *Perfectionem caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, ubi agitur de castitate propter Regnum caelorum, eius valor theologicus principalis haud reponitur in valore signi et testimonii sed praecise in illis rationibus quae in textu schematis « De vita et mini-
[114] sterio Presbyterorum », n. 16, deprimuntur ad ordinem mere practicum. Quae contradictio evidenter nequit tolerari.

R. — Hic Modus considerari debet simul cum Modo 17, *b*) de quo supra, in quo 332 Patres postulant ut dicatur per coelibatum Presbyterum Christo intimius uniri. Rationes quae ab his Patribus afferuntur eaedem sunt quae in isto modo inveniuntur scilicet: iustificatio theologica coelibatus adaequate hauriri nequit unice vel principaliter e ratione significandi et testificandi. Profundior ratio coelibatus, e contra, consistit in intimiore consecratione ad Christum, ex qua tandem valor signi utpote consequentia profluit. Revera talis doctrina Const. *Lumen gentium,* in n. 44 exponitur. Unde ordo dicendorum mutandus est. Pro tota igitur paragrapho quae incipit in pag. 39, lin. 36, et quae desinit in pag. 40, lin. 24, textus hoc modo scribatur: « Coelibatus vere multimodam convenientiam cum Sacerdotio habet. Missio enim sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » (*Io.* 1, 13) habet. Per virginitatem autem vel coelibatum propter Regnum caelorum servatum (cf. *Mt.* 19, 12), Presbyteri *nova et eximia ratione Christo consecrantur, Ei* facilius indiviso corde adhaerent (cf. *1 Cor.* 7, 32-34), liberius in *Ipso* et per Ipsum *servitio Dei et hominum* sese dedicant, Eius Regno ac operi regenerationis supernae *expeditius* ministrant, et sic *aptiores fiunt qui* paternitatem in Christo *latius accipiant. Hoc ergo modo, coram hominibus profitentur se velle indivise* muneri sibi commisso *dedicari,* fideles scilicet despondendi uni viro, illosque exhibendi virginem castam Christo (cf. *2 Cor.* 11, 2), *et sic* arc*anum illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet.** Signum insuper vivum efficiuntur

* In nota citatur Decretum *Perfectionem caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, n. 12, et Const. dogm. *Lumen gentium,* nn. 42 et 44.

illius mundi futuri, per fidem et caritatem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 35-36)». [114]

22 — Pag. 40, lin. 19. Dicatur «exhibent», loco «verificant» (1 Pater). Quia coelibatus est signum, non autem ipso facto verificatio totalis donationis ad Deum.

R. — Iam provisum est in Modo praecedenti. Ceterum, debemus dicere id quod coelibatus per se efficit, nec dicere de iis quae per accidens contingunt. [115]

23 — Pag. 40, linn. 16-24. Tollantur verba: facilius, expressius, liberius, plenius. ... Nam hoc modo comparativo loquendi, non satis in luce ponitur character definitivus et absolutus donationis quae per coelibatum Deo fit. De Presbyteris non uxoratis solummodo dici potest quod indiviso corde, plene, absolute, operi ministerii se dedicant (2 Patres).

R. — Modus non admittitur. Non potest dici quod Presbyteri coniugati non plene suo muneri se dedicant.

24 — Pag. 40, lin. 20. Dicatur: «... liberius *in ardentiorem* Chri*sti amorem* et per Ipsum ...» (7 Patres).

R. — Modus non admittitur. Etsi coelibatus ducere possit ad ardentiorem Christi amorem, non possumus innuere quod non coelibes talem amorem consequi non possunt, cum omnes christiani ad perfectum amorem Christi vocentur. Cf. Const. *De Ecclesia* Cap. V.

25 — Pag. 40, linn. 25-26. Dicatur: «in mysterio» (cum minusc.) et «missione» (item). In lin. 29 loco «postulabatur», dicatur «postulatus est», ad meliorem ordinem logicum (1 Pater); vel «lege imposita est» (3 Patres).

R. — Modus admittitur; dicatur: «... ad Ordinem sacrum promovendis *lege impositus est*».

26 — Pag. 40, lin. 27. Loco «in Ecclesia Occidentali», dicatur «in Ecclesia Latina» (2 Patres).

R. — Modus accipitur.

27 — Pag. 40, lin. 29. Dicatur: «Quam legislationem *in Ecclesia occidentali* (vel *latina*)», ut omnino clare pateat legislationem hanc valere pro sola Ecclesia latina, salvo iure in hac re Ecclesiarum Orientalium (1 Pater).

R. — Modus non accipitur: cf. Modum 26.

[115] 28 — Pag. 40, linn. 29-30. Addatur: « Quam legislationem *in quantum attinet eos qui ad Presbyteratum promovendi sunt* », vel « quoad Presbyteros et Episcopos », vel « pro Presbyteris », vel
[116] « quoad Presbyteros » vel expressiones similes. Ratio est quia Const. *De Ecclesia* admittit diaconos uxoratos (35 Patres).

R. — Modus admittitur. Scribatur: « Quam legislationem, *ad eos qui ad Presbyteratum destinantur quod attinet,* Sacrosancta ... ».

29 — Pag. 40, linn. 30-31.

a) Loco: « iterum comprobat et confirmat », dicatur: « non immutat ». Legislatio ecclesiastica de coelibatu sacerdotali omnino immutata ac intacta relinquenda est a Concilio ad hoc ut, aliquando forsan mutatis circumstantiis, Summus Pontifex in uno vel alio sensu positionem sumere possit, quin decisionibus conciliaribus de hac momentosa re se opponat. Uno verbo: Concilium legem vigentem non mutat et, quidquid sit de futuro, mutatis adiunctis vel ingravescentibus ubique necessitatibus pastoralibus, Concilium totam rem potius curae et studio Summi Pontificis relinquit. Iuxta enim prudentissimam decisionem S. Pontificis quaestio haec non agitata est in aula conciliari. Debemus itaque vitare ne Concilium iterum comprobet et confirmet quaestionem de qua nulla argumentatio fuit inter Patres (123 Patres).

b) Addatur: « iterum comprobat, renovat, statuit atque confirmat » (2 Patres).

R. — Non admittitur, Ad *a*) esset mutatio substantialis textus huius numeri, ubi coelibatus comprobatur et confirmatur, qui textus iam a Concilio approbatus est. Rationes praeterea in Modo propositae non valent; ad *b*) sunt additiones innecessariae.

30 — Pag. 40, lin. 33. Loco: « liberaliter a Patre dari », dicatur: « a Deo, bonorum omnium largitore, non denegari ». Quia attento actuali defectu vocationum sacerdotalium, ubique terrarum existente, vox « liberaliter » falsum quemdam triumphalismum sapere videtur. Concilii modus dicendi sit verus et sobrius (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Deus enim sua dona abundanter largitur iis qui, uti dicitur in textu, humiliter ea postulant.

31 — Pag. 40, linn. 31 et ss. Textus non loquatur de « dono » a Patre dato. Si enim perfecta castitas est donum speciale (scilicet quod non omnibus hominibus conceditur), non intelligitur quomodo

omnibus hominibus imponatur praeceptum « non moechaberis » (1 Pater). [116]

R. — Modus non accipitur. Agitur enim hic non de dono perfectae castitatis (quae perfecta castitas etiam in uxoratis exigitur), sed de dono perfectae continentiae, seu coelibatus. Hoc autem ab [117]
ipso Domino donum dicitur in *Mt.* 19, 11 (et non *Mt.* 19, 12 ut in textu).

32 — Pag. 40, lin. 36 et ss. Loco verborum quae a pag. 40, lin. 36 usque ad pag. 41, lin. 3 habentur, nova formula aliquantulum mutata scribatur: « *Exhortatur etiam haec Sacra Synodus omnes Presbyteros* qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi libera voluntate secundum exemplum Christi acceperunt *ut,* illi magno animo et toto corde inhaer*entes,* atque in hoc statu fideliter persever*antes,* agnosc*ant* praeclarum illud donum, quod a Patre sibi datum est quodque a Domino tam aperte extollitur (cf. *Mt.* 19, 11), necnon prae oculis hab*eant* magna mysteria... ». Quia: *a*) exhortatio ad coelibatum custodiendum ne appareat velut consequentia legis coelibatus ab Ecclesia latae; *b*) textus non debet directe monere sacerdotes de officio perseverantiae in coelibatu, quod legitime eos offendere posset; exhortatio esset efficacior et minus offensiva si versaretur principaliter et directe non super necessitatem perseverantiae sed super necessitatem agnoscendi magnitudinem et significationem profundam doni virginitatis (9 Patres).

R. — Modus accipitur, et ad mentem.

33 — Pag. 40, linn. 37-38. Dicatur: « ... qui *ad Christi exemplum* prosequendum coelibatum gratia Dei confisi libera voluntate *ex lege Ecclesiae* acceperunt ». Ne coelibatus in elemento mere subiectivo fundamentum habere appareat (1 Pater).

R. — Modus non accipitur, quia non necessarius.

34 — Pag. 40, lin. 37. Dicatur: « qui hanc sublimem viam perfectae castitatis », loco: « qui sacrum coelibatum ». Ratio est quia castitas sacerdotalis a nobis valde extolli debet; vox « coelibatus » nimis iuridica et negativa apparet (2 Patres).

R. — Modus non accipitur. Expressio enim « castitas perfecta » non est adaequata, cum virtus castitatis etiam a coniugatis perfecte coli possit. Haec expressio consulto a Const. *De Ecclesia* omittitur, eiusque loco dicitur « perfecta continentia » (n. 42). Sic etiam in Decreto De accommodata renovatione vitae religiosae

[117] (n. 12); in hoc loco etiam vox « castitas » adhibetur, sed semper in contextu ubi clare patet agi de illa speciali forma castitatis « propter Regnum caelorum » quae est obiectum voti.

[118] 35 — Pag. 40, lin. 39. Addantur verba: « ... secundum exemplum Christi, *B. M. Virginis et Apostolorum, qui omnes Christum sequentes vel virgines remanserunt vel omnia reliquerunt,* acceperunt ... » (1 Pater).

R. — Modus non accipitur. Gravat enim textum. Praeterea: *a*) non potest dici de B. M. Virgine quod exemplum Christi secuta est; *b*) de Apostolis non est omnino certum quod, si coniugati erant, etiam uxores reliquerunt.

36 — Pag. 40, lin. 41. Addatur: « ... perseverent, *conscii difficultatum, sed* agnoscentes... » (7 Patres).

R. — Modus non accipitur. De difficultatibus, agitur in pag. 41, linn. 5 et ss. Iam provisum est in Mod. 32.

37 — Pag. 41, lin. 3. Deleantur verba « atque verificantur ». Coelibatus enim per se rationem signi habet (1 Pater).

R. — Modus non admittitur, quia coelibatus non est tantum signum sed specialis consecratio, in qua magna mysteria verificantur. Claritatis autem causa, dicatur: « ... quae in eo significantur atque *adimplentur*. Quo magis... ».

38 — Pag. 41, lin. 5. Addatur: « ... a non paucis hominibus, *falsis quidem sed speciosioribus rationibus* impossibilis... » (1 Pater).

R. — Res patet ex contextu. Non admittitur.

39 — Pag. 41, lin. 11. Addatur: « ... cuncta subsidia supernaturalia et naturalia insimul adhibentes, quae *a Traditione Ecclesiae necnon scientia psychologica commendantur. Inter illa vero reponi debent...* (ut in textu priori... » (3 Patres).

R. — Haec deleta sunt quia inutiliter gravant textum. Non admittitur.

40 — Pag. 41, lin. 11. Addatur: « ... quae omnibus praesto sunt, *immo et praesto manent etsi quis proh dolor aliquando ex fragilitate defecerit.* Rogat... ». Aut hic aut alibi Concilium animum addat oportet iis qui defecerunt (quod saepius occulte accidit), neque sunt pauci qui tali modo deficiunt et tamen bonam voluntatem servent (1 Pater).

R. — Modus non admittitur. Additio non est necessaria.

41 — Pag. 41, lin. 11. Addatur: « ... quae omnibus praesto sunt, *humiliter etiam et prudenter normas asceticas fidelitatis tradi-*

tionaliter ab experientia Ecclesiae ut necessarias commendatas et in mundo hodierno urgentiores ». Ratio est quia hoc quam maxime et quam saepissime omnino negatur vel omittitur (2 Patres). [119]

R. — Modus admittitur, paucis verbis mutatis. Dicatur: « ... praesto sunt. *Normas praesertim asceticas quae ab experientia Ecclesiae probantur et quae in mundo hodierno haud minus necessariae sunt, sequi ne omittant* ».

42 — Pag. 41, lin. 14. Post verbum « sacerdotalis » addatur verbum « maxime ». Quia donum coelibatus est de illis rebus quae vel maxime cordi sunt vel non sunt cordi (1 Pater).

R. — Additio non videtur necessaria, et idea in textu sufficienter inculcatur.

43 — Pag. 41, lin. 16. Addatur: « ... largiatur. *Ad fovendam erga virginitatem sive clericorum sive sacerdotum plenam animi dispositionem, Sacra Synodus solemniter declarat coelibatus legem in Ecclesia latina admittere tacitum perfectae atque perpetuae castitatis votum* » (1 Pater).

Huic modo accedit nota nostrae Commissioni transmissa a Secretaria Status, quae sic sonat: « Appare opportuno proporre che, per dare al celibato del Clero il carattere ed il valore di un atto pienamente libero compiuto in vista della ordinazione sacerdotale, si introduca la emissione di un voto esplicito pubblico prima degli Ordini maggiori: voto esplicito che potrebbe essere temporaneo per il Suddiaconato, e perpetuo per il Diaconato (o per il Presbiterato). Si potrebbe pure proporre che ogni sacerdote rinnovi tale voto ogni anno il giorno del Giovedì Santo, prima di celebrare o di partecipare alla Santa Messa che commemora la istituzione del Sacerdozio e dell'Eucaristia ».

R. — Cum talis additio revera aliquid substantiale addat textui iam a Concilio approbato, non videtur nostram Commissionem hoc proponere valere.

AD NUMERUM 17

44 — Pag. 42, linn. 6-10. Dicatur: « Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum, sacerdoti*bus vel* laicis peritis moderentur, atque ... » (1 Pater).

Vel dicatur: « Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum, *a* sacerdoti*bus*

[120] *vel* laicis, adiuvantibus quatenus fieri possit peritis, moderentur ... » (1 Pater).

Ratio est quia non est necessarium ut bona ecclesiastica praecise sacerdotes moderentur quia ordinatio sacerdotalis non dat speciales dispositiones in re oeconomica; laici saepe sunt competentiores. Sic etiam sacerdotes possunt magis laborem specificum sacerdotalem facere.

R. — Modus non admittitur, sufficit quod in textu dicitur.

45 — Pag. 42, lin. 9. Addatur: « ... adiuvantibus quatenus fieri possit *et oporteat* peritis laicis ... ». Ratio in aperto est (1 Pater).

R. — Modus non est necessarius, et non admittitur.

46 — Pag. 42, lin. 18. Tollatur « non secus ac Episcopi », hic et in pag. 43, lin. 7. Nam Schema est de vita Presbyterorum et non de Episcopis, de quibus iam dicitur in schemate de Episcoporum munere (n. 15), quod debent exemplum praebere in vitae simplicitate. Verba ergo sunt superflua (2 Patres).

R. — Verba non sunt superflua. Utile est, etiam Presbyteris, si sciunt ipsos Episcopos in Concilio suum facere idipsum onus quod Presbyteris imponunt.

47 — Pag. 42, linn. 17-18. Tollatur « salvo iure particulari », et in fine paragraphi addatur: « *Ad cuius mandati executionem, providebunt conferentiae episcopales, secundum necessitates locorum et temporum* ». Textus enim exprimit generale mandatum et non praescriptionem stricte iuridicam (cf. « velint »), ut ab ea excipiatur aliquod ius particulare (37 Patres).

R. — Modus non accipitur, ad mentem notae 10. Haec prima pars exprimit verum praeceptum (cf. « adhibeant »). Verbum « velint » valet tantum de secunda parte, ubi agitur de bonis quae supersunt.

48 — Pag. 42, lin. 22. Addatur: « ... destinare velint; *non tamen prohibentur aliquod non immodicum peculium, pro honesta suae senectutis sustentatione vel ad alias necessitates et infirmitates sublevandas, sibi comparare, ea tamen condicione ut, in sua ultima voluntate, testamento expressa, bona sua in pauperum subsidium vel in Ecclesiae bonum, vel ad gratum et iustum animum ostendendum erga eos qui sibi in vita auxilio fuerint, in aequitate et caritate destinent* » (1 Pater).

[121] R. — Modus non admittitur. Haec pertinent ad illam honestam sustentationem de qua in lin. 19 agitur. Praeterea, quae de senec-

tute vel infirmitate dicuntur iam schema contemplatur in nn. 20 et 21. [121]

49 — Pag. 43, lin. 9. Deleatur vox « ergo », quia iam habetur in lin. 5, et quae displicet cum clausula participia (1 Pater).

R. — Modus admittitur.

50 — Pag. 43, linn. 7-14. Mutetur textus his vel similibus verbis: « Presbyteri, necnon et Episcopi, *verum signum sint paupertatis evangelicae, tum in verbis, tum* in rebus *et gestis, ita* pauperes *allicientes ut ad Ecclesiam Christi, tamquam ad propriam familiam, alacri animo confugiant* ». Ratio est quia redactio actualis est nimis negativa (3 Patres).

R. — Modus non admittitur. Textus enim est sufficiens. Praeterea, neque modus vivendi sacerdotum debet respuere divites. Est modus in rebus.

51 — Pag. 43, lin. 14. In fine paragraphi, addatur: « *In recognitione ritus S. Ordinis presbyteratus, inseratur formalis promissio paupertatis in recognitione Codicis I. C. determinanda* » (1 Pater).

Accedit alius Pater qui vult ut addatur suggestio pro Commissione de Sacra Liturgia, ut in S. Ordine diaconatus, vel saltem presbyteratus, inseratur promissio ritualis de paupertate evangelica servanda.

Tales enim promissiones habentur in S. Ordinibus subdiaconatus (de coelibatu) et presbyteratus (de oboedientia); unde logice requiritur promissio pro consilio evangelico, scilicet paupertate.

R. — Modus non admittitur. Non pauci Patres enim petierunt ut vitetur omnis suggestio qua omnes Presbyteri ad statum religiosorum reduci viderentur.

52 — Pag. 43, lin. 14. Addatur: « *Immo recordentur omnes "non indecoram eis futuram esse Pauli imitationem, qui opere manuum victitabat* » (*Conc. Carthaginense IV, can. 51*), *ne quod offendiculum daret Evangelio Christi* (cf. *1 Cor.* 9, 12) *et ut infirmos susciperet, memor verbi Domini Iesu*: *Beatius est dare quam accipere* » (*Act.* 20, 35-36) (1 Pater).

Alii 6 Patres petunt ut addatur in eadem pagina, in lin. 4 paragraphus ex Litt. Encycl. Papae Benedicti XV *Maximum Illud* (*A.A.S.*, 1919, vol. 11, pag. 448): « *Immo Apostoli gentium exempli memores sint qui, ut infirmos susciperet* (*Act.* [122]

[122] 20, 35), *neque offendiculum daret Evangelio Christi* (1 *Cor.* 9, 12), *labore et manu sibi victum comparabat* ».

Multa testimonia afferuntur quibus ostenditur hanc doctrinam esse omnino traditionalem: Conc. Nic. II, can. 15 (in Gratiani Decret. C. XXI, q. 1, c. 1); Statuta Ecclesiae Antiqua, c. 51 (supra memoratum sub nomine Conc. Carthag. IV); testimonia Patristica, et praesertim exemplum S. Pauli.

R. — Non videtur possibile quod Concilio proponatur nova idea de qua Patres discussionem non habuerunt.

QUAESITUM

An placeat expensio Modorum facta a Commissione de disciplina cleri et populi christiani circa Modos Articulum II Capitis III (nn. 15-17) *respicientes?*

[123]

RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS III ET CONCLUSIONIS

Articulus III et Conclusio

In suffragatione de Articulo III Capitis III deque Conclusione schematis « De ministerio et vita Presbyterorum », die 13 novembris 1965, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.058
Placet	1.510
Non placet	4
Placet iuxta modum	544

Ideo tum integer Articulus III Capitis III, cum omnibus suis partibus, tum Conclusio, a Congregatione Generali approbata sunt. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

AD NUMERUM 18

1 — In textu nihil dicitur de associationibus ad vitam spiritualem fovendam sub vigilantia Episcopi (2 Patres).

R. — De associationibus ad vitam spiritualem fovendam actum est in n. 8.

2 — Pag. 43, lin. 24. Addatur: « ... et iubet. *Praeprimis quidem habeatur ipsa liturgica celebratio Mysterii Paschalis ex qua, tamquam a vivido fonte, tota vita spiritualis derivatur et omnis actio apostolica promanat.* Inter spiritualia subsidia ... ». Ratio est quia videtur non inveniri expressa relatio ad hanc celebrationem liturgicam Mysterii Paschalis, cum tamen sit centralis pro unione sacerdotis ad Christum (3 Patres). [123]

R. — Non accipitur. De hoc iam agitur in aliis locis schematis, praesertim in n. 13.

3 — Pag. 43, lin. 25. Agatur de cultu SS. Cordis Iesu, tam ample recognito a Summis Pontificibus (1 Pater).

R. — Cultus Sacratissimi Cordis Iesu, sicut et devotio erga B. M. Virginis Cor, quae omnibus enixe commendantur, pertinent ad media de quibus in linn. 19-23. [124]

4 — Pag. 43, linn. 26-27. Textus « ex duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae Verbo Dei nutriuntur » reformari debet, ita ut cultus Sanctissimae Eucharistiae in suo sensu reali explicitius affirmetur ampliusque commendetur (44 Patres).

R. — Mutatio non videtur facienda: cf. Const. dogm. « De divina revelatione », n. 21; cf. etiam responsum ad Modum 19.

5 — Pag. 43, linn. 32-34. Dicatur: « ... per fructuosam receptionem Sacramentorum *speciatim Poenitentiae*, quippe qui ... ». Hoc proponitur ne eadem vox ter repetatur (1 Pater).

R. — Retineatur textus, quia fortius exprimit ideam.

6 — Pag. 43, linn. 36-38. Dicatur: « ... tantopere foveat. *Per pietatis et devotionis amicabile commercium et cultum Sanctissimae Eucharistiae et* sub lumine ... ». Ratio est quia in textu agitur tantummodo de « ex duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae Verbo Dei nutriuntur », et videretur Concilium aliquantulum indulgere, vel saltem non aperte reiicere opinionem aliquorum qui extra Sacrificium Missae omnem cultum erga Sanctissimam Eucharistiam reiiciunt. Recolantur quoque verba SS. Pauli VI in Litt. Encycl. *Mysterium fidei* (1 Pater).

R. — Providetur postea: cf. Modum n. 13.

7 — Pag. 43, linn. 37-38. Addantur verba: « ... Sub lumine fidei lectione divina enutritae *et apta directione spirituali roboratae,* possunt Dei voluntatis ... ». Ratio est quia nullibi sermo fit de directione spirituali, qua Presbyteri valde indigent ut in via

[124] ad sanctitatem progrediantur et solutionem difficultatum facilius et securius inveniant (301 Patres).

R. — Providebitur postea: cf. Modum n. 15.

8 — Agatur quidem de directione spirituali pro Presbyteris. Attamen expedire non videtur ut de ipsa mentio fiat in pag. 43, lin. 38 (1 Pater).

R. — Iam provisum est, iuxta Modum 15.

9 — Pag. 43, lin. 38. Addantur verba: «... lectione divina enutritae *adiuvantibus etiam spiritualis moderatoris consiliis*» (1 Pater).

[125] R. — Modus non accipitur: quoad mentem vero providebitur in responsione ad numerum 15.

10 — Pag. 43, linn. 38-39. Dicatur: «... possunt *omnia quae ad Deum conducunt* in variis vitae eventibus ...». Ratio est quia accentus positus in variis locis novae redactionis huius schematis super studium signorum voluntatis divinae favet tendentiis eorum quibus placet spiritualitas Ignatiana potius quam Thomista, sed ansam praebet cuidam sacramentalizationi voluntatis divinae ex signis suspicatae (3 Patres).

R. — Non accipitur. In textu apte agitur de unione cum divina voluntate, sine referentia ad scholam.

11 — Pag. 44, lin. 2. Dicatur: «... assumptae *dociliores* in dies fieri. *Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae, frequenter Eam visitantes* ...» (1 Pater).

R. — Provisum sub Modo 13.

12 — Pag. 44, lin. 6. Addantur verba partim desumpta e textu priori: «... totam devovit; *quam amantissimam Summi et Aeterni Sacerdotis Matrem et Apostolorum Reginam Presbyteri filiali devotione et cultu diligant ac venerentur*» (309 Patres).

Pag. 44, lin. 3. Dicatur: «Talis docilitatis mirum exemplum *et maternum auxilium*» (1 Pater).

Pag. 44, lin. 4. Dicatur: «... in Beata Maria Virgine semper inveniunt, *quam filiali devotione colant et precentur*» (1 Pater).

Pag. 44, linn. 4-6. Dicatur: «... quae, *Mater Summi et Aeterni Sacerdotis,* a Spiritu Sancto ducta, seipsam mysterio hominum redemptionis totam devovit, *et singulari dilectionis studio Ipsa sacerdotes amplectitur, qui vivam Iesu Christi imaginem in se referunt; ideoque et Regina Apostolorum et Mater Sacerdotum invocatur*» (36 Patres).

Pag. 44, lin. 6. Addatur: « ... totam devovit, *quamque, Matrem et Reginam invocantes, sacerdotes tenerrima filiali devotione prosequi tenentur* » (1 Pater). Vel « *filiali devotione et cultu profundo* » (1 Pater). Vel « *quam Christi Summi Sacerdotis Matrem amabilem et Apostolorum Reginam devotissime venerentur oportet ac diligant* » (1 Pater). Vel « *quapropter ipsam tamquam Matrem filiali amore invocent et venerentur* » (3 Patres). Vel « *Ipsam ergo, quae est Mater Summi ac Aeterni Sacerdotis, ideoque et Apostolorum Mater et Regina, imitentur ac filiali devotione prosequantur* » (1 Pater). Vel « *Hanc ipsam Beatam Virginem, quae Mater Summi et Aeterni Sacerdotis est, ideoque et Apostolorum Regina, filiali devotione enixe colant atque ministerii sui praesidium firmissimum habeant* » (1 Pater). [125] [126]

Addatur aliquid de cura B. M. V. erga pastores et fideles (1 Pater) et de necessaria devotione sacerdotis erga Matrem Ecclesiae (2 Patres).

R. — Accipitur Modus. Dicatur: « ... totam devovit; *quam Summi et Aeterni Sacerdotis Matrem et Apostolorum Reginam, atque ministerii cui praesidium, Presbyteri filiali devotione et cultu venerentur ac diligant* ».

13 — Pag. 44, lin. 7. Dicatur: « Ad eorum ministerium cum fidelitate adimplendum *colloquium cotidianum cum Christo Domino in Visitatione et personali cultu Sanctissimae Eucharistiae et in unoquoque anno* recessum spiritualem *fideliter et* libenter habeant » (1 Pater).

R. — Accipitur Modus. Dicatur: « ... adimplendum *colloquium cotidianum cum Christo Domino in visitatione et personali cultu Sanctissimae Eucharistiae sibi cordi sit;* ».

14 — Pag. 44, lin. 7. Dicatur: « Ad *suum* ministerium » (2 Patres).

R. — Emendatur textus.

15 — Pag. 44, lin. 8. Dicatur: « reces*sus* spiritua*les, praesertim ope Exercitiorum Spiritualium, sibi commendatos* habeant ». Ratio est quia historia quattuor saeculorum ostendit Exercitia Spiritualia esse medium efficacissimum et a Romanis Pontificibus commendatum (161 Patres).

Dicatur: « sibi commendatos *quotannis* habeant » (1 Pater).

Dicatur: « ... adimplendum, *cursum* reces*sus* spiritua*lis* libenter *quotannis* habeant » (1 Pater).

[126] Maneat textus schematis uti est, quia Decretum non debet uni Scholae spiritualitatis prae aliis favere (1 Pater).

R. — Accipitur Modus, et prae oculis habitis Modis 7, 8 et 9, dicatur post textum receptum in Modo 13: « ... *cordi sit;* recess*ui* spiritua*li*, libenter *vacent, atque directionem spiritualem magni habeant* ». Servantur verba « recessus spiritualis », quippe quae complectantur omnes species recessus, sive brevioris, qui singulis mensibus haberi potest, sive longioris, quotannis vel tertio quoque anno peragendi, etc.

[127] 16 — Pag. 44, linn. 11-12:

a) Addatur: « ... quas libere eligunt *et in vivendo intime cum Christo in Sacramento Altaris* » (2 Patres).

b) Addatur: « ... a Deo enixe rogant *praesertim ante Christum sacramentaliter praesentem in Eucharistia* » (2 Patres).

R. — Provisum in responsione ad Modum 13.

17 — Commendetur recitatio Rosarii Marialis (3 Patres).

R. — Non admittitur. In Ecclesiis enim Orientalibus aliae pervetеres ac pulcherrimae orationes ad B. V. Mariam loco Sancti Rosarii recitantur. Quaestio melius est remittenda ad ordinationes particulares singulorum Rituum. Quoad devotionem erga B. V. Mariam generico modo commendandam iam providetur in Mod. 12.

AD NUMERUM 19

18 — Pag. 44, lin. 32:

a) Textus prior restituatur, ubi sermo est de solida scientiae theologicae cognitione, de Magisterio necnon de Romanorum Pontificum documentis, vel saltem haec omnia explicite affirmentur (43 Patres).

b) Dicatur « ... aliorumque Traditionis monumentorum *necnon Magisterii Ecclesiastici ac Romanorum Pontificum documentis* fructuose nutritur » (1 Pater).

c) Dicatur: « ... fructuose nutritur *atque documentis Magisterii Ecclesiastici ac praecipue Romanorum Pontificum ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis opportune ditescit* » (1 Pater).

d) Denuo inserantur verba linn. 6-9 textus prioris (8 Patres); denuo inserantur linn. 6-13 eiusdem textus prioris (3 Patres).

e) Dicatur: « ... fructuose nutritur. *Quapropter Presbyteri*

profunda scientiae theologicae cognitione polleant, iuxta normas traditas in Decreto "De institutione sacerdotali". Sed etiam ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, ipsi bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta atque consulant probatos scientiae theologicae et exegeticae scriptores » (3 Patres). [127]

f) Dicatur: « ... fructuose nutritur. *Hac via vera et genuina, a falsis et opinatis discernere discant sequentes Ecclesiae Magisterium, quod Sacra adiuvante Scriptura traditionem veram a falsa divinamque ab humana internoscit, sicut et divina adiu-* [128] *vante traditione canonicam ab apocrypha segregat scripturam* ». Ut spiritus discretionis hoc tempore commendetur et foveatur in Presbyteris et insuper ostendatur quomodo ipsa Ecclesia utitur tam Scriptura quam Traditione ad distinguenda vera a falsis (1 Pater).

R. — His Modis satisfit per additionem sequentium verborum, quae e textu priori desumuntur: « ... fructuose nutritur. *Praeterea, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Conciliorum et Romanorum Pontificum documenta, atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae scriptores* ».

19 — Pag. 45, lin. 38. Dicatur: « *Illi qui in aliam dioecesim vel nationem vel categoriam socialem transferuntur congrua et sedula praeparatione instruantur, ut et mentem et culturam novi sui populi intelligere ac intus suscipere, sed et problemata quae circa fidem iustosque mores oriuntur in hoc novo contextu apte discernere et solvere discant* ». Etenim frequentiores hae translationes in detrimentum nonnullorum Presbyterorum vertunt, propter defectum praeparationis (7 Patres).

R. — Quod petitur iam affirmatur in linn. 17-19, ubi dicitur finem huiusmodi subsidiorum esse in studia incumbere atque methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscere. Cf. praeterea n. 10, pag. 27, linn. 6-28. Modus ergo non accipitur.

20 — Pag. 45, lin. 38. Addatur: « ... vel nationem mittuntur. *Praeter curam quae impendenda est ut omnes Presbyteri doctrinam necessariam acquirant ad vitam spiritualem alendam et ad apostolatum exercendum, sollicitudinem gerant Episcopi ut aliqui se dedant ad profundiorem rerum divinarum scientiam, sive ut*

[128] *numquam desint magistri ad clericos instituendos idonei, sive ut reliqui sacerdotes et fideles iuventur ad necessariam sibi doctrinam comparandam, sive ut sanus progressus in sacris disciplinis foveatur qui Ecclesiae prorsus est necessarius* » (1 Pater).

R. — Modus accipitur, ita ut dicatur: « ... vel nationem mittuntur. *Tandem solliciti erunt Episcopi ut aliqui ad profundiorem rerum divinarum scientiam se dedicent, ut numquam desint magistri ad clericos instituendos idonei, ut reliqui sacerdotes et fideles iuventur ad necessariam sibi doctrinam comparandam, utque sanus in sacris disciplinis foveatur progressus qui*
[129] *Ecclesiae prorsus est necessarius* », et fiat referentia ad Decretum *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia.

AD NUMERUM 20

21 — Provideatur ut dispareat socialis discriminatio in Cathedralibus inter canonicos et beneficiatos, quia haec discriminatio pessimos fructus parit et est scandalum pro fidelibus (1 Pater).

R. — Res est nimis particularis et a Codice I. C. tractari potest.

22 — Pag. 46, lin. 15. Expungatur verbum « merces » et quidem ubique in hoc numero, et eius loco dicatur sacerdotes habere *ius* ad honestam sustentationem, quod ius respondet officio Episcopi (3 Patres); aut dicatur « remunerationem », quia vox « merces » male sonat cum de retributione sacerdotum agatur (2 Patres).

R. — Admitti potest ut loco verbi « mercedem » in lin. 15 adhibeatur verbum « remunerationem », sed in lin. 16 servari debet verbum « mercede » quia citatur textus S. Pauli.

23 — Pag. 46, lin. 20. Addantur verba: « ... de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14), *etsi ipse Paulus hoc iure uti noluit* ». Ratio est quia textus innuit omnes Presbyteros debere de Evangelio vivere, cum certissime talis non sit sensus asserti Pauli: sensus est quod de Evangelio vivere possunt (1 Pater).

R. — Non admittitur Modus, quia in textu minime asseritur Presbyteros vivere debere de Evangelio, sed eos esse *dignos* qui de Evangelio vivant, ita ut possint et non uti iure suo.

24 — Pag. 46, linn. 22-24. Textus mutetur et fiat: « ... ipsi fideles, quippe in quorum bonum Presbyteri operam impendant, vera obligatione tenentur *pro*curandi *subsidia* eisdem necessaria ad

vitam honeste et digne ducendam ... ». Ratio est quia hic textus clarior est et aptior (1 Pater). [129]

R. — Servetur textus uti iacet, quia textus propositus, utique clarus, innuit subsidia danda esse directe ipsis Presbyteris, dum saepius utilius est ut dentur Episcopo, qui eadem distribuet. Ergo non recipitur Modus.

25 — Pag. 46, linn. 23-24. Loco verborum « vera obligatione tenentur curandi » adhibeatur verbum « curent ». Ratio est quia non clare apparet vera obligatio fidelium sustentandi Presbyteros et ideo obligatio urgeri non potest (3 Patres), et quia sermo de vera obli- [130]
gatione hodie non congruit.

R. — Non admittitur Modus, quia ex ipso textu S. Pauli apparet obligatio fidelium. Ceterum mutatio haec substantialis admitti nequit.

26 — Pag. 46, lin. 27. Loco verborum « Episcopi autem de hac eorum obligatione ... », ponantur verba « Episcopi autem de hac eorum sollicitudine ... ». Ratio est quia vera obligatio affirmari non potest (3 Patres).

R. — Modus non recipitur propter rationem in Modo 25 allegatam.

27 — Pag. 46, lin. 23. Dicatur: « ... ipsi fideles ... impendant, *obligatione tenentur, quae etiam est obligatio iustitiae,* curandi ut ... ». Ratio est quia una ex parte tolli potest verbum « vera », quo nempe debilior fit affirmatio, et quia dicendo « quae etiam est obligatio iustitiae » asseritur natura obligationis, quae procedit ex religione, ex caritate, sed etiam ex iustitia (2 Patres).

R. — Servetur textus uti iacet.

28 — Pag. 46, linn. 26-27. Dicatur « Episcopi autem fideles mone*ant* ten*eri* ... ». Ratio est quia verbum « tenentur » est nimis imperativus (pro Episcopis, ut videtur) et quia aliquatenus odiosum est nostris temporibus ut exigatur imperative (1 Pater).

R. — Servetur textus uti iacet. Obligatio enuntiari potest verbis quae eam significant; insuper in mutatione proposita etiam occurrit verbum « teneri ».

29 — Pag. 46, lin. 33. Dicatur: « ... ratione habita *tum muneris ipsius naturae,* tum locorum ... ». Ratio est quia varia munera varias responsabilitates secumferunt, et quia non est realisticum omittere mentionem de natura muneris (2 Patres).

R. — Admitti potest Modus, et dicatur: « ratione habita *tum ipsius muneris naturae tum* locorum ... ».

[130] 30 — Pag. 46, lin. 37. Addantur verba: « ... adiunctis versantibus *et eadem officia exercentibus* ». Ratio est quia sic clarius determinatur et melius exprimitur (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia textus, praesertim uti nunc sonat, satis clarus est. De cetero, iam provisum est in responsione ad Modum 29.

[131] 31 — Pag. 46, lin. 32. Addantur verba: « ... munera funguntur *vel curae domesticae Presbyteri ex officio incumbunt* » et in lin. 39 addatur: « ... subveniendi *et bene meritis domesticis aequam remunerationem praebendi* » (et cetera verba tollantur) (1 Pater).

R. — Provisum in resp. ad Modum 32.

32 — Pag. 46, lin. 42. Hic quaestio esse potest de Modo proposito ad n. 8, pag. 23, lin. 22, ubi proponebatur additio: « Curent ergo Episcopi ut sacerdotibus omnibus, praesertim in cura animarum laborantibus, aliquod sufficiens et continuum feriarum tempus quotannis tribuatur, ad valetudinem mentis et corporis stabiliendam vel recuperandam » (1 Pater).

R. — Admitti potest Modus, ita ut novus textus apponatur lin. 42. Simul autem proponitur ut textus praecedens in duas propositiones dividatur, ita ut novus textus sit: (lin. 33 ss.) « vel functi sunt. Remuneratio *autem* ab unoquoque percipienda, ratione quidem habita *tum ipsius muneris naturae* tum locorum temporumque condicionum, fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem *non solum debite providendi remunerationi eorum qui servitio Presbyterorum se dedicant, sed etiam* indigentibus per seipsos aliqua ratione subveniendi, quod ministerium erga pauperes, iam a primis suis exordiis, magno semper in honore Ecclesia habuit. *Haec remuneratio insuper talis sit, quae Presbyteris permittat quotannis debitum et sufficiens habere feriarum tempus quod quidem, ut Presbyteri habere valeant, Episcopi curare debent* ».

AD NUMERUM 21

33 — Provideatur serio et urgenter ut in omnibus nationibus domus exsistat pro sacerdotibus mente aegrotantibus. Ratio est quia non possunt vivere in nosocomio tales Presbyteri, nec in vita pastorali esse possunt, quia aliquatenus sunt irresponsabiles (1 Pater).

R. — Modus non admittitur. Quae dicuntur de praevidentia sociali sufficiunt; insuper mentio fieri nequit de mente aegrotantibus in Decreto Conciliari, quod quidem innuere videretur multos esse Presbyteros mente aegrotantes. [131]

34 — Pag. 47, linn. 14-19. Hae lineae expungantur, quia: *a*) ex historia apparet experientiam hierosolymitanam fuisse ruinam oeconomicam illius Ecclesiae; praeterea nullibi, extra hanc Eccle- [132] siam, talis communitas extitit; *b*) exemplum non est ad rem, nam in textu non agitur de bonorum communitate, sed de constituenda massa communi (1 Pater).

R. — Modus non admittitur, quia textus *Act.* citatur tantum ut appareat aliquam bonorum communionem fuisse secundum mentem Ecclesiae Hierosolymitanae, quia talis spiritus communitatis inducit hodie congruentiam massae communis. Quamquam de facto non habuit felicem exitum, factum quale in *Act.* proponitur ostendit mentem Sacri Scriptoris.

35 — Pag. 47, linn. 19-23. Dicatur: « Summopere itaque congruit ut, in *singulis dioecesibus vel* regionibus, *praesertim* in quibus cleri sustentatio penitus aut magna ex parte a fidelium oblationibus pendet, bona ( ) colligat institutio quaedam dioecesana ... ». Ratio est quia non videtur cur nova attenuatio facta est in textu emendato quoad congruentiam generalem talis institutionis « massae communis » in omnibus dioecesibus vel regionibus, quae institutio magni momenti est (1 Pater).

R. — Non admittitur Modus, quia non habetur attenuatio. E contra affirmatur obligatio constituendi massam communem pro bonis quae proveniunt ex oblationibus factis in sustentationem Presbyterorum; conveniens affirmatur, non secus ac in textu priori, altera massa communis.

36 — Pag. 47, lin. 20. Addatur: « ... itaque congruit ut, *in quantum adiuvaturum* sit, in regionibus ... ». Ratio est quia centralisatio collectionis et administrationis oblationum nociva fieri potest, et fideles libentius oblata propriis Presbyteris destinant, quam officiis dioecesanis (1 Pater).

R. — Non admittitur Modus: aliqua centralisatio dioecesana utilis, immo et necessaria est, ut Presbyteri omnium paroeciarum, pauperiorum sicut et divitiorum, necessaria habeant ad subsistentiam. Fideles optime intellegent hanc caritatis obligationem.

[132] 37 — Pag. 47, lin. 25. Omittantur verba « ubi utilitas id suadeat », vel saltem scribatur: « ubi fieri potest », quia positive commendanda est responsabilitas laicorum in administratione oeconomica, ubi sunt peritiores quam clerici (2 Patres).

R. — Maneat textus uti est, quia sufficienter commendat, positive quidem, ut laicis partes tribuantur.

[133] AD NUMERUM 22

38 — Totus numerus manifesta insufficientia laborat: conclusio enim brevem synthesim dictorum exprimere debet, et consequentias capitales recolere. Hoc vero impossibile videtur, cum ab initio praecisa definitio Sacerdotii data non sit (1 Pater).

R. — Definitio quidem adest (cf. n. 2). Intentio huius ultimi numeri non est dare conclusionem in sensu optato, sed aliquam exhortationem praebere, quae Presbyteros confortet, ne animo deficiant: et hoc, postulantibus permultis Patribus.

39 — Unus Pater arguit textum de pessimismo, sed nullum remedium affert.

40 — Funditus reformetur textus: *a*) transferendo linn. 1-28 in Prooemium; *b*) reassumendo linn. 1-5 prioris textus et addendo « Meminerint Presbyteri exemplum Apostolorum qui « ibant gaudentes » in contumeliis (*Act.* 5, 41). Sint ergo « spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes » (*Rom.* 12, 11-12); *c*) continuando cum lin. 29, pag. 50 ad lin. 5 pag. 51, scilicet « Meminerint quoque se ... »; *d*) delendo linn. 5-7 pag. 51 (« quae omnia ... percipi possunt »); *e*) citando hic textum ex *Eph.* 3, 13; *f*) continuando a lin. 7 pag. 51 usque ad lin. 19; *g*) delendo linn. 19-20 et earum loco, dicendo « Patet quod .. »; *h*) tandem, delendo verba « in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » in citatione finali ex *Eph.* 3, 20-21 (44 Patres).

R. — Accipi non potest talis ac tanta mutatio. Punctum sub *h*) accipitur.

41 — Pag. 50, lin. 1 et ss. Dicatur: « Sacrosancta haec Synodus *gaudia vitae sacerdotalis prae oculis habens, etiam* difficultates *non praeterire potest,* quas in hodiernae vitae adiunctis patiuntur Presbyteri ». Quia nimis pessimistice incipit Conclusio (1 Pater).

R. — Admittitur.

42 — Pag. 50, lin. 15. Addatur: « Non desunt sacerdotes, qui serio sibi quaestionem proponunt de natura ac valore ministerii sui » (1 Pater). [133]

R. — Non videtur Concilio congruere.

43 — Pag. 50, linn. 19-24. Tota phrasis omittatur; sequens phrasis sic incipiatur: « Et » (loco: « idem »). Quia: *a*) nimis individualistice describitur opus pastorale, qui in totum socialem ambitum infundit fermentum christianum; *b*) nimis pessimistice de mundo loquitur, quasi sit sphaera damnationis, ex qua homines eripi deberent, quum Concilium e contra fideles moneat ut mundum penetrent (1 Pater). [134]

R. — Modus non accipitur; rationi tamen allatae satisfit, dicendo, modo positivo: « *Revera,* mund*us* h*ic,* multis quidem peccatis detent*us,* sed non parvis etiam facultatibus praedit*us,* Ecclesi*ae* lapides vivos *praebet* (cf. *1 Petr.* 2, 5), qui ... ».

44 — Pag. 50, lin. 29. *a*) Dicatur: « Meminerint Presbyteri in opere exercendo nunquam solos esse. *Credentes in Christum qui eos vocavit ad Sacerdotium et in Christo toto corde fidentes, sciant in suis difficultatibus recurrere ad Deum, qui potens est ut augeat caritatem et opus perfectum. Item* sciant fideles totius mundi ... » (2 Patres).

b) Fere eadem proponuntur ab alio Patre, cuius modus loquendi magis placet.

R. — Admittitur, ita ut dicatur: « Meminerint Presbyteri se in opere exercendo nunquam solos esse, sed inniti omnipotenti Dei virtute: *atque in Christum credentes, qui eos ad Sacerdotium suum participandum vocavit, cum omni fiducia suo ministerio sese devoveant, scientes potentem esse Deum ut augeat in eis caritatem* (cum referentia ad Liturgiam Romanam Ordinationum). *Meminerint etiam* fratres ... ».

45 — Pag. 51, linn. 4-5. Deleantur verba « donec compleatur mensura aetatis Eiusdem », aut alia redactio proponatur. Ratio est quia « Eiusdem » in fine phrasis non convenit (1 Pater).

R. — Scribatur: « donec Eiusdem compleatur aetatis mensura ».

46 — Pag. 51, lin. 19. Addatur: « *Meminerint Sacerdotes se Sacramento Ordinis donatos esse gratia et charactere speciali, ita ut Christo Sacerdoti configurati in persona Christi Capitis agere valeant. Attendant verba S. Pauli ad Timotheum*: « *Noli negli-*

[134] *gere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii* (*1 Tim.* 4, 14). *Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (cf. *Rom.* 11, 29). *Deus enim fidelis est* » (1 Pater).

R. — Additio nimis longa est, revocans plura quae iam in schemate longe largeque dicuntur, inclusa citatione ex *1 Tim.* Insuper, cf. Mod. 44. Ergo non accipitur.

[135] 47 — Pag. 51, linn. 26-27. Dicatur: « ... orbis Presbyteris *in Christo dilectis* peramanter et grat*ias et laudes tribuit* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Debilitat magis quam roborat sententiam.

QUAESITUM

An placeat expensio Modorum facta a Commissione de disciplina cleri et populi christiani circa Modos Articulum III Capitis III (nn. 18-21) *et Conclusionem* (n. 22) *respicientes?*

Moderator: Gratias plurimas ex corde agimus tum exc.mo relatori tum omnibus membris commissionis de tanto labore completo.

Proponatur nunc a secretaria quaesitum primum circa expensionem modorum schematis nostri.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, videatis pag. 27 quaesitum [*cf. pag. 127*]. Quaeritur (est suffragatio 522; schedula iam est distributa): *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, sabbato proximo erit solemnis visitatio clarissimi Praesidis Reipublicae Malgaciae ad Sanctum Patrem. Quapropter, uti in similibus occasionibus iam factum est, rogantur omnes Patres qui suo proprio autocineto utuntur ut illum transferant in locum quem indicabunt vigiles Vaticani, ita ut area patens ante S. Petrum libera manere possit.

Nunc proponitur sequens suffragatio et dabitur vobis nunc schedula.

Est suffragatio 523. Videatis pag. 78 quaesitum [*cf. pag. 177*]. Quaeritur: *Placet* an *non placet?* Respondeatis.

Interea nostri pueri cantores canent *Iubilate Deo,* clarissimi Bouzignac.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis tertiam suffragationem proponit.

Secretarius generalis: Conferatis pag. 105 quaesitum [*cf. pag. 203*]. [135]
Est suffragatio 524. Quaeritur: *Placet* an *non placet*?

Nunc chorus cantabit *Ego sum panis vivus,* Petri Aloisii a Palestrina.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis ulteriorem suffragationem proponit.

Secretarius generalis: Videatis pag. 122 quaesitum [*cf. pag. 220*]. Suffragatio 525. Quaeritur: *Placet* an *non placet*?

Nunc pueri nobis cantabunt *Nous sommes tous des frères,* abbatis Rogerii Delsinne.

Moderator: Loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, dominica proxima II Adventus, in hac Basilica erit solemnis beatificatio Venerabilis Servi Dei Charbel Makhlouf, sacerdotis monachi ex Ordine Antoniano Libanensi Maronita [*Plausus*].

Mane, hora 10, habebitur lectio *Brevis* beatificationis coram em.mis DD. Cardinalibus, rev.mo Capitulo Vaticano et Sacra Rituum Congregatione. Deinde cantabitur *Te Deum* ritu maronita et sequetur Missa solemnis ritu maronita, concelebrata ab em.mo et rev.mo D. card. Paulo Petro Meouchi, patr. Antiocheno Maronitarum, et ab exc.mis archiepiscopis et episcopis et rev.mis superioribus generalibus Maronitis.

Hora 4,30 post meridiem, Summus Pontifex accedet ad hanc Basilicam novum Beatum veneraturus. Habebitur Benedictio eucharistica ritu maronita, quam impertietur em.mus ac rev.mus D. card. Paulus Petrus Meouchi.

Patres invitantur omnes, et gratum certe fecerint non solum Maronitis, sed omnibus, si sacrae caeremoniae sive mane sive vespere intervenerint.

Lego nunc, Patres venerabiles, textum suffragationis 526, cuius textum habebitis in pag. 135 quaesitum [*cf. pag. 232*]. Quaeritur: *Placet* an *non placet*?

Est ultima suffragatio quoad singulas partes. Post aliquod tempus proponemus suffragationem super integro schemate.

Pueri nunc cantabunt *La nuit,* clarissimi Rameau.

Chorus denique cantabit *Enfants de tous pays,* clarissimi Macias.

Moderator: Ex toto corde gratias agimus plurimas pueris cantoribus qui nostram congregationem delectaverunt et concelebrationem in hodierna congregatione cantibus suis maxime devotam fecerunt. Gratias plurimas [*plausus*]. Proponitur nunc suffragatio super integro schemate.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, est suffragatio 527. Lego textum per initium et finem. Videatis pag. 9-92 [*cf. pag. 109-191*]. Patres venerabiles, hic textus, qui per partes lectus est sed totus habendus est lectus, *placet*ne vobis an *non placet*? Respondeatis.

[5] SCHEMA CONSTITUTIONIS PASTORALIS [1]
DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *

*Textus denuo ** recognitus*

PROOEMIUM

1. [*De intima coniunctione Ecclesiae cum tota familia gentium*]. Gaudium et spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere humanum invenitur, quod in corde eorum non resonet. Ipsorum enim communitas ex hominibus coalescit, qui, in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa cum genere humano eiusque historia se revera intime coniunctam experitur.

2. [*Ad quosnam Concilium sermonem dirigat*] Ideo Concilium Vaticanum Secundum, mysterio Ecclesiae penitius investigato, iam non ad solos Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, sed ad universos homines incunctanter sermonem convertit, omnibus exponere cupiens quomodo Ecclesiae praesentiam ac navitatem in mundo hodierno concipiat.

Mundum igitur hominum prae oculis habet seu universam familiam humanam cum universitate rerum inter quas vivit; mundum, theatrum historiae generis humani, eiusque industria, cladibus ac victoriis signatum; mundum, quem christifideles credunt ex amore Creatoris conditum et conservatum, *sub* peccati quidem *servitute positum,* sed a Christo

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 166, die 2 decembris 1965.

** Est textus recognitus iuxta Modos a Concilii Patribus propositos et a competenti commissione mixta examinatos.

NB. Emendationes in textum introductae litteris inclinatis seu italicis significantur.

crucifixo et resurgente, fracta potestate Maligni, liberatum, ut *secundum* propositum Dei ( ) transformetur *et* ad consummationem *perveniat*. [5]

3. [*De ministerio homini praebendo*]. Nostris autem diebus, genus humanum, de propriis inventis propriaque potentia admiratione commotum, saepe tamen anxias agitat quaestiones de hodierna mundi evolutione, de loco et munere hominis in orbe universo, de sui individualis et collectivi conaminis sensu, denique de ultimo rerum hominumque fine. [6]
Quapropter Concilium, fidem universi populi Dei, *a Christo congregati,* testificans et exponens, *ipsius* coniunctionem, observantiam ac dilectionem erga totam hominum familiam, cui inseritur, eloquentius demonstrare non valet quam instituendo cum ea de variis illis problematibus colloquium, lumen afferrendo ex Evangelio deprompium, atque humano generi salutares vires suppeditando, quas ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo accipit. Hominis enim persona salvanda est humanaque societas instauranda. Homo igitur, et quidem unus ac totus, cum corpore et anima, corde et conscientia, mente et voluntate, totius nostrae explanationis cardo erit.

Ideo *Sacra Synodus* ( ), altissimam vocationem hominis profiten*s* et divinum quoddam semen in eo insertum asseveran*s*, generi humano sinceram cooperationem Ecclesiae offer*t* ad instituendam eam omnium fraternitatem quae huic vocationi respondeat. Nulla ambitione terrestri mo*vetur* Ecclesia, sed unum tantum intend*it*: nempe, Spiritus Paracliti ductu, opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut salvaret, non ut iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur.[2]

NOTAE

Ad titulum.

[1] *Constitutio Pastoralis « De Ecclesia in mundo huius temporis » duabus partibus constans, unum quid tamen efficit.*

« Pastoralis » enim dicitur Constitutio ex eo quod, principiis doctrinalibus innixa, habitudinem Ecclesiae ad mundum et ad homines hodiernos exprimere intendit. Ideo nec in priori parte pastoralis deest intentio, nec vero in secunda intentio doctrinalis.

In parte quidem priori, Ecclesia doctrinam suam evolvit de homine, de mundo in quo homo inseritur, et de habitudine sua ad ipsos. In secunda autem diversos aspectus hodiernae vitae et societatis humanae pressius considerat, et quidem speciatim quaestiones et problemata quae nostris temporibus hac in re urgentiora videntur. Unde fit ut, in hac posteriori parte, materia, principiis doctrinalibus subiecta, non tantum elementis permanentibus, sed etiam contingentibus constat.

Interpretanda est igitur Constitutio iuxta normas generales theologicae inter-

[6] *pretationis, et quidem ratione habita, praesertim in secunda eius parte, adiunctorum mutabilium cum quibus res de quibus agitur natura sua connectuntur* (cf. expensionem Modorum de titulo et praesertim responsionem, quae invenitur in fine fasciculi Secundam Partem schematis complectentis).

Ad n. 3.

[2] Cf. *Io.* 18, 37; 3, 17; *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45.

[7]

EXPOSITIO INTRODUCTIVA

De hominis condicione in mundo hodierno

4. [*De spe et angore*]. Ad tale munus exsequendum, *per omne tempus* Ecclesiae officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi; ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit. Oportet itaque ut mundus in quo vivimus necnon eius exspectationes, appetitiones et indoles saepe dramatica cognoscantur et intelligantur. Quaedam autem principaliores mundi hodierni notae sequenti modo delineari possunt.

Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem gradatim extenduntur. Ab hominis intelligentia et creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria individualia et collectiva, in eius modum cogitandi et agendi tum circa res tum circa homines. Ita iam de vera sociali et culturali transformatione loqui possumus, quae *etiam* in vitam religiosam redundat.

Ut in quavis accretionis crisi contingit, haec transformatio non leves secumfert difficultates. Ita, dum homo potentiam suam tam late extendit, eam tamen non semper ad suum servitium redigere valet. Proprii *animi* intim*iora altius* penetr*are satagens,* saepe de seipso magis incertus apparet. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione ei imprimenda anceps haeret.

Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus et potentia oeconomica abundavit, et tamen adhuc ingens pars incolarum orbis fame *et egestate* torquetur *atque* innumeri litterarum ignorantia plane laborant. Numquam homines tam acutum ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psych*icae* servitutis exsurgunt. Dum mundus suam unitatem necnon singulorum ab invicem dependentiam in necessaria solidarietate tam vivide persentit, viribus

tamen inter se pugnantibus gravissime in opposita distrahitur; etenim acres dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, «raciales» et ideologicae adhuc perseverant, nec periculum deest belli omnia usque ad ima destructuri. Dum idearum *communicatio* augetur, verba ipsa quibus magni momenti conceptus exprimuntur sensus sat diversos in distinctis ideologiis induunt. Tandem sedulo perfectior quaeritur temporalis ordinatio, quin spirituale incrementum pariter progrediatur. [7]

Tot implexis condicionibus affecti, plurimi coaevi nostri impediuntur quominus valores perennes vere dignoscant et simul cum noviter inventis rite componant; exinde, inter spem et angorem agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui rerum cursus homines ad respondendum provocat, immo et constringit. [8]

5. [*De profunde mutatis condicionibus*]. Hodierna animorum commotio et in vitae condicionibus immutatio cum ampliori rerum transmutatione connectuntur, qua efficitur ut in mentibus efformandis scientiae mathematicae et naturales vel de ipso homine tractantes, in ordine vero agendi technicae artes ex illis scientiis profluentes, *crescens pondus acquirant.* Haec mens scientifica rationem culturalem modosque cogitandi aliter quam antea fingit. Technicae artes eo progrediuntur ut faciem terrae transforment et iam spatium ultraterrestre subigere conentur.

Super tempora quoque humanus intellectus dominium suum quodammodo dilatat: in praeteritum ope cognitionis historicae, in futurum arte prospectiva et planificatione. Progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales non solum homini ad meliorem sui cognitionem opem ferunt, sed ipsum etiam adiuvant ut, technicis methodis adhibitis, in vitam societatum directe influxum exerceat. Insimul genus humanum de proprio demographico incremento iam praevidendo et ordinando magis magisque cogitat.

Ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli eam vix prosequi valeant. Consortionis humanae sors una efficitur et non amplius inter varias velut historias dispergitur. Ita genus humanum a notione magis statica ordinis rerum ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit, unde quam maxima nascitur problematum nova complexio, quae ad novas analyses et syntheses provocat.

6. [*Mutationes in ordine sociali*]. Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, « clans », tribus, pagi, varii coetus et consortionis socialis necessitudines, pleniores in dies immutationes experiuntur.

Typus industrialis societatis paulatim diffunditur, quasdam nationes ad oeconomicam opulentiam adducens, et notiones et condiciones vitae

[8] socialis a *saeculis* constitutas penitus transformans. Similiter vitae urbanae cultus ac studium augentur sive per urbium earumque incolarum augmentum, sive per motum quo vita urbana ad ruricolas dilatatur.

Nova ( ) et aptiora communicationis socialis instrumenta ad eventus cognoscendos et ad modos cogitandi et sentiendi quam citissime latissimeque diffundendos conferunt, plures connexas repercussiones excitando.

Nec ( ) parvipendendum est *quot* homines, *ex* variis causis, ad migrandum induc*ti, vitae suae rationem immutent.*

[9] *Sic* necessitudines hominis cum similibus suis indesinenter multiplic*antur* ( ) *ac simul ipsa « socializatio » novas necessitudines inducit,* quin tamen congruentem *personae maturationem et relationes vere personales* (« personalizationem ») semper promoveat.

Huiusmodi quidem evolutio clarius apparet in nationibus quae *commodis* progressus oeconomici et technici iam gaudent, sed populos quoque movet adhuc ad progressionem nitentes qui, pro suis regionibus, beneficia industrializationis et urbanizationis obtinere cupiunt. Qui populi, praesertim antiquioribus traditionibus addicti, simul motum experiuntur ad maturius *magisque personale* libertatis exercitium.

7. [*Mutationes psychologicae, morales et religiosae*]. Mutatio men*tis* et structurarum bona recepta frequenter in controversiam vocat, maxime apud iuvenes qui non semel impatientes, immo angore rebelles fiunt, *et conscii de proprio momento in vita sociali, citius in eadem partes habere cupiunt. Exinde non raro parentes et educatores in muneribus suis adimplendis in dies maiores difficultates experiuntur.*

Instituta vero, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita non semper statui rerum hodierno bene aptari videntur; inde gravis perturbatio in modo et in ipsis agendi normis.

Ipsam denique vitam religiosam novae condiciones afficiunt. Ex una parte acrior diiudicandi facultas eam *a magico mundi conceptu et* a superstitionibus adhuc vagantibus purificat atque magis personalem et actuosam adhaesionem fidei in dies exigit; quo fit ut non pauci ad vividiorem Dei sensum accedant. Ex altera vero parte crebriores turbae a religione *practice* discedunt. Secus ac transactis temporibus, Deum religionemve negare, aut ab iisdem abstrahere, non amplius quid insolitum et individuale sunt: hodie enim non raro quasi exigentia progressus scientifici vel cuiusdam novi humanismi exhibentur. Haec omnia in pluribus regionibus non tantum in philosophorum placitis exprimuntur, sed latissime litteras, artes, scientiarum humanarum et historiae inter-

pretationem, *ipsasque leges civiles* afficiunt ita ut exinde multi perturbentur. [9]

8. [*De inaequilibriis in mundo hodierno*]. Tam rapida rerum *mutatio* inordinate saepe *progrediens,* immo et ipsa discrepantiarum in mundo vigentium acrior conscientia, contradictiones et inaequilibria gign*unt* vel auge*nt*.

In ipsa persona frequentius oritur inaequilibrium inter modernum intellectum practicum et theoreticam cogitandi rationem, quae summam cognitionum suarum neque sibi subigere neque in syntheses apte ordinare valet. Oritur pariter inaequilibrium inter sollicitudinem efficientiae practicae et exigentias conscientiae moralis, necnon multoties inter condiciones vitae collectivas et requisita cogitationis personalis, *immo et contemplationis. Oritur tandem inaequilibrium inter activitatis humanae specializationem et universalem rerum visionem.* [10]

In familia autem discrepantiae oriuntur, sive ex prementibus condicionibus demographicis, oeconomicis et socialibus, sive ex *difficultatibus* inter generationes quae sibi subsequuntur *exsurgentibus,* sive ex novis necessitudinibus socialibus inter vir*os* ac muliere*s*.

Magnae oriuntur etiam discrepantiae inter stirpes, *immo inter* varii generis societatis ordines; inter nationes opulentas et minus valentes egentes*que*; denique, inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta, et ambitionem propriae ideologiae disseminandae *nec non cupiditates collectivas in nationibus aliisve coetibus existentes.*

Inde mutuae diffidentiae et inimicitiae, conflictationes et aerumnae, quarum ipse homo simul causa est et victima.

9. [*De appetitionibus universalioribus generis humani*]. Interea crescit persuasio genus humanum non tantum imperium suum super res creatas in dies magis roborare posse ac debere; sed insuper eius esse ordinem politicum, socialem et oeconomicum statuere qui in dies melius homini inserviat et singulos ac coetus adiuvet ad dignitatem sibi propriam affirmandam et excolendam.

Hinc plurimi acerrime exigunt illa bona quibus, per iniustitiam vel non aequam distributionem, orbatos se esse vivida conscientia iudicant. Nationes in via progressus sicut *illae* recenter sui iuris factae, bona *civilizationis* hodiernae non tantum in campo politico sed etiam oeconomico participare et libere partibus suis in mundo fungi cupiunt, dum tamen in dies augetur earumdem distantia *simul ac* persaepe dependentia *etiam* oeconomica ab aliis ditioribus nationibus citius progredientibus. Populi fame pressi populos opulentiores interpellant. Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, *paritatem de iure et de facto* cum

[10] viris. Opifices et ruricolae non solum victui necessaria comparare, sed laborando dotes suae personae excolere, immo in ordinanda vita oeconomica, sociali, politica et culturali suas partes agere volunt. Nunc primum in historia humana *universi* populi iam persuasum sibi habent culturae beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

Sub omnibus autem istis exigentiis latet profundior et universalior appetitio: personae scilicet atque coetus plenam *atque* liberam vitam, homine dignam, sitiunt, omnia quae hodiernus mundus eis tam abundanter praebere potest proprio servitio subicientes. Nationes praeterea in dies fortius enituntur ut universalem quamdam communitatem assequantur.

Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potentem ac debilem se exhibet, capacem optima vel pessima patrandi, dum ipsi ad libertatem aut servitutem, ad progressum aut regressum, ad fraternitatem aut odium prostat via. Praeterea, homo conscius fit ipsius esse vires, quas ipse su-
[11] scitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt, recte dirigere. Unde seipsum interrogat.

10. [*De profundioribus interrogationibus generis humani*]. Revera inaequilibria quibus laborat mundus hodiernus cum inaequilibrio illo fundamentaliori connectuntur, quod in hominis corde radicatur. In ipso enim homine plura elementa sibi invicem oppugnant. Dum enim una ex parte, utpote creatura, multipliciter sese limitatum experitur, ex altera vero in desideriis suis illimitatum et ad superiorem vitam vocatum se sentit. Multis sollicitationibus attractus, iugiter inter eas seligere et quibusdam renuntiare cogitur. Immo, infirmus ac peccator, non raro illud quod non vult facit et illud quod facere vellet non facit.[1] Unde in seipso divisionem patitur, ex qua etiam tot ac tantae discordiae in societate oriuntur. Plurimi sane, *quorum* vita materialismo practico inficitur, a clara huiusmodi dramatici status perceptione avertuntur, vel autem, miseria oppressi, impediuntur quominus illum considerent. Multi in interpretatione rerum multifarie proposita quietem se invenire existimant. Quidam vero a solo conatu humano veram plenamque generis humani liberationem exspectant, sibique persuasum habent futurum regnum hominis super terram omnia vota cordis eius expleturum esse. Nec desunt qui, de sensu vitae desperantes, audaciam laudant eorum qui, existentiam humanam *omnis* significationis propriae expertem existimantes, ei *totam* significationem ex *solo* proprio ingenio conferre nituntur. Attamen, coram hodierna mundi evolutione, in dies numerosiores fiunt qui quaestiones maxime fundamentales vel ponunt vel nova acuitate persentiunt: quid est homo? Quinam est sensus doloris, mali,

mortis, quae, *quamquam* tant*us* progressus *factus est, subsistere* pergunt? [11]
Ad quid victoriae illae tanto pretio acquisitae? Quid societati homo afferre, quid ab ea expectare potest? Quid post vitam hanc terrestrem subsequetur? ( ).

( ) Credit autem Ecclesia Christum, pro omnibus mortuum et resuscitatum[2] homini lucem et vires per Spiritum suum praebere ut ille summae suae vocationi respondere possit; nec aliud nomen sub caelo datum esse hominibus, in quo oportet eos salvos fieri.[3] Similiter credit clavem, centrum et finem ( ) totius humanae historiae in Domino ac Magistro suo inveniri. *Affirmat insuper Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur, quaeque fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula.*[4] Sub lumine *ergo* Christi, Imaginis Dei invisibilis, Primogeniti omnis creaturae,[5] Concilium, ad mysterium hominis illustrandum atque ad *cooperandum in solutionem praecipuarum quaestionum nostri temporis inveniendam,* omnes alloqui intendit.

NOTAE [12]

Ad n. 10.

[1] Cf. *Rom.* 7, 14 ss.
[2] Cf. *2 Cor.* 5, 15.
[3] Cf. *Act.* 4, 12.
[4] Cf. *Hebr.* 13, 8.
[5] Cf. *Col.* 1, 15.

PARS I [13]

DE ECCLESIA ET VOCATIONE HOMINIS

11. [*Impulsionibus Spiritus respondendum*]. Populus Dei, fide motus, qua credit se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum, in eventibus, exigentiis atque optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, quaenam in illis sint vera signa praesentiae vel consilii Dei, discernere satagit. Fides enim omnia novo lumine illustrat et divinum propositum de integra hominis vocatione manifestat, ideoque ad solutiones plene humanas mentem dirigit.

Concilium imprimis illos valores, qui hodie maxime aestimantur, sub hoc lumine diiudicare et ad fontem suum divinum referre intendit. Hi enim valores, prout ex *hominis ingenio eidem* divinitus collato procedunt, valde boni sunt; sed ex corruptione humani cordis a sua debita ordinatione non raro detorquentur, ita ut purificatione indigeant.

[13] Quid Ecclesia de homine sentit? ( ) Quaenam ad societatem hodiernam aedificandam commendanda videntur? ( ) Quaenam est significatio ultima humanae navitatis in universo mundo? ( ) Ad has quaestiones responsio expectatur. Exinde, luculentius apparebit populum Dei et genus humanum, cui ille inseritur, servitium sibi mutuo praestare, ita ut Ecclesiae missio religiosam et ex hoc ipso summe humanam se exhibeat ( ).

Caput I

DE HUMANAE PERSONAE DIGNITATE

12. [*De homine ad imaginem Dei*]. Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, omnia quae in terra sunt ad hominem, tamquam ad centrum suum et culmen, ordinanda sunt.

Quid est autem homo? Multas opiniones de seipso protulit et profert, varias et etiam contrarias, quibus saepe vel se tamquam absolutam regulam exaltat vel usque ad desperationem deprimit, exinde anceps et anxius. Quas quidem difficultates Ecclesia persentiens, a Deo revelante instructa eisdem responsum afferre potest, quo vera hominis condicio delineetur, explanentur eius infirmitates, simulque eius dignitas et vocatio recte agnosci possint.

Sacrae enim Litterae docent hominem « ad imaginem Dei » creatum esse, capacem suum Creatorem cognoscendi et amandi, ab eo tamquam
[14] dominum super omnes creaturas terrenas constitutum,[1] ut eas regeret, eisque uteretur, glorificans Deum.[2] « Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius » (*Ps.* 8, 5-7).

At Deus non creavit hominem solum: nam inde a primordiis « masculum et feminam creavit eos » (*Gen.* 1, 27), *quorum* consociatio primam formam efficit communionis personarum ( ). Homo etenim ex intima sua natura ens sociale est, atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes expandere potest.

Deus igitur, sicut iterum in sacra Pagina legimus, vidit « cuncta quae fecerat, et erant valde bona » (*Gen.* 1, 31).

13. [*De peccato*]. In iustitia a Deo constitutus, homo *tamen, suadente* Maligno, inde ab exordio historiae, libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigens et finem suum extra Deum attingere cupiens. ( ) Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed obscuratum est insipiens cor eorum et servierunt creaturae potius quam

Creatori ( ).[3] Quod Revelatione divina nobis innotescit, cum ipsa experientia *concordat*. Nam homo, cor suum inspiciens, *etiam* ad malum inclinatum se comperit et in multiplicibus malis demersum, quae a bono suo Creatore provenire non possunt. Deum tamquam principium suum *saepe* agnoscere renuens, *etiam debitum* ordinem ( ) ad finem *suum ultimum,* simul ac totam suam sive erga seipsum sive erga alios homines *et omnes res creatas* ordinationem disrupit. [14]

Ideo in seipso divisus est homo. Quapropter tota vita hominum, sive singularis sive collectiva, ut luctationem et quidem dramaticam se exhibet inter *bonum et malum,* inter *lucem et tenebras* ( ). Immo incapacem se invenit homo per seipsum mali impugnationes efficaciter debellandi, ita ut unusquisque se quasi catenis vinctum sentiat. At ipse Dominus venit ut hominem liberaret et confortaret, eum interius renovans ac « principem huius mundi » (*Io.* 12, 31) foras eiiciens qui eum in servitute peccati retine*bat.*[4] Peccatum autem ipsum hominem minuit, a plenitudine consequenda eum repellens.

In lumine huius Revelationis simul *sublimis vocatio* et profunda miseria, quas homines experiuntur, rationem suam ultimam inveniunt.

14. [*De hominis constitutione*]. Corpore et anima unus, homo per ipsam suam corporalem condicionem elementa mundi materialis in se colligit, ita ut, per ipsum, fastigium suum attingant et ad liberam Creatoris laudem vocem attollant.[5] Vitam ergo corporalem homini despicere non licet, sed e contra ipse corpus suum, utpote a Deo creatum et ultima die resuscitandum, bonum et honore dignum habere tenetur. Peccato tamen vulneratus, corporis rebelliones experitur. Ipsa igitur dignitas hominis postulat ut Deum glorificet in corpore suo,[6] ne*ve* illud pravis [15]
cordis sui inclinationibus inservire sinat.

Homo vero non fallitur, cum se rebus *corporalibus superiorem* agnoscit, et non tantum ut particulam naturae aut anonymum elementum civitatis humanae seipsum considerat. Interioritate enim sua universitatem rerum excedit: ad haec profunda redit, quando convertitur ad cor, ubi Deus eum exspectat, qui corda scrutatur,[7] et ubi ipse sub oculis Dei de propria sorte decernit. Itaque, animam spiritualem et immortalem in seipso agnoscens, non fallaci figmento illuditur a physicis tantum et socialibus condicionibus fluente, sed e contra ipsam profundam rei veritatem attingit.

15. [*De dignitate intellectus, de veritate et de sapientia*]. Recte ( ) iudicat homo, divinae mentis lumen participans, se intellectu suo universitatem rerum superare. Ingenium suum per saecula impigre exercendo ipse in scientiis empiricis, artibus technicis *et liberalibus* sane pro-

[15] fecit. Nostris autem temporibus in mundo materiali praesertim investigando et sibi subiiciendo egregios obtinuit successus. Semper tamen profundiorem veritatem quaesivit et invenit. Intelligentia enim non ad sola phaenomena coarctatur, sed realitatem intelligibilem cum vera certitudine adipisci valet, etiamsi, ex sequela peccati, ex parte obscuratur et debilitatur.

Humanae tandem personae intellectualis natura per sapientiam perficitur et perficienda est, quae mentem hominis ad vera bonaque inquirenda ac diligenda suaviter attrahit, et qua imbutus homo per visibilia ad invisibilia adducitur.

Aetas autem nostra, magis quam saecula anteacta, tali sapientia indiget ut humaniora fiant quaecumque nova *ab homine* dete*guntur*. Periclitatur enim sors futura mundi nisi sapientiores suscitentur homines. Insuper notandum est plures nationes, ( ) *bonis quidem* oeconomicis pauperiores, sapientia vero ditiores, ceteris eximium emolumentum praestare posse.

Spiritus Sancti dono, homo ad mysterium consilii divini contemplandum et sapiendum fide accedit.[8]

16. [*De dignitate conscientiae moralis*]. In imo conscientiae legem homo detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui oboedire debet, et cuius vox, semper ad bonum *amandum et* faciendum ac malum vitandum eum ( ) advocans, ubi oportet auribus cordis sonat: fac hoc, illud devita. Nam homo legem in corde suo a Deo inscriptam habet, cui parere ipsa dignitas eius est et secundum quam ipse iudicabitur.[9] *Conscientia est nucleus secretissimus atque sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius.*[10] *Conscientia modo mirabili illa lex innotescit,* quae in Dei et proximi dilectione adimpletur.[11] *Fidelitate erga conscientiam* christiani cum ceteris hominibus coniun*guntur ad veritatem inqui-*
[16] *rendam et tot problemata moralia, quae* tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsurg*unt, in veritate solvenda. Quo magis ergo conscientia recta praevalet, eo magis personae et coetus a caeco arbitrio recedunt et* normis obiectivis moralitatis conformari *satagunt.* Non raro tamen evenit ex ignorantia *invincibili* ( ) conscientiam erra*re, quin inde suam dignitatem amittat. Quod autem dici nequit cum homo de vero ac bono inquirendo parum curat, et conscientia* ex peccati consuetudine paulatim fere obcaeca*tur.*

17. [*De praestantia libertatis*]. At nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest, quam libertatem coaevi nostri magni faciunt ardenterque prosequuntur: et ( ) recte sane. Saepe tamen eam pravo modo fovent, tamquam licentiam quidquid faciendi dummodo delectet, etiam

malum. Vera autem libertas eximium est divinae imaginis in homine [16]
signum. Voluit enim Deus hominem « relinquere in manu consilii sui »,[12] ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat. Dignitas igitur hominis requirit ut secundum *consciam et liberam* electionem agat, personaliter *scilicet* ab intra motus et inductus, et non sub *caeco i*mpulsu interno vel *sub mera externa coactione.* Talem vero dignitatem obtinet homo cum, sese ab omni *passionum* captivitate liberans, finem suum in boni libera electione persequitur et apta subsidia efficaciter ac sollerti industria sibi procurat. Quam ordinationem ad Deum libertas hominis, e peccato vulnerata, nonnisi gratia Dei adiuvante, plene actuosam efficere potest. Unicuique autem ante tribunal Dei propriae vitae ratio reddenda erit, prout ipse sive bonum sive malum gesserit.[13]

18. [*De mysterio mortis*]. Coram morte aenigma condicionis humanae *maximum evadit.* Non tantum cruciatur homo *dolore et* corporis dissolutione progrediente, sed etiam, immo magis, perpetuae extinctionis timore. Recte autem instinctu cordis sui iudicat, cum totalem ruinam et definitivum exitum suae personae abhorret et respuit. Semen aeternitatis quod in se gerit, ad solam materiam cum irreductibile sit, contra mortem insurgit. Omnia technicae artis molimina, licet perutilia, anxietatem *hominis* sedare non valent: prorogata enim biologica longaevitas illi ulterioris vitae desiderio satisfacere nequit, quod cordi eius ineluctabiliter inest.

Dum coram morte omnis imaginatio deficit, Ecclesia tamen, Revelatione divina edocta, hominem ad beatum finem, ultra terrestris miseriae limites, a Deo creatum esse affirmat. Mors insuper corporalis, a qua homo si non peccasset subtractus fuisset,[14] fides christiana docet fore ut vincatur, cum homo in salutem, culpa sua perditam, ab omnipotente et miserante Salvatore restituetur. Deus enim hominem vocavit et vocat ut Ei in perpetua incorruptibilis vitae divinae communione tota sua natura adhaereat. Quam victoriam Christus, *hominem a morte per mortem* [17]
suam liberando, ad vitam resurgens adeptus est.[15] Cuicumque igitur recogitanti homini fides, cum solidis argumentis oblata, eius anxietati de sorte futura responsum offert; simulque facultatem praebet cum dilectis fratribus iam morte praereptis in Christo communicandi, spem conferens eos veram vitam apud Deum adeptos esse.

19. [*De formis et radicibus atheismi*]. Dignitatis humanae eximia ratio in vocatione *hominis* ad communionem cum Deo consistit. Ad colloquium cum Deo iam inde ab ortu suo invitatur homo: non enim exsistit, nisi quia, a Deo ex amore creatus, semper *ex amore conservatur* nec

[17] *plene secundum veritatem* vivit, nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat. Multi tamen ex coaevis nostris hanc intimam ac vitalem cum Deo coniunctionem nequaquam *perspiciunt* aut explicite reiiciunt, ita ut atheismus inter gravissima*s* huius temporis *res* adnumerandus sit ac diligentiori examini subiiciendus.

Voce atheismi phaenomena inter se valde diversa designantur. Dum enim a quibusdam Deus expresse negatur, alii censent hominem nihil omnino de Eo asserere posse; alii vero q*uaestionem de Deo tali method*o examini subiiciunt, ut *illa* sensu carere *videatur*. Multi, scientia*rum positivarum* limites indebite praetergressi, aut omnia *hac* sola scientifica ratione explicari contendunt aut e contra nullam omnino veritatem absolutam iam admittunt. Quidam hominem tantopere exaltant, ut fides in Deum quasi enervis fiat, magis proclives, ut videntur, *ad* affirmationem hominis quam *ad* Dei negationem. Alii Deum sibi ita effingunt, ut *illud* figmentum, *quod* repudiant, nullo modo Deu*s sit* Evangelii. Alii quaestiones de Deo ne aggrediuntur quidem, quippe qui inquietudinem religiosam non experiri videantur nec percipiant quare de religione iam sibi curandum sit. Atheismus praeterea non raro oritur sive ex violenta contra malum in mundo protestatione, sive ex nota ipsius absoluti quibusdam humanis bonis i*ndebite adiudicata,* ita ut ista iam pro Deo habeantur. Ipsa civilisatio hodierna, non ex se, sed utpote nimis rebus terrestribus intricata, accessum ad Deum saepe difficiliorem reddere potest.

Sane qui voluntarie Deum a corde suo arcere et quaestiones religiosas devitare conantur, dictamen conscientiae suae non secuti, culpae expertes non sunt; attamen et ipsi credentes quamdam de hoc responsabilitatem saepe ferunt. Atheismus enim, integre consideratus, non est quid originarium, sed potius ex diversis causis oritur, inter quas adnumeratur etiam reactio critica contra religione*s* et quidem, in n*onnullis* regionibus, praesertim contra religionem christianam. Quapropter in hac atheismi genesi partem non parvam habere possunt credentes, quatenus, neglecta fidei educatione, vel fallaci doctrinae expositione, vel etiam vitae suae religiosae, moralis ac socialis defectibus, Dei et religionis genuinum vultum potius velare quam revelare dicendi s*i*nt.

[18] 20. [*De atheismo systematico*]. Atheismus modernus formam etiam systematicam saepe praebet, quae, praeter alias causas, ( ) optatum autonomiae hominis eo usque perducit ut contra qualemcumque a Deo dependentiam difficultatem suscitet. Qui talem atheismum profitentur, libertatem in eo esse contendunt quod homo sibi ipse sit finis, propriae suae historiae *solus* artifex et demiurgus: quod componi non posse autumant cum agnitione Domini, omnium rerum auctoris et finis, vel sal-

tem talem affirmationem plane superfluam reddere. Cui doctrinae fav*ere potest* sensus potentiae quem hodiernus progressus technicus homini confert. [18]

Inter formas hodierni atheismi illa non praetermittenda est, quae liberationem hominis praesertim ex eius liberatione oeconomica et sociali exspectat. Huic autem liberationi religionem natura sua obstare contendit, quatenus, in futuram fallacemque vitam spem hominis erigens, ipsum a civitatis terrestris aedificatione deterreret. Unde fautores talis doctrinae, ubi ad regimen reipublicae accedunt, religionem vehementer oppugnant, atheismum diffundentes etiam adhibitis, praesertim in iuvenum educatione, illis pressionis mediis, quibus potestas publica *pollet.*

21. [*De habitudine Ecclesiae ad atheismum*]. Ecclesia, fideliter tum Deo tum hominibus addicta, desistere non potest quin dolenter perniciosas illas doctrinas actionesque, quae rationi et communi experientiae humanae contradicunt hominemque ab innata eius excellentia deiiciunt, omni firmitate reprobet, *sicut antehac reprobavit.*[16]

Abditas tamen in atheorum mente negationis Dei causas deprehendere conatur et, de gravitate quaestionum quas atheismus excitat conscia *necnon caritate erga omnes homines ducta,* eas serio ac profundiori examini subiiciendas *esse* censet.

Tenet Ecclesia agnitionem Dei dignitati hominis nequaquam opponi, cum huiusmodi dignitas in ipso Deo fundetur et perficiatur: homo enim a Deo creante intelligens ac liber i*n societate* constituitur; sed praesertim ad ipsam Dei communionem ut filius vocatur et ad ipsius felicitatem participandam. Docet praeterea per spem eschatologicam momentum munerum terrestrium non minui, sed potius eorum adimpletionem novis motivis fulciri. ( ) Deficientibus e contra fundamento divino et spe vitae aeternae, hominis dignitas gravissime laeditur, ut saepe hodie constat, atque vitae et mortis, culpae et doloris aenigmata sine *solutione* manent, ita ut homines in desperationem non raro deiiciantur.

Omnis homo interea sibi ipsi remanet quaestio insoluta, subobscure percepta. Nemo enim quibusdam momentis, praecipue in maioribus vitae eventibus, praefatam interrogationem omnino effugere valet. Cui quaestioni solus Deus plene et omni certitudine respon*sum affert,* qui ad altiorem cogitationem et humiliorem inquisitionem hominem vocat.

Remedium autem atheismo afferendum, t*um* a doctrina *apte exposita, tum* ab integra Ecclesiae eiusque membrorum vita expectandum est. [19]
Ecclesiae enim est Deum Patrem eiusque Filium incarnatum praesentem et quasi visibilem reddere, ductu Spiritus Sancti sese indesinenter renovando et purificando.[17] Id imprimis obtinetur testimonio fidei vivae et

[19] maturae, ad hoc scilicet educatae ut difficultates lucide perspicere valeat easque superare. Huius fidei testimonium praeclarum plurimi martyres reddiderunt et reddunt. Quae fides suam fecunditatem manifestare debet, credentium integram vitam, etiam profanam, penetrando, eosque ad iustitiam et amorem, praesertim erga *egentes* movendo. Ad praesentiam Dei manifestandam maxime denique confert caritas fraterna fidelium, qui spiritu unanimes collaborant fidei Evangelii,[18] et signum unitatis se exhibent.

Ecclesia vero, etiamsi atheismum omnino reiicit, sincere tamen profitetur homines omnes, credentes et non credentes, ad hunc mundum, in quo communiter vivunt, recte aedificandum opem conferre debere: quod certe fieri non potest sine sincero *et* prudenti colloquio. Conqueritur igitur de discrimine inter credentes et non credentes, quod quidam civitatum rectores, personae humanae iura fundamentalia non agnoscentes, iniuste inducunt. Pro credentibus vero actuosam libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum extruere sinantur. *Atheos autem humaniter invitat ut Evangelium Christi corde aperto considerent.*

Apprime etenim novit Ecclesia n*untium suum* cum secretissimis humani cordis desideriis concordare, cum vocationis humanae dignitatem vindicat, illis qui iam de altiore sua sorte desperant spem restituens. Nuntiu*m* eius, nedum hominem minuat, lucem, vitam et libertatem ad eius *profectum* fundit; atque praeter illu*d* nihil cordi hominis satisfacere valet: « Fecisti nos ad Te », Domine, « et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te ».[19]

22. [*De Christo Novo Homine*]. Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat *figura* futuri,[20] scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit. Nil igitur mirum ( ) in Eo ( ) praedicta*s* veritates suum inveni*re* fontem atque *attingere* fastigium.

Qui est « imago Dei invisibilis » (*Col.* 1, 15),[21] Ipse est homo perfectus, qui Adae filiis similitudinem divinam, inde a primo peccato deformatam, restituit. Cum in Eo natura humana assumpta, non perempta sit,[22] eo ipso etiam in nobis ad sublimem dignitatem evecta est. Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit,[23] humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato.[24]

[20] Agnus innocens, sanguine suo libere effuso, vitam nobis meruit, in

Ipsoque Deus nos Sibi et inter nos reconciliavit [25] et a servitute diaboli [20]
ac peccati eripuit, ita ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: Filius Dei « dilexit me et tradidit semetipsum pro me » (*Gal.* 2, 20). Pro nobis patiendo non solummodo exemplum praebuit ut sequamur vestigia Eius,[26] sed et viam instauravit, quam dum sequimur, vita et mors sanctificantur novumque sensum accipiunt.

Christianus autem homo, conformis imagini Filii factus qui est Primogenitus in multis fratribus,[27] « *primitias Spiritus* » (*Rom.* 8, 23) accipit, qu*ibus* capax fit legem novam amoris adimplendi.[28] Per hunc Spiritum, qui est « pignus haereditatis » (*Eph.* 1, 14), totus homo interius restauratur, usque ad « redemptionem corporis » (*Rom.* 8, 23): « Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra *propter inhabitantem Spiritum eius in vobis* » (*Rom.* 8, 11).[29] Christianum certe urgent necessitas et officium contra malum per multas tribulationes certandi necnon mortem patiendi; sed mysterio paschali consociatus, Christi morti configuratus, ad resurrectionem *spe roboratus* occurret.[30]

Quod non tantum pro *christifidelibus* valet, sed et pro omnibus hominibus bonae voluntatis in quorum corde gratia invisibili modo operatur.[31] Cum enim pro omnibus mortuus sit Christus [32] cumque vocatio hominis ultima revera una sit, scilicet divina, tenere debemus Spiritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, huic paschali mysterio ( ) consocient*ur*.

Tale et tantum est hominis mysterium, quod per Revelationem christianam credentibus illucescit. Per Christum et in Christo, igitur, illuminatur aenigma doloris et mortis, quod extra Eius Evangelium nos obruit. *Christus resurrexit,* morte sua mortem destru*ens,* vitamque nobis largitus est [33] ut, filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater! [34]

NOTAE

Ad n. 12.

[1] Cf. *Gen.* 1, 26; *Sap.* 2, 23.
[2] Cf. *Eccli.* 17, 3-10.

Ad n. 13.

[3] Cf. *Rom.* 1, 21-25.
[4] Cf. *Io.* 8, 34.

Ad n. 14.

[5] Cf. *Dan.* 3, 57-90.
[6] Cf. *1 Cor.* 6, 13-20.
[7] Cf. *1 Reg.* 16, 7; *Ier.* 17, 10.

[21] *Ad n. 15.*

[8] Cf. *Eccli.* 17, 7-8.

Ad n. 16.

[9] Cf. *Rom.* 2, 15-16.

[10] Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus* de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda, 23 martii 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 271.

[11] Cf. *Mt.* 22, 37-40; *Gal.* 5, 14.

Ad n. 17.

[12] Cf. *Eccli,* 15, 14.

[13] Cf. *2 Cor.* 5, 10.

Ad n. 18.

[14] Cf. *Sap.* 1, 13; 2, 23-24; *Rom.* 5, 21; 6, 23; *Iac.* 1, 15.

[15] Cf. *1 Cor.* 15, 56-57.

Ad n. 21.

[16] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 martii 1937: *A.A.S.*, 29 (1937), pp. 65-106; PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad Apostolorum Principis,* 29 iunii 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), pp. 601-614; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 451-453; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 augusti 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 651-653.

[17] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. I, n. 8: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 12.

[18] Cf. *Phil.* 1, 27.

[19] S. AUGUSTINUS, *Confess.* I, 1: *PL* 32, 661.

Ad n. 22.

[20] Cf. *Rom.* 5, 14. Cf. TERTULLIANUS, *De carnis resurr.* 6: « Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus »: *PL* 2, 282; *CSEL,* 47, p. 33, l. 12-13.

[21] Cf. *2 Cor.* 4, 4.

[22] Cf. CONC. CONSTANTINOP. II, can. 7: « Neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta »: DENZ. 219 (428). - Cf. etiam CONC. CONSTANTINOP. III: « Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata eius caro deificata non est perempta (theôtheisa ouk anèrethè), sed in proprio sui statu et ratione permansit »: DENZ. 291 (556). - Cf. CONC. CHALCED.: « in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum »: DENZ. 148 (302).

[23] Cf. CONC. CONSTANTINOP. III: « ita et humana eius voluntas deificata non est perempta »: DENZ. 291 (556).

[24] Cf. *Heb.* 4, 15.

[25] Cf. *2 Cor.* 5, 18-19; *Col.* 1, 20-22.

[26] Cf. *1 Pt.* 2, 21; *Mt.* 16, 24; *Lc.* 14, 27.

[27] Cf. *Rom.* 8, 29; *Col.* 3, 10-14.

[28] Cf. *Rom.* 8, 1-11.

[29] Cf. *2 Cor.* 4, 14.

[30] Cf. *Phil.* 3, 10; *Rom.* 8, 17.

[31] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. 2, n. 16: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20. [21]
[32] Cf. *Rom.* 8, 32.
[33] Cf. *Liturgia Paschalis Byzantina.*
[34] Cf. *Rom.* 8, 15 et *Gal.* 4, 6; cf. etiam *Io.* 1, 22 et *Io.* 3, 1-2.

CAPUT II [22]

DE HOMINUM COMMUNITATE

23. [*Quid Concilium intendat*]. Inter praecipuos mundi hodierni aspectus, mutuarum inter homines necessitudinum multiplicatio adnumeratur, ad quam evolvendam hodierni technici progressus plurimum conferunt. Tamen fraternum hominum colloquium non in istis progressibus, sed profundius in personarum communitate perficitur, quae mutuam reverentiam erga plenam earum dignitatem spiritualem exigit. Ad hanc vero communionem inter personas promovendam, Revelatio christiana *magnum* subsidium affert, simulque ad altiorem vitae socialis legum intelligentiam nos perducit quas Creator in natura spirituali ac morali hominis inscripsit.

Quoniam autem recentiora Ecclesiae Magisterii documenta christianam de societate humana doctrinam fusius exposuerunt,[1] Concilium quasdam tantum principaliores veritates in memoriam revoc*at* earumque fundamenta sub luce Revelationis expon*it*. Deinde in quaedam consectaria insist*it* quae nostris diebus maioris sunt momenti.

24. [*De indole communitaria vocationis humanae in consilio Dei*]. Deus, *qui* patern*am* cur*am* *omnium habet,* voluit ut cuncti homines unam efficerent familiam fraternoque animo se invicem tractarent. Omnes enim creati ad imaginem Dei, qui fecit « ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » (*Act.* 17, 26), ad unum eumdemque finem, *id est ad Deum ipsum,* vocantur.

Quapropter dilectio Dei et proximi primum et maximum mandatum est. A *Sacra* autem *Scriptura* docemur Dei amorem a proximi amore seiungi non posse: « ... si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instaur*a*tur: *D*iliges proximum tuum sicut teipsum ... Plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 9-10; *1 Io.* 4, 20). Quod vero hominibus magis in dies ab invicem dependentibus atque mundo magis in dies unificato maximi comprobatur esse momenti.

Immo *Dominus Iesus, quando Patrem orat ut « omnes unum sint ..., sicut et nos unum sumus »* (*Io.* 17, 21-22), prospectus praebens *humanae*

[22] rationi impervios, ( ) *aliquam* similitudinem *innuit inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate. Haec similitudo manifestat* hom*inem, qui* in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, *plene* seips*um* invenire *non* posse nisi *per sincerum sui ipsius donum.*[2]

[23] 25. [*De interdependentia humanae personae et humanae societatis*]. Ex sociali hominis indole apparet humanae personae profectum et ipsius societatis incrementum ab invicem pendere. Etenim principium, subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet humana persona, quippe quae, suapte natura, vita sociali omnino indigeat.[3] *Cum igitur vita socialis non sit homini quid adventicium, ideo* commercio cum aliis, mutuis officiis, colloquio cum fratribus, quoad omnes suas dotes grandescit homo, et suae vocationi respondere potest.

Ex socialibus vinculis, quae homini excolendo necessaria sunt, alia, uti familia et communitas politica, intimae eius naturae immediatius congruunt; alia ( ) potius ex eius libera voluntate procedunt. Nostra hac aetate, variis de causis, mutuae necessitudines et interdependentiae in dies multiplicantur; unde diversa oriuntur *consociationes et* instituta sive publici sive privati iuris. Hoc autem factum, quod socializatio nuncupatur, licet periculis sane non careat, multa tamen secum emolumenta affert ad confirmandas et augendas humanae personae qualitates eiusque iura tuenda.[4]

Sed si personae humanae ad suam vocationem adimplendam, etiam religiosam, ex hac vita sociali multum accipiunt, *negari tamen nequit* homines ex adiunctis socialibus in quibus vivunt et, inde ab infantia, immerguntur, saepe a bono faciendo averti et ad malum impelli. Certum est perturbationes, tam frequenter in ordine sociali occurrentes, ex ipsa formarum oeconomicarum, politicarum et socialium tensione pro parte provenire. Sed penitius ex hominum superbia et egoismo oriuntur, quae etiam ambitum socialem pervertunt. Ubi autem ordo rerum sequelis peccati afficitur, homo, proclivis ad malum natus, nova deinde ad peccatum incitamenta invenit, quae sine strenuis conatibus, gratia adiuvante, superari nequeunt.

26. [*De bono communi promovendo*]. Ex interdependentia in dies strictiori et paulatim ad mundum universum diffusa sequitur bonum commune — seu summam *earum vitae socialis* condicionum quae tum coetibus, tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequantur — hodie magis magisque universale evadere, et exinde iura officiaque implicare, quae totum humanum genus respiciunt. Quilibet coetus necessitatum et legitimarum ap-

petitionum aliorum coetuum, immo boni communis totius familiae humanae, rationem habere debet.[5] [23]

Simul vero conscientia crescit eximiae dignitatis quae personae humanae competit, cum ipsa rebus omnibus praestet, et eius iura officiaque universalia sint atque inviolabilia. Oportet ergo ut ea omnia homini pervia reddantur, quibus ad vitam vere humanam gerendam indiget, ( ) ut sunt victus, vestitus, habitatio, ( ) ius *ad statum vitae libere eligendum et ad familiam condendam,* ad educationem, *ad laborem,* ad bonam famam, ad reverentiam, ad congruam informationem, ad agendum ( ) iuxta [24] rectam suae conscientiae normam, ad vitae privatae protectionem atque ad iustam libertatem *etiam in re religiosa.*

Ordo socialis igitur eiusque progressus in bonum personarum indesinenter cedere debent, siquidem rerum ordinatio ordini personarum subicienda est et non e converso, ipso Domino *id* innuente *cum dixerit* sabbatum propter hominem factum esse et non hominem propter sabbatum.[6] Ordo ille in dies evolvendus, in veritate fundandus, in iustitia aedificandus, amore vivificandus est; in libertate autem aequilibrium in dies humanius invenire debet.[7] Ad haec autem implenda *mentis renovatio atque* amplae societatis immutationes inducendae sunt.

Spiritus Dei, qui mirabili providentia temporum cursum dirigit et faciem terrae renovat, huic evolutioni adest. Evangelicum autem fermentum in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit atque excitat.

27. [*De reverentia erga personam humanam*]. Ad practica urgentioraque consectaria descendens, Consilium reverentiam inculcat erga hominem, *ita ut* singuli *proximum, nullo excepto, tamquam* « alterum seipsum » considerare debeant, de eius vita et de mediis ad illam digne degendam necessariis rationem imprimis habentes,[8] ne divitem illum imitentur, qui pauperis Lazari nullam curam egit.[9]

Nostris praesertim diebus urget obligatio nosmetipsos cuiuslibet omnino hominis proximos efficiendi et illi occurrenti actuose inserviendi, sive sit senex ab omnibus derelictus, sive alienigena operarius *iniuste* despectus, *sive exsul,* vel infans *ex illegitima unione natus, immerito* patiens propter peccatum a se non commissum, vel esuriens qui conscientiam nostram interpellat Domini vocem revocans: « Quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

Quaecumque insuper ipsi vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutilationes, tormenta corpori mentive inflicta, conatus ipsos animos coërcendi;

[24] quaecumque humanam dignitatem offendunt, ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae incarcerationes, deportationes, *servitus,* prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, non ut liberae et responsabiles personae tractantur: haec omnia et alia huiusmodi, probra quidem sunt; dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuriam patiuntur; et Creatoris honori maxime contradicunt.

28. [*De reverentia et amore erga adversarios*]. Ad illos etiam qui in rebus socialibus, politicis vel etiam religiosis aliter ac nos sentiunt aut faciunt, reverentia et caritas extendi debent; quo magis quidem *hu-*
[25] *manitate* et caritate modos sentiendi eorum intimius comprehendemus, eo facilius cum ipsis colloquium inire poterimus.

Haec sane caritas et benignitas nequaquam indifferentes erga veritatem et bonum nos reddere debent. Immo caritas ipsa *discipulos Christi* urget ad veritatem salutarem omnibus hominibus annuntiandam. Sed distinguere oportet inter errorem, semper reiciendum, et errantem, qui dignitatem personae iugiter servat, etiam ubi falsis minusve accuratis notionibus religiosis inquinatur.[10] Deus solus iudex est et scrutator cordium; unde nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare.[11]

Doctrina Christi ut etiam iniuriis ignoscamus postulat [12] praeceptumque amoris ad inimicos omnes extendit, quod est Novae Legis mandatum: « Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos » (*Mt.* 5, 43-44).

29. [*De essentiali inter omnes homines aequalitate et de iustitia sociali*]. Cum omnes homines, anima rationali pollentes *et* ad imaginem Dei creati, eamdem naturam eamdemque originem habeant, cumque, a Christo ( ) redempti, eadem vocatione et destinatione divina fruantur, fundamentalis aequalitas inter omnes magis magisque agnoscenda *est.*

Sane varia capacitate physica viriumque intellectualium et moralium diversitate non omnes homines aequipar*a*ntur. Omnis tamen discriminandi modus in iuribus personae fundamentalibus, sive socialis sive culturalis, ob sexum, stirpem, colorem, socialem condicionem, linguam aut religionem, superandus et removendus est, utpote Dei proposito contrarius. *Vere enim* dolendum est iura illa fundamentalia personae adhuc non ubique sarta tecta servari. Ut si mulieri denegetur facultas libere sponsum eligendi et vitae statum amplec*t*endi, vel ad *parem* educationem et culturam quae viro *agnoscitur* accedendi. ( ).

Insuper, quamquam inter homines iustae diversitates adsunt, aequalis personarum dignitas postulat ut ad *humaniorem et aequam vitae condicionem* deveniatur. Etenim nimiae inter membra vel populos unius familiae humanae inaequalitates oeconomicae et sociales scandalum movent, atque iniustitiae sociali, aequitati, personae humanae dignitati, necnon paci sociali et internationali adversantur. [25]

Humanae autem institutiones, sive privatae sive publicae, dignitati ac fini hominis *subservire* nitantur, simul adversus quamlibet servitutem tum socialem tum politicam strenue decertantes, et iura hominum fundamentalia sub omni regimine politico servantes. Immo, huiusmodi institutiones spiritualibus rebus, omnium altissimis, paulatim congruant oportet, etiamsi interdum sat longo tempore opus sit ut ad optatum finem perveniant.

30. [*Quod ultra individualisticam ethicam progrediendum sit*]. Profunda et velox rerum immutatio urgent*ius* postulat ut nemo sit qui, ad rerum cursum non attendens vel inertia torpens, ethicae mere individualisticae indulgeat. Iustitiae ac caritatis officium magis ac magis adimpletur *per hoc quod unusquisque, ad bonum commune iuxta proprias capacitates et aliorum necessitates conferens, etiam* institutiones sive publicas sive privatas promove*t* et adiuva*t* quae hominum vitae condicionibus in melius mutandis inserviunt. Sunt autem qui, largas generosioresque opiniones profitentes, ita tamen semper reapse vivunt ac si nullam societatis necessitatum curam habeant. Immo, plures, in variis regionibus, leges et praescriptiones sociales minimi faciunt. Non pauci, variis fraudibus ac dolis, iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur. Alii normas *quasdam vitae socialis, e. gr.,* ad valetudinem tuendam, aut ad vehiculorum *ductum* moderand*u*m statutas, parvi aestimant, non animadvertentes se tali incuria vita*e suae et* aliorum pericul*um inferre.* [26]

Sanctum sit omnibus necessitudines sociales inter praecipua hominis hodierni officia recensere easque observare. Quo magis enim mundus unitur, eo apertius hominum ( ) munera particulares coetus superant et ad universum mundum paulatim extenduntur. *Quod fieri nequit nisi et singuli homines et ipsorum coetus virtutes morales et sociales in seipsis colant et in societate diffundant, ita ut vere novi homines et artifices novae humanitatis exsistant cum necessario auxilio divinae gratiae.*

31. [*De responsabilitate et participatione*]. Ut singuli homines suum conscientiae officium accuratius impleant tum erga seipsos, tum erga varios coetus quorum membra sunt, diligenter ad ampliorem ani-

[26] mi culturam educandi sunt, ingentibus adhibitis subsidiis quae hodie generi humano praesto sunt. Praeprimis educatio iuvenum cuiuslibet socialis originis ita instituenda est, ut viri mulieresque suscitentur qui non tantum exculti ingenii sed et magni animi sint, utpote qui a nostro tempore vehementer postulentur.

Sed ad hunc responsabilitatis sensum homo *vix* pervenit, nisi vitae condiciones ei permittant ut suae dignitatis conscius fiat, et vocationi suae, seipsum pro Deo et pro aliis impendendo, respondeat. Humana vero libertas *saepe* debilior fit, ubi homo in extremam incidit egestatem, sicut vilescit, ubi ipse, nimiis vitae facilitatibus indulgens, in aurea veluti solitudine seipsum includit. E contra robor*atur,* cum homo inevitabiles vitae socialis necessitates accipit, multiformes exigentias humanae coniunctionis assumit atque ad humanae communitatis servitium se obstringit.

Ideo omnium exstimulanda est voluntas inceptorum communium suas partes assumendi. Laudanda est autem ratio agendi nationum, in
[27] quibus pars quam maxima civium *in vera libertate* rerum publicarum particeps fit. Ratio tamen habenda est condicionis realis uniuscuiusque gentis et necessarii vigoris publicae auctoritatis. Ut vero omnes cives proni sint ad participandam vitam variorum coetuum, quibus corpus sociale constat, necesse est ut his in coetibus bona inveniant, quae ipsos attrahant eosque ad aliorum servitium disponant. Iure arbitrari possumus futuram humanitatis sortem in illorum manibus reponi, qui posteris generationibus vivendi et sperandi rationes tradere *valent.*

32. [*Verbum Incarnatum et solidarietas humana*]. Sicut Deus homines non ad singulatim vivendum, sed ad socialem unionem efformandam creavit, ita Ipsi etiam « placuit ... homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret ».[13] Inde ab initio historiae salutis Ipse homines elegit non ut individuos tantum sed ut membra cuiusdam *communitatis.* Illos enim electos Deus, suum aperiens consilium, vocavit « populum suum » (*Ex.* 3, 7-12), quocum insuper in Sinai foedus *pepigit.*[14]

Quae indoles communitaria opere Iesu Christi perficitur et consummatur. Ipsum enim Verbum incarnatum humanae consortionis particeps esse voluit. Canae nuptiis interfuit, in domum Zachaei descendit, cum publicanis et peccatoribus manducavit. Patris amorem hominumque eximiam vocationem, communissimas res sociales commemorando et locutiones figurasque vitae plane cotidianae adhibendo, revelavit. Necessitudines humanas, imprimis familiares, ex quibus rationes so-

ciales oriuntur, sanctificavit, legibus suae patriae *voluntarie* subditus. [27]
Vitam opificis sui temporis et regionis propriam ducere voluit.

In sua praedicatione clare mandavit filiis Dei ut tamquam fratres ad invicem se gererent. In sua oratione rogavit ut omn*es* discipu*li* su*i* « unum » ess*ent*. *Immo Ipse usque ad mortem sese pro omnibus obtulit, omnium Redemptor.* « *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* » (*Io.* 15, 13). Apostolos autem iussit praedicare omnibus gentibus nuntium evangelicum ut genus humanum familia Dei fieret, in qua plenitudo legis esset dilectio.

Primogenitus in multis fratribus, inter omnes qui Eum fide ac caritate recipiunt, post mortem et resurrectionem suam, dono sui Spiritus novam fraternam communionem instituit, in Corpore scilicet suo, *quod est Ecclesia,* in quo omnes, inter se invicem membra, secundum dona diversa concessa, mutua sibi praestarent servitia.

Quae solidarietas semper augenda erit, usque ad illam diem qua consummabitur, et qua homines, gratia salvati, tamquam familia a Deo et Christo Fratre dilecta, perfectam gloriam Deo praestabunt.

NOTAE [28]

Ad n. 23.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 401-464, et Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 257-304; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 augusti 1964: *A.A.S.,* 54 (1964), pp. 609-659.

Ad n. 24.

[2] Cf. *Lc.* 17, 33.

Ad n. 25.

[3] Cf. S. THOMAS, *1 Ethic.* Lect. 1.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 418. Cf. etiam PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 222 ss.

Ad n. 26.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417.

[6] Cf. *Mc.* 2, 27.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 266.

Ad n. 27.

[8] Cf. *Iac.* 2, 15-16.

[9] Cf. *Lc.* 16, 18-31.

[28] *Ad n. 28.*

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 299 et 300.

[11] Cf. *Lc.* 6, 37-38; *Mt.* 7, 1-2; *Rom.* 2, 1-11; 14, 10; 14, 10-12.

[12] Cf. *Mt.* 5, 43-47.

Ad n. 32.

[13] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 12-13.

[14] Cf. *Ex.* 24, 1-8.

[29]

CAPUT III

DE HUMANA NAVITATE IN UNIVERSO MUNDO

33. [*Ponitur problema*]. Suo labore atque ingenio homo suam vitam amplius evolvere semper conatus est; hodie autem, praesertim ope scientiae et artis technicae, suum dominium in universam pene naturam dilatavit ac *iugiter dilatat,* et adiuvantibus imprimis auctis inter nationes *multimodi* commercii mediis, familia humana paulatim tamquam unam in universo mundo *communitatem* sese agnoscit atque constituit. *Quo fit,* ut multa bona, quae olim homo a *supernis viribus* praesertim exspectabat, hodie iam propria industria sibi procuret.

Coram immenso hoc conamine, quod totum humanum genus iam pervadit, multae exsurgunt inter homines interrogationes. Quinam *est* illius operositatis sensus et valor? Quomodo omnibus his *rebus* utendum *est?* Ad quem finem assequendum nisus sive singulorum sive societatum tend*u*nt? Ecclesia, *quae depositum verbi Dei custodit, ex quo principia in ordine religioso et morali hauriuntur,* quin *semper* de singulis quaestionibus responsum in promptu habeat, lumen revelationis cum omnium peritia coniungere *cupit,* ut iter illuminetur, quod humanitas *nuper* ingre*ssa est.*

34. [*De valore humanae navitatis*]. Hoc credentibus ratum est, navita*tem* human*am* individua*lem*, et collectiv*am,* seu ingens *illud* cona*men, quo* homines decursu saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare satagunt, in seip*so* considerat*um,* Dei *proposito* respond*ere.* Homo enim, ad imaginem Dei creatus, mandatum accepit ut, terram cum omnibus quae in ea continentur sibi subiciens, mundum in iustitia et sanctitate regeret [1] utque, Deum omnium Creatorem agnoscens, seipsum ac rerum universitatem ad Ipsum referre*t*, ita ut rebus omnibus homini subiectis, admirabile sit nomen Dei in universa terra.[2]

Quod etiam opera penitus quotidiana respicit. Viri *namque et* mu-

lieres qui, dum vitae sustentationem sibi et familiae comparant, navitates suas ita exercent ut societati opportune ministrent, iure existimare possunt se suo labore opus Creatoris evolvere, commodis fratrum suorum consulere, et ad consilium divinum in historia adimplendum personali industria conferre.[3] [29]

Christiani itaque, nedum arbitrentur opera, ( ) quae homines suo ingenio et virtute pepererunt, Dei potentiae opponi, creaturamque rationalem quasi aemulam Creatoris exsistere, potius persuasum habent humani generis victorias signum esse magnitudinis Dei et fructus ineffabilis Ipsius consilii. Quo magis vero hominum potentia crescit, eo latius [30] *ipsorum* responsabilitas, sive singul*orum* sive *communitatum* extenditur. Unde apparet christia*no* nunt*io* homines ab extruendo mundo *non* aver*ti, nec* ad bonum sui similium negligendum impel*li, sed* potius officio haec operandi *arctius* obstrin*gi*.[4]

35. [*De humana navitate ordinanda*]. ( ) Humana *vero* navit*as,* sicut ex homine procedit, ita ad hominem ordinatur. Homo enim, cum operatur, non tantum res et societatem immutat, sed et seipsum perficit. Multa discit, facultates suas excolit, extra se et supra se procedit. Huiusmodi incrementum, si recte intelligatur, maioris pretii est quam externae quae colligi possunt divitiae. Magis valet homo propter id quod est quam propter id quod habet.[5] Pariter, omnia quae homines, ad maiorem iustitiam, ampliorem fraternitatem, ( ) *humanioremque ordinationem* in socialibus necessit*udinibus* obtinendam agunt, *plus* quam progressus technici valent. Hi enim progressus quasi materiam humanae promotioni praebere possunt, illam autem per se solos ad actum nequaquam deducunt.

Unde haec est human*ae* navit*atis* nor*ma, quod* iuxta consilium et volunta*tem* divi*nam* cum genuino humani generis bono congruat, et homini individuo vel in societate posito integrae suae vocationis cultum et impletionem *permittat*.

36. [*De iusta rerum terrenarum autonomia*]. Multi tamen coaevi nostri timere videntur, ne *ex* arct*iore* human*ae* navit*atis* et religio*nis* coniun*ctione* autonomia hominum vel societatum vel scienti*arum* ( ) impediatur.

Si per terrenarum rerum autonomiam intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus *valoribusque* gaudere, ab homine gradatim dignoscendis, *adhibendis* et *ordinandis,* eamdem exigere omnino fas est: quod non solum postulatur ab hominibus nostrae aetatis, sed etiam cum Creatoris voluntate congruit. Ex ipsa enim creationis condicione res universae propria firmitate, veritate, bonitate propriisque legibus ac ordine instruuntur, quae homo revereri debet, propriis singularum scien-

[30] tiarum artiumve methodis agnitis. Ideo, inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si *modo* vere scientifico et iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversabitur, quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt.[6] Immo, qui humili et constanti animo abscondita rerum perscrutari conatur, etsi inscius quasi manu *Dei* ducitur qui, res omnes sustinens, facit ut sint id quod sunt. Hinc deplorare liceat quosdam animi habitus, ( ) qui aliquando inter christianos ipsos, *ob non satis perspectam legitimam scientiae autonomiam,* non defuerunt et, contentionibus controversiisque exinde suscitatis, plurium animos eo perduxerunt ut fidem et scientiam inter se oppo*ni censerent.*[7]

At si verbis « rerum temporalium autonomia » intelligitur res creatas
[31] a Deo non pendere, eisque hominem sic uti posse ut easdem ad Creatorem non referat, nemo qui Deum agnoscit non sentit quam falsa huiusmodi placita sint. Creatura enim sine Creatore evanescit. Ceterum, omnes credentes, cuiuscumque sint religionis, vocem et manifestationem Eius in creaturarum loquela semper audierunt. Immo, per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur.

37. [*De humana navitate a peccato corrupta*]. Sacra vero Scriptura, cui saeculorum consentit experientia, humanam familiam edocet progressum humanum, qui magnum hominis bonum est, ( ) magn*am tamen tentationem* secumferre: ordine *enim* valorum turbato et malo cum bono permixto, singuli homines ac coetus solummodo quae propria sunt considerant, non vero aliorum. *Quo fit* ut mundus non iam spatium verae fraternitatis exsistat, dum aucta humanitatis potentia iam ipsum genus humanum destruere minatur.

Univers*am* enim hominum histori*am* ( ) ardu*a* colluctat*io* ( ) *contra potestates* tenebr*arum pervadit,* quae inde ab origine mundi incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino,[8] perseverabit. In hanc pugnam insertus, homo ut bono adhaereat iugiter certare *debet,* nec sine magnis laboribus, *Dei gratia adiuvante,* in seipso unitatem obtinere valet.

Quapropter Ecclesia Christi, Creatoris consilio fidens, dum agnoscit progressum humanum verae hominum felicitati inservire posse, non potest tamen quin illud Apostoli resonare faciat: « Nolite conformari huic saeculo » (*Rom.* 12, 2), illi scilicet vanitatis et malitiae spiritui qui humanam navitatem, ad servitium Dei et hominis ordinatam, in instrumentum peccati transmutat.

Si quis ergo quaerit, qua ratione miseria illa superari pos*sit,* christia*ni* profite*ntur,* omnes hominis navitates, *quae per* superbi*am* et inordinat*um* sui ipsius amor*em* cotidie in discrimine versa*nt*ur, Chris*ti cruce et resurrectione* purifica*ndas* et ad perfectionem deduce*ndas esse.* A Christo enim

redemptus et in Spiritu Sancto nova creatura effectus, homo ipsas res a [31]
Deo creatas amare potest et debet. A Deo enim illas accipit et quasi de manu Dei fluentes respicit et reveretur. Pro illis Benefactori gratias agens et in paupertate et libertate spiritu *creaturis* utens *ac fruens, in* veram mundi possessionem introducitur, tamquam nihil habens, et omnia possidens.[9] « Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 22-23).

38. [*De humana navitate in paschali mysterio ad perfectionem adducta*]. Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, *I*psum caro factum et in hominum terra habitans,[10] perfectus homo in historiam mundi intravit, eam in Se assumens et recapitulans.[11] Ipse nobis revelat, « quia Deus caritas est » (*1 Io.* 4, 8), simulque nos docet legem fundamentalem perfectionis humanae, ac proinde transformationis mundi, novum dilectionis esse mandatum. Eos igitur, qui divinae credunt caritati, certos [32]
facit, viam dilectionis omnibus hominibus aperiri et conamen fraternitatem universalem instaurandi non esse inane. Simul monet, hanc caritatem non in *solis magnis rebus* sectandam esse, sed et imprimis in ordinariis vitae adiunctis. Pro nobis omnibus peccatoribus mortem sustinens,[12] suo exemplo nos docet crucem etiam baiulandam esse, quam caro et mundus pacem et iustitiam sectantium humeris imponunt. Sua resurrectione Dominus constitutus, Christus, cui omnis potestas in cael*o* et in terra data est,[13] per virtutem Spiritus sui in cordibus hominum iam operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitans, sed *eo ipso* illa etiam generosa vota animans, purificans et roborans, quibus familia humana suam ipsius vitam humaniorem reddere et totam terram huic fini subiicere satagit. Diversa autem sunt Spiritus dona: dum alios vocat ut caelestis habitationis desiderio manifestum testimonium reddant illudque in humana familia vividum conservent, alios vocat ut terreno hominum servitio se dedicent, hoc suo ministerio materiam regni caelestis parantes. Omnes tamen liberat ut, proprio amore abnegato omnibus*que* terrenis viribus in vitam humanam assumptis, ad futura se extendant, *quando* humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo.[14]

Cuius spei arrham *et itineris viaticum* Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem glorio*sum convertuntur,* coena communionis fraternae et caelestis convivii praelibatione.

39. [*Terra nova et caelum novum*]. Terrae ac humanitatis consummandae tempus *ignoramus,*[15] nec *universi transformandi* modum novimus. Transit quidem figura huius mundi per peccatum deformata,[16] *sed* docemur Deum novam habitationem novamque terram parare in qua

[32] iustitia habitat,[17] *et cuius* beatitu*do* omnia pacis desideria, quae in cordibus hominum ascen*dunt, implebit ac* supera*bit.*[18] Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, *et id quod seminatum fuit in infirmitate ac corruptione, incorruptionem induet*; [19] et, manente caritate eius*que opere,*[20] a servitute vanitatis liberabitur tota creatura illa,[21] quam Deus propter hominem creavit ( ).

Monemur sane nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat.[22] Expectatio tamen novae terrae extenuare non debet, *sed potius excitare,* sollicitudinem hanc terram *ex*colendi, ubi corpus illud novae *familiae h*uma*nae* crescit *quod aliqualem novi saeculi adumbrationem* iam praebere valet. Ideo, licet *progressus terrenus* a Regni *Christ*i augmento *sedulo* distinguendus sit, *inquantum tamen ad* societa*tem* huma*nam* melius ordinan*dam conferre potest,* Reg*ni* Dei *magnopere* interest.[23]

Bona enim humanae dignitatis, communionis fraternae et libertatis, hos omnes scilicet bonos naturae *ac industriae* nostrae fructus, postquam
[33] *in Spiritu Domini et* iuxta *eius* mandatum in terris propagaverimus, postea denuo inveniemus, mundata tamen ab omni sorde, illuminata ac transfigurata, cum Christus Patri reddet « regnum aeternum et universale: regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis ».[24] His in terris Regnum iam in mysterio adest; adveniente autem Domino consummabitur.

NOTAE

Ad n. 34.

1 Cf. *Gen.* 1, 26-27; 9, 3; *Sap.* 9, 3.

2 Cf. *Ps.* 8, 7 et 10.

3 Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 297.

4 Cf. *Nuntius ad universos homines* a Patribus missus ineunte Concilio Vaticano II, oct. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 823.

Ad n. 35.

5 Cf. PAULUS VI, *Alloc. ad Corpus diplomaticum,* 7 ianuar. 1965: *A.A.S., 57* (1965), p. 232.

Ad n. 36.

6 Cf. CONC. VAT. I, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. III: DENZ. 1785-1786 (3004-3005).

7 Cf. Mons. PIO PASCHINI, *Vita e opere di Galileo Galilei,* 2 Lib., ed. Vatic. (1964).

Ad n. 37.

8 Cf. *Mt.* 24, 13; 13, 24-30 et 36-43.

9 Cf. *2 Cor.* 6, 10.

Ad n. 38. [33]

[10] Cf. *Io.* 1, 3 et 14.
[11] Cf. *Eph.* 1, 10.
[12] Cf. *Io.* 3, 16; *Rom.* 5, 8.
[13] Cf. *Act.* 2, 36; *Mt.* 28, 18.
[14] Cf. *Rom.* 15, 16.

Ad n. 39.

[15] Cf. *Act.* 1, 7.
[16] Cf. *1 Cor.* 7, 31; S. IRENAEUS, *Adversus Haereses,* V, 36, *PG,* VIII, 1221.
[17] Cf. *2 Cor.* 5, 2; *2 Pt.* 3, 13.
[18] Cf. *1 Cor.* 2, 9; *Apoc.* 21, 4-5.
[19] Cf. *1 Cor.* 15, 42 et 53.
[20] Cf. *1 Cor.* 13, 8; 3, 14.
[21] Cf. *Rom.* 8, 19-21.
[22] Cf. *Lc.* 9, 25.
[23] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: 23 (1931), p. 207.
[24] Praefatio Festi Christi Regis.

CAPUT IV [34]

DE MUNERE ECCLESIAE IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

40. [*De Ecclesiae et mundi mutua relatione*]. Omnia quae a nobis dicta sunt de dignitate personae humanae, de hominum communitate, de profundo sensu navitatis humanae, fundamentum relationis Ecclesiam inter et mundum necnon basim eorum mutui dialogi [1] constituunt. *Ideo in h*oc capite, *omnibus praesuppositis ab hoc Concilio de mysterio Ecclesiae iam edictis, eadem* Ecclesia *nunc consideranda venit prout ipsa,* in hoc mundo exsistit *et cum eo vivit atque agit.*

Procedens ex amore Patris *aeterni,*[2] *in tempore fundata a Christo Redemptore, coadunata in Spiritu Sancto,*[3] Ecclesia finem salutarem et eschatologicum habet, *qui nonnisi in futuro saeculo plene attingi potest. Ipsa autem iam hic in terris adest, ex hominibus collecta, terrestris nempe civitatis membris quae ad hoc vocantur ut iam* in generis humani historia famili*am* filiorum Dei, usque ad adventum Domini *semper augendam, efforment. Unita quidem propter bona caelestia iisque ditata, haec familia a Christo « in hoc mundo ut societas constituta et ordinata »* [4] *est, atque « aptis mediis unionis visibilis et socialis »* [5] *instructa. Ita Ecclesia, insimul « coetus adspectabilis et communitas spiritualis »,*[6] *una cum tota humanitate incedit eamdemque cum mundo sortem terrenam experitur, tamquam fermentum et* veluti anima societatis humanae [7] in Christo renova*ndae et in familiam Dei transformandae exsistit.*

[34] *Haec* quidem terrestris et caelestis civitatis compenetratio nonnisi fide *percipi* potest, *immo* mysterium manet historiae humanae, quae usque ad plenam revelationem claritatis filiorum Dei peccato pertur*ba*tur. Ecclesia *quidem,* proprium suum finem *salutarem* persequens, *non solum vitam divinam cum homine communicat, sed etiam lumen eius repercussum quodammodo super universum mundum fundit, potissimum per hoc quod personae humanae dignitatem, sanat et elevat, humanae societatis compaginem firmat, atque cotidianam hominum navitatem profundiori sensu et significatione imbuit.* Ita Ecclesia per singula sua membra et totam suam communitatem multa conferre posse credit ad *hominum familiam* eiusque historiam *humaniorem reddendam.*

Libenter insuper Ecclesia Catholica ea magni aestimat quae ad idem munus adimplendum aliae Ecclesiae christianae vel communitates ecclesiasticae socia opera contulerunt ac conferunt. Simul sibi firmiter persuasum *habet* se multum *varioque modo* a mundo, *sive a singulis hominibus sive ab humana societate, eorum dotibus ac navitate, in praeparatione*
[35] *Evangelii* iuvari posse. Mutui huius *commercii atque* adiutorii, *in illis quae Ecclesiae et mundo quodammodo sunt communia, rite promovendi,* principia quaedam *generalia expo*nuntur.

41. [*De adiutorio quod Ecclesia singulis hominibus praestare satagit*]. Homo hodiernus in via est ad personalitatem suam plenius evolvendam iuraque sua in dies magis detegenda et affirmanda. *Cum autem,* Ecclesiae concreditum *sit* manifestare mysterium Dei, qui est ultimus finis hominis, ipsa homini simul aperit sensum propriae eius existentiae, *intimam* scilicet de homine veritatem. Vere novit Ecclesia solum Deum, cui ipsa inservit, profundissimis respondere desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus nunquam plene satiatur. Novit praeterea hominem, incessanter a Spiritu Dei *incitatum,* nunquam circa problema religionis prorsus indifferentem fore, sicut non solum experientia saeculorum anteactorum, sed multiplici etiam testimonio nostrorum temporum comprobatur. Semper enim homo scire desiderabit, saltem confuse, quae sit significatio suae vitae, suae navitatis ac suae mortis. Ipsa praesentia Ecclesiae haec problemata in eius mentem revocat. Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit atque a peccato redemit, his quaestionibus plenissimum responsum praebet, idque per revelationem in Christo Filio suo divino qui homo factus est. Quicumque Christum sequitur, hominem perfectum, et ipse magis homo fit.

Ex hac fide Ecclesia dignitatem naturae humanae omnibus opinionum mutationibus subtrahere potest, quae, exempli gratia, corpus humanum aut nimis deprimunt aut immoderate extollunt. Nulla lege humana

personalis dignitas atque libertas hominis *tam apte* in tuto collocari possunt quam Evangelio Christi Ecclesiae concredito. *Hoc enim* Evangelium libertatem filiorum Dei annuntiat et proclamat, omnem servitutem ex peccato ultimatim fluentem respuit,[8] dignitatem conscientiae eiusque liberam decisionem sancte veretur, omnia talenta humana in Dei servitium hominumque *bonum* reduplicare indesinenter monet, omnes denique omnium commendans caritati.[9] *Hoc legi fundamentali oeconomiae christianae correspondet. Etsi* enim *idem Deus sit Salvator qui et Creator, idem quoque Dominus* et historiae *humanae* et historiae salutis, *tamen in hoc ipso ordine divino iusta creaturae autonomia et praesertim hominis nedum* auferatur, potius in suam dignitatem *restituitur atque in ipsa firmatur.* [35]

Ecclesia ergo, vi Evangelii sibi concrediti, iura hominum proclamat et hodierni temporis dynamismum, quo haec iura undique promoventur, agnoscit et *magni* aestimat. Qu*i* mot*us* tamen spiritu Evangelii imbue*ndus* et *adversus omnem speciem falsae autonomiae tutandus est.* Tentationi enim subii*cimur,* iudicandi *nostra* iura personalia tunc tantum plene servari, cum ab omni norma Legis divinae sol*vimur.* Hac autem via, personae humanae dignitas, nedum salvetur, potius perit.

42. [*De adiutorio quod Ecclesia societati humanae afferre satagit*]. [36]
Unio familiae humanae unita*te* familiae filiorum Dei in Christo funda*ta*[10] *multum roboratur et* comple*tur.*

Missio *quidem propria, quam* Christus Ecclesiae suae concredidit, *non est* ordinis politici, oeconomici *vel* socialis: finis *enim* quem ei praefixit ordinis religiosi[11] est. At sane ex hac ipsa missione religiosa *munus,* lux et vires fluunt quae *communitati* hominum *secundum Legem divinam* constituend*ae* et firmand*ae* inservire possunt. *Item, ubi opus fuerit, secundum temporum et locorum circumstantias, et ipsa suscitare potest, immo et debet opera in servitium omnium, praesertim vero egentium destinata, uti opera misericordiae vel alia huiusmodi.*

Ecclesia *insuper* agnoscit quidquid boni in dynamismo sociali hodierno invenitur: *praesertim* evolutionem versus unitatem, processum sanae socializationis et consociationis civilis et oeconomicae. Promo*tio* enim unitatis cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum *ipsa* sit « in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[12] Ita ipsa mundo ostendit veram unionem socialem externam ex unione *mentium et* cordium fluere, ex illa scilicet *fide et* caritate, *quibus* in Spiritu Sancto eius unitas indissolubiliter condita est. *Vis enim, quam Ecclesia hodiernae hominum societati*

[36] *inicere valet, in illa fide et caritate, ad effectum vitae adductis, consistit, non autem in dominio aliquo externo mediis mere humanis exercendo.*

Cum insuper vi suae missionis et naturae ad nullam alligetur particularem culturae humanae formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale, Ecclesia *ex hac sua universalitate ligamen arctissimum inter diversas hominum communitates et nationes exsistere potest, dummodo ipsae ei fidant eiusque veram libertatem ad hanc suam missionem adimplendam reapse agnoscant.* Qua de causa Ecclesia filios suos, sed etiam omnes homines monet, ut in hoc familiali spiritu filiorum Dei, omnes dissensiones inter nationes et stirpes superent et *iustis* associationibus humanis internam firmitatem praebeant.

Quaecumque *igitur* vera, bona, iustaque inveniuntur in diversissimis institutionibus, quae genus humanum sibi condidit incessanterque condit, *eadem Concilium magna cum reverentia considerat.* Declarat insuper Ecclesiam omnes tales institutiones adiuvare et promovere velle, quatenus *hoc* ab ea dependet et cum eius missione coniungi potest. *Ipsa* nihil ardentius desiderat quam ut omnium bono inserviens, se *libere* sub quovis regimine evolvere possit, quod iura fundamentalia personae ac familiae et boni communis necessitates agnoscat ( ).

43. [*De adiutorio quod Ecclesia per christianos navitati humanae conferre satagit*]. Concilium christianos, cives utriusque civitatis, adhortatur ut sua terrestria officia fideliter implere studeant, idque spiritu Evangelii ducti. A veritate discedunt qui, scientes nos non habere hic
[37] manentem civitatem sed futuram inquirere,[13] putent se proinde officia sua terrestria negligere posse, non attendentes se per ipsam fidem ad eadem implenda magis teneri, secundum vocationem qua quisque vocatus est.[14] At non minus errant qui, e contrario, opinentur sese *ita* negotiis terrestribus immergere posse, quasi ista omnino aliena sint a vita religiosa, quippe qui ipsam in solius cultus actibus et officiis quibusdam moralibus implendis consistere arbitrentur. Discidium illud inter fidem quam profitentur et vitam quotidianam multorum, inter graviores nostri temporis errores recensendum est. Scandalum hoc iam in Vetere Testamento Prophetae vehementer redargu*ebant* [15] et multo magis in Novo Testamento ipse Iesus Christus gravibus poenis mina*batur*.[16] Ne igitur perperam inter se opponantur activitates professionales et sociales ex una parte, vita religiosa ex altera. Christianus, officia sua temporalia negligens, officia sua erga *proximum, immo et ipsum* Deum negligit suamque aeternam salutem in discrimen adducit. Gaudeant potius christiani, exemplum Christi secuti, qui fabrilem artem exercuit, se omnes suas navitates terrestres exercere posse, conatus humanos, domesticos, professio-

nales, scientificos vel technicos in una*m* synthesim vitalem cum bonis religiosis colligendo, sub quorum altissima ordinatione omnia in Dei gloriam coordinantur. [37]

Laicis proprie, etsi non exclusive, saecularia officia et navitates competunt. Cum igitur, sive singuli sive consociati, ut cives mundi agunt, non solum leges proprias uniuscuiusque disciplinae servabunt, sed veram peritiam in illis campis sibi comparare studebunt. Libenter cum hominibus eosdem fines *pro*sequentibus cooperabuntur. Agnoscentes exigentias fidei eiusque virtute praediti, ( ) incunctanter, ubi oportet, nova incepta excogitent atque ad effectum deducant. *Ad ipsorum* conscientiam iam apte formatam spect*at,* ut lex divina in civitatis terrenae vita inscribatur. *A* sacerdotibus vero *laici lucem ac* vim spiritualem exspectent. Neque *tamen ipsi* censeant pastores suos semper *adeo* peritos esse ut, in omni quaestione exsurgent*e,* etiam gravi, *solutionem concretam* in promptu habere queant, aut illos ad hoc missos esse: ipsi potius, sapientia christiana illustrati et ad doctrinam Magisterii observanter attendentes,[17] partes suas proprias assumant.

Pluries ipsa visio christiana rerum eos ad *aliquam determinatam* solutionem in quibusdam rerum adiunctis inclinabit. Alii tamen fideles, non minore sinceritate ducti, ut saepius et quidem legitime accidit, aliter de eadem re iudicabunt. Quodsi solutiones hinc inde propositae, etiam praeter partium intentionem, a multis facile connectantur cum nuntio evangelico, ( ) meminerint oportet nemini licere in praefatis casibus pro sua sententia auctoritatem Ecclesiae sibi exclusive vindicare. Semper autem colloquio sincero se invicem illuminare satagant, mutuam caritatem servantes et boni communis imprimis solliciti.

Laici vero, qui in tota vita Ecclesiae actuosas partes gerendas habent, non solum mundum spiritu christiano imbuere tenentur, sed etiam ad hoc vocantur ut in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi sint testes. [38]

Episcopi vero, quibus munus moderandi Ecclesiam Dei commissum est, cum presbyteris suis nuntium Christi ( ) ita *praedicent,* ut omnes fidelium terrestres activitates Evangelii luce perfundantur. Insuper *pastores omnes* memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine[18] mundo faciem Ecclesiae exhibere, ex qua homines vim et veritatem nuntii christiani iudicant. Vita et verbo, una cum religiosis atque suis fidelibus, demonstrent Ecclesiam sola sua praesentia, cum omnibus quae continet donis, inexhaustum fontem esse illarum virtutum, quibus mundus hodiernus maxime indiget. Studiis assiduis se ita aptos reddant, ut *in* dialog*o* cum mundo et hominibus cuiuscumque opinionis *instituendo partes suas agere* possint. Imprimis vero in corde verba huius *Concilii* habeant:

[38] « Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut Sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ductu Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur ».[19]

Quamvis Ecclesia ex virtute Spiritus Sancti fidelis sponsa Domini sui manserit et numquam cessaverit esse signum salutis in mundo, ipsa tamen minime ignorat inter membra sua,[20] sive clericos sive laicos, decurrente multorum saeculorum serie, non defuisse qui Spiritui Dei infideles *exstiterint.* Etiam hac nostra aetate Ecclesiam non fugit, *quantum inter se distent* nuntiu*s* a se prolatu*s* *et* human*a* debil*itas eorum quibus Evangelium concreditur.* Quidquid de istis defectibus *historia* iudic*et,* eorum conscii esse debemus *eosdemque* strenue *im*pugnare, ne Evangelio *diffundendo* detrimentum afferant. *Pariter novit Ecclesia quantopere ipsa, in sua cum mundo relatione excolenda, ex saeculorum experientia iugiter maturescere debeat. A* Spiritu Sancto *ducta,* Ecclesia Mater indesinenter filios suos « ad purificationem et renovationem exhortatur, ut signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgeat ».[21]

44. [*De adiutorio quod Ecclesia a mundo hodierno accipit*]. Sicut autem mundi interest Ecclesiam ut socialem realitatem historiae eiusque fermentum agnoscere, ita ipsa Ecclesia non ignorat, quantum ex humani generis historia et evolutione acceperit.

Praeteritorum saeculorum experientia, scientiarum profectus, thesauri in variis culturae humanae formis absconditi, *quibus* ipsius hominis natur*a* plenius manifesta*tur* nova*e*que vi*ae* ad veritatem aperiun*tur, Ecclesiae quoque prosunt. Ipsa enim, inde ab initio suae historiae, nuntium Christi, ope conceptuum et linguarum diversorum populorum, exprimere didicit, eumdemque sapientia insuper philosophorum illustrare conata est: in hunc finem nempe ut Evangelium tum omnium*
[39] *captui tum sapientium exigentiis, in quantum par erat, aptaret. Quae quidem verbi revelati accommodata praedicatio lex omnis evangelizationis permanere debet. Ita enim in omni natione facultas nuntium Christi suo modo exprimendi excitatur simulque vivum commercium inter Ecclesiam et diversas populorum culturas promovetur.*[22] *Ad tale commercium augendum* Ecclesia, ( ) imprimis nostris temporibus, in quibus res celerrime mutantur et cogitandi modi valde variantur, peculiariter eorum auxilio indiget qui, viventes in mundo, varias institutiones et disciplinas callent earumque intimam mentem intelligunt, sive de credentibus sive de non credentibus agatur. Totius Populi Dei est, praesertim pastorum et theologorum, adiuvante Spiritu Sancto, varias lo-

quelas nostri temporis auscultare, discernere et interpretari easque sub [39] lumine verbi divini diiudicare, ut revelata Veritas semper penitius percipi, melius intelligi aptiusque proponi possit.

Ecclesia, cum visibilem structuram socialem habeat, signum quidem suae *unitatis* in Christo, etiam ab evolutione vitae socialis humanae ditari potest et ditatur, *non quasi aliquid in constitutione a Christo sibi data deesset, sed ad eamdem profundius cognoscendam, melius exprimendam atque temporibus nostris felicius accommodandam.* Ipsa grato animo percipit se, in sua communitate non minus quam in singulis suis filiis varium adiutorium ab hominibus cuiusvis gradus vel condicionis accipere. *Quicumque enim communitatem humanam in ordine familiae, culturae, vitae oeconomicae et socialis, necnon politicae, tam nationalis quam internationalis promovent, secundum consilium Dei communitati quoque Ecclesiali, in quantum haec ab externis dependet, adiutorium non parvum afferunt. Immo Ecclesia,* ex ipsa oppositione eorum qui ei adversantur vel eam persequuntur, ( ) se multum profecisse et proficere posse fatetur.[23]

45. [*De Christo, alpha et omega*]. Ecclesia, dum ipsa mundum adiuv*a*t et ab eo multa accipit, ad hoc unum tendit ut Regnum Dei adveniat et totius humani generis salus instauretur. Omne *vero* bonum, quod Populus Dei in suae peregrinationis terrestris tempore hominum familiae praebere potest, ex hoc profluit quod Ecclesia est « universale salutis sacramentum »,[24] mysterium amoris Dei erga hominem manifestans simul et operans.

Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, Ipsum caro factum est, ita ut, perfectus homo, omnes salvaret et universa recapitularet. Dominus finis est humanae historiae, punctum *in quod* historiae et civilizationis desideri*a vergunt,* humani generis centrum, omnium cordium gaudium eorumque *appetitionum* plenitudo.[25] Ille est quem Pater a mortuis suscitavit, exaltavit et a dextris suis collocavit, Eum vivorum atque mortuorum iudicem constituens. In Eius Spiritu *vivificati et coadunati,* versus historiae humanae peregrinamur consummationem, quae cum consilio Eius dilectionis plene congruit: « Instaurare omnia in [40] Christo, quae in caelis et quae in terra sunt » (*Eph.* 1, 10).

Dicit *Ipse Dominus*: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis » (*Apoc.* 22, 12-13).

[40] NOTAE

Ad n. 40.

[1] Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* III: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 637-659.

[2] Cf. *Tit.* 3, 4: « philanthropia ».

[3] Cf. *Eph.* 1, 3; 5, 6; 13-14, 23.

[4] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. I, n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 12.

[5] *Ibid.,* Cap. II, n. 9: A.A.S., 57 (1965), p. 14; cf. n. 8: *A.A.S., l. c.,* p. 11.

[6] *Ibid.,* Cap. I, n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 11.

[7] Cf. *ibid.,* Cap. IV, n. 38: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 43, cum nota 120.

Ad n. 41.

[8] Cf. *Rom.* 8, 14-17.

[9] Cf. *Mt.* 22, 39.

Ad n. 42.

[10] Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 12-14.

[11] Cf. Pius XII, *Allocutio ad cultores historiae et artis,* 9 martii 1956: *A.A.S.,* 48 (1965), p. 212: « Son Divin Fondateur, Jésus-Christ, ne lui a donné aucun mandat ni fixé aucune fin d'ordre culturel. Le but que le Christ lui assigne est strictement religieux (...). L'Eglise doit conduire les hommes à Dieu, afin qu'ils se livrent à lui sans réserve (...). L'Eglise ne peut jamais perdre de vue ce but strictement religieux, surnaturel. Le sens de toutes ses activités, jusqu'au dernier canon de son Code, ne peut être que d'y concourir directement ou indirectement ».

[12] Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. I, n. 1.: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 5.

Ad n. 43.

[13] Cf. *Hebr.* 13, 14.

[14] Cf. *2 Thess.* 3, 6-13; *Eph.* 4, 28.

[15] Cf. *Is.* 58, 1-12.

[16] Cf. *Mt.* 23, 3-23; *Mc.* 7, 10-13.

[17] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* IV: A.A.S., 53 (1961), pp. 456-457; cf. I: *A.A.S., l. c.,* pp. 407, 410-411.

[18] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. III, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35.

[19] *Ibid.,* n. 28: *A.A.S., l. c.,* pp. 35-36.

[20] Cf. S. Ambrosius, *De virginitate,* Cap. VIII, n. 48: *ML* 16, 278.

[21] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 15: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20.

Ad n. 44.

[22] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 13: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 17.

[23] Cf. Iustinus, *Dialogus cum Tryphone,* Cap. 110: *MG* 6, 729 (ed. Otto,
[41] 1897, pp. 391-393): « ... sed quanto magis talia nobis infliguntur, tanto plures alii fideles et pii per nomen Iesu fiunt ». Cf. Tertullianus, *Apologeticus,* Cap. L, 13: Corpus Christ., ser. lat. I, p. 171: « Etiam plures efficimur, quotiens metimur a

vobis: semen est sanguis Christianorum! ». Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 14. [41]

Ad n. 45.

[24] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 15: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20.
[25] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* die 3 febr. 1965 habita.

PARS II [43]

DE QUIBUSDAM PROBLEMATIBUS URGENTIORIBUS

46. [*Prooemium*]. Concilium, postquam exposuit cuiusnam dignitatis sit persona hominis necnon ad quodnam munus, sive *individuale* sive *sociale,* in universo mundo adimplendum sit vocat*a,* sub ( ) luce Evangelii et humanae experientiae omnium nunc animos ad quasdam urgentiores huius temporis necessitates convertit, quae maxime genus humanum afficiunt.

Inter multa quae hodie sollicitudinem omnium excitant haec praesertim recolere iuvat: matrimonium et familiam, culturam humanam, vitam oeconomicam-socialem ac politicam, coniunctionem familiae populorum et pacem. *Circa haec* singula clarescant principia et lumina a Christo manantia, quibus christifideles ducantur omnesque homines illuminentur in tot implicatorum problematum solutione quaerenda.

CAPUT I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

47. [*De matrimonio et familia in mundo hodierno*]. Salus personae et societatis humanae ac christianae arcte cum fausta condicione communitatis coniugalis et familiaris connectitur. Ideo christiani, una cum omnibus qui eandem communitatem magni aestimant, sincere gaudent de variis subsidiis quibus homines, in *hac* communitate amoris fovenda et in vita colenda, hodie progrediuntur, et coniuges atque parentes in praecellenti suo munere adiuvantur; meliora insuper exinde beneficia exspectant atque promovere student.

Non ubique vero huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem polygamia, divortii lue, amore sic dicto libero, aliisve *deformationibus* obscuratur; insuper amor nuptialis saepius egoismo, hedonismo *et illicitis usibus contra generationem profanatur.* Praeterea hodiernae condiciones oeconomicae, socio-psychologicae et civiles non

[43] leves in ( ) familiam perturbationes inducunt. In certis denique orbis partibus non absque sollicitudine problemata ex incremento demographico exorta observantur. Quibus omnibus conscientiae anguntur. Verumtamen matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo quoque apparent, quod profundae immutationes societatis hodiernae, non
[44] obstantibus difficultatibus inde prorumpentibus, saepesaepius veram eiusdem instituti indolem vario modo manifestant.

Quapropter Concilium, quaedam doctrinae Ecclesiae capita in clariorem lucem ponendo, christianos hominesque universos illuminare et confortare intendit, qui ( ) *status matrimonialis* dignitatem nativam *eiusque* eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur.

48. [*De sanctitate matrimonii et familiae*]. Intima communitas vitae et amoris coniugalis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur. Ita actu humano, quo coniuges sese mutuo tradunt atque accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur, etiam coram societate; hoc vinculum sacrum intuitu boni tum *coniugum et prolis* tum societatis non ex humano arbitrio pendet. Ipse vero Deus est auctor matrimonii, variis bonis ac finibus praediti;[1] quae omnia pro generis humani continuatione, pro singulorum familiae membrorum *profectu* personali ac sorte aeterna, pro *dignitate,* stabilitate, pace et prosperitate *ipsius familiae* totius*que humanae* societatis maximi sunt momenti. *Indole autem sua naturali,* ipsum institutum matrimonii amorque coniugalis *ad* procreation*em* et education*em* prolis *ordinantur iisque* veluti suo fastigio coronantur. Vir itaque et *mulier,* qui foedere coniugali « iam non sunt duo, sed una caro » (*Mt.* 19, 6), intima personarum atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et plenius in dies adipiscuntur. Quae intima unio, utpote mutua duarum personarum donatio, *sicut et bonum liberorum,* plenam coniugum fidem exig*unt* atque indissolubilem *eorum* unitatem urgent.[2]

Christus Dominus hanc multiformem dilectionem, e divino caritatis fonte exortam et ad exemplar suae cum Ecclesia unionis constitutam, abundanter benedixit. Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit,[3] ita nunc hominum Salvator Ecclesiaeque Sponsus,[4] per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit. Manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et semetipsum pro ea tradidit,[5] ita et coniuges, mutua deditione, se invicem perpetu*a fidelitate* diligant. Germanus amor coniugalis in divinum amorem assumitur atque virtute redemptiva Christi et sal-

vifica actione Ecclesiae regitur ac ditatur, ut *coniuges efficaciter ad Deum ducantur atque in sublimi munere patris et matris adiuventur et confortentur.*[6] Quapropter coniuges christiani ad sui status officia et dignitatem peculiari *sacramento roborantur et* veluti consecrantur; [7] cuius virtute munus suum coniugale *et familiale* explentes, *spiritu Christi imbuti, quo tota eorum vita, fide, spe et caritate pervaditur, magis ac magis* ad propriam *suam* ( ) perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt. [44]

Unde, ipsis parentibus exemplo et oratione *familiali* praegredientibus, filii, immo et omnes in familiae convictu degentes, *humanitatis,* salutis *atque sanctitatis* viam facilius invenient. Coniuges autem, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornati, officium educationis praesertim religiosae, quod ad ipsos imprimis spectat, diligenter adimplebunt. [45]

Liberi, ut viva familiae membra, ad sanctificationem parentum suo modo conferunt. Gratae enim mentis affectu, pietate atque fiducia beneficiis parentum respondebunt ipsisque in rebus adversis necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent. *Viduitas, in continuitate vocationis coniugalis forti animo assumpta, ab omnibus honoretur.*[8] Familia suas divitias spirituales cum aliis quoque familiis generose communicabit. Proinde, familia christiana, cum e matrimonio, *quod est* imago et participatio foederis dilectionis Christi et Ecclesiae, exoriatur,[9] vivam Salvatoris in mundo praesentiam atque germanam Ecclesiae naturam omnibus patefaciet, tum coniugum amore, generosa fecunditate, unitate atque fidelitate tum amabili omnium membrorum cooperatione.

49. [*De amore coniugali*]. Pluries Verbo divino sponsi atque coniuges invitantur, ut casto amore sponsalia et indivisa dilectione coniugium nutriant atque foveant.[10] Plures quoque nostrae aetatis homines verum amorem inter maritum et uxorem variis rationibus secundum honestos populorum et temporum mores manifestatum, magni faciunt. Ille autem amor, utpote eminenter humanus, cum a persona in personam voluntatis affectu dirigatur, totius personae bonum complectitur ideoque corporis animique *expressiones* peculiari dignitate ditare easque tanquam elementa ac signa specialia coniugalis amicitiae nobilitare valet. Hunc amorem Dominus, speciali gratiae et caritatis dono, sanare, *perficere* et elevare dignatus est. Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, tenero affectu et opere probatum, conducit totamque vitam eorum pervadit; [11] immo ipsa generosa sua operositate perficitur et crescit. Longe igitur exsuperat meram eroticam inclinationem, quae, egoistice exculta, citius et misere evanescit.

[45] Haec dilectio proprio matrimonii opere singulariter exprimitur et perficitur. Actus proinde, quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur, honesti ac digni sunt et, modo vere humano exerciti, donationem mutuam significant et fovent, qua sese invicem laeto gratoque animo locupletant. Amor ille *mutua* fide ratus, et potissimum sacramento Christi sancitus, inter prospera et adversa corpore ac mente indissolubiliter fidelis est, et proinde ab omni adulterio et divortio alienus remanet. Aequali etiam dignitate personali cum mulieris tum viri *agnoscenda* in mutua atque plena dilectione, unitas matrimonii a Domino confirmata luculenter apparet. Ad officia autem huius vocationis christianae constanter exsequenda virtus insignis requiritur: quapropter coniuges, gratia ad vitam sanctam
[46] roborati, firmitatem amoris, magnitudinem animi et spiritum sacrificii assidue colent et oratione impetrabunt.

Germanus autem amor coniugalis altius aestimabitur atque sana circa eum opinio publica efformabitur, si coniuges christiani testimonio fidelitatis et harmoniae in eodem amore necnon sollicitudine in filiis educandis, eminent atque in necessaria renovatione culturali, psychologica et sociali in favorem matrimonii et familiae partes suas agunt. Iuvenes de amoris coniugalis dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, apte *et tempestive instruendi sunt,* ut, castitatis cultu instituti, convenienti aetate ab honestis sponsalibus ad nuptias transire possint.

50. [*De matrimonii foecunditate*]. Matrimonium et amor coniugalis indole sua ad prolem procreandam et educandam ordinantur. *Filii sane sunt praestantissimum matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt. Ipse Deus qui dixit*: « *non est bonum hominem esse solum* » (*Gen.* 2, 18) *et* « *qui hominem ab initio masculum et feminam fecit* » (*Mt.* 19, 14) *volens ei participationem specialem quamdam in Suiipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens*: « *crescite et multiplicamini* » (*Gen.* 1, 28). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens, *non posthabitis ceteris matrimonii finibus,* eo tendunt ut coniuges forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat.

In officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tanquam propria eorum missio considerandum est, coniuges sciunt se cooperatores esse amoris Dei Creatoris eiusque veluti interpretes. Ideo humana et christiana responsabilitate suum munus adimplebunt ac docili erga Deum reverentia, communi consilio atque conatu, rectum iudicium sibi efformabunt, attendentes tum ad suum ipsorum bonum tum ad bonum li-

berorum, sive iam nati sint sive futuri praevideantur, dignoscentes tempo- [46]
rum et status vitae condiciones tum *materiales* tum *spirituales,* ac denique rationem servantes boni communitatis familiaris, societatis temporalis ipsiusque Ecclesiae. Hoc iudicium ipsi ultimatim coniuges coram Deo ferre debent. In sua vero agendi ratione coniuges christiani conscii sint se non ad arbitrium suum procedere posse, sed semper regi debere conscientia ips*i* leg*i* divina*e* *conformanda,* dociles erga Ecclesiae Magisterium, quod illam sub luce Evangelii authentice interpretatur. Lex illa divina plenam amoris coniugalis significationem *ostendit, illum* protegit et ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit. Ita *coniuges christiani,* divinae Providentiae confidentes et spiritum sacrificii excolentes,[12] Creatorem glorificant atque *ad* perfectionem in Christo *contendunt,* cum procreandi munere generosa, humana atque christiana responsabilitate funguntur. Inter coniuges qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt,
peculiariter memorandi sunt illi qui, prudenti communique consilio, [47]
magno animo prolem congruenter educandam etiam numerosiorem suscipiunt.[13]

Matrimonium *vero,* non est tantum ad procreationem institutum; sed ipsa indoles foederis inter personas indissolubilis atque bonum prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine exhibeatur, proficiat et maturescat. Ideo etsi proles, saepius tam optata, deficiat, matrimonium ut totius vitae consuetudo et communio perseverat, suumque valorem atque indissolubilitatem servat.

51. [*De amore coniugali componendo cum observantia vitae humanae*]. Concilium novit coniuges, in vita coniugali harmonice ordinanda, saepe quibusdam hodiernis vitae condicionibus praepediri atque in circumstantiis versari in quibus numerus prolis, saltem ad tempus, augeri nequit, et fidelis amoris cultus atque plena vitae consuetudo non sine difficultate conservantur. Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei non raro in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari possunt: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur.

Sunt qui his problematibus solutiones *inhonestas* afferre praesumunt, immo ab occisione non abhorrent; at Ecclesia in memoriam revocat veram contradictionem inter divinas leges vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse.

Deus enim, Dominus vitae, praecellens servandi vitam ministerium hominibus commisit, *modo homini digno* adimplendum. Vita igitur in*de a conceptione,* maxima cura tuenda est; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina. *Indoles vero sexualis hominis necnon* humana

[47] generandi facultas mirabiliter exsuperant ea quae in inferioribus vitae gradibus habentur; *proinde* ipsi actus vitae coniugali proprii, secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt. Moralis igitur indoles rationis agendi, ubi de componendo amore coniugali cum responsabili vitae transmissione agitur, non a sola sincera intentione et aestimatione motivorum pendet, sed obiectivis criteriis, *ex personae eiusdemque actuum natura desumptis,* determinari debet, quae integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observant; *quod fieri nequit nisi virtus castitatis coniugalis sincero animo colatur.* Fili*is* Ecclesiae, *his* principiis *innixis,* in procreatione regulanda, vias *inire non licet,* quae a Magisterio, *in lege divina explicanda,* improbantur.[14]

Omnibus vero compertum sit vitam hominum et munus eam transmittendi non ad hoc saeculum tantum *res*tringi neque eo tantum commensurari et intelligi posse sed ad aeternam hominum destinationem semper respicere.

[48] 52. [*De matrimonii et familiae promotione ab omnibus curanda*]. Familia *schola quaedam uberioris humanitatis est. Ut autem vitae ac missionis suae plenitudinem attingere valeat, benevola animi communicatio communeque coniugum consilium necnon sedula parentum cooperatio in filiorum educatione requiruntur. Praesentia actuosa patris eorumdem efformationi magnopere prodest, sed* et cura domestica matris, qua liberi praesertim iuniores indigent, in tuto ponenda est, quin legitima mulieris promotio socialis posthabeatur. Liberi ita educatione instruantur ut ad aetatem adultam provecti pleno responsabilitatis sensu vocationem etiam sacram sequi ac vitae statum eligere queant, in quo, si nuptiis iungantur, familiam propriam, in condicionibus moralibus, socialibus et oeconomicis ipsi propitiis, condere possint. Parentum vel tutorum est se iunioribus, in *fundanda* familia, prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne eos coactione directa vel indirecta ad matrimonium ineundum aut ad electionem compartis adigant.

Ita familia, in qua diversae generationes conveniunt ac sese mutuo adiuvat ad pleniorem sapientiam acquirendam atque iura personarum cum aliis vitae socialis exigentiis componenda, fundamentum societatis constituit. Ideoque omnes qui influxum in *communitates et coetus sociales* exercent, *ad* promotion*em* matrimonii et familiae efficaciter conferre debent. Potestas civilis veram eorumdem indolem agnoscere, protegere et provehere, moralitatem publicam tueri atque prosperitati domesticae favere, ut sacrum suum munus consideret. Ius parentum prolem

procreandi et *in sinu familiae educandi* tutandum est. *Provida legislatione variisque inceptis etiam* illi protegantur *aptoque adiumento subleventur* qui bono familiae *infeliciter* carent. [48]

Christifideles, praesens tempus redimentes [15] atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona matrimonii et familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt. Ad quem finem obtinendum sensus christianus fidelium, recta hominum conscientia moralis necnon sapientia ac peritia eorum qui in sacris disciplinis versati sunt magno *auxilio* erunt.

Qui scientiis, praecipue biologicis, *medicis,* socialibus et psychologicis eruditi sunt, multum bono matrimonii et familiae, pacique conscientiarum inservire possunt, si collatis studiis diversas condiciones honestae ordinationi procreationis humanae faventes, penitius elucidare conentur.

Sacerdotum est, *debita de re familiari eruditione accepta,* vocationem coniugum diversis mediis pastoralibus, verbi Dei praedicatione, cultu liturgico aliisve adiumentis spirituali*bus in* vita eorum coniugali et familiari fovere, eosque humaniter et patienter in difficultatibus *roborare* atque in caritate confortare ut vere radiosae familiae efformentur.

Varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque coniuges, praecipue nuper iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam familialem, socialem et apostolicam formare satagent. [49]

Ipsi denique coniuges, ad imaginem Dei vivi facti et in vero ordine personarum constituti, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sint,[16] ut Christum, vitae principium [17] secuti, in gaudiis et sacrificiis vocationis suae, per suum fidelem amorem, illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit.[18]

NOTAE

Ad n. 48.

[1] Cf. S. AUGUSTINUS, *De bono coniugii, PL* 40, 375-376 et 394; S. THOMAS, *Summa Theol.,* Suppl. Quaest. 49, art. 3 ad 1; *Decretum pro Armenis*: DENZ.-SCHÖN. 1327; PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 547-548; DENZ.-SCHÖN. 3703-3714.

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 546-547; DENZ.-SCHÖN. 3706.

[3] Cf. *Os.* 2; *Ier.* 3, 6-13; *Ezech.* 16 et 23; *Is.* 54.

[4] Cf. *Mt.* 9, 15; *Mc.* 2, 19-20; *Lc.* 5, 34-35; *Io.* 3, 29; cf. etiam 2 *Cor.* 11, 2; *Eph.* 5, 27; *Apoc.* 19, 7-8; 21, 2 et 9.

[5] Cf. *Eph.* 5, 25.

[49] [6] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*: *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 15-16; 40-41; 47.

[7] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), p. 583.

[8] Cf. *1 Tim.* 5, 3.

[9] Cf. *Eph.* 5, 32.

Ad n. 49.

[10] Cf. *Gen.* 2, 22-24; *Prov.* 5, 15-20; 31, 10-31; *Tob.* 8, 4-8; *Cant.* 1, 2-3; 1, 16; 4, 16 — 5, 1; 7, 8-14; *1 Cor.* 7, 3-6; *Eph.* 5, 25-33.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 547 et 548; DENZ.-SCHÖN. 3707.

Ad n. 50.

[12] Cf. *1 Cor.* 7, 5.

[13] Cf. PIUS XII, Allocutio *Tra le visite,* 20 ian. 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), p. 91.

Ad n. 51.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 559-561: DENZ.-SCHÖN. 3716-3718; PIUS XII, *Allocutio Conventui Unionis Italicae inter Obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 835-854; PAULUS VI, *Allocutio ad E.mos Patres Purpuratos,* 23 iunii 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 581-589. Quaedam quaestiones quae aliis ac diligentioribus investigationibus indigent, iussu Summi Pontificis, Commissioni pro studio populationis, familiae et natalitatis traditae sunt, ut postquam illa munus suum expleverit, S. Pontifex iudicium ferat. Sic stante doctrina Magisterii, S. Synodus solutiones concretas immediate proponere non intendit.

Ad n. 52.

[15] Cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, 5.

[16] Cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 262.

[17] Cf. *Rom.* 5, 15 et 18; 6, 5-11; *Gal.* 2, 20.

[18] Cf. *Eph.* 5, 25-27.

[50]

CAPUT II

DE CULTURAE PROGRESSU RITE PROMOVENDO

53. [*Introductio*]. Ad ipsam personam hominis pertinet ut nonnisi per culturam, hoc est bona naturae valoresque colendo, ad veram plenamque humanitatem accedat. Ubicumque ergo de vita humana agitur, natura et cultura quam intime connectuntur.

Voce « cultura » sensu generali indicantur omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque perpolit atque explicat; ipsum orbem terrarum cognitione et labore in suam potestatem redigere studet; vitam socialem, tam *in familia* quam *in tota consortione civili,* progressu morum institutorumque humaniorem reddit; denique magnas experientias

spirituales atque *appetitiones* decursu temporum in operibus suis ex- [50]
primit, communicat atque conservat, ut ad profectum multorum, quinimmo totius generis humani, inserviant.

Inde sequitur culturam humanam aspectum historicum atque socialem necessario prae se ferre, atque vocem « cultura » saepe sensum sociologicum necnon ethnologicum assumere. Hoc autem sensu de culturarum pluralitate sermo fit. Ex diverso enim modo utendi rebus, laborem praestandi et sese exprimendi, religionem colendi moresque formandi, statuendi leges et iuridica instituta, augendi scientias et artes atque colendi pulchrum, diversae oriuntur communes vivendi condiciones et diversae formae bona vitae componendi. Ita ex traditis institutis efficitur patrimonium cuique humanae communitati proprium. Ita etiam constituitur ambitus definitus et historicus, in quem homo cuiusque gentis vel aetatis inseritur, et ex quo bona ad humanum civilemque cultum promovendum haurit.

Sectio 1: *De culturae condicionibus in mundo hodierno*

54. [*De novis vivendi formis*]. ( ) Condiciones vitae hominis moderni sub respectu sociali et culturali profunde immutatae sunt, ita ut de nova historiae humanae aetate loqui liceat.[1] Exinde ad culturam perficiendam ampliusque spargendam novae patent viae. Quas paraverunt ingens augmentum scientiarum naturalium et humanarum, etiam socialium, incrementum technicarum artium, necnon progressus in excolendis et recte disponendis instrumentis quibus homines inter se communicant. Hinc cultura hodierna particularibus signatur notis: scientiae, quae exactae nuncupantur, iudicium criticum maxime excolunt; recentiora psychologiae studia humanam activitatem profundius explicant;
disciplinae historicae valde conferunt ut res sub specie suae mutabili- [51]
tatis atque evolutionis adspiciantur; vitae consuetudines et mores in dies magis uniformes efficiuntur; industrializatio, urbanizatio aliaeque causae quae vitam communitariam promovent, novas culturae formas creant (mass-culture), ex quibus novi modi sentiendi, agendi otioque utendi nascuntur; aucta simul inter varias gentes societatisque coetus commercia thesauros diversarum culturae formarum omnibus et singulis latius aperiunt, et sic paulatim universalior paratur culturae humanae forma, quae eo magis humani generis unitatem promovet ac exprimit, quo melius diversarum culturarum particularitates observat.

55. [*Homo auctor culturae*]. Maior in dies fit numerus virorum ac mulierum cuiusvis coetus vel nationis, qui conscii sunt suae commu-

[51] nitatis culturae artifices se esse atque auctores. In universo mundo magis magisque crescit autonomiae simulque responsabilitatis sensus, quod ( ) pro spirituali ac morali maturitate generis humani maximi est momenti. Illud clarius apparet, si ante oculos unificationem mundi ponimus atque munus nobis impositum, ut in veritate et iustitia *meliorem* aedificemus mundum. Tali ergo modo testes sumus novum humanismum nasci, in quo homo imprimis ( ) su*a* responsabilitat*e* erga suos fratres historiamque definitur.

56. [*Difficultates et munera*]. Quibus in condicionibus, non est mirandum, hominem, qui responsabilitatem suam sentit pro culturae progressu, altiorem spem nutrire, sed etiam anxio animo adspicere multiplices antinomias exsistentes, quas ipse resolvere debet:

Quid faciendum est, ne frequentiora culturarum commercia, quae inter diversos coetus et nationes ad verum et fructuosum dialogum adducere deberent, vitam communitatum perturbent, neve sapientiam maiorum evertant, neve propriam populorum indolem in discrimen adducant?

Quomodo dynamismo atque expansioni novae culturae est favendum, quin fidelitas viva *erga* tradition*um* haereditate*m* pereat? Quod particulari modo urget *ubi* cultura, quae ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressu oritur, componenda *est* cum eo ingenii cultu qui studiis secundum varias traditiones classicis alitur.

Quomodo tam velox atque progrediens disciplinarum particularium dispersio conformari potest cum necessitate formandi earum synthesim, necnon servandi apud homines facultates contemplationis ac admirationis, quae ad sapientiam adducunt?

Quid faciendum est, ut universi homines bonorum culturalium participes fiant in mundo, cum insimul cultus humanus peritiorum semper sublimior atque complexior evadat?

Quomodo denique prout legitima agnoscenda est autonomia, quam
[52] cultura sibi vindicat, quin ad humanismum mere terrestrem, immo ipsi religioni adversantem deveniatur?

In medio quidem illarum antinomiarum cultura humana ita hodie evolvatur oportet, ut integram personam humanam aequo ordine excolat atque homines iuvet in muneribus, *ad quae adimplenda* omnes, praecipue autem christifideles, in una familia humana fraterne uniti, vocantur.

Sectio 2: *De quibusdam principiis ad culturam rite promovendam* [52]

57. [*Fides et cultura*]. Christifideles, ad civitatem caelestem peregrinantes, ea quae sursum sunt quaerere et sapere debent; [2] quo tamen nedum minuatur, potius crescit momentum muneris eorum una cum omnibus hominibus adlaborandi ad aedificationem mundi humanius exstruendi. Et revera fidei christianae mysterium praestantia incitamenta et adiumenta eis praebet ad munus illud impensius adimplendum et praesertim ad plenum huiusmodi operis sensum detegendum, quo cultus humanus in integra hominis vocatione suum eximium obtineat locum.

Cum enim homo opere manuum suarum vel ope technicarum artium terram excolit, ut fructum afferat et dignum universae familiae humanae habitaculum fiat, *et cum conscie partes assumit in socialium coetuum vita,* ipse exsequitur consilium Dei, initio temporum patefactum, terrae subiciendae [3] creationisque perficiendae ( ), *atque seipsum excolit;* insimul magnum Christi mandatum servat, sese in servitium fratrum impendendi.

Insuper homo cum in varias *philosophiae, historiae atque scientiae mathematicae et naturalis* disciplinas incumbit et artibus versatur, maxime conferre potest, ut familia humana ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes *atque ad iudicium universi valoris* elevetur et sic clarius illuminetur mirabili Sapientia, quae ab aeterno cum Deo erat, cuncta cum Eo componens, ludens in orbe terrarum, esse cum filiis hominum in deliciis habens.[4]

Eo ipso animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad ipsum Creatoris cultum et contemplationem evehi potest. Immo impulsu gratiae ad agnoscendum Dei Verbum disponitur, quod, antequam caro fieret ad omnia salvanda et in Se recapitulanda, iam « in mundo erat », tamquam « lux vera quae illuminat omnem hominem » (*Io.* 1, 9-10).[5]

Sane hodiernus progressus scientiarum artiumque technicarum, quae vi methodi suae usque ad intimas *rerum* rationes penetrare nequeunt, cuidam phaenomenismo et agnosticismo favere potest, *quando* methodus investigandi, qua disciplinae istae utuntur, immerito pro suprema totius veritatis inveniendae regula habetur. Immo periculum adest, ne homo, inventis hodiernis nimis fidens, se sibi sufficere aestimet et altiora am- [53]
plius iam non quaerat.

Haec tamen infausta non necessario ex hodierna cultura sequuntur, nec nos in tentationem inducere debent, ne *eius* valores positivos ( )

[53] agnoscamus. Inter quos adnumerantur: scientiarum studium atque exacta fidelitas erga veritatem in inquisitionibus scientificis, necessitas ( ) laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidarietatis internationalis, conscientia in dies vividior responsabilitatis peritorum erga homines adiuvandos immo et protegendos, voluntas faustiores reddendi vitae condiciones omnibus, *praesertim illis qui vel responsabilitatis privatione vel culturae paupertate laborant.* Haec omnia aliquam praeparationem ad nuntium Evangelii accipiendum afferre valent, quae informari potest caritate divina ab Eo qui venit ut mundum salvaret.

58. [*De multiplici inter bonum nuntium Christi et culturam humanam connexione*]. Inter nuntium salutis et culturam humanam multiplices nexus inveniuntur. Nam Deus, *populo suo sese revelans* ( ) usque ad plen*am* sui manifestationem in Filio incarnato, *lo*cutus est secundum culturam diversis aetatibus propriam.

Pariter Ecclesia, decursu temporum variis in condicionibus vivens, diversarum culturarum inventa adhibuit, ut nuntium Christi in sua praedicatione ad omnes gentes diffundat et explicet, illud investiget et altius intelligat, in celebratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimat.

At simul, ad omnes populos cuiusvis aetatis et regionis missa, Ecclesia nulli stirpi aut nationi, nulli particulari morum rationi, nulli antiquae aut novae consuetudini exclusive et indissolubiliter nectitur. *Propriae* traditioni ( ) inhaerens *et insimul missionis suae universalis conscia,* communionem cum diversis culturae formis inire valet, qua tum ipsa Ecclesia tum variae culturae ditescunt.

Bonum Christi nuntium hominis lapsi vitam et cultum continenter renovat, et errores ac mala, ex semper minaci peccati seductione manantia, impugnat et removet. Mores populorum indesinenter purificat et elevat. Animi ornamenta dotesque cuiuscumque populi vel aetatis supernis divitiis velut ab intra foecundat, communit, complet atque in Christo restaurat.[6] Sic Ecclesia, proprium implendo munus,[7] iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit atque confert, et actione sua, etiam liturgica, hominem ad interiorem libertatem educat.

59. [*De diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis*]. Supradictis rationibus, Ecclesia in mentem omnium revocat culturam ad integram personae humanae perfectionem, ad bonum communitatis et totius humanae societatis esse referendam. Quare oportet animum ita excolere, ut promoveatur facultas admirandi, intus legendi, contemplandi
[54] atque efformandi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem.

Culturam enim, cum ex hominibus indole rationali et sociali immediate [54]
fluat, indesinenter indiget iusta libertate ad sese explicandam atque legitima, secundum propria principia, sui iuris agendi facultate. *Iure merito* ergo *postulat* reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate, servatis utique iuribus personae et communitatis, sive particularis sive universalis, intra fines boni communis.

Sacra Synodus, recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat « duplicem esse ordinem cognitionis » distinctum, nempe fidei et rationis, nec sane Ecclesiam vetare ne « humanarum artium et disciplinarum culturae (...) in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo »; quare « iustam hanc libertatem agnoscens », cultus humani et praesertim scientiarum legitimam autonomiam affirmat.[8]

Haec omnia postulant quoque ut homo, morali ordine communique utilitate servatis, libere possit verum inquirere et opinionem suam declarare ac vulgare, atque artem qualemcumque colere; ut denique *secundum* veritate*m* de publicis eventibus certior fiat.[9]

Ad publicam vero auctoritatem pertinet, non propriam cultus humani formarum indolem determinare, sed condiciones et subsidia ad vitam culturalem inter omnes promovendam fovere, etiam intra minoritates alicuius nationis.[10] Ideo praeprimis instandum est, ne cultura, a proprio fine aversa, potestatibus politicis vel oeconomicis servire cogatur.

Sectio 3: *De quibusdam urgentioribus christianorum muneribus circa cultura*

60. [*Ius ad culturae beneficia omnibus agnoscatur et in rem deducatur*]. Cum nunc ( ) facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi, officium nostrae aetati maxime consentaneum est, praesertim pro christianis, strenue adlaborandi ut, tam in re oeconomica quam in re politica, tam in campo nationali quam internationali, ferantur iudicia fundamentalia, quibus ius omnium ad humanum civilemque cultum, personae dignitati congruum, sine discrimine stirpis, sexus, nationis, *religionis* aut socialis condicionis, ubique terrarum agnoscatur et ad rem deducatur. Ideo sufficiens bonorum culturalium copia omnibus providenda est, praesertim eorum quae constituunt culturam sic dictam fundamentalem, ne plurimi litterarum ignorantia responsabilisque actuositatis privatione a cooperatione vere humana ad bonum commune impediantur.

Contendendum est itaque ut homines, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere queant; ita quidem ut iidem, quoad fieri possit, in humana societate ad munera, officia et servitia

[55] emergant, tum suo ingenio, tum peritiae quam acquisierint consentanea.[11] Sic quilibet homo et coetus sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae culturalis explicationem, suis dotibus atque traditionibus congruam, pertingere valebunt.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum ( ) iuris *ad culturam,* tum officii quo astringuntur sese excolendi aliosque adiuvandi. Condiciones enim vitae et laboris quandoque exstant, quae impediunt contentiones culturales hominum et in ipsis studium culturae destruunt. Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, quibus praebeantur oportet tales condiciones operam suam praestandi, quae humanam eorum culturam non praepediant sed promoveant. Mulieres in fere omnibus vitae campis iam adlaborant; convenit autem ut partes suas secundum propriam indolem plene assumere valeant. Omnium erit, ut mulierum propria necessariaque participatio vitae culturalis agnoscatur atque promoveatur.

61. [*De educatione ad hominis integrum cultum*]. Maior hodie adest difficultas quam olim varias *cognitionis* disciplinas et artes in synthesim redigendi. Dum enim crescunt moles et diversitas elementorum, quae culturam constituunt, insimul minuitur facultas pro singulis hominibus eadem percipiendi et *organice* componendi, ita ut imago « hominis universalis » magis ac magis evanescat. Attamen unicuique homini remanet officium retinendi rationem totius personae humanae, in qua eminent intelligentiae, voluntatis, conscientiae et fraternitatis valores, *qui omnes* in Deo Creatore funda*ntur* et in Christo mirabiliter sanati et elevati *sunt.*

Quasi mater et nutrix huius educationis est imprimis familia, in qua liberi, amore foti, rectum rerum ordinem facilius condiscunt, dum probatae cultus humani formae quasi naturaliter in progredientis adolescentiae animum transfunduntur.

Pro eadem educatione in societatibus hodiernis exstant opportunitates, praesertim ex *aucta librorum diffusione atque* novis *instrumentis* communicationis *culturalis et* socialis, quae universali culturae f*a*vere possunt. Imminuto enim passim laboris spatio in dies augescunt pro pluribus hominibus commoda. Otia ad animum relaxandum et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia, versus alias regiones itinera (turismus), quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur, per exercitationes quoque et manifestationes sportivas, quae ad animi aequilibrium, etiam in communitate, servandum necnon ad fraternas relationes inter homines omnium condicionum, nationum vel diversae stirpis statuendas, adiumentum praebent. Christifideles ergo cooperentur ut cul-

turae manifestationes actionesque collectivae, quae nostrae aetatis sunt propriae, spiritu humano et christiano imbuantur. [55]

Haec autem omnia commoda educationem hominis ad integrum sui cultum perficere non valent, si insimul profunda interrogatio de sensu culturae et scientiae pro persona humana negligitur. [56]

62. [*De humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo*]. Quamvis Ecclesia ad culturae progressum multum contulerit, experientia tamen constat compositionem culturae cum christiana institutione ex causis contingentibus non semper sine difficultatibus procedere.

Istae difficultates non necessario vitae fidei damnum afferunt, *immo* ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare possunt. Etenim scientiarum, necnon historiae ac philosophiae recentiora studia et inventa novas suscitant quaestiones, quae sequelas pro vita quoque secumferunt et etiam a theologis novas investigationes postulant. Praeterea theologi, *servatis propriis scientiae theologicae methodis et exigentiis,* invitantur ut aptiorem modum doctrinam cum hominibus sui temporis communicandi semper inquirant, quia aliud est ipsum depositum Fidei seu veritates, aliud modus secundum quem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia.[12] In cura pastorali non tantum principia theologica, sed etiam inventa scientiarum profanarum, imprimis psychologiae et sociologiae, satis agnoscantur et adhibeantur, ita ut etiam fideles ad puriorem et maturiorem fidei vitam ducantur.

Suo quoque modo litterae et artes pro vita Ecclesiae magni sunt momenti. Indolem enim propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in conatu ad seipsum mundumque cognoscendum et perficiendum edissere contendunt; situationem eius in historia et in universo mundo detegere necnon miserias et gaudia, necessitates et vires hominum illustrare *atque sortem hominis meliorem adumbrare* satagunt. Ita vitam humanam, multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent.

Exinde adlaborandum est ut artium illarum cultores se ab Ecclesia in sua navitate agnitos sentiant et, ordinata libertate fruentes, faciliora commercia cum communitate christiana instituant. Novae quoque formae artis, quae coaevis nostris aptantur iuxta variarum nationum et regionum indolem, ab Ecclesia agnoscantur. In sanctuario *autem recipiantur, cum,* modo dicendi accommodato et liturgiae exigentiis conformi, mentem ad Deum erig*u*nt.[13]

Sic notitia Dei melius manifestatur ac praedicatio evangelica in in-

[56] tellectu hominum magis perspicua *fit* et eorum condicionibus quasi insita *apparet.*

Fideles ergo coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos, qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant. Novarum scientiarum et doctrinarum necnon novissimorum inventorum notitias cum christianis moribus christianaeque doctrinae institutione coniungant, ut religionis cul-
[57] tus animique probitas apud ipsos pari gressu procedant cum scientiarum cognitione et cotidie progredientibus technicorum artibus, et ideo ipsi valeant res omnes integro christiano sensu probare atque interpretari.

Qui theologicis disciplinis in Seminariis et Studiorum Universitatibus incumbunt, cum hominibus qui in aliis scientiis excellunt, collatis viribus atque consiliis, cooperari studeant. Theologica inquisitio insimul profundam veritatis revelatae cognitionem prosequatur et coniunctionem cum proprio tempore ne negligat, ut homines variis disciplinis excultos ad pleniorem fidei scientiam iuvare possint. Haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum ministrorum qui Ecclesiae doctrinam *de Deo,* de homine et de mundo aptius coaevis nostris explanare poterunt, ita ut verbum illud etiam libentius ab eis suscipiatur.[14] Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia, data opera, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, sive clericis sive laicis, iusta libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus *peritia* gaudent.[15]

NOTAE

Ad n. 54.

[1] Cf. *Expositio introductoria* huius Constitutionis, n. 4 sqq.

Ad n. 57.

[2] Cf. *Col.* 3, 1-2.

[3] Cf. *Gen.* 1, 28.

[4] Cf. *Prov.* 8, 30-31.

[5] Cf. S Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 11, 8 (ed. Sagnard, p. 200; cf. *ib.,* 16, 6: pp. 290-292; 21, 10-22: pp. 370-372; 22, 3: p. 378; etc.).

Ad n. 58.

[6] Cf. *Eph.* 1, 10.

[7] Cf. verba Pii XI ad R. P. M.-D. Roland-Gosselin: « Il ne faut jamais perdre de vue que l'objectif de l'Eglise est d'évangéliser et non de civiliser. Si elle civilise, c'est par l'évangélisation » (*Semaines sociales de France, Versailles*, 1936, pp. 461-462).

Ad n. 59. [57]

[8] Conc. Vat. I, Const. *Dei Filius*: Denz. 1795, 1799 (3015, 3019). Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 190

[9] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 260.

[10] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 283; Pius XII, *Nuntius radiophon.*, 24 dec. 1941: *A.A.S.*, 34 (1942), pp. 16-17.

Ad n. 60.

[11] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 260.

Ad n. 62. [58]

[12] Cf. Ioannes XXIII, *Oratio* habita d. 11 oct. 1962, in initio Concilii: *A.A.S.*, 54 (1962), p. 792.

[13] Cf. Const. *De Sacra Liturgia*, n. 123: *A.A.S.*, 56 (1964), p. 131; Paulus VI, *Discorso agli artisti romani*: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 439-442

[14] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *De institutione sacerdotali* et *De educatione christiana.*

[15] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. IV, n. 37: *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 42-43.

Caput III [59]

DE VITA OECONOMICA-SOCIALI

63. [*De quibusdam vitae oeconomicae aspectibus*]. Etiam in vita oeconomica-sociali personae humanae dignitas eiusque integra vocatio, totiusque societatis bonum, honoranda atque promovenda sunt. Homo enim totius vitae oeconomicae-socialis auctor, centrum et finis est.

Oeconomia hodierna, non secus atque aliae vitae socialis provinciae, crescenti super naturam hominis dominatione notatur, densioribus impensioribusque relationibus atque mutua dependentia, inter cives, coetus et populos, necnon frequentiori politicae potestatis interventione. Insimul progressus in rationibus producendi atque in bonis ac servitiis commutandis, oeconomiam aptum effecerunt instrumentum, *quod* adauctis familiae humanae necessitatibus melius inservire *possit*.

Non desunt tamen rationes inquietudinis. Homines non pauci, praesertim in regionibus oeconomice progressis, re oeconomica, quasi *regi* videntur, ita ut fere tota eorum vita personalis ac socialis spiritu quodam oeconomistico imbuatur, tam in nationibus quae oeconomiae collectivisticae favent quam in aliis. Eo temporis momento quo vitae oeconomicae incrementum, dummodo rationabiliter humaniterque dirigatur atque coordinetur, inaequalitates sociales mitigare posset, saepe saepius in earum exasperationem, vel etiam alicubi in regressum condicionis socialis debilium et in despectum pauperum vertitur. Dum rebus omnino necessariis

[59] ingens multitudo adhuc caret, aliqui, etiam in regionibus minus progressis, opulenter vivunt vel bona dissipant. Luxus et miseria simul exsistunt. Dum pauci maxima deliberandi potestate fruuntur, multi omni paene possibilitate carent propria initiativa ac responsabilitate agendi, saepe etiam in conditionibus vitae et laboris persona humana indignis versantes.

Similes aequilibrii oeconomici socialisque defectus inter agriculturam, industriam ac servitia, sicut etiam inter diversas regiones unius eiusdemque nationis advertuntur. Inter nationes oeconomice *magis* progressas aliasque *nationes* gravior in dies oppositio fit, quae ipsam pacem mundi in discrimen vocare potest.

Has disparitates coaevi nostri conscientia in dies vividiore persentiunt, cum eis persuasissimum sit, ampliores technicas et oeconomicas facultates, quibus mundus hodiernus gaudet, hunc infaustum statum rerum corrigere posse atque debere. Inde autem reformationes multae in vita oeconomica-sociali atque mentis et habitudinis conversio ab omnibus requiruntur. Ad hoc Ecclesia iustitiae et aequitatis principia, *tam*
[60] *pro vita individuali et sociali, quam pro vita internationali,* a recta ratione postulata, in decursu saeculorum sub luce Evangelii exaravit atque his praesertim ultimis temporibus protulit. Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis roborare *orientationesque quasdam proferre* intendit, exigentias progressionis oeconomicae imprimis respiciens.[1]

Sectio 1: *De progressione oeconomica*

64. [*De progressione oeconomica in hominis servitium*]. Hodie, magis quam antea, ut augmento populi consulatur et crescentibus generis humani optatis satisfiat, incrementum productionis bonorum agriculturae et industriae necnon praestationis servitiorum iure intenditur. Ideo favendum est progressui technico, spiritui innovationis, studio inceptuum creandorum atque ampliandorum, methodis productionis aptandis, ac strenuis quorumcumque productionem exercentium conatibus, omnibus nempe elementis quae huic progressioni inserviunt. Huius autem productionis *finalitas* fundamentalis non est merum productorum incrementum, neque lucrum ( ) vel ( ) dominatus, sed hominis servitium, hominis quidem integri, attento ordine materialium eius necessitatum atque eius vitae intellectualis, moralis, spiritualis ac religiosae exigentiarum, hominis, dicimus, cuiuscumque, et cuiuscumque hominum coetus, cuiusvis stirpis vel mundi regionis. Itaque navitas oeconomica *secundum methodos et leges proprias, intra fines ordinis moralis*[2] exercenda est ita ut Dei de homine consilium adimpleatur.[3]

65. [*De progressione oeconomica sub consilio hominis*]. Progressio [60]
oeconomica sub hominis consilio manere debet, nec soli arbitrio paucorum hominum aut coetuum nimia potentia oeconomica pollentium, nec solius communitatis politicae, nec quarundam potentiorum nationum remittenda. Oportet e contra ut, in quocumque gradu, homines quam plurimi atque, ubi de relationibus internationalibus agitur, omnes nationes in ea dirigenda activas partes habeant. Pariter opus est ut opera spontanea singulorum hominum liberorumque coetuum cum auctoritatum publicarum conatibus coordinentur atque apte et cohaerenter componantur.

Incrementum nec soli cursui quasi mechanico activitatis oeconomicae singulorum nec soli potestati auctoritatis publicae relinquendum est. Quare erroris arguendae sunt, tum doctrinae quae specie falsae libertatis reformationibus necessariis obstant, quam illae quae iura fundamentalia personarum singularum et coetuum organizationi productionis collectivae postponunt.[4]

Meminerint ceterum cives suum esse ius et officium, etiam a potestate civili agnoscendum, ad verum propriae communitatis progressum pro sua possibilitate conferre. Praesertim in regionibus *oeconomice minus progressis,* ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune graviter in discrimen vocant qui opes suas infructuosas retinent [61]
vel — salvo iure personali migrationis — communitatem suam subsidiis sive materialibus sive spiritualibus privant quibus illa eget.

66. [*De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis*]. Ut exigentiis iustitiae et aequitatis satisfiat, strenue enitendum est ut, servatis iuribus personarum atque propria indole cuiusque populi, ingentes quae nunc sunt et saepe crescunt inaequalitates oeconomicae cum discriminatione *individuali et* sociali coniunctae, quam citius removeantur. Pariter, in pluribus regionibus, attentis peculiaribus agriculturae difficultatibus sive in gignendis sive in vendendis bonis, adiuvandi sunt ruricolae cum ad productionem augendam et vendendam, tum ad necessarias evolutiones ac innovationes inducendas, *tum ad aequum redditum consequendum,* ne, ut saepius accidit, in conditione civium inferioris ordinis maneant. *Ipsi autem agricolae, praesertim iuvenes, sese sollerter applicent ad suam peritiam professionalem perficiendam, sine qua progressio agriculturae dari nequit.*[5]

Iustitia et aequitas item requirunt ut mobilitas, quae in progredientibus rebus oeconomicis necessaria est, ita ordinetur, ne vita hominum singulorum eorumque familiarum incerta et praecaria fiat. Erga opifices vero, qui ex alia natione vel regione oriundi, ad promotionem oeconomicam populi vel provinciae labore suo conferunt, quaevis discriminatio

[61] quoad condiciones remunerationis vel laboris sedulo vitanda est. Insuper universi, imprimis publicae potestates, illos non simpliciter veluti mera productionis instrumenta sed ut personas habere debent, eosque adiuvare ut familiam suam apud se arcessere et decentem habitationem sibi providere possint, atque eorum insertioni in vitam socialem populi vel regionis recipientis favere. Attamen, in quantum fieri potest, in propriis regionibus fontes laboris creentur.

In rebus oeconomicis hodie mutationi obnoxiis *ut* in novis societatis industrialis formis in quibus e. g. automatio progreditur, curandum est ut labor sufficiens et unicuique conveniens simul ac possibilitas congruae formationis technicae et professionali praebeatur, et in tuto collocentur victus atque dignitas humana eorum praesertim qui ob morbum vel aetatem gravioribus laborant difficultatibus.

Sectio 2: *De quibusdam principiis totam vitam oeconomicam-socialem regentibus.*

67. [*De labore eiusque conditionibus atque de otio*]. Labor humanus, qui in bonis gignendis ac commutandis vel in servitiis oeconomicis suppeditandis exercetur, *ceteris elementis vitae oeconomicae* praestat, quippe quae tantum rationem instrumentorum habeant.

[62] Hic enim labor, sive proprio marte assumatur sive ab alio conducatur, a persona immediate procedit, quae res naturae quasi suo sigillo signat easque suae voluntati submittit. Labore suo, homo ordinarie suam suorumque vitam sustentat, cum fratribus suis coniungitur eisque inservit, germanam caritatem exercere potest atque creationi divinae perficiendae sociam operam praebere. Immo, per laborem Deo oblatum, tenemus hominem ipsi redemptionis operi Iesu Christi consociari, qui praecellentem labori detulit dignitatem, cum in Nazareth propriis manibus operaretur. Exinde oritur pro unoquoque officium *fideliter* laborandi atque etiam ius ad laborem; societatis vero est, iuxta adiuncta in ea vigentia, pro sua parte cives adiuvare ut sufficientis laboris occasionem invenire possint. Denique ita remunerandus est labor ut homini facultates praebeantur suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem spiritualemque digne excolendi, *spectatis uniuscuiusque munere et productivitate necnon officinae conditionibus et bono communi.*[6]

Cum navitas oeconomica plerumque consociato hominum labore fiat, iniquum et inhumanum est illam ita componere et ordinare ut quibusvis laborantibus detrimento sit. Saepius autem accidit, etiam nostris diebus, ut opus facientes quodammodo in servitutem proprii operis redigantur.

Quod sic dictis legibus oeconomicis nequaquam iustificatur. Universus [62] igitur fructuosi laboris processus necessitatibus personae eiusque vitae vivendi rationibus accommodandus est; imprimis eius vitae domesticae, praesertim quod ad matres familiae spectat, respectu semper habito et sexus et aetatis. Laborantibus praebeatur insuper, facultas proprias qualitates personamque suam in ipso laboris exercitio explicandi. *Huic exercitio tempus viresque suas debita cum responsabilitate applicantes,* tamen ad vitam familiarem, culturalem, socialem et religiosam colendam *etiam* sufficiente quiete et otio omnes gaudeant. Immo opportunitatem habeant vires ac potentias libere evolvendi, quas fortasse in labore professionali parum excolere valent.

68. [*De participatione in inceptis et in universa rei oeconomicae dispositione, et de conflictibus in labore*]. In inceptis oeconomicis personae consociantur, homines scilicet liberi et sui iuris, ad imaginem Dei creati. Ideo, *attentis muneribus uniuscuiusque, sive proprietariorum, sive conductorum operis, sive dirigentium, sive operariorum,* atque salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur, modis apte determinandis, omnium *actuosa* participatio in inceptorum curatione et fructibus.[7] Cum autem saepius non iam in ipso incepto, sed altius a superioris ordinis institutis de oeconomicis et socialibus condicionibus decernatur, e quibus sors futura laborantium eorumque liberorum pendet, etiam in his statuendis partem habeant, et quidem *per seipsos vel* per delegatos libere electos.

Inter fundamentalia personae humanae iura adnumerandum est ius pro laborantibus consociationes libere condendi, quae eos vere reprae- [63] sentare et ad vitam oeconomicam recto ordine disponendam conferre possint, necnon ius earum navitatem sine ultionis periculo libere participandi. Per huiusmodi ordinatam participationem, cum progrediente formatione oeconomica et sociali iunctam, in dies augebitur apud omnes proprii muneris onerisque conscientia, qua ipsi eo adducantur ut, secundum capacitates aptitudinesque sibi proprias, totius operis progressionis oeconomicae et socialis *necnon universi boni communis procurandi* socios se sentiant.

Cum vero conflictus oeconomici-sociales oriuntur, ut ad pacificam eorum solutionem deveniatur enitendum est. Licet autem semper praeprimis ad sincerum inter partes colloquium sit recurrendum, operistitium tamen, et in hodiernis adiunctis, ad propria iura defendenda et ad iusta laborantium quaesita implenda, adiumentum necessarium, etsi ultimum, manere potest. Quamprimum vero viae ad negotiationem et conciliationis colloquium resumendum quaerantur.

[63] 69. [*De bonorum terrestrium ad universos homines destinatione*]. Deus terram cum omnibus quae in ea continentur in usum universorum hominum et populorum destinavit, ita ut bona creata aequa ratione ad omnes affluere debeant, iustitia duce, caritate comite.[8] Quaecumque formae proprietatis sint, legitimis institutis populorum accommodatae, secundum diversa atque mutabilia adiuncta, ad hanc bonorum universalem destinationem semper attendendum est. Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas *legitime* possidet non *tantum* tanquam sibi proprias, sed etiam tanquam communes habere debet, *eo sensu ut* non sibi tantum sed etiam aliis prodesse queant.[9] Ceterum, ius habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem omnibus competit. Ita Patres Doctoresque Ecclesiae senserunt, docentes ad pauperes sublevandos homines obligari, et quidem, non tantum ex superfluis.[10] Qu*i* autem in extrema necessitate deg*it,* ius habet ut ex aliorum divitiis necessaria sibi procuret.[11] Cum tot sint in mundo fame oppressi, Sacrum Concilium omnes sive singulos sive auctoritates urget ut, illius sententiae Patrum memores: « Pasce fame morientem, quia si non pavisti occidisti »,[12] pro uniuscuiusque facultate, bona sua revera communicent et impendant, *praesertim illos, sive singulos sive populos, auxiliis muniendo, quibus ipsi sese adiuvare atque evolvere possint.*

In societatibus oeconomice minus progressis non raro destinationi communi bonorum ex parte per consuetudines et traditiones communitati proprias satis fit, quibus unicuique membro bona prorsus necessaria praebentur. Vitandum tamen est ne consuetudines quaedam ut omnino immutabiles habeantur, si novis exigentiis huius temporis non iam respondeant; altera vero parte, ne contra *honestas consuetudines* imprudenter agatur quae, dummodo hodiernis adiunctis apte accommodentur,
[64] perutiles esse non desinunt. Similiter in nationibus oeconomice valde progressis, corpus quoddam socialium institutionum, ad cautionem et securitatem spectantium, communem bonorum destinationem pro sua parte ad actum adducere *potest.* Ulterius promovenda sunt servitia familiaria et socialia, praesertim quae animi cultui atque educationi consulunt. In his omnibus instituendis, invigilandum tamen est ne cives ad quamdam erga societatem inertiam inducantur neve suscepti officii onus reiiciant et servitium repudient.

70. [*De bonorum collocationibus et de re nummaria*]. Bonorum collocationes, ex sua parte, tendere debent ad occasiones laboris reditusque sufficientes tam populo hodierno quam futuro procurandos. Quicumque de his collocationibus et vitae oeconomicae ordinatione decernunt — sive singuli, sive coetus, sive auctoritates publicae —, hos fines

prae oculis habere tenentur, atque gravem suam obligationem agnoscere [64] *ex una parte invigilandi, ut necessariis ad vitam decentem requisitis, sive singulorum sive totius communitatis, provideatur, ex altera parte* futura praevidendi et iustum aequilibrium constituendi inter necessitates hodiernae consumptionis, sive individualis sive collectivae, et exigentiis collocandi bona pro generatione ventura. Semper etiam prae oculis habeantur urgentes nationum vel regionum oeconomice minus progressarum necessitates. *In re autem monetaria caveatur ne propriae nationis necnon aliarum nationum bono offendatur. Provideatur insuper ne oeconomice debiles ex valoris pecuniae immutatione iniuste detrimentum patiantur.*

71. [*De accessione ad proprietatem et dominium privatum bonorum; et de latifundiis*]. Cum proprietas ac aliae in bona exteriora dominii *privati* formae ad expressionem personae conferant, cum insuper occasionem ei praebeant suum munus in societate et oeconomia exercendi, valde interest ut, sive singulorum, sive communitatum, ad quoddam bonorum exteriorum dominium accessio foveatur.

Proprietas privata aut dominium quoddam in bona exteriora spatium plane necessarium ad personalem et familiarem autonomiam unicuique conferunt, et velut libertatis humanae extensio considerari debent. Demum, quia ad munus onusque exercendum stimulos addunt, condicionem quamdam libertatum civilium constituunt.[13]

Formae talis dominii vel proprietatis sunt hodie diversae et in dies adhuc magis diversificantur. Omnes autem, non obstantibus fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis, causa non parvipendenda securitatis manent. Quod non tantum de proprietatibus materialibus dicendum est, sed etiam de immaterialibus bonis, uti sunt capacitates professionales.

Ius autem privati dominii illi iuri non obstat quod variis formis proprietatum publicarum inest. Translatio quidem bonorum in publicam proprietatem non nisi a competenti auctoritate, iuxta boni communis [65] exigentias et intra eius limites, *aequa compensatione oblata,* fieri potest. Praeterea, ad publicam auctoritatem pertinet praecavere ne quis privata proprietate contra bonum commune abutatur.[14]

Ipsa autem proprietas privata et indolem socialem natura sua habet, quae, in communis destinationis bonorum lege fundatur.[15] Qua sociali indole neglecta, proprietas multoties occasio cupiditatum et gravium perturbationum fieri accidit, ita ut ad ipsum ius in discrimen vocandum impugnatoribus praetextus detur.

In pluribus regionibus oeconomice minus progressis, magni vel etiam

[65] latissimi rustici fundi existunt, mediocriter exculti vel lucri causa sine ulla cultura manentes, dum maior pars populi vel terris caret vel minimis tantum agris gaudet, atque, ex altera parte, incrementum fructificationis agrorum evidenter urgens apparet. Non raro ii qui a dominis ad laborem conducuntur, vel qui partem illorum titulo locationis colunt, nonnisi stipendium vel proventum homine indignum recipiunt, decenti habitatione privantur, necnon a mediatoribus exspoliantur. *Omni* securitate carentes, sub tali personali famulatu vivunt, ut fere omnis facultas sponte et cum responsabilitate agendi eis tollatur, omnisque promotio in cultu humano et omnis pars in vita sociali et politica illis prohibeantur. Pro variis igitur casibus reformationes necessariae sunt: ut crescant redditus, emendentur condiciones laboris, augeatur securitas in conductione, deturque incitamentum ad sponte operandum; immo ut distribuantur fundi non satis exculti iis qui easdem terras fructuosas reddere valeant. Quo in casu suppeditanda sunt res et media necessaria, praesertim educationis subsidia et iustae ordinationis cooperativae facultates. *Quoties* autem proprietatis ademptionem bonum commune exegerit, compensatio ex aequitate, omnibus adiunctis perpensis, aestimanda est.

72. [*De navitate oeconomica-sociali et de Regno Christi*]. Christiani qui activas partes in hodierna progressione oeconomica-sociali agunt et iustitiam caritatemque propugnant, persuasum sibi habeant se multum ad humanitatis prosperitatem et mundi pacem conferre posse. In his activitatibus, sive singuli sive consociati exemplo fulgeant. Acquisitis quidem peritia experientiaque omnino necessariis, inter terrestres navitates rectum ordinem servent, ut in fidelitate erga Christum Eiusque Evangelium, ita ut integra eorum vita, tam individualis quam socialis, spiritu Beatitudinum, *notabiliter paupertatis, imbuatur.*

Quicumque Christo oboediens, primum quaerit Regnum Dei, inde validiorem ac puriorem amorem suscipit, ad omnes fratres suos adiuvandos et ad opus iustitiae, inspirante caritate, perficiendum.[16]

[66] NOTAE

Ad n. 63.

[1] Cf. PIUS XII, *Nuntius* 23 martii 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 273; IOANNES XXIII, *Allocutio* ad A.C.L.I., 1 maii 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 358.

Ad n. 64.

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 190 ss.; PIUS XII, *Nuntius,* 23 martii 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 276 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 450; CONC. VAT. II, Decretum *Inter mirifica,* c. I, n. 6: *A.A.S.*, 56 (1964), p. 147.

[3] Cf. *Mt.* 16, 26; *Lc.* 16, 1-31; *Colos.* 3, 17.

Ad n. 65. [66]

[4] Cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Libertas,* in *Acta Leonis XIII,* t. VIII, p. 220 ss.; PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 191 ss.; ID., *Divini Redemptoris*: *A.A.S.,* 39 (1937), p. 65 ss.; PIUS XII, *Nuntius natalicius* 1941: *A.A.S.,* 34 (1942), p. 10 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 401-464.

Ad n. 66.

[5] Quoad problema agriculturae cf. praesertim IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 341 ss.

Ad n. 67.

[6] Cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-913, p. 649, p. 662; PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 200-201; ID., Litt. Enc. *Divini Redemptoris*: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 92; PIUS XII, *Nuntius* radiophonicus in pervigilio Natalis Domini 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 20; ID., *Allocutio* 13 iunii 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 172; ID., *Nuntius* radiophonicus operariis Hispaniae datus, 11 martii 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 215; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 419.

Ad n. 68.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 408, 424, 427; verbum autem « curatione » desumptum est ex textu latino Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 199. Sub aspectu evolutionis quaestionis cf. etiam: PIUS XII, *Allocutio* 3 iunii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 485-488; PAULUS VI, *Allocutio* 8 iunii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 574-579.

Ad n. 69.

[8] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Sertum laetitiae*: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 642; IOANNES XXIII, *Allocutio* consistorialis: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 5-11; ID., Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 411.

[9] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 32, a. 5 ad 2; *Ibid.,* q. 66, a. 2: cf. explicationem in LEO XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-91), p. 651; cf. etiam PIUS XII, *Allocutio* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 199; ID., *Nuntius* radiophonicus natalicius 1954: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 27.

[10] Cf. S. BASILIUS, *Hom. in illud Lucae « Destruam horrea mea »,* n. 2 (*PG* 31, 263); LACTANTIUS, *Divinarum Institutionum,* lib. V, de iustitia (*PL* 6, 565 B); S. AUGUSTINUS, *In Ioann. Ev. tr. 50,* n. 6 (*PL* 35, 1760); ID., *Enarratio in Ps.* CXLVII, 12 (*PL* 37, 192); S. GREGORIUS M., *Homiliae in Ev.,* hom. 20 [67]
(*PL* 76, 1165); ID., *Regulae Pastoralis liber,* pars III, c. 21 (*PL* 77, 87); S. BONAVENTURA, In III Sent. d. 33, dub. 1 (ed. Quaracchi III, 728); ID., In IV *Sent.* d. 15, p. II, a. 2, q. 1 (ed. cit. IV, 371 b); q. *de superfluo* (ms. *Assisi, Bibl. comun.* 186, ff. 112ª-113ª); S. ALBERTUS M., *In III Sent.,* d. 33, a. 3, sol. 1 (ed. Borgnet XXVIII, 611); ID., *In IV Sent.,* d. 15, a. 16 (ed. cit. XXIX, 494-497). Quoad autem determinationem superflui nostris quidem temporibus cf. IOANNES XXIII, *Nuntius* radiotelevisificus 11 sept. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 682: « Dovere di ogni uomo, dovere impellente del cristiano è di considerare il superfluo con la misura delle necessità altrui, e di ben vigilare perché l'amministrazione e la distribuzione dei beni creati venga posta a vantaggio di tutti ».

[67] [11] Valet in illo casu antiquum principium: « in extrema necessitate omnia sunt communia, id est communicanda ». Alia ex parte pro ratione, extensione et modo quo applicatur principium in textu proposito, praeter modernos probatos auctores: cf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, II-II, q. 66, a. 7. Ut patet, pro recta applicatione principii, omnes condiciones moraliter requisitae servandae sunt.

[12] Cf. GRATIANI *Decretum,* C. 21, dist. LXXXVI (ed. Friedberg I, 302). Istud dictum invenitur iam in *PL* 54, 591 A (cf. in *Antonianum,* 27 [1952], 349-366).

Ad n. 71.

[13] Cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum*: *A.S.S.*, 23 (1890-91), pp. 643-646; PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 191; PIUS XII, *Nuntius* radiophonicus 1 iunii 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 199; ID., *Nuntius* radiophonicus in pervigilio Natalis Domini 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 17; ID., *Nuntius* radiophonicus 1 sept. 1944: A.A.S., 36 (1944), p. 253; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 428-429.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 214; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 429.

[15] Cf. PIUS XII, *Nuntius* Radiophonicus Pent. 1941: *A.A.S.*, 44 (1941), p. 199; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 430.

Ad n. 72.

[16] Pro recto usu bonorum iuxta doctrinam Novi Testamenti cf. *Lc.* 3, 11; 10, 30 ss.; 11, 41; *1 Pt.* 5, 3; *Mc.* 8, 36; 12, 29-31; *Iac.* 5, 1-6; *1 Tim.* 6, 8; *Eph.* 4, 28; *2 Cor.* 8, 13; *1 Io.* 3, 17 ss.

[68]

CAPUT IV

DE VITA COMMUNITATIS POLITICAE

73. [*De hodierna vita publica*]. Nostris temporibus profundae advertuntur transformationes etiam in compage et institutionibus populorum, quae *ipsorum* evolutionem culturalem, oeconomicam ac socialem consequuntur; *quae transformationes magnum influxum in communitatis politicae vitam exercent, praesertim quod attinet* ad omnium iura et officia in libertatis civilis exercitio ac in bono communi attingendo et ad civium relationes inter se et cum publica *auctoritate* ordin*andas.*

Ex vividiore humanae dignitatis conscientia exoritur, in variis mundi regionibus, ( ) studium ordinem politicum-iuridicum instaurandi, in quo personae iura in vita publica melius protegantur, ut sunt iura libere sese coadunandi, consociandi, proprias opiniones exprimendi ac religionem *privatim publiceque* profitendi. *Tutamen enim personae iurium* condicio necessaria *est ut* cives, sive singuli sive consociati, in rei publicae vita et moderamine actuose participare *possint.*

Una cum progressu culturali, oeconomico *ac* sociali apud plures ro-

boratur desiderium a*ss*umendi maiorem partem in communitatis politicae vita ordinanda. In multorum conscientia studium augetur *ut* iura ( ) minorum alicuius nationis partium serv*entur, earum officiis erga communitatem politicam non neglectis; insuper* reverentia in dies increscit erga homines aliam opinionem vel aliam religionem profitentes; simul latior instituitur cooperatio, ut omnes cives, et non tantum quidam privilegiis ornati, iuribus personalibus reapse frui possint. **[68]**

Reproban*tur* autem ( ) quaecumque formae politicae, in aliquibus regionibus vigentes, quae libertatem civilem *vel* religiosam praepediunt, victimas cupiditatum et criminum politicorum multiplicant *ac* exercitium auctoritatis a bono communi ad commodum cuiusdam factionis vel ipsorum moderatorum detorquent.

Ad vitam politicam vere humanam instaurandam nihil melius est quam interiorem iustitiae et benevolentiae *ac servitii boni communis* sensum fovere atque persuasiones fundamentales circa veram indolem communitatis politicae *necnon* circa finem, rectum exercitium et limites publicae auctoritatis corroborare.

74. [*De communitatis politicae natura et fine*]. Homines, familiae et varii coetus, qui communitatem *civilem* constituunt, propriae insufficientiae ad vitam plene humanam instituendam conscii sunt et necessitatem amplioris communitatis percipiunt, in qua omnes, ad commune bonum semper melius procurandum, cotidie proprias vires conferant.[1] Quapropter communitatem politicam secundum varias formas constituunt. Communitas ergo politica propter illud commune bonum exsistit, in quo suam plenam iustificationem et sensum obtinet, et ex quo ius suum primigenium et proprium depromit. Bonum vero commune summam complectitur earum vitae socialis condicionum, quibus homines, familiae et consociationes, suam ipsorum perfectionem plenius atque expeditius consequi possint.[2] **[69]**

Multi autem et diversi sunt homines, qui in communitatem politicam conveniunt et legitime in diversa consilia declinare possunt. Ne igitur, unoquoque in suam sententiam abeunte, communitas politica distrahatur, auctoritas requiritur, quae omnium civium vires in bonum commune dirigat, non mechanice nec despotice, sed imprimis ut vis moralis, quae ( ) libertate et suscepti officii onerisque conscientia nititur.

Patet ergo communitatem *politicam* et auctoritatem publicam in natura humana fundari ideoque ad ordinem a Deo praefinitum pertinere, etsi tamen regiminis determinatio et moderatorum designatio liber*ae* civium voluntati relinquantur.[3]

Sequitur item auctoritatis politicae exercitium, sive in communi-

[69] tate ut tali, sive in institutis rem publicam repraesentantibus, semper intra fines ordinis moralis ad effectum deducendum esse, ad commune bonum — et quidem dynamice conceptum — procurandum, secundum ordinem iuridicum legitime statutum vel statuendum. Tunc cives ad oboedientiam praestandam ex conscientia obligantur.[4] *Exinde vero patet responsabilitas, dignitas et momentum eorum, qui praesunt.*

Ubi autem a publica auctoritate, suam competentiam excedente, cives premuntur, ipsi, quae a bono communi obiective postulantur, ne recusent; fas vero sit eis contra *abusum huius auctoritatis* sua conciviumque suorum iura defendere, illis servatis limitibus, quos lex naturalis et evangelica delineat.

Modi vero concreti, quibus communitas politica propriam compagem et publicae auctoritatis temperationem ordinat, varii esse possunt secundum diversam populorum indolem et historiae progressum; semper autem ad hominem excultum, pacificum et erga omnes beneficum efformandum inservire debent, ad totius familiae humanae emolumentum.

75. [*De omnium in vita publica cooperatione*]. Cum humana natura plene congruit ut structurae iuridicae-politicae inveniantur, quae omnibus civibus semper melius ac sine ull*a discriminatione* possibilitatem effectivam praebeant libere et actuose participandi tum *in* fundament*is* iuridic*is* communitatis politicae statuen*dis,* tum *in* rei publicae moderamin*e* et *in* variorum institutorum campi et finium determinatio-
[70] n*e*, tum *in* moderatorum electione.[5] Memores ergo omnes cives sint iuris simul et officii *suo libero* suffragio utendi ad bonum commune promovendum. Ecclesia laude et consideratione dignum opus illorum habet, qui in hominum servitium rei publicae bono se devovent et huius officii onera suscipiunt.

Ut civium cooperatio, cum officii conscientia coniuncta, in cotidiana publicae rei vita effectum suum felicem attingat, requiritur positivus ordo iuris, in quo conveniens divisio munerum *et institutorum auctoritatis* publicae atque simul efficax tuitio iurium, *nemini*que obnoxia, instaurentur. Omnium personarum, familiarum ac coetuum iura eorumque exercitium agnoscantur, serventur et promoveantur,[6] simul cum officiis, quibus cuncti cives obstringuntur. Inter quae officium meminisse oportet rei publicae materialia et personalia servitia praestandi, quae ad bonum commune requiruntur. Caveant moderatores ne coetus familiares, sociales aut culturales, corpora ( ) aut instituta ( ) intermedia, impediant, neve ea sua legitima et efficaci actione privent, quam potius

libenter et ordinatim promovere satagant. Cives vero, sive singuli sive consociati, caveant ne nimiam potestatem *publicae* auctoritati tribuant, neve nimia commoda et utilitates ab ipsa inopportune postulent, ita ut personarum, familiarum necnon coetuum socialium officii onus imminuant. [70]

Ab implicatioribus nostrae aetatis adiunctis *publica* auctoritas saepius in res sociales et oeconomicas atque culturales se interponere cogitur ad aptiores inducendas condiciones, quibus cives ac coetus ad integrum humanum bonum libere persequendum efficacius iuventur. Secundum autem diversas regiones et populorum evolutionem *diverso modo intellegi* possunt relationes inter socializationem[7] et *personae autonomiam ac progressum*. Sed ubi exercit*ium* iur*ium* propter bonum commune ad tempus restring*itur, libertas,* circumstantiis mutatis, quam primum restitu*atur*. At inhumanum est quod auctoritas politica incidat in formas totalitarias vel *in formas* dictatorias ( ) quae iura personae *vel* socialium coetuum laedant.

Cives ( ) pietatem erga patriam magnanimiter et fideliter excolant, sine tamen mentis angustia, ita scilicet ut ad bonum totius familiae humanae, quae variis nexibus inter stirpes, gentes ac nationes coniungitur, semper simul animum *in*tendant.

Christifideles omnes in communitate politica specialem et propriam vocationem sentiant, qua exemplo praefulgere debent quatenus officii conscientia sunt adstricti et communi bono excolendo inserviunt, ita ut factis quoque commonstrent quomodo auctoritas cum libertate, inceptio personalis cum coniunctione ac totius corporis socialis necessitudine, unitas opportuna cum proficua diversitate compon*antur*. Circa rem temporalem ordinandam legitimas, at inter se discrepantes, opiniones agnoscant, civesque qui, etiam consociati, eas honeste defendunt, revereantur. Part*es* autem politi*cae* ea promovere *debent,* quae earum [71]
iudicio ad bonum commune requiruntur; numquam vero propriam utilitatem communi bono praeponere licet.

Educatio vero civilis et politica, hodie tum populo tum praesertim iuvenibus maxime necessaria, sedulo curanda est, ut omnes cives in communitatis politicae vita partes suas agere valeant. Qui idonei sunt aut fieri possunt, ad artem politicam, difficilem simul et nobilissimam,[8] sese praeparent et eam, proprii commodi et venalis beneficii immemores, exercere satagant. Contra iniuriam et oppressionem, unius *hominis vel partis politicae* arbitrarium dominatum et intolerantiam, integritate morum ac prudentia agant; sinceritate autem et aequitate, immo caritate et fortitudine politica, bono omnium se devoveant.

[71] 76. [*Communitas politica et Ecclesia*]. Magni momenti est, praesertim ubi societas pluralistica viget, ut rectus respectus relationis inter communitatem politicam et Ecclesiam habeatur, *utque* inter ea, quae christifideles, sive singuli sive consociati, suo nomine tanquam cives, christiana conscientia ducti, et ea, quae nomine Ecclesiae una cum pastoribus suis agunt, clare distinguatur.

Ecclesia, quae, ratione sui muneris et competentiae, nullo modo cum communitate politica confunditur, neque ad ullum systema politicum alligatur, simul signum est et tutamentum transcendentiae humanae personae.

Communitas politica et Ecclesia in proprio campo *ab invicem* sunt *independentes et* autonomae. Ambae autem, licet diverso titulo, eorumdem hominum vocationi personali et sociali inserviunt. Quod servitium eo efficacius in omnium bonum exercebunt, quo ambae melius sanam cooperationem inter se col*unt,* attentis quoque locorum temporumque adiunctis. Homo enim ad solum ordinem temporalem non coarctatur, sed, in historia humana vivens, aeternam suam vocationem integre servat. Ecclesia vero, in Redemptoris amore fundata, ad hoc confert ut intra nation*is terminos* et inter nationes iustitia et caritas latius vigeant. Evangelicam veritatem praedicando atque omnes navitatis humanae provincias, per suam doctrinam et testimonium a christifidelibus exhibitum, illuminando, etiam politicam civium libertatem *et responsabilitatem* reveretur atque promovet.

Apostoli ipsorumque successores et horum cooperatores, cum mittantur ut hominibus Christum mundi Salvatorem annuntient, in suo apostolatu exercendo Dei potentia innituntur, qui persaepe in testium infirmitate virtutem Evangelii manifestat. Quicumque enim Dei Verbi ministerio se devovent, utantur oportet viis et subsidiis Evangelio propriis, quae in pluribus a terrenae civitatis subsidiis differunt.

Res quidem terrenae et ea, quae in hominum condi*c*ione hunc mundum exsuperant, arte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia rebus tempo-
[72] ralibus utitur quantum propria eius missio id postulat. Spem vero suam in privilegiis ab auctoritate civili oblatis non reponit; immo quorundam iurium legitime acquisitorum exercitio renuntiabit, ubi constiterit eorum usu sinceritatem sui testimonii vocari in dubium aut novas vitae condi*c*iones aliam exigere ordinationem. Semper autem et ubique ei fas sit cum vera libertate fidem praedicare, *socialem suam doctrinam docere,* munus ( ) suum inter homines expedite exercere necnon iudicium morale ferre, etiam de rebus quae ad ordinem politicum respiciunt, quando personae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant, omnia et

sola subsidia adhibens, quae Evangelio et omnium bono secundum temporum et condicionum diversitatem congruant. [72]

Fideliter Evangelio adhaerens et suam missionem in mundo exercens, Ecclesia, *cuius est,* quidquid verum, bonum et pulchrum *in communitate humana invenitur,* fovere *ac* elevare,[9] pacem inter homines ad Dei gloriam robor*at.*[10]

NOTAE

Ad n. 74.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417.

[2] Cf. ID., *ibid.*

[3] Cf. *Rom.* 13, 1-5.

[4] Cf. *Rom.* 13, 5.

Ad n. 75.

[5] Cf. PIUS XII, *Nuntius radioph.,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 9-24; 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), pp. 11-17; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 263, 271, 277 et 278.

[6] Cf. PIUS XII, *Nuntius radioph.,* 7 iun. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *l. c.,* p. 273 et 274.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 416.

[8] PIUS XI, *Alloc.* « Ai dirigenti della Federazione Universitaria Cattolica »: *Discorsi di Pio XI* (ed. Bertetto), Torino, vol. I (1960), p. 743.

Ad n. 76.

[9] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* n. 13: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 17.

[10] Cf. *Lc.* 2, 14.

CAPUT V [73]

DE PACE FOVENDA ET DE COMMUNITATE GENTIUM PROMOVENDA

77. [*Introductio*]. Hisce nostris annis, quibus aerumnae et angustiae ex grassante vel impendente bello profluentes adhuc gravissimae inter homines perdurant, universa familia humana ad horam summi discriminis in suae maturitatis processu pervenit. In unum *paulatim* congregata atque ubivis suae unitatis *melius* iam conscia, opus quod ei incumbit, mundum scilicet pro omnibus hominibus ubique terrarum vere humaniorem aedificandi, peragere nequit nisi cuncti ad veritatem pacis renovato animo convertantur. Hinc fit ut evangelicus nuntius, cum altio-

[73] ribus generis humani studiis atque optatis congruens, nostris temporibus nova claritate elucescat dum pacis artifices beatos proclamat, « quoniam filii Dei vocabuntur » (*Mt.* 5, 9).

Ideo Concilium veram et nobilissimam pacis rationem illustrans, belli immanitate damnata, christianos ferventer evocare intendit ut, auxiliante Christo auctore pacis, cum omnibus hominibus ad pacem in iustitia et amore inter eos firmandam et ad instrumenta pacis apparanda cooperentur.

78. [*De natura pacis*]. Pax non est mera absentia belli, neque ad solum adversarum virium aequilibrium stabiliendum reducitur neque ex imperioso dominatu oritur, sed recte proprieque dicitur opus iustitiae. Fructus existit ordinis humanae societati a divino suo Fundatore insiti et ab hominibus perfectiorem semper iustitiam sitientibus in actum deducendi. Cum enim generis humani bonum commune primaria quidem sua ratione lege aeterna regatur, sed quoad id quod concrete exigit, progrediente tempore incessantibus mutationibus subiciatur, *numquam pax pro semper acquisita est, sed perpetuo aedificanda.* Cum insuper labilis sit humana voluntas necnon peccato sauciata, procuratio pacis constantem uniuscuiusque exposcit passionum dominationem et legitimae auctoritatis invigilantiam.

Hoc tamen non sufficit. Pax haec in terris obtineri non potest nisi bonum personarum in tuto collocetur et homines cum fiducia divitias sui animi atque ingenii inter se sponte communicent. Firma voluntas alios homines *et populos* eorumque dignitatem reverendi studiosumque fraternitatis exercitium ( ) ad pacem construendam omnino necessaria sunt. Ita pax fructus *etiam* amoris existit, qui ultra ea progreditur quae iustitia praestare valet.

[74] Pax autem terrena, quae ex dilectione proximi oritur, figura et effectus est pacis Christi, a Deo ( ) Patre promanantis. Ipse enim Filius incarnatus, princeps pacis, per crucem suam omnes homines Deo reconciliavit ac, restituens omnium unitatem in uno populo et uno corpore, in propria sua carne occidit odium et, resurrectione exaltatus, Spiritum caritatis in corda hominum diffudit.

Quapropter omnes christiani enixe evocantur ut, veritatem facientes in caritate, cum hominibus *vere* pacificis sese uniant ad pacem implorandam et instaurandam.

Eodem spiritu moti, non possumus non laudare eos, qui in iuribus vindicandis actioni violentae renuntiantes, ad media defensionis recurrunt quae ceteroquin etiam debilioribus praesto sunt, dummodo hoc sine laesione iurium et obligationum aliorum vel communitatis fieri possit.

Quatenus ( ) homines peccatores sunt, eis imminet periculum belli, [74]
et usque ad adventum Christi imminebit; quatenus autem, caritate coniuncti, peccatum superant, superantur et violentiae, donec impleatur verbum: « Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium » (*Is.* 2, 4).

Sectio 1: *De bello vitando*

79. [*De bellorum immanitate refrenanda*]. Quamvis recentia bella nostro mundo gravissima damna tum materialia tum moralia intulerint, adhuc cotidie in aliqua terrarum parte bellum suas vastationes persequitur. Immo, dum arma scientifica cuiuslibet generis in bello adhibentur, saeva eius indoles proeliantes ad barbariem adduc*ere minatur* quae illam anteact*orum* temp*orum longe* super*e*t. Porro condicionis hodiernae complexitas ac relationum inter nationes intricatio permittunt ut novis methodis, iisque insidiosis et subversivis, bella larvata protrahantur. In pluribus adiunctis usus methodorum terrorismi tanquam nova ratio bellandi habetur.

Deiectum istum humanitatis statum prae oculis habens, Concilium ante omnia in memoriam revocare intendit permanentem iuris naturalis gentium vim eiusque principiorum universalium. Ipsa generis humani conscientia haec principia ( ) firmiter *magis magisque* proclamat. Actiones ergo quae iisdem deliberate adversantur necnon iussa quibus tales actiones praescribuntur scelesta sunt, nec caeca obedientia illos qui iis parent excusare valet. Inter has actiones illae ante omnia recensendae sunt quibus, ratione quadam et methodo, universa gens, ( ) natio *aut minoritas ethnica* exterminantur, quae *tanquam crimina horrenda* vehementer condemnandae sunt; maxime vero probandus est animus illorum qui talia praecipientibus aperte resistere non timescunt.

Exstant de rebus bellicis variae conventiones internationales quibus sat multae nationes subscripserunt, ut minus inhumanae efficiantur
actiones militares earumque sequelae: huiusmodi sunt conventiones quae [75]
pertinent ad militum vulneratorum aut captivorum sortem, variaeque huius generis stipulationes. Quae pactiones servandae sunt; immo tenentur omnes, praesertim auctoritates publicae et de his rebus periti, quantum possunt conari ut illae perficiantur sicque melius et efficacius ad bellorum immanitatem refrenandam conducant. Insuper aequum videtur ut leges *humaniter provideant pro casu illorum qui ex motivo conscientiae arma* adhibere recusant, dum tamen aliam formam communitati hominum serv*iendi* acceptant.

[75] Utique bellum non est e rebus humanis eradicatum. Quamdiu autem periculum belli aderit, auctoritasque internationalis competens congruisque viribus munita defuerit, tamdiu, exhaustis quidem omnibus pacificae tractationis subsidiis, ius legitimae defensionis guberniis denegari non poterit. Civitatum rectoribus aliisque qui rei publicae responsabilitatem participant, incumbit igitur officium ut populorum sibi commissorum salutem tueantur, res tam graves graviter gerentes. At *aliud est* res militares gerere ut populi *iuste* defendantur, *aliud* alias nationes *subiugare velle.* Nec *potentia bellica* omnem *eiusdem* militarem vel politicum usum legitimum facit. Nec bello infeliciter iam exorto, eo ipso omnia inter *partes adversas* licita fiunt.

Qui *vero, patriae servitio addicti,* in exercitu versantur, *et ipsi* tanquam securitatis libertatisque *populorum* ministros *sese* habeant, *et, dum hoc munere recte funguntur, vere ad pacem stabiliendam conferunt.*

80. [*De bello totali*]. Horror pravitasque belli scientificorum armorum incremento in immensum augentur. Bellicae enim actiones, his armis adhibitis, ingentes indiscriminatasque inferre possunt destructiones *quae proinde limites legitimae defensionis longe excedunt.* Immo, si haec media, qualia iam in magnarum nationum armamentariis inveniuntur, penitus adhiberentur, ex eo internecio fere plena et omnino reciproca uniuscuiusque partis a parte adversa haberetur, praetermissis multis vastationibus in mundo oboriundis et exitialibus effectibus ex usu huiusmodi armorum consequentibus ( ).

Quae omnia nos cogunt ut de bello examen mente omnino nova instituamus.[1] Sciant huius aetatis homines se de suis bellicis actionibus gravem rationem esse reddituros. Ab eorum enim hodiernis consiliis temporum futurorum decursus multum pendebit.

His attentis, haec Sacrosancta Synodus, suas faciens condemnationes belli totalis iam a recentibus Summis Pontificibus enuntiatas,[2] declarat:

Omnis actio bellica quae in urbium integrarum *vel* amplarum regionum cum earum incolis destructionem indiscriminatim tendit, est crimen contra Deum et ipsum hominem, quod firmiter et incunctanter damnandum est.

Singulare belli hodierni periculum in hoc consistit quod *illis* qu*i*
[76] recentiora arma scientifica possident quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi et, connexione quadam inexorabili, hominum voluntates ad atrocissima consilia impellere potest. Ne vero hoc in futurum unquam eveniat, Episcopi totius orbis terrarum in unum congregati, omnes, nationum moderatores praesertim necnon eos qui rei militari praesunt,

obsecrant, ut tantam responsabilitatem coram Deo et coram universa [76] humanitate incessanter perpendant.

81. [*De cursu ad arma apparanda*]. Arma quidem scientifica non ad hoc unice accumulantur ut tempore belli adhibeantur. Cum enim firmitas uniuscuiusque partis defensionis a capacitate fulminea adversarium repercutiendi dependere aestimetur, haec armorum accumulatio, quae quotannis ingravescit, inconsueto quidem modo ad deterrendos adversarios forte insurgentes inservit. *Quod* a multis habetur tanquam omnium mediorum efficacissimum quibus nunc pax quaedam inter nationes in tuto poni possit.

Quidquid sit de *illo dissuasionis modo,* persuasum habeant *homines* cursum ad arma apparanda, ad quem sat multae nationes confugiunt, non securam esse viam ad pacem *firmiter servandam,* neque sic dictum aequilibrium ex illo manans certam ac veram esse pacem. Belli exinde causae quin eliminentur, potius paulatim aggravari minantur. *Dum in arma semper nova apparanda perabundantes divitiae erogantur, tot miseriis hodiernis mundi universi remedium sufficiens praeberi non potest. Potius quam dissentiones inter nationes vere ac funditus sanentur, iisdem aliae mundi partes inficiuntur. Novae* viae, ex reformato animo initium sumentes, eligendae erunt ut hoc scandalum removeatur et, mundo ab anxietate qua opprimitur liberato, vera pax restitui possit.

Quapropter denuo declarandum est: cursum ad arma apparanda gravissimam plagam humanitatis esse, ac pauperes intolerabiliter laedere. Valde autem timendum est ne, si perduret, aliquando omnes exitiales clades pariat, quarum media iam praeparat.

A calamitatibus commonefacti quas humanum genus possibiles effecit, moram, nobis desuper concessam, qua gaudemus, adhibeamus ut propriae responsabilitatis magis conscii, vias inveniamus quibus controversias nostras modo homine digniore componere possimus. Providentia divina a nobis instanter requirit ut nosmetipsos ab antiqua belli servitute liberemus. Quod si huiusmodi conamen facere renuerimus, quo ducamur in hac via mala quam ingressi sumus, nescimus.

82. [*De bello omnino interdicendo et actione internationali ad bellum vitandum*]. Patet ergo nobis enitendum esse ut viribus omnibus tempora praeparemus quibus, consentientibus nationibus, bellum quodlibet omnino interdici possit. Quod sane requirit ut quaedam publica auctoritas universalis, ab omnibus agnita, instituatur, quae efficaci potestate polleat ut pro omnibus tum securitas, tum iustitiae observantia, tum [77] iurium reverentia in tuto ponantur. Antequam vero haec optanda auctoritas institui possit, opus est ut hodierna suprema gremia internationalia

[77] studiis mediorum ad securitatem communem procurandam aptiorum acriter se dedicent. *Cum* pax *e* mutua gentium fiducia *nasci oporteat* potius quam ab armorum terrore nationibus imponi, omnibus adlaborandum est ut *cursus ad arma apparanda finem tandem habeat;* ut diminutio armorum re incipiat, *non unilateraliter quidem sed pari passu ex condicto progrediatur, veris efficacibusque cautionibus munita.*[3]

( ) Interea ( ), non parvipendenda sunt conamina quae iam facta sunt et adhuc fiunt ut periculum *belli* amoveatur. Potius adiuvanda est bona voluntas permultorum qui, ( ) ingentibus suorum supremorum munerum curis onerati, gravissimo *autem* quo obstringuntur officio moti, bellum quod abhorrent eliminare satagunt, etiamsi a complexitate rerum quales sunt praescindere non possunt. Deum autem enixe rogare oportet ut illis vim det perseveranter aggrediendi ac fortiter perficiendi hoc summi amoris hominum opus quo pax viriliter aedificatur. Quod hodie certissime ab eis exigit ut mentem et spiritum ultra fines propriae nationis extendant, egoismum nationalem atque ambitionem aliis nationibus dominandi deponant, profundamque reverentiam erga totam humanitatem nutriant, quae iam ad maiorem sui unitatem tam laboriose properat.

Circa pacis et armorum depositionis problemata perscrutationes iam strenue et indesinenter protractae, internationalesque congressus qui hac de re egerunt tanquam primi passus ad solvendas tantopere graves quaestiones consideranda sunt atque urgentiori modo ad obtinendos effectus practicos in futurum promovenda. Nihilominus caveant homines ne solummodo conatibus quorumdam se committant, quin de propriis mentibus curent. Nam populorum moderatores, qui boni communis propriae gentis sponsores sunt et simul boni universi orbis promotores, ex multitudinum opinionibus et animi sensibus quam maxime pendent. Nihil eis prodest ut paci aedificandae instent, quamdiu ( ) hostilitatis, contemptus et diffidentiae sensus, « racialia » odia necnon obstinatae ideologiae homines dividunt atque inter se opponant. Hinc maxima necessitas urget renovatae mentium educationis novaeque in publica opinione inspirationis. Qui operi educationis se devovent, praesertim iuvenum, aut opinionem publicam efformant, tanquam gravissimum officium reputent curam mentes omnium ad novos pacificos sensus instituendi. Nos omnes quidem commutare corda nostra oportet, universum orbem et illa munera prospicientes quae nos, una simul, agere possumus ut genus nostrum ad meliora proficiat.

Nec falsa spes nos decipiat. Nisi enim, dimissis inimicitiis et odiis, firma honestaque pacta de pace universali in futuro concludantur, humanitas quae iam in gravi discrimine versatur, quamvis scientia mirabili praedita, forsan funeste ad illam horam adducetur in qua non aliam pacem

quam horrendam mortis pacem experiatur. Attamen, dum haec profert, [78]
Ecclesia Christi, in media anxietate huius temporis constituta, firmissime sperare non cessat. Aetati nostrae iterum iterumque, opportune importune, nuntium apostolicum proponere intendit: « ecce nunc tempus acceptabile » ut mutentur corda, « ecce nunc dies salutis ».[4]

Sectio 2: *De communitate internationali aedificanda*

83. [*De causis discordiarum earumque remediis*]. Ad pacem aedificandam ante omnia requiritur ut eradicentur causae discordiarum inter homines, quibus bella aluntur, praesertim iniustitiae. Non paucae earum ex nimiis inaequalitatibus oeconomicis proveniunt, necnon ex *necessariis remediis retardatis*. Aliae vero ex spiritu dominationis et personarum contemptu oriuntur et, si in causas profundiores inquirimus, ex humana invidia, diffidentia, superbia aliisque egoisticis passionibus. Cum tot ordinis defectus homo ferre non possit, ex iis consequitur ut, etiam bello non saeviente, mundus indesinenter contentionibus inter homines et violentiis inficiatur. Cum insuper eadem mala in relationibus inter ipsas nationes inveniantur, necessarium omnino est ut, ad illa vincenda vel praevenienda, et ad effrenatas violentias coercendas, melius et firmius cooperentur et coordinentur institutiones internationales necnon indefesse stimuletur creatio organismorum qui pacem promoveant.

84. [*De communitate gentium et de institutionibus internationalibus*]. Ut crescentibus hoc tempore arctis mutuae necessitudinis nexibus inter omnes cives et omnes populos orbis terrarum, bonum commune universale apte quaeratur et efficacius obtineatur iam necesse est communitatem gentium sibi constituere ordinem qui cum hodiernis muneribus congruat, praesertim relate ad illas numerosas regiones quae intolerabilem egestatem adhuc patiuntur.

Ad hos fines assequendos institutiones communitatis internationalis variis hominum necessitatibus pro sua parte providere debent, tam in vitae socialis campis ad quos pertinent victus, sanitas, educatio, labor, quam in nonnullis condicionibus particularibus quae alicubi oriri possunt, ut sunt necessitas generali nationum progredientium incremento fovendi, aerumnis profugorum per universum mundum dispersorum occurrendi, vel etiam migrantes eorumque familias adiuvandi.

Institutiones internationales, universales vel regionales, quae iam existunt certe de genere humano bene merentur. Eaedem tanquam primi conatus apparent fundamenta internationalia totius communitatis humanae ponendi ut gravissimae nostrorum temporum quaestiones solvantur,

[78] et quidem ad progressum ubique terrarum promovendum et ad bella in quacumque forma praecavenda. In omnibus istis campis gaudet Ecclesia de spiritu verae fraternitatis inter christianos et non christianos florentis
[79] qui enititur ut conamina semper intensiora fiant ad ingentem miseriam sublevandam.

85. [*De cooperatione internationali in campo oeconomico*]. Hodierna generis humani coniunctio etiam instaurationem maioris cooperationis internationalis in campo oeconomico expostulat. Etenim, etsi omnes fere populi sui iuris facti sunt, longe tamen abest ut a nimiis inaequalitatibus et ab omni indebitae dependentiae forma iam liberi sint omneque gravium difficultatum internarum periculum effugiant.

Incrementum alicuius nationis ex adiumentis humanis et pecuniariis pendet. Cives uniuscuiusque nationis per educationem et formationem professionalem ad varia munera vitae oeconomicae et socialis obeunda praeparandi sunt. Ad hoc autem requiritur auxilium peritorum alienigenarum qui, dum opem ferunt, non ut dominatores se gerant sed ut adiutores et cooperatores. Auxilium materiale nationibus progredientibus non procurabitur, nisi *consuetudines* hodierni commercii in mundo profunde mutentur. Alia insuper auxilia a nationibus progressis praestanda sunt sub forma sive donorum sive mutuorum sive pecuniarum collocationum; quae praestentur cum generositate et sine cupiditate ex una parte, accipiantur cum omni honestate ex altera.

Ad verum ordinem oeconomicum universalem instaurandum abolenda sunt nimia lucrorum studia, ambitiones nationales, appetitus dominationis politicae, calculi ordinis militaristici necnon machinationes ad ideologias propagandas et imponendas. Plura oeconomica et socialia systemata proponuntur; optandum est ut in his periti communia fundamenta sani commercii mundialis inveniant; quod facilius continget si singuli propria praeiudicia abnuant et ad dialogum sincere gerendum promptos se praebeant.

86. [*De quibusdam opportunis normis*]. *Pro hac cooperatione sequentes normae opportune videntur*:

a) Gentes progredientes valde cordi habeant ut tamquam finem progressus expresse et firmiter plenam perfectionem humanam suorum civium appetant. Meminerint ex labore ante omnia et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere progressum quippe qui non solis opibus alienis, sed propriis plene explicandis necnon ingenio et traditione propria colendis imprimis inniti debeat. Qua in re illi excellant oportet, qui maiorem influxum in alios exercent.

b) Gentium autem progressarum officium gravissimum est progre-

dientes populos ad supradicta munera implenda adiuvandi. Quapropter [79] mentales et materiales accommodationes, quae ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requiruntur, apud seipsas perficiant.

Ita in negotiatione cum debilioribus et pauperioribus nationibus bonum illarum sedulo respiciant; nam hae proventibus quos ex venditione rerum a se productarum accipiunt, ad propriam suam sustenta- [80] tionem indigent.

c) Communitatis vero internationalis est incrementum componere et stimulare, ita tamen ut de opibus ad hoc ordinatis quam efficacissime et plena cum aequitate disponatur. Ad hanc quoque communitatem pertinet, principio subsidiarietatis utique servato, rationes oeconomicas ( ) in toto mundo ordinare ut ad normam iustitiae explicentur.

Condantur instituta apta ad promovenda et ordinanda negotia internationalia, praesertim cum nationibus minus progressis et ad compensandos defectus qui ex nimia inaequalitate potentiae inter nationes manant. Huiusmodi ordinatio, cum adiumentis technicis, culturalibus et nummariis coniuncta, nationibus ad progressum intendentibus subsidia necessaria praestare debet ut incrementa oeconomiae suae convenienter consequi valeant.

d) In multis casibus urget necessitas recognoscendi oeconomicas socialesque structuras; sed cavendum est a solutionibus technicis immature propositis, imprimis ab illis quae, dum homini commoda materialia praebent, eius spirituali indoli *ac profectui* adversantur. Nam « non in solo pane vivit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei » (*Mt.* 4, 4). Quaelibet autem humanae familiae pars in seipsa et in suis melioribus traditionibus aliquam partem thesauri spiritualis a Deo humanitati concrediti secumfert, etsi multi nesciant ex qua origine procedat.

87. [*De cooperatione internationali quoad incrementum incolarum*]. Maxime necessaria evadit cooperatio internationalis relate ad illos populos qui hodie sat frequenter, praeter tot alias difficultates, ea peculiariter premuntur quae ex rapido incremento populationis oritur. Urget necessitas ut per plenam et impensam cooperationem omnium, praesertim ditiorum nationum, exploretur quomodo ea quae ad victum et ad congruam instructionem hominum necessaria sunt, parari et toti communitati humanae communicari possint. Nonnulli vero populi suae vitae condiciones multo meliores reddere possent si, debita instructione exculti, a methodis antiquis pro bonis agrariis gignendis ad novas artes technicas transirent, eas cum necessaria prudentia suis condicionibus

[80] applicantes, ordine sociali meliori insuper instaurato et terrarum possessionis distributione aequius ordinata.

Guberniis quidem sunt iura et officia, problema populationis in sua natione quod attinet, intra propriae competentiae limites; utputa in ordine ad legislationem socialem et *ad familias respicientem,* ad transitum ruricolarum ad urbes, ad informationes circa statum et necessitates nationis. Cum hodie mentes hominum de hoc problemate tam vehementer agitentur, optandum quoque est ut de his omnibus periti
[81] catholici, praesertim in Universitatibus, studia et incepta sollerter prosequantur et latius evolvant.

Cum autem a multis affirmetur incolarum orbis incrementum, vel saltem quarumdam nationum, omnibus mediis et cuiusvis generis interventu auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, Concilium omnes hortatur ut caveant a solutionibus, publice vel privatim promotis et quandoque impositis, quae leg*i* moral*i* contradicunt. Nam iuxta inalienabile hominis ius ad matrimonium et generationem prolis, deliberatio circa numerum prolis gignendae a recto iudicio parentum pendet ac nullo modo auctoritatis publicae iudicio committi potest. Cum autem parentum iudicium conscientiam recte formatam supponat, magni momenti est ut omnibus aditus praebeatur ad colendam rectam et vere humanam responsabilitatem quae legem divinam, attentis adiunctis rerum et temporum, respiciat; hoc vero exigit ut passim condiciones paedagogicae et sociales in melius mutentur et imprimis ut formatio religiosa vel saltem integra moralis institutio praebeatur. De progressibus porro scientificis in explorandis methodis quibus coniuges ( ) iuvari possint *in ordinando numero prolis,* quarum firmitas bene probata est et *congruentia cum ordine morali comperta habetur,* homines *sapienter* certiores fiant.

88. [*De munere christianorum in subsidiis praestandis*]. Ad ordinem internationalem cum vera observantia libertatum et amica fraternitate omnium aedificandum, christiani libenter et toto corde cooperentur, idque eo magis quod maior pars mundi tanta adhuc egestate laborat ut in pauperibus Christus ipse quasi alta voce caritatem suorum discipulorum evocet. Ne igitur scandalo sit hominibus aliquas nationes, quarum maior numerus civium christiano nomine ornatur, bonorum copia
[82] abundare, dum aliae rebus ad vitam necessariis priventur ac fame, morbis omnimodaque miseria crucientur. Sunt enim spiritus paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi.

Laudandi igitur et adiuvandi sunt illi christiani, iuvenes praesertim, qui sponte seipsos ad aliis hominibus et populis auxilia praestanda

offerunt. Immo totius Populi Dei est, Episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias huius temporis pro viribus sublevare, idque, ut antiquus mos ferebat Ecclesiae, non ex superfluis tantum, sed etiam ex substantia. [82]

Modus subsidia colligendi et distribuendi, quin sit rigide et uniformiter ordinatus, recto tamen ordine disponatur in dioecesibus, nationibus et in universo mundo, coniuncta, ubicumque opportunum videtur, actione catholicorum cum ceteris fratribus christianis. Spiritus enim caritatis providum ordinatumque actionis caritativae exercitium non solum non prohibet, sed potius imponit. Quare necesse est eos qui se ad nationibus progredientibus inserviendum devovere intendunt, idoneis etiam institutis apte efformari.

89. [*De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali*]. [81]
Ecclesia, cum, divina sua missione innixa, omnibus hominibus Evangelium praedicat et thesauros gratiae elargitur, ubique terrarum ad pacem firmandam et solidum fundamentum ponendum consortionis fraternae hominum et populorum confert: cognitionem scilicet legis divinae et naturalis. Quapropter Ecclesia in ipsa communitate gentium omnino praesens esse debet ad cooperationem inter homines fovendam et excitandam; et quidem tam per suas institutiones publicas quam per plenam ac sinceram collaborationem omnium christianorum, solo desiderio omnibus inserviendi inspiratam.

Quod efficacius attingetur si ipsi fideles, suae responsabilitatis humanae et christianae conscii, iam in proprio ambitu vitae voluntatem prompte cooperandi cum communitate internationali excitare satagunt. Cura peculiaris hac in re iuvenibus formandis impendatur, tam in educatione religiosa quam civili.

90. [*De partibus christianorum in institutionibus internationalibus*]. [82]
Praecellens quaedam forma navitatis internationalis christianorum absque dubio socia opera est quam, sive singuli sive consociati, in ipsis Institutis ad cooperationem inter nationes provehendam conditis vel condendis praestant. Communitati gentium in pace et fraternitate aedificandae insuper multipliciter inservire possunt variae consociationes catholicae internationales, quae roborandae videntur auctis et numero cooperatorum bene formatorum, et subsidiis quibus indigent et apta virium coordinatione. Nostris enim temporibus et actionum efficacitas et colloquii necessitas consociata incepta postulant. Tales consociationes insuper haud parum conferunt ad universalem sensum excolendum, catholicis certe congruum, et ad formandam conscientiam vere universalis solidarietatis et responsabilitatis.

[82] Optandum denique est ut catholici, ad munus suum in communitate internationali rite implendum, actuose et positive cooperari studeant sive cum fratribus seiunctis qui una cum eis evangelicam caritatem profitentur, sive cum omnibus hominibus veram pacem sitientibus.

Consilium vero, ratione habita immensitatis aerumnarum quibus maior pars generis humani etiam nunc vexatur, et ad iustitiam simul ac amorem Christi erga pauperes ubique fovendum, valde opportunum aestimat creationem alicuius Ecclesiae universalis organismi, cuius sit catholicorum communitatem excitare ut progressus indigentium regionum necnon iustitia socialis inter nationes promoveantur.

[83] NOTAE

Ad n. 80.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 291: « Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda ».

[2] Cf. PIUS XII, *Allocutio* 30 sept. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 589; *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1954: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 15 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 286-291; PAULUS VI, *Allocutio in Coetu Nationum Unitarum,* 4 oct. 1965.

Ad n. 82.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* ubi de diminutione armorum loquitur: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 287.

[4] Cf. *2 Cor.* 2, 6.

[84] CONCLUSIO

91. [*De munere singulorum fidelium et Ecclesiarum particularium*]. Ea quae ab hac Sacra Synodo ex thesauris doctrinae Ecclesiae proponuntur, omnes homines nostrorum temporum, sive in Deum credant sive non explicite eum agnoscant, adiuvare intendunt ut, suam integram vocationem clarius percipientes, mundum praecellenti dignitati hominis magis conforment, universalem altiusque fundatam fraternitatem appetant atque, sub impulsu amoris, generoso atque consociato conamine, urgentibus nostrae aetatis postulationibus respondeant.

Sane coram immensa diversitate tum rerum status tum culturae humanae formarum in mundo, propositio haec in compluribus suis partibus consulto nonnisi indolem generalem prae se fert: *immo, licet doctrinam iam in Ecclesia receptam proferat, cum non raro de rebus incessanti evolutioni subiectis agatur, adhuc persequenda et amplianda erit.* Confidimus *vero* multa quae, verbo Dei et spiritu Evangelii innixi protulimus, om-

nibus validum adiutorium conferre posse, praesertim postquam adaptatio [84] ad singulas gentes et mentalitates a christifidelibus sub Pastorum moderamine ad actum deducta fuerit.

92. [*De dialogo inter omnes homines*]. Ecclesia, vi suae missionis universum orbem nuntio evangelico illuminandi et omnes homines cuiusvis nationis, stirpis vel culturae in unum Spiritum coadunandi, *signum* evadit illius fraternitatis quae sincerum dialogum permittit atque roborat.

Quod autem requirit ut imprimis in ipsa Ecclesia mutuam aestimationem, reverentiam et concordiam promoveamus, omni legitima diversitate agnita, ad fructuosius semper colloquium inter omnes instituendum qui unum Populum Dei constituunt, sive pastores sive ceteri christifideles sint. Fortiora enim sunt ea quibus uniuntur fideles quam ea quibus dividuntur: sit in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.

Animus autem noster simul complectitur fratres nondum nobiscum in plena communione viventes eorumque communitates, quibus tamen coniungimur confessione Patris et Filii et Spiritus Sancti ac vinculo caritatis, memores scilicet christianorum unitatem hodie etiam a multis in Christum non credentibus exspectari et desiderari. Quo magis enim haec unitas, sub potenti virtute Spiritus Sancti, in veritate et caritate proficiet, eo magis universo mundo erit praesagium unitatis et pacis. Quare, unitis viribus et in formis huic praeclaro fini hodie efficaciter *assequendo* magis magisque aptatis, studeamus ut, Evangelio in dies melius conformati, fraterne cooperemur ad servitium familiae humanae praestandum quae, in Christo Iesu, in familiam filiorum Dei vocatur.

Animum nostrum proin etiam ad omnes convertimus qui Deum agno- [85] scunt et in traditionibus suis pretiosa elementa religiosa et humana conservant, optantes ut apertum colloquium omnes nos adigat ad impulsiones Spiritus fideliter accipiendas et alacriter implendas.

Desiderium talis colloquii, quod sola caritate erga Veritatem ducatur, servata utique congrua prudentia, ex nostra parte neminem excludit, neque illos qui praeclara animi humani bona colunt, eorum vero Auctorem nondum agnoscunt, neque illos qui Ecclesiae opponuntur eamque variis modis persequuntur. Cum Deus Pater principium omnium exsistat et finis, omnes, ut fratres simus, vocamur. *Et ideo,* hac eadem humana et divina vocatione vocati, sine violentia, sine dolo ad aedificandum mundum in vera pace cooperari *possumus et debemus.*

93. [*De mundo aedificando et ad finem perducendo*]. Christiani, memores verbi Domini « in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35), nihil ardentius optare possunt quam ut hominibus mundi huius temporis semper gene-

[85] rosius et efficacius inserviant. Itaque, Evangelio fideliter adhaerentes eiusque viribus fruentes, cum omnibus qui iustitiam diligunt et colunt coniuncti, ingens opus in his terris adimplendum susceperunt, de quo Ei, qui omnes iudicabit ultimo die, rationem reddere debent. Non omnes qui dicunt « Domine, Domine! » intrabunt in regnum caelorum, sed ii qui faciunt voluntatem Patris validamque manum operi apponunt. Vult autem Pater ut in omnibus hominibus Christum fratrem agnoscamus et efficaciter diligamus, tam verbo quam opere, ita testimonium perhibentes Veritati, et cum aliis mysterium amoris Patris caelestis communicemus. Hac via in toto orbe terrarum homines ad vivam spem excitabuntur, quae Spiritus Sancti donum est, ut tandem aliquando in pace ac beatitudine summa suscipiantur, in patria *quae* gloria Domini *effulget.*

« Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

[89]

CORRECTIONES ADMISSAE

Prooemium et pars introductiva

Ad num. 2

Pag. 5, lin. 21: *sub* peccati quidem *servitute positum,* sed a Christo crucifixo et resurgente, fracta potestate Maligni, liberatum, ut *secundum* proposi*tum* Dei ( ) transformetur *et* ad consummationem *perveniat.*

Ad num. 3

Pag. 6, lin. 1: Quapropter Concilium, fidem universi populi Dei, *a Christo congregati,* testificans et exponens, *ipsius* coniunctionem, ...

Pag. 6, lin. 11: Ideo *Sacra Synodus* ( ), ...

Pag. 6, linn. 15-16: Nulla ambitione terrestri mo*vetur* Ecclesia, sed unum tantum intendi*t*: ...

Ad num. 4

Pag. 10, linn. 1-2: Ad tale munus exsequendum, per *omne tempus* Ecclesiae officium ...

Pag. 10, linn. 14-15: ... quae *etiam* in vitam religiosam redundat.

Pag. 10, linn. 18-19: Proprii *animi* intim*iora altius* penetra*re satagens,* saepe de seipso magis incertus apparet.

Pag. 10, linn. 23-24: ... et tamen adhuc ingens pars incolarum orbis fame *et egestate* torquetur *atque* innumeri litterarum ignorantia plane laborant. [89]

Pag. 10, linn. 31-32: Dum idearum communicatio augetur, ...

Ad num. 5

Pag. 11, linn. 8-9: ...ex illis scientiis profluentes, *crescens pondus acquirant.*

Ad num. 6

Pag. 11, lin. 39: socialis a *saeculis* constitutas penitus transformans.

Pag. 12, linn. 1-3: *Sic* necessitudines hominis cum similibus suis indesinenter multiplic*antur* ( ) *ac simul ipsa* « *socializatio* » *novas necessitudines inducit,* quin tamen congruentem *personae maturationem et relationes vere personales* (« personalizationem ») semper promoveat.

Pag. 12, linn. 4-5: ... quae commodis progressus oeconomici ... [90]

Pag. 12, linn. 8-9: ... simul motum experiuntur ad maturius *magisque personale* libertatis exercitium.

Pag. 12, linn. 10-11: Nec parvipendendum est *quot* homines, *ex* variis causis, ad migrandum induc*ti, vitae suae rationem immutent.*

Ad num. 7

Pag. 12, linn. 14-15: ... immo angore rebelles fiunt, *et conscii de proprio momento in vita sociali, citius in eadem partes habere cupiunt. Exinde non raro parentes et educatores in muneribus suis adimplendis in dies maiores difficultates experiuntur.*

Pag. 12, lin. 20: ... acrior diiudicandi facultas eam *a magico mundi conceptu et* a superstitionibus ...

Pag. 12, lin. 29: ... et historiae interpretationem, *ipsasque leges civiles* afficiunt ita ut exinde multi perturbentur.

Ad num. 8

Pag. 12, linn. 31-34: Tam rapida rerum *mutatio* inordinate saepe *progrediens,* immo et ipsa discrepantiarum in mundo vigentium acrior conscientia, contradictiones et inaequilibria gi*gnunt* vel au*gent.*

Pag. 12, lin. 40: ... et requisita cogitationis personalis, *immo contemplationis. Oritur tandem inaequilibrium inter activitatis humanae specializationem et universalem rerum visionem.*

Pag. 12, lin. 42: ... oeconomicis et socialibus, sive *ex difficultatibus* inter generationes.

[90] Pag. 13, linn. 1-2: ... quae sibi subsequuntur *exsurgentibus,* sive ex novis necessitudinibus socialibus inter vi*ros* ac mulie*res.*

Pag. 13, linn. 3-4: *Magnae* oriuntur etiam discrepantiae inter stirpes, immo inter varii generis societatis ordines.

Pag. 13, linn. 5-7: ... ex pacis desiderio populorum exorta, et ambitionem propriae ideologiae disseminandae *nec non cupiditates collectivas in nationibus aliisve coetibus existentes.*

Ad num. 9

Pag. 13, lin. 18: Nationes in via progressus sicut *illae* recenter ...

Pag. 13, lin. 21: ... in dies augetur earundem distantia *simul ac* persaepe dependentia *etiam* ...

Pag. 13, linn. 23-24: Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, *paritatem de iure et de facto* cum viris.

Pag. 13, linn. 27-28: Nunc primum in historia humana *universi* populi iam persuasum sibi habent culturae beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

[91] *Ad num. 10*

Pag. 14, lin. 9: Plurimi sane, *quorum* vita materialismo practico ...

Pag. 14, linn. 17-18-19: qui, existentiam humanam *omnis* significationis propriae expertem existimantes, ei *totam* significationem ex *solo* proprio ingenio conferre nituntur.

Pag. 14, linn. 22-23: ... quae *quamquam* tant*us* progressus *factus est,* subsistere pergunt?

Pag. 14, linn. 29-34: Similiter credit clavem, centrum et finem ( ) totius humanae historiae in Domino ac Magistro suo inveniri. *Affirmat insuper Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur quaeque fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula.* Sub lumine *ergo* Christi, Imaginis Dei invisibilis, Primogeniti omnis creaturae, Concilium, ad mysterium hominis illustrandum atque ad *cooperandum in solutionem praecipuarum quaestionum nostri temporis inveniendam,* omnes alloqui intendit.

QUAESITUM I

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Prooemium et Partem introductivam Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

CORRECTIONES ADMISSAE [92]

IN CAPITE I, PRIMAE PARTIS

Ad num. 11

Pag. 19, linn. 10-11: Hi enim valores, prout ex *hominis ingenio eidem* divinitus collato procedunt, ...

Ad num. 12

Pag. 20, linn. 8-9: ... nam inde a primordiis « masculum et feminam creavit eos » (*Gen.* 1, 27), *quorum* consociatio primam formam efficit communionis personarum ( ).

Ad num. 13

Pag. 20, linn. 16-17: In iustitia a Deo constitutus, homo *tamen,* sua*dente* Maligno, inde ab exordio historiae, ...

Pag. 20, linn. 21-22: Quod Revelatione divina nobis innotescit, cum ipsa experientia *concordat.*

Pag. 20, linn. 24-27: Deum tamquam principium suum *saepe* agnoscere renuens *etiam debitum* ordinem ( ) ad finem *suum ultimum,* simul ac totam suam sive erga seipsum sive erga alios homines *et omnes res creatas* ordinationem, disrupit.

Pag. 20, linn. 29-30: ... et quidem dramaticam se exhibet inter *bonum et malum,* inter *lucem et tenebras* ( ).

Ad num. 14

Pag. 21, lin. 6: ... cum se rebus *corporalibus superiorem* agnoscit ...

Ad num. 15

Pag. 21, linn. 18-19: ... artibus technicis *et liberalibus* sane profecit.

Ad num. 16

Pag. 22, linn. 1-8: *Conscientia est nucleus secretissimus atque sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius. Conscientia modo mirabili illa lex innotescit,* quae in Dei et proximi dilectione adimpletur. *Fidelitate erga conscientiam* christiani cum ceteris hominibus coniun*guntur ad veritatem inquirendam et tot problemata*

[92] *moralia, quae* tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsu*rgunt, in veritate solvenda. Quo magis ergo conscientia recta praevalet, eo magis personae et coetus a caeco arbitrio recedunt et* normis obiectivis
[93] moralitatis conformari *satagunt.* Non raro tamen evenit ex ignorantia invincibili ( ) conscientiam errare, *quin inde suam dignitatem amittat. Quod autem dici nequit cum homo de vero ac bono inquirendo parum curat, et conscientia* ex peccati consuetudine paulatim fere obcaeca*tur.*

Ad num. 17

Pag. 22, linn. 16-19: Dignitas igitur hominis requirit ut secundum *consciam et liberam* electionem agat, personaliter *scilicet* ab intra motus et inductus, et non sub *caeco* impulsu interno vel *sub mera externa coactione.*

Ad num. 19

Pag. 23, linn. 9-11: ... non enim existit, nisi quia, a Deo ex amore creatus, semper *ex amore conservatur* nec *plene* secundum veritatem vivit, nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat.

Pag. 23, lin. 28: bonis *indebite adiudicata,* ita ut ista iam ...

Ad num. 20

Pag. 24, lin. 9: ... doctrinae fav*ere potest* sensus ...

Ad num. 21

Pag. 24, lin. 23: omni firmitate reprobet, *sicut antehac reprobavit.*[16]

Pag. 24, linn. 25-26: quas atheismus excitat conscia *necnon caritate erga omnes homines ducta,* eas serio ...

Pag. 25, lin. 19: ... templum extruere sinantur. *Atheos autem humaniter invitat ut Evangelium Christi corde aperto considerent.*

Ad num. 22

Pag. 26, lin. 12: ... et mortalia corpora vestra *propter inhabitantem Spiritum eius in vobis* (*Rom.* 8, 11).

QUAESITUM II

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput Primum Partis Primae Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

CORRECTIONES ADMISSAE [94]

In capite II, Primae Partis

Ad num. 24

Pag. 32, lin. 17: Deus, *qui* paterna*m* cura*m omnium habet,* voluit ut cuncti homines unam ...

Pag. 32, lin. 21: eumdemque finem, *id est ad Deum ipsum,* vocantur.

Pag. 32, linn. 29-36: Immo *Dominus Iesus, quando Patrem orat ut « omnes unum sint, sicut unum sumus »* (*Io.* 17, 22), prospectus praebens *humanae* rationi impervios, ( ) *aliquam* similitudinem *innuit inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate. Haec similitudo manifestat* homi*nem, qui* in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, *plene* seip*sam* invenire *non* poss*e* nisi *sincerum suiipsius donum* (cf. *Lc.* 17, 33).

Ad num. 25

Pag. 33, lin. 6: indigeat. *Cum igitur vita socialis non sit homini quid adventicium, ideo* commercio ...

Pag. 33, lin. 15: ... unde diversa oriuntur *consociationes et* instituta sive publici ...

Pag. 33, lin. 20: ... ex hac vita sociali multum accipiunt, *negari tamen nequit* homines ...

Ad num. 26

Pag. 33, lin. 32: ... — seu summam *earum vitae socialis* condicionum ...

Pag. 33, lin. 43: ... ut sunt victus, vestitus, habitatio, ius *ad statum vitae libere eligendum et ad familiam condendam,* ad educationem, *ad laborem,* ad bonam famam, ad reverentiam, ad congruam informationem, ad agendum iuxta rectam suae conscientiae normam, ad vitae privatae protectionem atque ad iustam libertatem *etiam in re religiosa.*

Pag. 34, lin. 6: ... ipso Domino *id* innuente *cum dixerit* sabbatum ...

Pag. 34, linn. 10-11: Ad haec autem implenda *mentis renovatio atque* amplae societatis immutationes inducendae sunt.

Ad num. 27

Pag. 34, linn. 17-18: ... Concilium reverentiam inculcat erga hominem, *ita ut* singuli *proximum, nullo excepto, tamquam* « alterum seipsum » ...

[95] Pag. 34, linn. 24-25: ... sive alienigena operarius *iniuste* despectus, *sive exsul,* vel infans *ex illegitima unione natus, immerito* patiens propter peccatum ...

Pag. 34, lin. 34: ... deportationes, *servitus,* prostitutio ...

Ad num. 28

Pag. 35, lin. 2: ... quo magis quidem *humanitate* et caritate modos ...

Pag. 35, lin. 5: Immo caritas ipsa *discipulos Christi* urget ad ...

Ad num. 29

Pag. 35, lin. 18: anima rationi pollentes *et* ad imaginem Dei ...

Pag. 35, lin. 22: agnoscenda *est.*

Pag. 35, linn. 31-32: vitae statum amplec*t*endi, vel ad *parem* educationem et culturam quae viro *agnoscitur* accedendi.

Pag. 35, linn. 36-37: ... postulat ut ad *humaniorem et aequam vitae condicionem* deveniatur.

Pag. 35, lin. 42: ac fini hominis *subservire* nitantur ...

Ad num. 30

Pag. 36, linn. 7-9: adimpletur *per hoc quod unusquisque, ad bonum commune iuxta proprias capacitates et aliorum necessitates conferens, etiam,* institutiones sive publicas sive privatas promove*t* et adiuva*t* quae hominum ...

Pag. 36, linn. 13-14: Alii normas *quasdam vitae socialis, e. g.* ad valetudinem ...

Pag. 36, linn. 15-16: ... se tali incuria vitae *suae et* aliorum periculum *inferre.*

Pag. 36, lin. 20: ... paulatim extendentur. *Quod fieri nequit nisi et singuli homines et ipsorum coetus virtutes morales et sociales in seipsis colant et in societate diffundant, ita ut vere novi homines et artifices novae humanitatis exsistant cum necessario auxilio divinae gratiae.*

Ad num. 31

Pag. 36, lin. 29: ... sensum homo *vix* pervenit ...

Pag. 36, lin. 32: Humana vero libertas *saepe* debilior fit ...

Pag. 36, lin. 40: ... pars quam maxima civium *in vera libertate* rerum publicarum ...

Pag. 37, lin. 5: ... rationes tradere *valent.*

Ad num. 32 [95]

Pag. 37, lin. 12: ... ut membra cuiusdam *communitatis.*

Pag. 37, lin. 14: ... in Sinai foedus *pepigit.*

Pag. 37, lin. 22: ... legibus suae patriae *voluntarie* subditus.

Pag. 37, linn. 25-26: In sua oratione rogavit ut omne*s* discipul*i* su*i* [96]
unum esse*nt. Immo Ipse usque ad mortem sese pro omnibus obtulit, omnium Redemptor.* « *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* » (*Io.* 15, 13).

Pag. 37, lin. 31: ... in Corpore scilicet suo, *quod est Ecclesia,* in quo omnes ...

QUAESITUM III

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput Secundum Partis Primae Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

CORRECTIONES ADMISSAE [97]

In Capite III, Primae Partis

Ad num. 33

Pag. 42, linn. 1-6: Suo labore ... conatus est; hodie autem ... suum dominium in universam pene naturam dilatavit ac *continuo dilatat, et* adiuvantibus imprimis auctis inter nationes *multimodi* commercii mediis, familia humana paulatim tamquam unam in universo mundo *communitatem* sese agnosc*it* atque constituit. *Quo fit,* ut multa bona, quae olim a *supernis viribus praesertim* exspectabat, hodie iam propria industria sibi procuret.

Pag. 42, linn. 10-17: Coram ... hoc conamine, ... multae exsurgunt ... interrogationes. Qui*s*nam *est* illius operositatis sensus et valor? Quomodo omnibus his *rebus* utendum *est?* Ad quem finem assequendum nisus sive singulorum sive societatum tend*u*nt? Ecclesia, *quae depositum verbi Dei custodit, ex quo principia in ordine religioso et morali hauriuntur,* quin *semper* de singulis quaestionibus responsum in promptu habeat, lumen revelationis cum omnium peritia coniungere *cupit,* ut iter illuminetur, quod humanitas ingreditur.

Ad num. 34

Pag. 42, linn. 18-22: Hoc credentibus ratum est, navit*atem* huma*nam* individual*em* et collectiv*am,* seu ingens *illud* conam*en, quo* homines decursu saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare *satagunt,* in seip*so* considerat*um,* Dei *proposito* responder*e.*

[97] Pag. 42, linn. 25-26: ... ad Ipsum referre*t,* ita ut rebus omnibus etc.

Pag. 42, lin. 28: *Quod* etiam opera penitus quotidiana respicit. Viri n*amque et* mulieres etc.

Pag. 42, linn. 34-35: Christiani itaque, nedum arbitrentur (...) opera, quae homines suo ingenio et virtute pepererunt etc.

Pag. 43, linn. 2-7: Quo magis ... potentia crescit, eo latius illorum responsabilitas, sive singul*orum* sive *communitatum* extenditur. Unde apparet christian*o* nunti*o* homines ab exstruendo mundo *non* aver*ti, nec* ad bonum sui similium negligendum impe*lli,* sed potius officio haec operandi *arctius* obstring*i.*

Ad num. 35

Pag. 43, linn. 8-10: [De humana navitate ordinanda]. (...) Humana *vero* navit*as,* sicut ex homine procedit, ita ad hominem ordinatur.

Pag. 43, linn. 15-18: Pariter, omnia quae homines ad maiorem iusti-
[98] tiam, ampliorem fraternitatem, *humanioremque ordinationem* in socialibus *necessitudinibus* obtinendam agunt, *plus* quam progressus technici valent. *Hi* enim progressus etc.

Pag. 43, linn. 21-24: *Unde haec est* human*ae* navita*tis* nor*ma, quod* iuxta consilium et volunta*tem* divi*nam* cum ... bono congruat, et homini ... suae vocationis ... impletionem *permittat.*

Ad num. 36

Pag. 43, linn. 25-31: Multi tamen coaevi nostri timere videntur, ne *ex* arct*iore* human*ae* navit*atis* et religi*onis* coniun*ctione* autonomia hominum vel societatum vel scientia*rum* impediatur.

Si per terrenarum rerum autonomiam intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus *valoribusque* gaudere, ab homine gradatim dignoscendis, *adhibendis et ordinandis,* eamdem exigere omnino fas est etc.

Pag. 43, lin. 36: Ideo, inquisitio methodica..., si *modo* vere scientifico ... procedit etc.

Pag. 43, lin. 40: ... quasi manu Dei ducitur etc.

Pag. 43, lin. 41; pag. 44, lin. 2: Hinc deplorare liceat quosdam animi habitus (...), qui aliquando inter christianos ipsos, *ob non satis perspectam legitimam scientiae autonomiam,* non defuerunt et ... animos eo perduxerunt ut fidem et scientiam inter se oppo*ni censerent.*

Ad num. 37 [98]

Pag. 44, linn. 12-16: Sacra vero Scriptura ... edocet progressum humanum, qui magnum hominis bonum est, *magnam tamen tentationem* secumferre: ordine *enim* valorum turbato ... singula ... propria ... considerant, non vero aliorum. *Quo fit* ut mundus non iam spatium verae fraternitatis exsistat, etc.

Pag. 44, linn. 18-23: Univers*am* enim hominum histori*am* ardua colluctatio *contra potestates* tenebr*arum pervadit*, quae inde ab origine *mundi* incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino,[8] perseverabit. In hanc pugnam insertus, homo ut bono adhaereat iugiter certare *debet,* nec sine magnis laboribus, *Dei gratia adiuvante,* in seipso unitatem obtinere valet.

Pag. 44, linn. 30-34: Si quis ergo quaerit qua ratione miseria illa superari po*ssit,* christi*ani* profite*ntur,* omnes hominis navitates, *quae per* superbi*am* et inordinat*um* sui ipsius amor*em cotidie* in discrimine versantur, Chris*ti cruce et resurrectione* purifica*ndas* et ad perfectionem deduce*ndas esse.*

Pag. 44, linn. 37-39: Pro illis Benefactori gratias agens et in paupertate et libertate spiritus creaturis utens ac *fruens,* ad veram possessionem *mundi* introducitur etc.

Ad num. 38 [99]

Pag. 45, linn. 7-8: Simul monet hanc caritatem non in *solis magnis rebus* sectandam esse, sed imprimis etc.

Pag. 45, lin. 12: Christus, cui omnis potestas in cae*lo* et in terra data est etc.

Pag. 45, lin. 14: Christus ... operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitans, sed *eo ipso* illa etiam generosa vota animans etc.

Pag. 45, linn. 21-23: Omnes tamen liberat ut, proprio amore abnegato, omnibus*que* terrenis viribus in vitam humanam assumptis, ad futura se extendant, *quando* humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo.[14]

Pag. 45, linn. 24-27: Cuius spei arrham *et itineris viaticum* Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem glorios*um convertuntur,* coena communionis fraternae et caelestis convivii praelibatione.

Ad num. 39

Pag. 45, linn. 28-42: Consummandae terrae ac humanitatis tempus *ignoramus,*[15] nec novimus modum *universi transformandi.* Trans*it* quidem figura huius mundi per peccatum deformata,[16] *sed* docemur Deum

[99] novam habitationem novamque terram parare in qua iustitia habitat,[17] *et cuius* beatitu*do* omnia pacis desideria, quae in cordibus hominum ascendunt, *implebit ac* supera*bit*.[18] Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, *et id quod seminatum fuit in infirmitate ac corruptione, incorruptionem induet*; [19] et, manente caritate eius*que opere,*[20] a servitute vanitatis liberabitur tota creatura illa,[21] quam Deus propter hominem creavit.

Monemur nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat.[22] Exspectatio tamen novae terrae extenuare non debet, *sed potius excitare,* sollicitudinem hanc terram *excolendi,* in qua corpus illud novae *familiae* human*ae* crescit, et *quae aliqualem* in umbris novi saeculi delineationem iam praebere valet.

Pag. 45, lin. 42; pag. 46, lin. 2: Ideo, licet *progressus terrenus* a Regni *Christi* augmento *sedulo* distinguendus sit, *inquantum tamen ad* societa*tem* human*am melius ordinandam conferre potest,* Regn*i* Dei *magnopere* interest.[23]

Pag. 46, linn. 3-5: Bona enim..., hos omnes scilicet bonos naturae *ac industriae* nostrae fructus, postquam in terris *ex Spiritu Domini* et iuxta *eius* mandatum propagaverimus, postea denuo inveniemus etc.

QUAESITUM IV

An placeat expensio facta a Commissione Mixta circa Modos, Caput III Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis, Partis I, respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[100]

CORRECTIONES ADMISSAE

In Capite IV, Primae Partis

Ad num. 40

Pag. 50, linn. 5-6: *Ideo in h*oc capite, *omnibus praesuppositis ab hoc Concilio de mysterio Ecclesiae iam edictis, eadem* Ecclesia *nunc consideranda venit prout ipsa* in hoc mundo exsistit *et cum eo vivit atque agit.*

Pag. 50, linn. 7-12: Procedens ex amore Patris *aeterni,*[2] *in tempore fundata a Christo Redemptore, coadunata in Spiritu Sancto,*[3] Ecclesia finem salutarem et eschatologicum habet, *qui nonnisi in futuro saeculo plene attingi potest. Ipsa autem iam hic in terris adest, ex hominibus collecta, terrestris nempe civitatis membris quae ad hoc vocantur ut iam* in generis humani historia familia*m* filiorum Dei, usque ad adven-

tum Domini *semper augendam, efforment. Unita quidem propter bona* [100]
caelestia iisque ditata, haec familia a Christo « in hoc mundo ut societas constituta et ordinata »[4] *est atque « aptis mediis unionis visibilis et socialis »*[5] *instructa. Ita Ecclesia, insimul « coetus adspectabilis et communitas spiritualis »,*[6] *una cum tota humanitate incedit eamdemque cum mundo sortem terrenam experitur, et tamquam fermentum et* veluti anima societatis humanae[7] in Christo renova*ndae et familiam Dei transformandae existit.*

Pag. 50, linn. 13-20: *Hae*c quidem terrestris et caelestis civitatis compenetratio nonnisi fide *percipi* potest, *immo* mysterium manet historiae humanae, quae usque ad plenam revelationem claritatis filiorum Dei peccato pertur*ba*tur. Ecclesia *quidem,* proprium suum finem *salutarem* persequens, *non solum vitam divinam cum homine communicat, sed etiam lumen eius repercussum quodammodo super universum mundum fundit, potissimum per hoc quod personae humanae dignitatem, sanat et elevat, societatis compaginem, firmat atque cotidianam hominum navitatem profundiori sensu et significatione imbuit.* Ita Ecclesia per singula sua membra et totam suam communitatem multa conferre posse credit ad *hominum familiam* eiusque historiam *humaniorem reddendam.*

Libenter insuper Ecclesia Catholica ea magni aestimat quae ad idem munus adimplendum aliae Ecclesiae christianae vel communitates ecclesiasticae socia opera contulerunt ac conferunt. Simul sibi firmiter persuasum *habet* se multum *varioque modo* a mundo, *sive a singulis hominibus sive ab humana societate, eorum dotibus ac navitate, in praeparatione Evangelii* iuvari posse. Mutui huius *commercii atque adiutorii in illis* [101]
quae Ecclesiae et mundo quodammodo sunt communia, rite promovendi, principia quaedam *generalia ex*ponuntur.

Ad num. 41

Pag. 50, linn. 24-26: *Cum autem* Ecclesiae concreditum *sit* manifestare mysterium Dei, qui est ultimus finis hominis, ipsa homini simul aperit sensum propriae eius existentiae, *intimam* scilicet de homine veritatem.

Pag. 50, lin. 29: Novit praeterea hominem, incessanter a Spiritu Dei *incitatum,* ...

Pag. 51, linn. 8-19: ... Nulla lege humana personalis dignitas atque libertas hominis *tam apte* in tuto collocari possunt quam Evangelio Christi Ecclesiae concredito. *Hoc enim* Evangelium libertatem filiorum Dei annuntiat et proclamat, omnem servitutem ex peccato ultimatim fluentem respuit,[8] dignitatem conscientiae eiusque liberam decisionem

[101] sancte veretur, omnia talenta humana in Dei servitium hominumque *bonum* reduplicare indesinenter monet, omnes denique omnium commendans caritati.[9] *Hoc legi fundamentali oeconomiae christianae correspondet. Etsi* enim *idem Deus sit Salvator qui et Creator, idem quoque Dominus* et historiae *humanae* et historiae salutis, *tamen in hoc ipso ordine divino iusta creaturae autonomia et praesertim hominis nedum* auferatur, potius in suam dignitatem *restituitur atque in ipsa firmatur.*

Pag. 51, linn. 22-26: ... Qu*i* mot*us* tamen spiritu Evangelii imbue*ndus* et *adversus omnem falsam autonomiam tutandus est.* Tentationi enim subii*cimur,* iudicandi *nostra* iura personalia tunc tantum plene servari, cum ab omni norma Legis divinae sol*vimur.*

Ad num. 42

Pag. 51, linn. 28-43, pag. 52, linn. 1-15: (De adiutorio quod Ecclesia societati humanae afferre *satagit*). Unio familiae humanae unita*te* familiae filiorum Dei in Christo funda*ta*[10] *multum roboratur et* comple*tur.*

Missio *quidem propria, quam* Christus Ecclesiae suae concredidit, *non est* ordinis politici, oeconomici *vel* socialis: finis *enim* quem ei praefixit ordinis religiosi[11] est. At sane ex hac ipsa missione religiosa *munus,* lux et vires fluunt quae *communitati* hominum *secundum Legem divinam* constituenda*e* et firmanda*e* inservire possunt. *Item, ubi opus fuerit, secundum temporum et locorum circumstantias, et ipsa*
[102] *suscitare potest, immo et debet opera in servitium omnium, praesertim vero egentium destinata, uti opera misericordiae vel alia huiusmodi.*

Ecclesia *insuper* agnoscit quidquid boni in dynamismo sociali hodierno invenitur: *praesertim* evolutionem versus unitatem, processum sanae socializationis et consociationis civilis et oeconomicae. Promo*tio* enim unitatis cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum ipsa sit « in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[12] Ita ipsa mundo ostendit veram unionem socialem externam ex unione *mentium et* cordium fluere, ex illa scilicet *fide et* caritate, *quibus* in Spiritu Sancto eius unitas indissolubilitate condita est. *Vis enim, quam Ecclesia hodiernae hominum societati inicere valet, in illa fide et caritate, ad effectum vitae adductis, consistit, non autem in dominio aliquo externo mediis mere humanis exercendo.*

Cum insuper vi suae missionis et natura*e* ad nullam alligetur particularem culturae humanae formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale, Ecclesia *ex hac sua universalitate ligamen arctissimum inter*

diversas hominum communitates et nationes exsistere potest, dummodo ipsae ei fidant eiusque veram libertatem ad hanc suam missionem adimplendam reapse agnoscat. Qua de causa Ecclesia filios suos, sed etiam omnes homines monet, ut in hoc familiali spiritu filiorum Dei, omnes dissensiones inter nationes et stirpes superent et *iustis* associationibus humanis internam firmitatem praebeant. [102]

Quaecumque *igitur* vera, bona, iustaque inveniuntur in diversissimis institutionibus, quae genus humanum sibi condidit incessanterque condit, *eadem Concilium magna cum reverentia considerat.* Declarat insuper Ecclesiam omnes tales institutiones adiuvare et promovere velle, quatenus *hoc* ab ea dependet et cum eius missione coniungi potest. *Ipsa* nihil ardentius desiderat quam ut omnium bono inserviens, se *libere* sub quovis regimine evolvere possit, quod iura fundamentalia personae ac familiae et boni communis necessitates agnoscat. ( ).

Ad num. 43

Pag. 52, linn. 16-17: (De adiutorio quod Ecclesia per christianos navitati humanae conferre *satagit*).

Pag. 52, linn. 24-25: ... At non minus errant qui, e contrario, opinentur sese *ita* negotiis terrestribus immergere posse...

Pag. 52, linn. 29-32: ... Scandalum hoc iam in Vetere Testamento Prophetae vehementer redargu*ebant* [15] et multo magis in Novo Testamento ipse Iesus Christus gravibus poenis mina*batur.*[16]

Pag. 52, linn. 34-36: ... Christianus, officia sua temporalia negligens, officia sua erga *proximum, immo et* ipsum Deum negligit suamque aeternam salutem in discrimen adducit. [103]

Pag. 53, linn. 1-9: Libenter cum hominibus eosdem fines *pro*sequentibus cooperabuntur. Agnoscentes exigentias fidei eiusque virtute praediti, ( ) incunctanter, ubi oportet, nova incepta excogitent atque ad effectum deducant. *Ad ipsorum* conscientiam iam apte formatam spect*at*, ut lex divina in civitatis terrenae vita inscribatur. A sacerdotibus vero *laici lucem ac* vim spiritualem exspectent. Ne*que tamen ipsi* censeant pastores suos semper *adeo* peritos esse ut, in omni quaestione exsurgent*e*, etiam gravi, *solutionem concretam* in promptu habere queant ...

Pag. 53, lin. 22: *Laici vero, qui in tota vita Ecclesiae actuosas partes gerendas habent, non solum mundum spiritu christiano imbuere tenentur, sed etiam ad hoc vocantur ut in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi sint testes.*

Episcopi vero ...

[103] Pag. 53, linn. 30-33: ... Studiis assiduis se ita aptos reddant, ut *in* dialogo cum mundo et hominibus cuiuscumque opinionis *instituendo partes suas agere* possint. Imprimis vero in corde verba huius *Concilii* habeant: ...

Pag. 53, linn. 42-43: ... *E*tiam hac nostra aetate Ecclesiam non fugit, *quantum inter se distent* nuntiu*s* a se prolatu*s et* human*a* debili*tas eorum quibus Evangelium concreditur.*

Pag. 54, lin. 2: *Pariter novit Ecclesia quantopere ipsa, in sua cum mundo relatione excolenda, ex saeculorum experientia iugiter maturescere debeat. A* Spiritu Sancto *ducta,* Ecclesia Mater ...

Ad num. 44

Pag. 54, linn. 9-12: Praeteritorum saeculorum experientia, scientiarum profectus thesauri in variis culturae humanae formis absconditi, *quibus* ipsius hominis natur*a* plenius manifesta*tur* nova*e*que via*e* ad veritatem aperiun*tur, Ecclesiae quoque prosunt. Ipsa enim, inde ab initio suae historiae, nuntium Christi, ope conceptuum et linguarum diversorum populorum, exprimere didicit, eumdemque sapientia insuper philosophorum illustrare conata est: in hunc finem nempe ut Evangelium tum omnium captui tum sapientium exigentiis, in quantum par erat, aptaret. Quae quidem verbi revelati accommodata praedicatio lex omnis evangelizationis permanere debet. Ita enim in omni natione facultas nuntium Christi suo modo exprimendi excitatur simulque vivum commercium inter Ecclesiam et diversas populorum culturas promovetur.*[22]
[104] *Ad tale commercium augendum* Ecclesia, ( ) imprimis nostris temporibus ...

Pag. 54, linn. 21-28: Ecclesia, cum visibilem structuram socialem, signum quidem suae *unitatis* in Christo habeat, etiam ab evolutione vitae socialis humanae ditari potest et ditatur, *non quasi aliquid in constitutione a Christo sibi data deesset, sed ad eamdem profundius cognoscendam, melius exprimendam atque temporibus nostris felicius accommodandam.* Ipsa grato animo percipit se, in sua communitate non minus quam in singulis suis filiis varium adiutorium ab hominibus cuiusvis gradus vel condicionis accipere. *Quicumque enim communitatem humanam in ordine familiae, culturae, vitae oeconomicae et socialis, necnon politicae, tam nationalis quam internationalis promovent, secundum consilium Dei communitati quoque Ecclesiali, in quantum haec ab externis dependet, adiutorium non parvum afferunt. Immo Ecclesia,* ex ipsa oppositione eorum qui ei adversantur vel eam persequuntur, ( ) se multum profecisse et proficere posse fatetur.[23]

QUAESITUM V [104]

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput IV primae Partis Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

CORRECTIONES ADMISSAE [105]

In Capite I, Secundae Partis

Ad num. 50 (nunc 46)

Pag. 5, linn. 2-4: persona hominis necnon ad quodnam munus, sive *individuale* sive *sociale,* in universo mundo adimplendum sit vocat*a,* sub ( ) luce Evangelii ...

Pag. 5, linn. 9-10: coniunctionem familiae populorum et pacem. Circa *haec* singula ...

Ad num. 51 (nunc 47)

Pag. 5, lin. 17: in *hac* communitate.

Pag. 5, linn. 23-24: amor nuptialis saepius egoismo, hedonismo *et illicitis usibus contra generationem* profanatur.

Pag. 5, lin. 25: non leves *in* ( ) famili*am* perturbationes ...

Pag. 6, linn. 5-7: qui ( ) stat*us* matrimoni*alis* dignitatem nativam *eiusque* eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur.

Ad num. 52 (nunc 48)

Pag. 6, lin. 13: intuitu boni *tum coniugum et prolis* tum societatis ...

Pag. 6, linn. 13-14: hoc vinculum ... non ( ) *ex* ( ) humano arbitrio pendet ...

Pag. 6, lin. 15: praediti.[1]

Pag. 6, lin. 16: pro ... *profectu* personali ...

Pag. 6, linn. 17-18: pro *dignitate,* stabilitate, pace et prosperitate *ipsius familiae* totius*que* humanae societatis maximi sunt momenti.

Pag. 6, linn. 18-20: *Indole autem sua naturali* ipsum ( ) institutum matrimonii amorque coniugalis ( ) *ad* procreatione*m* et educatione*m* prolis *ordinantur iisque* veluti suo fastigio coronantur.

Pag. 6, lin. 20: vir itaque et *mulier* ...

Pag. 6, lin. 21: qui foedere ( ) coniugal*i* ...

[105] Pag. 6, linn. 24-26: Quae intima unio, utpote mutua duarum personarum donatio, *sicut et bonum liberorum,* plenam coniugum fidem exi*gunt* atque indissolubilem *eorum* unitatem urge*nt.*[2]

Pag. 6, lin. 30: occurrit.[3]

Pag. 6, lin. 31: sponsus.[4]

Pag. 6, lin. 33: tradidit.[5]

Pag. 6, lin. 34: se invicem perpetu*a fidelitate* diligant.

Pag. 6, linn. 34-36. Germanus amor coniugalis in divinum amorem assumitur atque virtute redemptiva Christi et salvifica actione Ecclesiae regitur ac ditatur ut *coniuges* efficaciter ad Deum du*cantur atque in sublimi munere patris et matris adiuventur et confortentur.*[6]

[106] Pag. 6, linn. 37-41: ... peculiari sacramento[7] roborantur et veluti consecrantur; cuius virtute munus suum coniugale *et familiale* explentes, *spiritu Christi imbuti, quo tota eorum vita, fide, spe et caritate pervaditur, magis ac magis* ad propriam suam ( ) perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt.

Pag. 6, lin. 42: exemplo et oratione *familiali* praegredientibus.

Pag. 6, lin. 43: *humanitatis,* salutis atque sanctitatis viam facilius invenient.

Pag. 7, lin. 7: *Viduitas, in continuitate vocationis coniugalis forti animo assumpta, ab omnibus honoretur.*[8]

Pag. 7, linn. 9-10: cum e matrimonio, *quod est* imago et participatio foederis dilectionis Christi et Ecclesiae, exoriatur.[9] ...

Ad num. 53 (nunc 49)

Pag. 7, lin. 16: foveant.[10]

Pag. 7, lin. 21: animique *expressiones* ...

Pag. 7, lin. 23: sanare, *perficere et elevare* ...

Pag. 7, lin. 26: pervadit.[11]

Pag. 7, lin. 28: eroticam (sine uncis).

Pag. 7, lin. 34: Amor ille *mutua* fide ratus ...

Pag. 7, linn. 37-38: tum viri, *agnoscenda* in mutua atque plena dilectione, unitas matrimonii ... (ordo mutatur).

Pag. 8, lin. 6: apte *et tempestive instruendi sunt.*

Ad num. 54 (nunc 50)

Pag. 8, lin. 10: ... ordinantur. (Additio:) *Filii sane sunt praestantissimum matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt. Ipse Deus qui dixit:* « *non est bonum hominem esse solum* » (*Gen.* 2, 18) *et* « *qui hominem ab initio masculum et feminam fecit* »

(*Mt.* 19, 14), *volens ei participationem specialem quamdam in Suiipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens*: « *crescite et multiplicamini* » (*Gen.* 1, 28). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens *non posthabitis ceteris matrimonii finibus* ... [106]

Pag. 8, linn. 14 ss.: vide pag. 9, lin. 1.

Pag. 8, linn. 28-29: condiciones tum *materiales* tum *spirituales* ...

Pag. 8, linn. 30-31: Hoc iudicium ipsi ultimatim coniuges ( ) coram Deo ferre debent.

Pag. 8, lin. 33: ips*i* leg*i* divin*ae conformanda* ...

Pag. 8, linn. 35-37: Lex illa divina *plenam amoris coniugalis significationem ostendit, illum protegit* et ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit.

Pag. 8, lin. 37: Ita *coniuges christiani* ...

Pag. 8, lin. 38: excolentes,[12] Creatorem glorificant *atque ad* perfectionem in Christo *contendunt* ... [107]

Pag. 9, lin. 1: suscipiunt.[13]

Matrimonium *vero* ( ) non est tantum ... indissolubilitatem servat (ex pag. 8, linn. 14-20).

Pag. 9, linn. 1-2: « Qui omnes ... augmentum » supprimitur.

Ad num. 55 (nunc. 51)

Pag. 9, lin. 12: solutiones ( ) *inhonestas* ...

Pag. 9, lin. 17: commisit, modo homin*i digno* adimplendum.

Pag. 9, linn. 17-18: Vita igitur inde *a conceptione,* maxima cura tuenda est ...

Pag. 9, linn. 19-20: *Indoles vero sexualis hominis necnon* humana *generandi* facultas ( ) mirabiliter exsupera*nt* ea quae in inferioribus vitae gradibus habentur; *proinde* ...

Pag. 9, lin. 22: Moralis igitur indoles (ex inversione).

Pag. 9, linn. 25-26: obiectivis criteriis *ex* personae *eiusdemque actuum* natura *desumptis.*

Pag. 9, lin. 28: observant; *quod fieri nequit nisi virtus castitatis coniugalis sincero animo colatur.* Filiis Ecclesiae, his principiis *innixis,* in procreatione regulanda, vias inire *non licet,* quae a Magisterio, *in lege divina explicanda,* improbantur.

[107] *Ad num. 56* (nunc 52)

Mutationes verborum:

Pag. 9, lin. 34: *Familia schola quaedam uberioris humanitatis est. Ut autem vitae ac missionis suae plenitudinem attingere valeat, benevola animi communicatio communeque coniugum consilium necnon sedula parentum cooperatio in filiorum educatione requiruntur. Praesentia actuosa patris eorumdem efformationi magnopere prodest,* sed et (pag. 10, linn. 19-20) ... posthabeatur.

Pag. 9, lin. 42: magno *auxilio erunt.*

Pag. 10, lin. 1: biologicis, *medicis,* ...

Pag. 10, linn. 5-6: exercent ... *ad* promotione*m* ...

Pag. 10, linn. 7-9: « Cunctis infantibus ... educentur » supprimuntur.

Pag. 10, lin. 12: supprimitur comma post vocabulum « sacram ».

Pag. 10, lin. 15: in *fundanda* familia ...

Pag. 10, lin. 25: Ante « potestas civilis » ponatur: *Ita familia, in qua diversae generationes conveniunt ac sese mutuo adiuvant ad pleniorem sapientiam acquirendam atque iura personarum cum aliis vitae socialis exigentiis componenda, fundamentum societatis constituit.* Ideoque omnes qui *influxum in communitates et coetus sociales* ...

Pag. 10, lin. 25: potestas *civilis* ...

[108] Pag. 10, lin. 26: agnoscere ( ) protegere et *provehere,* ...

Pag. 10, lin. 28: Sacerdotum est, *debita de re familiari eruditione accepta,* ...

Pag. 10, lin. 31: in difficultatibus *roborare atque* sustentare.

Textus emendatus et iuxta modos 32, 38 et 118 in novo ordine compositus

Familia quaedam schola uberioris humanitatis est; ut autem vitae ac missionis suae plenitudinem attingere valeat, benevola animi communicatio communeque coniugum consilium necnon sedula cooperatio parentum in filiorum educatione requiruntur. Praesentia actuosa patris eorumdem efformationi magnopere prodest sed et (pag. 10, linn. 19-20) cura domestica matris qua liberi praesertim iuniores indigent in tuto ponenda est, quin legitima mulieris promotio socialis posthabeatur (pag. 10, linn. 11-18). Liberi ita educatione instruantur ut ad aetatem adultam provecti pleno responsabilitatis sensu vocationem etiam sacram sequi ac vitae statum eligere queant, in quo si nuptiis iungantur, familiam propriam, in condicionibus moralibus, socialibus et oeconomicis ipsi propitiis, condere possint. Parentum vel tutorum est se iunioribus, in

fundanda familia, prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne eos coactione directa vel indirecta ad matrimonium ineundum aut ad electionem compartis adigant. [108]

Ita familia, in qua diversae generationes conveniunt ac sese mutuo adiuvant ad pleniorem sapientiam acquirendam atque iura personarum cum aliis vitae socialis exigentiis componenda, fundamentum societatis constituit. Ideoque (pag. 10, linn. 5-7) omnes qui influxum in *communitates et coetus socia*les exercent, ad promotionem matrimonii et familiae efficaciter conferre debent. (pag. 10, linn. 25-27) Potestas civilis veram eorumdem indolem agnoscere, protegere et *provehere,* moralitatem publicam tueri atque prosperitati domesticae favere ut sacrum suum munus consideret. (pag. 10, linn. 7-9) Ius parentum prolem procreandi et *in sinu familiae* educandi tutandum est. *Provida legislatione variisque incoeptis* etiam illi protegantur *aptoque adiumento subleventur* qui bono familiae *infeliciter carent.*

(pag. 9, linn. 35-42) Christifideles, praesens tempus redimentes atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona matrimonii et familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt. Ad quem finem obtinendum sensus christianus fidelium, recta hominum conscientia moralis necnon sapientia ac peritia eorum qui in sacris disciplinis versati sunt magno auxilio erunt.[4]

(pag. 10, linn. 1-4) Qui scientiis, praecipue biologicis, *medicis,* socialibus et psychologicis eruditi sunt, multum bono matrimonii et familiae, pacique conscientiarum inservire possunt, si collatis studiis diversas condiciones honestae ordinationi procreationis humanae faventes, penitius elucidare conantur. [109]

(pag. 10, linn. 28-32) Sacerdotum est, *debita de re familiari eruditione accepta,* vocationem coniugum diversis mediis pastoralibus, verbi Dei praedicatione, cultu liturgico aliisque adiumentis spiritualibus in vita eorum coniugali et familiari fovere, eosque humaniter et patienter in difficultatibus *roborare* atque in caritate confortare ut vere radiosae familiae efformentur.

(pag. 10, linn. 22-25) Varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque coniuges, praecipue nuper iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam familialem, socialem et apostolicam formare satagent.

(pag. 10, linn. 33-38) Ipsi denique coniuges, ad imaginem Dei vivi facti et in vero ordine personarum constituti, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sint, ut Christum, vitae principium,

[109] secuti, in gaudiis et sacrificiis vocationis suae, per eorum fidelem amorem, illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit.

NOTAE

Ad n. 48.

[1] Cf. S. AUGUSTINUS, *De bono coniugii, PL* 40, 375-376 et 394; S. THOMAS, *Summa Theol.,* Suppl. Quaest. 49, art. 3 ad 1um; *Decretum pro Armenis*: DENZ.-SCHÖN., 1327; PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 547-548: DENZ.-SCHÖN. 3703-3714.

[6] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 15-16; 40-41; 47.

[8] Cf. *1 Tim.* 5, 3.

Ad n. 50.

[13] Cf. PIUS XII, Allocutio *Tra le visite,* 20 ian. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 91.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930): DENZ.-SCHÖN. 3716-3718; PIUS XII, *Allocutio Conventui Unionis Italicae inter Obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 835-854. PAULUS VI, *Allocutio ad E.mos Patres Purpuratos,* 23 iunii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 581-589. Quaedam quaestiones quae aliis ac diligentioribus investigationibus indigent, iussu Summi Pontificis, Commissioni pro studio populationis et natalitatis traditae sunt, ut postquam illa munus suum expleverit Summus Pontifex iudicium ferat. Sic stante doctrina Magisterii, S. Synodus solutiones concretas immediate proponere non intendit.

QUAESITUM VI

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput I Secundae Partis Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

[110]

CORRECTIONES ADMISSAE

IN CAPITE II, SECUNDAE PARTIS

Ad num. 57 (nunc 53)

Pag. 22, lin. 8: ... vitam socialem tam *in familia* quam *in tota consortione civili* progressu morum institutorumque humaniorem reddit.

Ad num. 58 (nunc 54)

Pag. 22, linn. 25-26: ( ) Condiciones vitae hominis moderni sub respectu sociali et culturali profunde immutatae sunt, ita ut de nova historiae humanae aetate loqui liceat.[1]

Ad num. 59 (nunc 55) [110]

Pag. 23, lin. 19: ... crescit autonomiae simulque responsabilitatis sensus, quod ( ) pro spirituali ac morali maturitate generis humani maximi est momenti.

Pag. 23, lin. 22: ... ut in veritate et iustitia *meliorem* aedificemus mundum.

Ad num. 60 (nunc 56)

Pag. 23, linn. 36-38: ... quin fidelitas viva *erga* tradition*um* hereditate*m* pereat? Quod particulari modo urget *ubi* cultura ... componenda *est* cum eo ingenii cultus ...

Pag. 24, lin. 11: ... atque homines iuvet in muneribus, *ad quae adimplenda* omnes ... vocantur.

Ad num. 61 (nunc 57)

Pag. 24, linn. 25-27: ... habitaculum fiat, *et eum conscie partes assumit in socialium coetuum vita,* ipse exsequitur consilium Dei, initio temporum patefactum, terrae subiciendae [3] creationisque perficiendae ( ) *atque seipsum excolit.*

Pag. 24, linn. 29-32: Insuper homo, cum in varias *philosophiae, historiae atque scientiae mathematicae et naturalis* disciplinas incumbit et artes excolit, maxime conferre potest, ut familia humana ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes *atque ad iudicium universi valoris* elevetur.

Pag. 25, lin. 1: ... usque ad intimas *rerum* rationes ...

Pag. 25, linn. 2-4: ... favere potest, *quando* methodus investigandi ... pro suprema totius veritatis inveniendae regula hab*e*tur.

Pag. 25, linn. 8-10: ... ne *eius* valores positivos ( ) agnoscamus... [111]
necessitas ( ) laborandi una cum aliis.

Pag. 25, lin. 14: ... voluntas omnibus faustiores reddendi vitae condicionis, *praesertim illis qui vel responsabilitatis privatione vel culturae paupertate laborant.*

Ad num. 62 (nunc 58)

Pag. 25, linn. 19-21: Nam Deus, *populo suo sese revelans* ( ) usque ad plen*am* sui manifestationem in Filio incarnato, *l*ocutus est secundum *culturam diversis aetatibus propriam.*

Pag. 25, lin. 31: *Propriae* traditioni ( ) inhaerens *et insimul missionis suae universalis conscia,* communionem cum diversis culturae formis inire valet.

[111] *Ad num. 63* (nunc 59)

Pag. 26, linn. 8-9: *Iure merito* ergo *postulat* reverentiam.
Pag. 26, linn. 21-22: ut denique *secundum* veritate*m* ... fiat.[9]

Ad num. 64 (nunc 60)

Pag. 26, lin. 30: Cum nunc ( ) facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi...

Pag. 26, lin. 36: ... sine discrimine stirpis, sexus, nationis, *religionis* aut socialis condicionis...

Ad num. 65 (nunc 61)

Pag. 27, lin. 22: Maior hodie adest difficultas quam olim varias *cognitionis* disciplinas et artes in synthesim redigendi.

Pag. 27, lin. 25: ... facultas pro singulis hominibus ea percipiendi et *organice* componendi...

Pag. 27, linn. 28-29: ... valores, *qui omnes* in Deo Creatore funda*ntur* et in Christo mirabiliter sanati et elevati *sunt.*

Pag. 27, linn. 35-36: ... exstant opportunitates, praesertim ex *aucta librorum diffusione atque* novis *instrumentis* communicationis *culturalis et* socialis, quae universali culturae f*a*vere possunt.

Ad num. 66 (nunc 62)

Pag. 28, lin. 18: Praeterea theologi, *servatis propriis scientiae theologicae methodis et exigentiis,* invitantur...

Pag. 28, lin. 30: ... necessitates et vires hominum illustrare *atque sortem hominis meliorem adumbrare* satagunt.

Pag. 28, lin. 38: In sanctuario *autem recipiantur, cum,* modo dicendi accommodato et liturgiae exigentiis conformi, mentem ad Deum erig*u*nt.

[112] Pag. 28, lin. 41: ... praedicatio evangelica in intellectu hominum magis perspicua *fit* et eorum condicionibus quasi insita *apparet.*

Pag. 29, lin. 15: ... Ecclesiae doctrina *de Deo,* de homine et de mundo...

NOTAE

Ad n. 58.

[1] Cf. *Expositio introductoria* huius Constitutionis, n. 4 et ss.

Ad n. 63.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 283; PIUS XII, *Nuntius radiophon.,* 24 dec. 1941: *A.A.S.,* 34 (1942), pp. 16-17.

QUAESITUM VII [112]

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput II Secundae Partis Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

CORRECTIONES ADMISSAE [113]

In Capite III Secundae Partis

Ad num. 67 (nunc 63)

Pag. 38, lin. 8, legatur « necnon frequentiori ( ) politicae potestatis interventione ».

Pag. 38, linn. 10-12, legatur: « oeconomiam aptum effecerunt instrumentum, *quod* adauctis familiae humanae necessitatibus melius inservire *possit* ».

Pag. 38, linn. 14-15, legatur: « re oeconomica quasi *regi* videntur ».

Pag. 38, linn. 28-29, legatur: « Similes aequilibrii oeconomici socialisque defectus inter agriculturam (...), industriam ac servitia ( ), sicut etiam ... ».

Pag. 38, linn. 30-31, legatur: « Inter nationes oeconomice *magis* progressas aliasque nationes ( ) gravior ... ».

Pag. 39, linn. 2-7, legatur: « Ad hoc Ecclesia iustitiae et aequitatis principia, *tam pro vita individuali et sociali, quam pro vita* internationali, a recta ratione postulata, in decursu saeculorum sub luce Evangelii exaravit atque his praesertim ultimis temporibus protulit. Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis roborare *orientationesque quasdam proferre* intendit, exigentias progressionis oeconomicae imprimis respiciens ».

Ad num. 68 (nunc 64)

Pag. 39, linn. 8-9, legatur titulus n. 68: « De progressione oeconomica *in hominis servitium* ».

Pag. 39, lin. 16, legatur: « Huius autem progressionis *finalitas* fundamentalis non est merum productorum incrementum, neque lucrum ( ) vel ( ) dominatus, sed ... ».

Pag. 39, linn. 22-23, legatur: « Itaque navitas oeconomica secundum *methodos et leges proprias, intra fines ordinis moralis* exercenda est ut ita Dei de homine consilium adimpleatur ».

[113] *Ad num. 69* (nunc 65)

Pag. 40, linn. 2-3, legatur: « Praesertim in regionibus *oeconomice minus progressis,* ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt ... ».

Ad num. 70 (nunc 66)

Pag. 40, linn. 7-8, legatur titulus n. 70: « De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis ( ) ».

[114] Pag. 40, linn. 10-12, legatur: « inaequalitates oeconomicae cum discriminatione *individuali et* sociali coniunctae, quam citius removeantur ( ) ».

Pag. 40, linn. 12-17, legatur: « Pariter, in pluribus regionibus, attentis peculiaribus agriculturae difficultatibus sive *in* gignend*is* sive *in* vendend*is* bon*is*, adiuvandi sunt ruricolae cum ad productionem augendam et vendendam, tum ad necessarias evolutiones ac innovationes inducendas, *tum ad aequum redditum consequendum,* ne, ut saepius accidit, in conditione civium inferioris ordinis maneant. *Ipsi autem agricolae, praesertim iuvenes, sese sollerter applicent ad suam peritiam professionalem perficiendam, sine qua progressio agriculturae dari nequit* ».

Pag. 40, linn. 30-31, legatur: « In rebus oeconomicis hodie mutationi obnoxiis *ut* in novis societatis industrialis formis ... ».

Ad num. 71 (nunc 67)

Pag. 40, linn. 36-39, legatur: « Labor humanus, qui in bonis gignendis ac commutandis vel in servitiis oeconomicis suppeditandis exercetur, *ceteris elementis vitae oeconomicae* praestat, quippe quae tantum rationem instrumentorum habeant ».

Pag. 41, linn. 9-10, legatur: « Exinde oritur pro unoquoque officium *fideliter* laborandi atque etiam ius ad laborem ».

Pag. 41, linn. 12-14, legatur: « Denique remunerandus est labor ut homini facultates praebeantur suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem spiritualemque digne excolendi, *spectatis uniuscuiusque munere et productivitate necnon officinae conditionibus et bono communi* ».

Ad num. 72 (nunc 68)

Pag. 41, linn. 32-34, legatur: « Ideo, *attentis muneribus uniuscuiusque, sive proprietariorum, sive conductorum operis, sive dirigentium, sive operariorum, atque* salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur, modis apte determinandis omnium ( ) *actuosa* participatio in inceptorum ( ) curatione et fructibus ».

Pag. 41, linn. 37-39, legatur: « ... etiam in his statuendis partem habeant ( ), et quidem *per se ipsos vel* per delegatos libere electos ». [114]

Pag. 42, linn. 4-5, legatur: « totius operis progressionis oeconomicae et socialis *necnon universi boni communis* procurandi socio*s* se sentiant ».

Ad num. 73 (nunc 69)

Pag. 42, linn. 13-14, legatur titulus n. 73: « De bonorum terrestrium *ad universos homines* destinatione ».

Pag. 42, linn. 19-22, legatur: « Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores, quas *legitime* possidet, non *tantum* tamquam sibi proprias, [115] sed *etiam* tamquam communes habere debet, *eo sensu ut* non sibi tantum, sed etiam aliis prodesse queant ».

Pag. 42, linn. 25-27, legatur: « Qui autem in extrema necessitate deg*it*, ius hab*et* ut ex aliorum divitiis necessaria sibi procur*et* ».

Pag. 42, linn. 30-32, legatur: « bona sua revera communicent et impendant, *praesertim illos, sive singulos sive populos, auxiliis muniendo, quibus ipsi sese adiuvare atque evolvere possint* ».

Pag. 42, linn. 38-39, legatur: « altera vero parte, ne contra *honestas consuetudines* imprudenter agatur ... ».

Pag. 42, lin. 43, legatur: « ad actum deducere *potest* ».

Ad num. 74 (nunc 70)

Pag. 43, linn. 5-6, legatur titulus n. 74: « De *bonorum* collocationibus et *de re nummaria* ».

Pag. 43, lin. 11, legatur: « gravem suam obligationem agnoscere *ex una parte invigilandi, ut necessariis ad vitam decentem requisitis, sive singulorum sive totius communitatis, provideatur, ex altera parte* futura praevidendi ... ».

Pag. 43, linn. 15-21, legatur: « *In re autem monetaria caveatur ne propriae nationis necnon aliarum nationum bono offendatur. Provideatur insuper ne oeconomice debiles ex valoris pecuniae immutatione iniuste detrimentum patiantur* » ( ).

Ad num. 75 (nunc 71)

Pag. 43, linn. 22-23, legatur titulus n. 75: « De accessione ad proprietatem et dominium *privatum* bonorum; et de latifundiis ».

Pag. 43, linn. 23-24, legatur: « Cum proprietas ac aliae in bona exteriora dominii *privati* formae ad expressionem personae conferant ... ».

[115] Pag. 43, lin. 32, legatur: « conditionem quamdam *libertatum civilium* constituunt ».

Pag. 43, linn. 41-42, legatur: « iuxta boni communis exigentias et intra eius limites, *aequa compensatione oblata,* fieri potest ».

Pag. 44, linn. 15-16, legatur: « *Omni* securitate carentes ... ».

Pag. 44, linn. 25-26, legatur: « *Quoties* autem proprietatis ademptionem bonum commune exegerit, ... ».

Ad num. 76 (nunc 72)

Pag. 44, linn. 35-36, legatur: « integra eorum vita, tam individualis quam socialis, spiritu Beatitudinum, *notatim paupertatis,* imbuatur ».

QUAESITUM VIII

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos, Caput III secundae partis Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

[116]

CORRECTIONES ADMISSAE

In Capite IV Secundae Partis

Ad num. 77 (nunc 73)

Pag. 54, lin. 3: quae *ipsorum* evolutionem culturalem.

Pag. 54, linn. 4-5: Consequuntur; *quae transformationes magnum influxum in communitatis politicae vitam exercent, praesertim quod attinet* ad omnium iura...

Pag. 54, lin. 7: Attingenda et ad civium relationes inter se et cum publica *auctoritate* ordin*andas.*

Pag. 54, lin. 9: Mundi regionibus, ( ) studium ...

Pag. 54, linn. 12-14: Exprimendi ac religionem *privatim publiceque* profitendi. *Tutamen enim personae iurium* conditio necessaria *est ut* cives, sive singuli sive consociati, in rei publicae vita et moderamine actuose participare *possint.*

Pag. 54, lin. 18: In multorum conscientia studium augetur *ut* iura ( ).

Pag. 54, linn. 19-20: Serv*entur, earum officiis erga communitatem politicam non neglectis; insuper* reverentia ...

Pag. 54, linn. 23-24: Reproban*tur autem* ( ) quaecumque formae politicae, ... quae libertatem civilem *vel* religiosam...

Pag. 54, lin. 29: Quam interiorem iustitiae et benevolentiae *ac servitii boni communis* ... [116]

Pag. 54, lin. 31: Communitatis politicae *necnon* circa finem, ...

Ad num. 78 (nunc 74)

Pag. 54, lin. 34: Qui communitatem *civilem* constituunt, ...

Pag. 55, lin. 15: ( ) libertate et suscepti officii ...

Pag. 55, lin. 17: Patet ergo communitatem *politicam* ...

Pag. 55, lin. 19: Designatio liber*ae* civium voluntati ...

Pag. 55, lin. 26: *Exinde vero patet responsabilitas, dignitas et momentum eorum, qui praesunt.*

Pag. 55, lin. 29: Fas vero sit eis contra *abusum huius auctoritatis*...

Ad num. 79 (nunc 75)

Pag. 55, lin. 39: Semper melius ac sine ull*a discriminatione* ...

Pag. 55, lin. 40-43: Libere et actuose participandi tum *in* fundamentis iuridic*is* communitatis politicae statuend*is*, tum *in* rei-publicae moderamin*e* et *in* variorum institutorum ... determination*e*, tum *in* moderatorum election*e*.

Pag. 56, linn. 1-2: Simul et officii *suo libero* suffragio ... [117]

Pag. 56, lin. 7: Divisio munerum *et institutorum auctoritatis* ...

Pag. 56, lin. 14: Sociales aut culturales, corpora ( ) aut instituta ( ) ...

Pag. 56, lin. 17: Potestatem *publicae* auctoritati ...

Pag. 56, lin. 20: Ab implicatioribus nostrae aetatis adiunctis *publica* auctoritas ...

Pag. 56, lin. 25: Autem diversas regiones et populorum evolutionem *diverso modo intellegi* ...

Pag. 56, linn. 26-30: inter socializationem ( ) et *personae autonomiam ac progressum.* Sed ubi exercit*ium* iur*ium* propter ... ad tempus restring*itur, libertas,* ... quamprimum restitu*atur* ... in formas totalitarias vel *in formas* dictatorias ( ) quae iura personae *vel* ...

Pag. 56, lin. 30: Cives ( ) ...

Pag. 56, lin. 33: Semper simul animum *in*tendant.

Pag. 56, lin. 39: Unitas opportuna cum proficua diversitate compona*ntur*.

Pag. 56, lin. 42: Part*es* autem politic*ae* ea promovere *debent,* ...

Pag. 57, lin. 6: Contra iniuriam et oppressionem, unius *hominis vel partis politicae* arbitrarium dominatum ...

[117] *Ad num. 80* (nunc 76)

Pag. 57, lin. 11: Inter communitatem politicam et Ecclesiam habeatur, *utque* inter ea, quae ...

Pag. 57, lin. 18: In proprio campo *ab invicem* sunt *independentes et.*

Pag. 57, lin. 21: Sanam cooperationem inter se col*unt,* attentis ...

Pag. 57, lin. 25: Confert ut intra nation*is terminos* et inter nationes ...

Pag. 57, lin. 29: Etiam politicam civium libertatem *et responsabilitatem* veretur atque promovet.

Pag. 58, lin. 1: ubique ei fas sit cum vera libertate fidem praedicare, *socialem suam doctrinam docere,* munus ( ) ...

Pag. 58, linn. 7-8: *Fideliter Evangelio adhaerens et suam missionem in mundo exercens,* Ecclesia, *cuius est,* quidquid verum, bonum et pulchrum *in communitate humana invenitur,* fover*e* ac elevar*e* ( ), pacem inter homines ad Dei gloriam robor*at* ( ).

QUAESITUM IX

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput IV Secundae Partis Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

[118]

CORRECTIONES ADMISSAE

In Capite V Secundae Partis

Ad num. 81 (nunc 77)

Pag. 62, linn. 4-5: In unum *paulatim* congregata atque ubivis suae unitatis *melius* iam conscia ...

Ad num. 82 (nunc 78)

Pag. 62, linn. 24-26: ... progrediente tempore incessantibus mutationibus subiciatur, *numquam pax pro semper acquisita est, sed perpetuo aedificanda.*

Pag. 62, linn. 31-32: Firma voluntas alios homines *et populos* eorumque ...

Pag. 63, lin. 1: Ita pax fructus *etiam* amoris exsistit ...

Pag. 63, linn. 9-15: *Quapropter* omnes christiani enixe evocantur ut, veritatem facientes in caritate, cum hominibus vere pacificis sese uniant ad pacem implorandam et instaurandam.

Eodem spiritu moti, non possumus non laudare eos qui, in iuribus **[118]**
vindicandis actioni violentae renuntiantes, ad media defensionis recurrunt quae ceteroquin etiam debilioribus praesto sunt, dummodo hoc sine laesione iurium et obligationum aliorum vel communitatis fieri possit.

Ad num. 83 (nunc 79)

Pag. 62, linn. 25-27: Immo, dum arma scientifica cuiuslibet generis in bello adhibentur, saeva eius indoles proeliantes ad barbariem adduce*re* *minatur* quae illam anteact*orum* temp*orum* *longe* super*et*.

Pag. 63, linn. 34-36: Ipsa totius generis humani conscientia haec principia firmiter *magis magisque* proclamat.

Pag. 63, linn. 38-40: Inter has actiones illae ante omnia recensendae sunt quibus, ratione quadam et methodo, universa gens, natio *aut minoritas ethnica* exterminantur, quae *tanquam crimina horrenda* vehementer condemnandae sunt; ...

Pag. 64, linn. 10-14: Insuper aequum videtur ut leges *humaniter provideant pro casu illorum qui ex motivo conscientiae* arma adhibere recusant, dum tamen aliam formam communitati hominum servi*endi* acceptant.

Pag. 64, linn. 21-27: At *aliud est* res militares gerere ut populi
iuste defendantur, *aliud* alias nationes *subiugare velle*. Nec *potentia*
bellica omnem *eiusdem* militarem vel politicum usum legitimum facit.
Nec bello infeliciter iam *exorto,* eo ipso omnia inter *partes adversas* licita **[119]**
fiunt.

Qui *vero, patriae servitio addicti,* in exercitu versantur, *et ipsi* tanquam securitatis libertatisque *populorum* ministr*os* *sese* habe*a*nt, *et, dum hoc munere recte funguntur, vere ad pacem stabiliendam conferunt.*

Ad num. 84 (nunc 80)

Pag. 64, linn. 31-32: ... destructiones *quae proinde limites legitimae defensionis longe excedunt.* Immo, si haec media, ...

Pag. 65, linn. 3-5: Omnis actio bellica quae in urbium integrarum *vel* amplarum regionum cum earum incolis destructionem indiscriminatim tendit, est crimen contra Deum ...

Pag. 65, linn. 6-7: Singulare belli hodierni periculum in hoc consistit quod *illis* qu*i* recentiora arma scientifica possident ...

Ad num. 85 (nunc 81)

Pag. 65, linn. 20-21: ... adversarios forte exsurgentes inservit. *Quod* a multis habetur ...

[119] Pag. 65, linn. 24-33: Quidquid sit de *illo dissuasionis modo,* persuasum habeant *homines* cursum ad arma apparanda, ad quem sat multae nationes confugiunt, non *securam* esse viam ad pacem *firmiter servandam,* neque sic dictum aequilibrium ex illo manans certam ac veram esse pacem. Belli exinde causae quin eliminentur, potius paulatim aggravari *minantur. Dum in arma semper nova apparanda perabundantes divitiae erogantur, tot miseriis hodiernis mundi universi remedium sufficiens praeberi non potest. Potius quam dissentiones inter nationes vere ac funditus sanentur, iisdem aliae mundi partes inficiuntur. Novae* viae, ex reformato animo initium sumentes, ...

Ad num. 86 (nunc 82)

Pag. 66, linn. 13-16: ... se dedicent. *Cum* pax *e* mutua gentium fiducia *nasci oporteat* potius quam ab armorum terrore nationibus imponi, omnibus adlaborandum est ut *cursus ad arma apparanda finem tandem habeat;* ut diminutio armorum re incipiat, *non unilateraliter quidem sed pari passu ex condicto progrediatur, veris efficacibusque cautionibus munita.*

Pag. 66, linn. 17-19: Interea, non parvipendenda sunt conamina quae iam facta sunt et adhuc fiunt ut periculum *belli* amoveatur.

Pag. 66, lin. 21: ... quod abhorrent, gravissimo *autem* quo obstringuntur ...

[120] *Ad num. 87* (nunc 83)

Pag. 67, lin. 19: ... necnon ex *necessariis remediis retardatis.* Aliae vero ...

Ad num. 89 (nunc 85)

Pag. 68, lin. 26: ... (progredientibus) non procurabitur, nisi *consuetudines* hodierni commercii in mundo profunde mutentur.

Ad num. 90 (nunc 86)

Pag. 68, lin. 39: *Pro hac cooperatione sequentes normae opportunae videntur*:

a) Gentes progredientes ...

Pag. 69, linn. 30-31: ... imprimis ab illis quae, dum homini commoda materialia praebent, eius spirituali indoli *ac profectui* adversantur.

Ad num. 91 (nunc 87) [120]

Pag. 70, lin. 8: ... ad legislationem socialem et *ad familias respicientem,* ad transitum ruricolarum ...

Pag. 70, lin. 17: et quandoque impositis, quae leg*i* moral*i* *contradicunt.* Nam iuxta ...

Pag. 70, linn. 26-30: De progressibus porro scientificis in explorandis methodis quibus coniuges iuvari possint *in ordinando numero prolis,* quarum firmitas bene probata est et *congruentia cum ordine morali comperta habeatur,* homines *sapienter* certiores fiant.

Ad num. 93 (nunc 89)

Pag. 71, linn. 27-28: ... educandis et formandis impendatur in *educatione tam* religiosa quam civili.

QUAESITUM X

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Caput V Secundae Partis Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

CORRECTIONES ADMISSAE [121]

In Conclusione Schematis

Ad num. 95 (nunc 91)

Pag. 87, linn. 12-14: *immo, licet doctrinam iam in Ecclesia receptam proferat, cum non raro de rebus incessanti evolutioni subiectis agatur, adhuc persequenda et amplianda erit.* Confidimus *vero* ...

Ad num. 96 (nunc 92)

Pag. 87, lin. 22: ... in unum Spiritum coadunandi, *signum* evadit illius fraternitatis ...

Pag. 88, lin. 1: ... efficaciter *assequendo* magis magisque aptatis ...

Pag. 88, linn. 14-16: *Et ideo,* hac eadem humana et divina vocatione vocati, sine violentia, sine dolo ad aedificandum mundum in vera pace cooperari *possumus et debemus.*

QUAESITUM XI

An placeat expensio facta a Commissione mixta competenti circa Modos Conclusionem totius Schematis de Ecclesia in mundo huius temporis respicientes?

[122]

EXPENSIO ANIMADVERSIONUM AD TITULUM

Secretarius Generalis Concilii sub fine suffragationum circa textum recognitum praesentis Schematis petiit ut Patres, qui alium titulum quam « Constitutio Pastoralis » mallent, scripto intra statutum diem suam opinionem exprimerent. Insuper, eodem tempore, non semel monuit Patres Commissionem esse consideraturam praesenti titulo favorabilem opinionem illorum Patrum qui nullam de hac re observationem scripto tradidissent.

En conspectus responsionum scripto, debito tempore, traditarum:

Ex 541 Patribus:

217	proponunt	ut titulus	sonet:	*Declaratio*
138	»	»	» :	*Epistola* vel *Litterae*
110	»	»	» :	*Expositio*
32	»	»	» :	*Nuntium*
17	»	»	» :	*Instructio*
12	»	»	»	*Declaratio* pro II[a] Parte *Constitutio Pastoralis* pro I[a] Parte
15	varios alios titulos proponunt.			

Commissio autem censuit, non obstante possessione praesentis tituli (Patres qui alium titulum proposuerunt simul sumpti non attingunt tertiam partem), non posse tamen praetermittere ingentem numerum suffragiorum in contrarium.

Omnibus bene perpensis, ut ratio aliqua habeatur diversarum sententiarum Commissio competens Patribus ea quae sequuntur proponit: *Titulo « Constitutio Pastoralis De Ecclesia in mundo huius temporis » servato, addatur in corpore Constitutionis nota naturam propriam Schematis explicans et proinde regulam ad eius rectam interpretationem enuntians.*

Nota autem quae proponitur in initio Primae Partis Schematis invenitur in Notis ad finem Prooemii appositis.

QUAESITUM XII

An placeat Patribus expensio animadversionum circa titulum « Constitutio Pastoralis » schematis de Ecclesia in mundo huius temporis, a competente Commissione facta?

EXPENSIO MODORUM * [125]

PARS I

MODI GENERALES

1 — Proponit unus Pater ut pro numeris 1-45 omissiones introducantur:
Pag. 14, linn. 26-39
Pag. 19, lin. 28 « A Deo revelante instructa »
Pag. 22, lin. 36 « Revelatione divina edocta »
Pag. 22, linn. 38-44
Pag. 25, linn. 1-2
Pag. 25: integer numerus 22 et speciatim textus in italicis
Pag. 32, linn. 29-36
Pag. 35, lin. 20 « A Christo redempti »
Pag. 44-45: Integer textus in italicis a verbo: « A Christo enim » usque ad finem capitis.
Ratio: Schema vult dialogum cum omnibus; vitentur ergo apertae professiones fidei.

R. — Hae omissiones essent contra normas, et contra methodum adhibitam: non possunt admitti notabiles expunctiones in textu recepto.

2 — Proponit unus Pater ut totum schema relegatur a tribus peritis ut uniformitati provideatur.

R. — A S.C. centrali iam provisum est.

3 — Unus Pater rogat ut dentur versiones officiales in praecipuis linguis.

R. — Hoc votum transmittetur auctoritati competenti.

4 — Animadvertit unus Pater defectus in latinitate: schema quoad formam latinam integre corrigendum est. Enumerat errores in toto schemate. [126]

R. — Quantum fieri potest, nova revisione provisum est.

5 — Rogat unus Pater ut Prooemium et caput I magis sapiat optimismum.

R. — Hoc videtur contrarium desideriis a multis Patribus in Aula prolatis.

---

* In hac Expensione Modorum paginae et lineae referuntur ad textum « recognitum » et iam a Patribus approbatum mense elapso.

[126] AD TITULUM

1 — Plures Patres petunt ut immutetur titulus, quia terminus « constitutio » in traditione ecclesiastica reservatur pro documentis doctrinam *definitivam* de rebus fidei vel morum continentibus et quia non videtur terminus aptus intuitu eorum quos schema alloqui intendit (omnes homines, etiam non credentes, cum quibus schema dialogum instituere intendit, de rebus mutabilibus [« huius temporis »] stylo et modo loquendi iisdem aptato). Maior insuper, aiunt, obtinebitur consensus Patrum, qui in hac materia « constituere et decernere » nolunt. Proponunt ut dicatur:

— declaratio (12 Patres);

— declaratio pastoralis (9 Patres); conciliaris (2 Patres);

— Epistola conciliaris (1 Pater); Synodalis (1 Pater); Pastoralis (7 Patres);

— Litterae synodales (vel: conciliares) de Ecclesia in mundo huius temporis (1 Pater);

— Dialogus inter Ecclesiam et mundum hodiernum (1 Pater);

— Praeconium oecumenicum (1 Pater);

— Nuntius pastoralis (2 Patres); nuntium catholicum (1 Pater);

— Allocutio (2 Patres); allocutio epistularis (1 Pater);

— Propositio (1 Pater);

— Kerygma testimonii (1 Pater);

— Unus Pater proponit ut servetur vox « constitutio » sed sine additione « pastoralis ».

R. — De hac re responsio datur in fine primi fasciculi novum textum huius schematis complectentis.

2 — 6 Patres proponunt ut loco « De Ecclesia in mundo huius temporis », ponatur « De Ecclesia huiusce nostrae aetatis ».

[127] R. — Non accipitur quia praesens titulus reputatur iam probatus a maxima parte Patrum.

3 — Pag. 5, in titulo: Proponit unus Pater ut tollantur verba « huius temporis », quia ex una parte textus continet principia quae valent semper, et ex altera parte clarum est textum dirigi ad homines huius temporis.

R. — Hoc est contra normas.

PROOEMIUM ET EXPOSITIO INTRODUCTIVA [128]

Exitus suffragationis de numeris 1-10

Votantes	2.187
Placet	2.009
Non placet	41
Placet iuxta modum	134
Vota nulla	3

PROOEMIUM (nn. 1-3)

1 — 19 Patres petunt ut prooemium clarius distinguat inter munus Ecclesiae quoad finem supernaturalem assequendum et munus Ecclesiae « ad ordinandum mundum et societatem humanam » (pag. 50, linn. 17-18), ita ut clare videri possit cooperationem (pag. 6, linn. 11-12) Ecclesiae cum mundo locum habere tantum quoad secundum munus.

Ratio: ne detrimentum fiat iuri unico Christi et responsabilitati exclusivae Ecclesiae quoad ordinem supernaturalem.

R. — De hoc iam actum est in Constitutione « Lumen gentium », cui prooemium nostri schematis expresse se refert (n. 2).

AD NUM. 1

2 — Proponunt sex Patres ut n. 1 tollatur, quia inutilis.

R. — Hoc esset contra normas. De cetero, tota paragraphus esset exaranda.

3 — Pag. 5, linn. 1-10: Plures Patres pro his lineis textum novum proponunt, ponendo tamquam « incipit » verba: « Christi Ecclesia » (1 Pater); vel « Ecclesia in mundo » (1 Pater), vel « Spes et gaudium, angor et luctus » (2 Patres).

R. — Talis mutatio esset contra normas: non tangi debent ea quae scripta sunt post serias discussiones in Commissione plenaria mixta.

4 — Pag. 5, linn. 2-5: Unus Pater postulat ut mutetur phrasis ad exprimendum *desiderium* Ecclesiae sese coniungendi... [129]

R. — Id quod in textu affirmatur videtur melius rei veritati congruere.

[129] 5 — Pag. 5, lin. 6: Tres Patres petunt ut, loco: « ... in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur ... », scribatur: « ... per Christum coadunati, in Spiritu Sancto diriguntur » (quia in N. T. et in liturgia frequentius praepositio « per » dicitur de Christo, « in » vero de Spiritu Sancto).

R. — Vox « in Christo » saepissime apud S. Paulum invenitur et hic melius congruere videtur. Vox « a Spiritu Sancto » item invenitur in Sacra Scriptura.

6 — Pag. 5, linn. 5-8: Proponunt duo Patres ut hae lineae mutentur in phrasim activam: « Etenim *etiam ipsi sunt homines,* qui ... ducti in terris ad regnum Patris peregrinant et nuntium salutis *portantes* omnibus procl*amant*. Quapropter ipsi ... ».

R. — Nova redactio non videtur clarior.

AD NUM. 2

7 — Pag. 5, lin. 14: Proponit unus Pater ut, post verba « sermonem convertit », addatur: « omnibus mentem suam aperire cupiens de modo praesentiae et navitatis Ecclesiae in mundo hodierno ».

R. — Nova formula non videtur clarior.

8 — Pag. 5, lin. 15: Rogant 5 Patres ut addatur: « quomodo *vita humana considerari debeat ut in seipsa instauretur et ad ordinem supernaturalem aperiatur et proinde* quomodo Ecclesia ...

R. — Iam provisum est alibi. Hic non videtur opportunum.

9 — Pag. 5, lin. 15: Quatuor Patres petunt ut post verbum: « concipiat », *addatur*: « etsi in multis prima tantum, adhuc imperfecta semperque perficienda elementa sermonis haberi queant atque res ipsae ulteriore evolutione ac perscrutatione indigeant » (ut inde ab initio clare dicatur Ecclesiam nondum ad omnes quaestiones, quibus hodie homines agitantur, solutionem definitivam praebere posse).

R. — De hoc sermo fit in initio II^{ae} partis et in conclusione totius capitis.

[130] 10 — Pag. 5, linn. 15-16: Proponunt sex Patres ut loco « concipiat », mutetur propositio ita ut Ecclesia non appareat ut « schola ».

R. — Verbum « concipiat » non habet hunc sensum.

11 — Pag. 5, linn. 17-18: Rogat unus Pater ut verificetur latinitas (« hominum seu universam ... »).

R. — Accipitur; claritatis causa scribatur: « Mundum igitur hominum prae oculis habet, seu ... ». [130]

12 — Pag. 5, linn. 17-24: Unus Pater aestimat totam hanc phrasim rhetoricam sapere illamque in specie vocabulum « mundum » adhibere in sensu « aggiornato », quin dicatur explicite suppositionem esse mutatam et quin aliquo modo talis mutationis rationes et confines indicentur.

R. — Textus est sat biblicus et respondet desideriis multorum Patrum. Vox « mundus » consulto adhibetur in sensu communi, ut in titulo schematis, et etiam sub luce Revelationis.

13 — Pag. 5, linn. 17-24: Proponit unus Pater ut deleantur hae lineae et loco earum scribatur: « *Quamvis saepius in Evangelio mundus sumatur ad designandam oppositionem inter tenebras et lucem, inter regnum Christi et Regnum « principis huius mundi », hic directe affertur ad designandum ordinem naturae et culturae* » (ut obiectum proprium constitutionis clarius manifestetur).

R. — Textus receptus, iam longe disceptatus in Commissione, videtur desideriis Patrum melius congruere.

14 — Pag. 5, lin. 17: Proponit unus Pater ut loco « mundum igitur prae oculis », scribatur: « Concilium igitur prae oculis habet mundum hominum ... ».

R. — Cf. resp. ad Modum sub n. 11.

15 — Pag. 5, lin. 18: Proponit unus Pater ut addatur: « ... vivit *et in quibus radicatur*: mundum, *sedem* historiae »; alius proponit: « item mundum in quo historia generis humani evolvitur ...; mundum tandem ... ».

R. — Cf. resp. ad Modum sub n. 13. Textus receptus videtur esse vividior et praecisior.

16 — Pag. 5, lin. 19: Unus Pater proponit ut loco: « eiusque industria », dicatur: « eiusque laboribus », quia vocabulum « industria » a multis de solo labore industriali intelligetur. [131]

R. — Verbum latinum non habet hunc sensum; de cetero providebitur in versionibus vernaculis.

17 — Pag. 5, lin. 19: Unus Pater proponit ut post verba « eiusque industria » addatur « sub ductu Providentiae Dei ».

R. — Non videtur admittendum, quia non congruit cum contextu linearum 17-20.

[131] 18 — Pag. 5, linn. 21-24: Plures proponuntur immutationes pro his lineis: *a*) unus Pater petit ut aliquid dicatur de observantia auctoritati debita; *b*) 3 rogant ut vitetur expressio « regnum peccati » (linn. 21-22) et ut dicatur vel « peccati quidem *potestate* » (1 Pater), vel: « peccato quidem *turbatum* (vel: *subiugatum*) »; *c*) quatuor petunt ut, in lin. 23, post « liberatum », *addatur*: « *et vocatum* » (ut magis positive exprimatur vocatio mundi ad ordinem supernaturalem); *d*) 17 Patres suggerunt ut, in lin. 23, post particulam « ut », inserantur verba: « *iugi* (vel constanti) *auxilio gratiae Christi* » et ut loco: « propositi », dicatur: « *voluntatis* »; *e*) unus Pater proponit ut addatur: « crucifixo *et resuscitato* »; *f*) tres proponunt novam versionem: « sed a Christo crucifixo et resurgente redemptum *qui proinde filios Dei continuo insidiatur et persequatur donec consummetur numerus electorum et Regnum Dei ultimo instauretur.*

R. — Recipitur substitutio verbi « regno » cum verbo servitute, ita textus sic legatur: « *sub* peccati quidem *servitute positum* ». Aliis observationibus provisum est alibi.

19 — Pag. 5, lin. 21: Postulat unus Pater ut addatur: « *ex nihilo* conditum ».

R. — Non videtur hic necessarium.

20 — Pag. 5, lin. 23: Rogant sex Patres ut loco « Malignus », scribatur etiam: « Satanas » vel « Diabolus ».

R. — Etiam vox « Maligni » est biblica. Et hic cum maiuscula scribitur, claritatis causa.

21 — Pag. 5, lin. 23: Proponit unus Pater ut loco « liberatum » scribatur « redemptum » quia plena liberatio non iam adest.

[132] R. — Textus receptus sublineat aspectum eschatologicum redemptionis qui optime exprimitur per verbum « liberatum ».

22 — Pag. 5, linn. 23-24: Proponunt duo Patres ut scribatur: « ad consummationem *suam secundum* proposi*tum* Dei, perveniat », latinitatis causa.

R. — Ut huic Modo satisfiat, sic mutatur textus: « ut *secundum propositum Dei transformetur et ad consummationem suam perveniat* ».

AD NUM. 3 [132]

23 — Rogant 6 Patres ut totus numerus emendetur, evitando stylum « professoris ».

R. — Hoc esset nunc contra normas.

24 — Pag. 5, linn. 25-27: Proponit unus Pater, ut saltem aliquoties indicetur hominem adhuc incapacem esse morbos et flagella vitare.

R. — Iam provisum in sequentibus.

25 — Pag. 6, linn. 1-10: Duo Patres textum abbreviatum proponunt: « Quapropter *contendit Concilium de variis illis problematibus colloquium instituere cum universa humana familia,* lumen afferendo ex Evangelio depromptum atque humano generi salutares vires suppeditando, quas ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo accipit. *Urget enim necessitas nos* hominis personam *salvare humanamque societatem* instaurare. Homo igitur, tam ut individuum ex corpore et anima compositum, *quam ut membrum humanae familiae* totius nostrae explanationis cardo erit ».

R. — Propositio, de cetero non multo brevior, nimis alterat textum iam longe in Commissione disceptatum. Cf. etiam ad Modum sequentem.

26 — Pag. 6, linn. 1-3: Unus Pater aestimat sententiam non esse claram: loqui intendit de populo Dei et non de Concilio in hominum familia inserendo; alius Pater, eadem difficultate motus, sequentem solutionem proponit: « ... testificans et exponens, Concilium coniunctionem *illius, sicut et* observantiam ac dilectionem erga totam hominum familiam, cui *populus ille* inseritur, eloquentius demonstrare non valet quam *aperiendo* (loco: « instituendo »: quia sumus in initiis dialogi) cum ea ... colloquium ». [133]

R. — Ad maiorem claritatem, sententia sic mutatur: « Quapropter Concilium, fidem universi populi Dei *a Christo congregati* testificans et exponens, *ipsius* coniunctionem, observantiam ... ».

27 — Pag. 6, lin. 1: Unus Pater petit ut loco « fidem *universi populi Dei* testificans et exponens », dicatur: « fidem Ecclesiae catholicae » (quia Concilium proponit doctrinam divinam ipsi populo Dei). Duo Patres proponunt: « Concilium ... coniunctionem ( ) *christianorum* ... cui inseruntur ».

R. — Cf. responsum ad Modum n. 26.

[133] 28 — Pag. 6, lin. 3: Proponit unus Pater ut, loco « cui inseritur », ponatur: « *in qua conversatur* » quia « inseri » significat partem fieri, dum Ecclesia, in mundo est, sed non est de hoc mundo.

R. — Expressio « cui inseritur » introducta fuit in textum ut satisfieret desideriis plurium Patrum qui optabant ut melius appareret intima coniunctio populi Dei cum mundo.

29 — Pag. 6, lin. 5: Quatuor Patres rogant ut post vocabulum: « colloquium », addatur: « *quaestiones hominum audiendo, provocationes accipiendo, et* lumen ex Evangelio *denuo scrutato* » (ut inde ab initio schematis affirmetur id quod Ecclesia de mundo hodierno recipit: cf. n. 44). Duo proponunt ut loco « ex Evangelio », scribatur « e sacris libris » vel « e Sacra Scriptura », quia Ecclesia tota Biblia utitur.

R. — De his, alibi sat provisum est; vox « Evangelio » sumitur hic sensu lato.

30 — Pag. 6, lin. 8: Unus Pater petit, ut loco: « societas *instauranda* », dicatur: « societas *restauranda* », quia, ait, societas iam instaurata est.

R. — Verbum « instaurare » hunc sensum habet.

31 — Pag. 6, lin. 9: Proponit unus Pater ut deleatur vox « cum », vel substituatur per « in ».

R. — Textus prouti iacet clarior est.

32 — Pag. 6, lin. 10: Plures Patres proponunt varias additiones. Quinque rogant ut addatur: « Mente et voluntate *individualitate et socialitate indissolubiliter a natura ipsa praeditus* »; alius
[134] Pater proponit ut addatur: « voluntate *prout est a Deo creatus et sanguine Christi redemptus* »; alius Pater proponit ut addatur: « et voluntate, *praecipue quoad navitatem naturalem et culturalem totius* nostrae explanationis cardo erit ».

R. — Haec nimis in particularia descendunt, de quibus alibi expresse sermo fit.

33 — Pag. 6, lin. 11: 18 Patres rogant ut loco « *altissimam* vocationem hominis », dicatur: « *supernaturalem* vocationem hominis ».

R. — Haec propositio minus congruit cum finalitate textus, qui ad omnes homines se dirigit. De cetero idea pluries invenitur quando sermo fit de dono gratuito Dei.

34 — Pag. 6, lin. 11: Duo Patres proponunt ut loco « *Episcopi* », dicatur: « *Concilii* Patres », ut unum fiat in tota constitutione

subiectum locutionis et responsabilitatis, nempe Concilium Vaticanum II vel eius Patres, quae dictio comprehendit omnes episcopos una cum Summo Pontifice et alios participantes Concilium illiusque decreta probantes. Alius proponit: « *Romanus Pontifex et universi orbis terrarum episcopi* ... ». [134]

R. — Dicatur: « Concilii Patres ... ».

35 — Pag. 6, linn. 15-16: Proponunt duo Patres ut dicatur: « Nulla ambitione terrestri *movetur* Ecclesia, *sed* unum tantum intendit ».

R. — Mutatio subiecti hoc in loco perturbaret claritatem.

36 — Pag. 6, linn. 17-19: Quatuor Patres mutationes proponunt in hac phrasi, quorum unus suggerit ut dicatur: « qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut *quaereret et* salvaret quod perierat » (cf. *Lc.* 19, 10) (ad reddendum textum magis positivum), alius: « ut salvaretur non ut *condemnaret* » (loco: « *iudicaret* », quia secus oppositio non daretur et quia sic textus congruit cum significatione textus, *Io.* 12, 47), duo alii vero: « ... veritati, *non ut iudicaret mundum sed ut salvaretur mundus per ipsum, qui tandem non venit ministrari sed ministrare* » (ratione latinitatis: salvare et iudicare sunt verba transitiva quae obiecto aliquo indigent). Proponit unus Pater ut saltem addantur citationes ex *Io.* 18, 37; 3, 17; *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45.

R. — Obiectum verborum est implicitum. Adduntur tamen citationes ex Scriptura in nota.

37 — Pag. 6, lin. 19: Proponit unus Pater ut addatur: « ministraretur. *Quod Christi opus ad hominis conditionem illuminandam et instaurandam maxime confert* ». Ne ambiguitas remaneat quoad obiectum Constitutionis. [135]

R. — Provisum est in n. 10 textus recepti.

EXPOSITIO INTRODUCTIVA

(nn. 4-10)

Modi generales

Descriptio est nimis sociologica, rhetorica, prolixa, repleta tritis observationibus quae cotidie in foliis diariis leguntur. Ergo ad pauca reducatur, et quidem stylo non philosophico, sed reli-

[135] gioso et evangelico (3 Patres). Expositio est nimis longa, ideoque abbrevietur et nimiae interrogationes tollantur (1 Pater). Ad textum abbreviandum, tollantur in n. 4, pag. 10, linn. 9-35; in n. 5, pag. 11, linn. 10-28; et expungantur ex integro nn. 6 et 7 (1 Pater); nn. 4-9 auferantur (1 Pater).

R. — Textus sufficienti maioritate approbatus est, ideoque non potest substantialiter mutari. Ceterum a compluribus Patribus laudatus est. Expositio introductiva est recensio factorum et non continet interpretationes philosophicas sed ad reliquos numeros vias parat.

AD NUM 4

1 — Pag. 10, linn. 2-3: pro « Evangelii » scribatur « *Sacrarum Scripturarum* » (1 Pater); pro « interpretandi » scribatur « *illuminandi* », nam prima vox a marxistis suo sensu usurpatur (1 Pater).

R. — Vox « Evangelium » sumitur in sensu ampliori, scilicet quatenus totam S. Scripturam et praeconium apostolicum comprehendit. Servetur « interpretandi » quia maxime convenit cum « signis temporum »; ceterum vox illuminandi esset repetitio cf. « Evangelii *luce* ».

2 — Pag. 10, lin. 5: post « relatione » addatur « *pro sua parte* » nam non sola Ecclesia sensum dat vitae futurae vel saltem praesentis (1 Pater).

R. — Sensus textus non est exclusivus sed simpliciter assertivus.

[136] 3 — Pag. 10, lin. 7: deleatur verbum « eius » quia superfluum (1 Pater).

R. — Admittitur.

4 — Pag. 10, lin. 10: deleatur « gradatim », quia contradicit « celeres » (in eadem linea) (1 Pater).

R. — Non datur contradictio cum haec verba ad diversa se referant.

5 — Pag. 10, linn. 11 ss.: scribatur post « extenduntur », « *Hae mutationes ab intelligentia et industria creativa hominis ortae et promotae in ipsum hominem incidunt et influxum in eius modum cogitandi, etc.* » ad clarificandum textum (1 Pater), alius Pater rogat ut deleatur vox « creativa », nam sufficit « industria ».

R. — Textus approbatus est sufficienter clarus; ceterum vox « creativa » bene exprimit magnitudinem inventionum humanarum huius temporis.

6 — Pag. 10, lin. 13: auferantur verba « tum circa res tum circa homines », nam textum aliquatenus enervant et inducunt fastidiosam iterationem verbi « homo » (1 Pater). [136]

R. — Verba videntur necessaria ad sensum explicitiorem reddendum.

7 — Pag. 10, lin. 13: post « homines », addatur « *influunt* » (1 Pater).

R. — Non est necessarium.

8 — Pag. 10, lin. 14: post « quae » addatur « *etiam* », ne sensus videatur exclusivus (1 Pater).

R. — Admittitur.

9 — Pag. 10, lin. 16: pro « accretionis » scribatur aliud vocabulum magis usuale (1 Pater).

R. — Verbum videtur sat clarum, et iuxta vota circa latinitatem huius schematis retinendum.

10 — Pag. 10, lin. 17: Iterum exaltatur homo, non memorato Deo sine quo nihil (1 Pater).

R. — Scopus huius expositionis non est doctrinam tradere, quod fit in reliquis capitibus schematis, sed tantum facta obiective ostendere.

11 — Pag. 10, lin. 18: pro « redigere valet » scribatur « *redigi* », ne insinuetur incapacitas hominis ad hoc (1 Pater). [137]

R. — Agitur in textu non de incapacitate radicali, sed de conditione concreta hodierna in quibusdam adiunctis, ut insinuatur verbis « non semper ».

12 — Pag. 10, linn. 18-20: scribatur « *Saepe de seipso magis incertus apparet et anceps haeret de ipsis principiis vitae socialis* », quia non est certum homines nostri temporis secreta cordis altius penetrare (1 Pater).

R. — Textus agit de progressu scientiarum psychologicarum, quod in dubium revocari nequit. Ad maiorem perspicuitatem tamen scribatur: « Proprii *animi* intimio*ra* penetra*re* *satagens,* saepe ... ».

13 — Pag. 10, linn. 22-35: Inter discrimina et oppositiones quae ibi apte recensentur, fortasse adiungi seu inseri posset et oppositio inter virtutum quarumdam elogium scientificum et populare (e. g. amoris coniugalis, fraterni servitii) et contrariorum vitiorum theoreticam iustificationem et grassantem praxim (1 Pater).

R. — Iterum dicendum est quod hoc excedit scopum « expositionis introductivae »; suis locis tamen huic animadversioni sufficienter providetur.

[137] 14 — Pag. 10, linn. 22-23: post « Numquam » addatur « *ut hodie* », et post « fame » addatur « *egestate* » (1 Pater).

R. — Prima additio non videtur necessaria, secunda accipitur et scribatur « *et egestate* ».

15 — Pag. 10, linn. 24-26: dubitatur de veritate huius affirmationis. Concilii non est de rebus historicis iudicare vel circa easdem comparationes instituere, sed simpliciter de factis loqui (1 Pater).

R. — Si genus humanum prae oculis habetur, et non tantum aliquis populus, sententia videtur certa.

16 — Pag. 10, lin. 25: post « sensum » addatur « *personalis* » (2 Patres).

R. — Restrictio non videtur necessaria.

17 — Pag. 10, lin. 26: pro « psychologicae » scribatur « *individualis* » (15 Patres); vel « *psychicae* » (1 Pater), quia « psychologicae » dicitur de scientia.

[138] R. — Verbum « individualis » non accipitur quia in textu non agitur de servitute individui, sed de interna servitute. Scribatur « psychicae » propter rationem adductam.

18 — Pag. 10, lin. 29: Deleatur « politicae » ne videamur vitam politicam condemnare (1 Pater).

R. — Schema nullo modo vitam politicam damnare intendit, sicut nec vitam socialem vel oeconomicam. De ea atque de legitimis diversitatibus loquitur fusius postea, sc. in cap. IV, Pars II, n. 78, pag. 55, linn. 10-16. Tamen ad maiorem claritatem scribatur « etenim *acres* dissensiones ... ».

19 — Pag. 10, lin. 31: Pro « destruentis » scribatur « destru*cturi* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

20 — Pag. 10, lin. 32: pro « commercium » scribatur « *communicatio* » (1 Pater); post « augetur » addatur « *magis apparet* » et in lin. 33 pro « induunt » legatur « indu*ere* » (1 Pater).

R. — Admittitur prima propositio, non vero secunda quia agitur de facto quodammodo novo, et non tantum de cognitione facti diu existentis.

AD NUM. 5

1 — Pag. 11, linn. 4-32: Integer numerus est obscurus, nimis longus et unitate inter diversa puncta caret; quapropter funditus retractandus est (1 Pater).

R. — Propositio tam generalis post textus approbationem accipi nequit.

2 — Supprimantur separationes inter paragraphos in linn. 9-10; 15-16; 19-20 et 28-29 (1 Pater). [138]

R. — Admitti potest, ut stylus magis conformetur latinitati.

3 — Ad n. 5 (vel n. 7):

(Sine determinatione loci) addantur haec vel similia verba: « *Homines in mundo moderno, singuli labori magis in dies specializato propter propriam limitationem se devoventes, per coetus collaborant et ita permagna inveniunt et producunt, sensum tamen universalitatis rerum amittentes, difficilius suum rerum visibilium ordinem transcendere valent* ». Annumerandum est factum « specializationis » (6 Patres).

R. — Locus magis aptus ad hanc ideam inserendam videtur esse n. 8 cf. resp. ad Mod. 5 illius numeri. [139]

4 — Pag. 11, linn. 5-6: Pro « rerum transmutatione » scribatur « *rationis humanae evolutione* », ut vitetur ideologia materialistica et sublineetur momentum humanae rationis certe fundamentale (14 Patres).

R. — Textus materialisticae ideologiae non favet sed facta exponit. Attendatur ad verbum « connectuntur ». Aliud est momentum rationis, aliud influxus quibus obnoxia est.

5 — Pag. 11, lin. 7: Deleatur virgula post « ordine » (1 Pater).

R. — Accipitur.

6 — Pag. 11, lin. 8: pro « magis magisque praevaleant » scribatur « *crescens pondus acquirant* », sic cautius loquitur de praevalentia scientiarum positivarum, neglecto influxu philosophiae (14 Patres).

R. — Admittitur.

7 — Pag. 11, lin. 10: post « mens » addatur « *quae dicitur* » ne diminuamus characterem scientificum philosophiae et theologiae (14 Patres).

R. — Servetur textus nam « mens scientifica » hic usurpatur eo sensu quo in communi hominum loquela adhibetur, quod iam innuitur verbo « Haec ». Ceterum additio proposita sensu nimis restricto sumi posset.

8 — Pag. 11, linn. 16-19: proponitur novus textus hoc modo: « *Progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales hominem magis conscium reddunt evolutionis cosmicae, nec non dynamismi profunditatum animi et legum quibus quodcumque con-*

[139] *sortium sociale regitur, unde aptis scientificis methodis adhibitis, integratio personalitatis in se ipsa et in societate in dies fovetur* ». Ratio est ut explicitiori modo sermo fiat de « psychologia profunditatis » (7 Patres).

R. — Modus excedit limites possibilitatis mutationis textus iam approbati. Insuper servandum est aequilibrium inter diversas affirmationes, et ideo fieri nequit ut de una scientia longius disseratur, dum aliae tantum nominantur. Idea aliquo modo, quin ad particularia descensus fiat, invenitur iam in n. 4, pag. 10, linn. 18-19, et in hoc loco memoratur verbo « psychologicae ».

[140] 9 — Pag. 11, lin. 17: scribatur « homini melio*ris* cognitio*nis* sui spem ferunt » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Est enim in textu mendum typographicum et legi debet « *o*pem ferunt ».

10 — Pag. 11, linn. 20 s.: scribatur « ... incremento *affectans providere et ordinare,* magis ... », nam « statisticae » subiectivis interpretationibus subiiciuntur et non est Concilii de illis iudicium ferre (1 Pater).

R. — Hic non agitur de statisticis vel earumdem interpretationibus approbandis, sed simpliciter de facto quod ex actione plurium gubernium innotescit.

11 — Pag. 11, linn. 29-31: scribatur « ... ad notionem magis dynamicam ( ) transit ... quae ad nova *eorum examina et congruas solutiones quaerendas* provocat ». Nam genus humanum non invenitur in continua evolutione. Ceterum verba « ad novas analyses et syntheses » potius exprimunt dialecticam hegelianam et marxisticam (3 Patres); expungantur verba « atque evolutivam » (1 Pater).

R. — Textus affirmat factum notionibus communiter acceptis. Ceterum terminologia usurpata non videtur obscura. De solutionibus sermo erit infra, in fine n. 10.

12 — Pag. 11, lin. 32: scribatur « ... et syntheses *et conclusiones practicas provocat* ». Nam in toto numero agitur quoque de artibus technicis (1 Pater).

R. — Hic agitur potius de « complexione problematum » et non de solutionibus vel conclusionibus practicis.

AD NUM. 6 [140]

1 — Pag. 11, lin. 34: expungatur vox « clani » quia ridicula (1 Pater).

R. — Est realitas socialis. Scribatur « clans », iuxta usum linguarum modernarum.

2 — Pag. 11, lin. 39: verba « a millenniis constitutas » videtur exaggerata (1 Pater).

R. — Scribatur « *a saeculis* ».

3 — Pag. 11, lin. 39: expungatur verbum « penitus » quia exaggeratum (3 Patres). [141]

R. — Servatur nam bene exprimit magnitudinem et profunditatem transformationis.

4 — Pag. 11, lin. 40: Haec paragraphus annectatur praecedenti (1 Pater).

R. — Admittitur.

5 — Pag. 11, lin. 42: Transferatur in hunc locum par. n. 5, pag. 11, linn. 22-25, omisso verbo « denique »; et eidem immediate annectatur phrasis pag. 12, linn. 10 et 11, sublata voce « tandem ». Si haec admittantur, phrasis pag. 12 incipiat « Sic socializatio... » (1 Pater).

R. — Accipitur, propter ordinem conceptuum.

6 — Pag. 12, linn. 2 s.: scribatur « ... quin tamen congruens personalizatio semper *eam comitetur* ». Ita verum problema describitur; congrua enim personalizatio non imprimis a socializatione expectanda est (11 Patres); vel « ... congruentem *maturationem* personae semper promoveat (3 Patres); alius aliam formulam proponit ad claritatem; alii additionem proponunt: « ... promoveat, *immo quandoque fere extinguat* » (4 Patres); alii, denique, proponunt ut scribatur « quin tamen *intimae personae humanae rationes eiusque autonomiam* (personalizationem) *semper promoveat* », ut vitetur neologismus « personalizatio » (4 Patres).

R. — Servanda est relatio inter socializationem et personalizationem (« quin tamen »). Ut autem horum vocabulorum sensus melius innotescat, quia hic primo adhibentur, scribatur: « Necessitudines hominis cum similibus suis indesinenter multiplic*antur ac simul ipsa « socializatio » novas necessitudines inducit,* quin tamen congruentem *maturationem personae et relationes vere personales* (« personalizationem ») semper promoveat ». Cete-

[141] rum in Cap. de vita politica amplior fit descriptio socializationis. Additio de extinctione personalitatis non admittitur, quia res non patet.

7 — Pag. 12, lin. 4: pro « beneficiis » scribatur « *commodis* » quae vox cautior est et optimismum mitigat (11 Patres).

R. — Accipitur.

[142] 8 — Pag. 12, lin. 9: emendetur mendum « exercit*i*um » (1 Pater) et scribatur: « ad maturius *magisque personale* libertatis exercitium » (3 Patres).

R. — Accipitur.

9 — Pag. 12, lin. 9: post « exercitium » addatur « ... *quin tamen inter veram et falsam libertatem distinguat* » (4 Patres).

R. — Non accipitur quia in hoc loco de his agendum non est.

10 — Pag. 12, linn. 10 s.: scribatur « parvipendendum est quot homines, *ex* variis causis ad migrandum *inducti, vitae suae rationem immutent* ». Non videtur enim factum amplae migrationis commemorandum hoc loco, sed potius immutatio hominum inde resultans (12 Patres); vel scribatur « *Cum tot aliis mutationibus cohaeret migratio* permultorum hominum, *quae et ipsa est inter maiores causas novarum rerum in consortione hominum et nationum* », et inseratur haec nova formulatio post ultimam lineam pag. 11 (3 Patres). Hae duae lineae relationem habent cum iis quae praecedunt (3 Patres).

R. — Accipitur prima propositio, et textus transferatur ut supra (ad 5) dictum est.

AD NUM. 7

1 — Pag. 12, linn. 12-30: Reficiatur totus numerus secundum sequentia criteria:

a) Concilium breve saltem iudicium proferat de factis;

b) Mutationes quae heic referuntur de rebus moralibus, religiosis, etc. non sunt satis accommodatae ad mundum huius temporis: eae sunt communes fere omni aetati;

c) E contra, textus tacet de hoc quod est maxime proprium huius temporis, inde a « Renascentia », sed profundius invenitur nostris diebus: sc. organizatio laica, athea totius vitae socialis, cum lamentabili scissura unitatis christianae, quod silentium eo vel magis mirum est, quod mens Vat. II sit restauratio huius perditae unitatis (5 Patres).

R. — Ad *a*) Scopus huius expositionis excludit iudicia, quae reliquis capitibus huius schematis relinquuntur. [142]

Ad *b*) Celeritas, intensitas et amplitudo harum mutationum sunt characteristicae nostris temporibus propriae.

Ad *c*) Cf. linn. 19-30 huius numeri et insuper nn. 19-21 cap. I, Pars I. Cf. insuper Decreta « De Oecumenismo » et « De [143]
Ecclesiis Orientalibus », iam promulgata, sicut et « Declarationem de libertate religiosa » adhuc promulganda.

2 — Pag. 12, lin. 12: scribatur « *Mens hominis magis* exculta et mutatio structurarum ... », ne videamur affirmare hodie mentem humanam esse mutatam qua talem (1 Pater).

R. — Verbum « mens » hic sumitur in sensu « mentalitatis ». Scribatur « menti*s* ».

3 — Pag. 12, linn. 15: Cf. Mod. 9 ad n. 9.

R. — Scribatur: « fiunt, *et conscii de proprio momento in vita sociali citius in eadem partes habere cupiunt* ».

4 — Pag. 12, lin. 15 scribatur: « *dum saepe parentes in muneribus suis adimplendis in dies maiores difficultates inveniunt* », ne textus sonet offensivus et nimis generalis, quin foveat fiduciam quam filii exhibere debent parentibus (1 Pater); pro « saepe » dicatur « aliquando » (1 Pater); post « parentes » addatur « *aliique educatores aut superiores* » (1 Pater).

R. — Scribatur « *Exinde non raro parentes et educatores in muneribus suis adimplendis in dies maiores difficultates experiuntur* ».

5 — Pag. 12, lin. 17: post « videntur » addatur « ... *praesertim ut apparet in problematica sexualitatis,* inde gravis... », est enim factum nostris diebus maxime agitatum (1 Pater).

R. — Non videtur opportuna haec additio nam hoc est unum problema quamvis magnum, inter alia.

6 — Pag. 12, lin. 20: scribatur « ... eam *a magico mundi conceptu et* a superstitionibus... » (1 Pater), nam differentia est inter superstitionem, quae magis ad actus particulares respicit, et magicum conceptum mundi qui ipsam visionem religiosam subvertit.

R. — Accipitur.

7 — Pag. 12, lin. 23: pro « ab usu religionis » scribatur « *a religione* » (7 Patres); vel « *a praxi re*ligionis » (1 Pater).

R. — Scribatur: « *a* religio*ne practice* discedunt ».

[143] 8 — Pag. 12, linn. 23-27: Tota haec paragraphus videtur aequivoca et etiam falsa, proinde omitti aut corrigi debet. Nam exigentia
[144] progressus scientifici ostenditur ut explicatio negationis religionis (1 Pater).

R. — Textus tantum dicit illam explicationem ut talem sese *exhibere*, quin affirmet illam esse veram explicationem, quod evidenter falsum esset.

9 — Pag. 12, linn. 25-26: Idem legitur fere ad verbum in pag. 23, linn. 18-21 (1 Pater).

R. — Textus sunt inter se satis diversi, etiam quoad contentum. Ceterum, secundum methodum huius expositionis, in ea breviter recensentur problemata de quibus postea fusius loquendum est in Parte I aut II.

10 — Pag. 12, lin. 29: scribatur « historiae interpretatio*nes et leges civiles* afficiunt ita... » nam legislatio civilis vehiculum est efficacissimum ad novas opiniones erga religionem introducendas (1 Pater); alius Pater idem proponit ut addatur particula « *immo* » ante « et leges civiles ».

R. — Accipiuntur; scribatur « *... immo et leges civiles ...* ».

11 — Pag. 12, lin. 29: post « afficiunt » addatur « *et libris, ephemeridibus et radiodiffusionibus pervulgantur* ita ut... » ut ratio habeatur influxus quem media communicationis socialis exercent.

R. — Hoc verum est, tamen est factum adeo generale ut impossibile sit ubicumque de illo loqui, et ideo consulto hic omissum est in praecedenti redactione.

12 — Pag. 12, lin. 29: post verbum « afficiunt » addatur « *reique publicae moderandae eam rationem inducunt ut* exinde ... ».

R. — Provisum aliquatenus supra ad 10.

AD NUM. 8

1 — Modus generalis pro nn. 8 et 9: Stylus est nimis professoralis, rhetoricus, philosophicus et sapit amplificationes scholares rerum tritarum (9 Patres).

R. — Patres textum approbaverunt. Insuper, expositio consulto abstinet ab interpretationibus philosophicis.

[145] 2 — Pag. 12, linn. 31 s.: scribatur « Tam rapida rerum *mutatio* inordinate saepe *progrediens*, immo ... » nam « rerum progressio » vix « peragi » potest (1 Pater).

R. — Admittitur.

3 — Pag. 12, lin. 33: pro « inaequilibria » scribatur « *inharmonia* », [145]
quia sic clarius innueretur agi de duobus elementis qui per se coniungi et uniri debent, quod non significatur per « inaequilibrium » (1 Pater).

R. — Servetur textus nam vox « inharmonia » est debilior ad exprimendum quod hic intenditur.

4 — Pag. 12, linn. 33 s.: scribatur « gign*unt* et aug*ent* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

5 — Pag. 12, lin. 38: addatur « ... valet, quae etiam valorem contemplationis saepe non percipit », ut mentio fiat de hoc gravi defectu hodierno (3 Patres).

R. — In lin. 40, post « personalis », scribatur « *immo et contemplationis* ». Immediate post « contemplationis » addatur nova phrasis, ad mentem Mod. 3 pro n. 5: « *Oritur tandem inter activitatis humanae specializationem et universalem rerum visionem* ».

6 — Pag. 12, lin. 40: scribatur « inter conditiones vitae *socialis* et requisita *responsabilitatis* personalis... » (3 Patres) verbum « responsabilitas » est magis extensum.

R. — Textus consulto remanet in plano cogitationis.

7 — Pag. 12, lin. 41: pro « discrepantiae » scribatur « *contradictiones* » (1 Pater).

R. — Non accipitur nam verbum propositum videtur nimis radicale.

8 — Pag. 12, lin. 42: scribatur « ... sive ex *acerbatiore tensione* inter » (9 Patres), quia textus videtur nimis durus.

R. — Scribatur « sive ex *difficultatibus* inter generationes quae sibi subsequuntur *exsurgentibus* ».

9 — Pag. 13, lin. 2: quaeritur utrum verba « inter virum et mulierem » se referant ad « conflictu » vel ad « necessitudinibus socialibus » (1 Pater).

R. — Sensus, qui ceterum clarus videtur, est quod in familia oriuntur [146]
discrepantiae ex novis necessitudinibus socialibus inter virum et mulierem. Ad maiorem tamen claritatem scribatur « inter vir*os* et mulier*es* ».

10 — Pag. 13, lin. 3: scribatur « *Magnae* discrepantiae *aetatis nostrae* oriuntur inter... » (1 Pater) et prosequatur « ... stirpes, *immo inter* varii... » (1 Pater). Prima propositio vult sublineare momentum discrepantiarum ordinis socialis, altera fit ut vitetur interpretatio ac si discrepantiae oriantur inter stirpes et ordines.

[146] R. — Scribatur « *Magnae* oriuntur etiam discrepantiae inter stirpes *immo inter* varii... ».

11 — Pag. 13, lin. 3: pro « discrepantiae » scribatur « *contradictiones* » (1 Pater).

R. — Cf. resp. ad Mod. 7.

12 — Pag. 13, lin. 6: pro « cupiditatem collectivam » scribatur « cupiditates particulares dominandi », quibus verbis putatur clarius referentiam fieri ad egoismum nationalem (15 Patres); vel scribatur « cupiditatem *nationalem* vel *desiderium* propriae... » (6 Patres); post « disseminandae » (lin. 7) addatur « *in nationibus aliisve coetibus vigentem* », ad maiorem perspicuitatem (1 Pater).

R. — Scribatur « *...denique inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta, et ambitionem propriae ideologiae disseminandae nec non cupiditates collectivas in nationibus aliisve coetibus existentes* ».

13 — Pag. 13, lin. 8: Haec phrasis adiungatur paragrapho immediate praecedenti (1 Pater).

R. — Non videtur opportunum, nam quae hic dicuntur ad totum n. 8 se referunt, et non tantum ad lineam praecedentem.

AD NUM. 9

Modus generalis

1 — Iste numerus iam deberet perfici ex iis quae infra n. 13 dicentur de peccato. Nam quae heic dicuntur, non satis distinguunt condicionem essentialem naturae a condicione naturae peccatricis (10 Patres).

R. — Peccatum est factum quod nonnisi ex revelatione plene innotescit. Porro « condicio essentialis » minus perspicua est quam
[147] status realis naturae lapsae. Ideoque, quia expositio introductiva non intendit nisi facta ostendere, quin de ipsis interpretatio praebeatur, servetur textus.

2 — Pag. 13, lin. 14: pro « sibi » scribatur « *ei* » nam agitur de dignitate hominis, et non coetuum qua talium (10 Patres).

R. — Textus vult dignitatem quoque coetuum affirmare.

3 — Pag. 13, lin. 17: pro « vivida conscientia », scribatur « *naturali instinctu* » quia illam tantum homines bonae et solidae culturae acquirunt (1 Pater).

R. — Verba proposita sunt vaga. Porro textus non directe agit de causis, sed de facto egestatis. [147]

4 — Pag. 13, lin. 21: scribatur: « ... distantia *simul ac* persaepe dependentia *etiam* oeconomica » nam distantia et interdependentia dantur simul et non tantum in re oeconomica (5 Patres).

R. — Accipitur.

5 — Pag. 13, lin. 23: scribatur « ... opulentiores, *aliquando etiam cum minis* interpellant » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium de particularibus loqui.

6 — Pag. 13, linn. 23-24: scribatur « Mulieres sibi vindicant... *illas partes quae eis iure competunt, et de facto eis agnoscendae sunt* » (1 Pater); vel « *aequitatem* cum viris, *et quidem non solum de* iur*e, sed etiam de* facto » (3 Patres). Prima emendatio vult textum accuratiorem reddere, ne limites proprios uniuscuiusque sexus praetergrediantur; altera ut stylus melior evadat.

R. — Scribatur: « Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, *paritatem de* iure et *de* facto cum viris ».

7 — Pag. 13, lin. 27: post verbum « culturali » addatur verbum « *religiosa* » aut « *spirituali* », et ratio est quia in hoc campo mulieres habent charisma complementarium charismatibus virorum (1 Pater).

R. — Textus non agit de mulieribus sed de opificibus et ruricolis.

8 — Pag. 13, lin. 27: Expungantur verba « Nunc primum in historia humana », nam non constat historice affirmatio tam absoluta (1 Pater).

R. — Factum quod affirmatur non potest in dubium revocari; ad maiorem claritatem scribatur « *universi populi* » (lin. 28) ut appareat textum agere de persuasione universali, et non necessario de uniuscuiusque conscientia. [148]

9 — Pag. 13, lin. 29, addatur: « *Insuper iuvenes, conscii quod eorum momentum in societate in dies crescit, suae formationis responsabiles esse et in vita sociali partes citius habere cupiunt* », ut memorentur valde prementes appetitiones iuventutis quae inter maiores causas perturbationum recensentur (1 Pater).

R. — Accipitur sed in pag. 12, lin. 15, n. 7, et brevius, ut ibi indicatur (cf. Mod. 3, ad n. 7).

[148] 10 — Pag. 13, lin. 40: rogatur sensus quaestionis « Unde seipsum interrogat » (1 Pater).

R. — Interrogatio hominis est circa modum res ita componendi ut in bonum omnium revera ordinentur. Textus videtur satis clarus.

AD NUM. 10

1 — Pag. 14, lin. 8: post « facit » inseratur explicite citatio ex *Rom.* VII, post implicitam in textu, et praesertim vv. 24-25, ubi unicum remedium insufficientiae humanae, gratia Christi, nominatur (1 Pater).

R. — Post « facit » ponatur nota (1) cf. *Rom.* 7, 14 ss.

2 — Pag. 14, lin. 9: pro « cuius » scribatur « *quorum* » (16 Patres).

R. — Accipitur.

3 — Pag. 14, lin. 17: pro « ullae » scribatur « *omnis* » (1 Pater).

R. — Accipitur.

4 — Pag. 14, lin. 18: scribatur « ... existimantes, ei totam significationem ex *solo* proprio ingenio... » (et deleatur « suo »), nam homines quamdam significationem semper dant suae existentiae (1 Pater).

R. — Accipitur.

5 — Pag. 14, lin. 21 s.: Quaestio haec non placet quia dolor, malum et mors de se sunt mere negativa et non habent sensum (1 Pater).

R. — Ratio adducta accipi nequit.

[149] 6 — Pag. 14, lin. 25: Tollantur verba « Ad quid haec omnia? » quia vaga et non necessaria (1 Pater).

R. — Admittitur, nam haec interrogatio pleonastica videtur.

7 — Pag. 14, lin. 26: scribatur « Credit autem Ecclesia Christum... », sed ratio non affertur (12 Patres).

R. — Accipitur ut magis servetur unitas styli.

8 — Pag. 14, lin. 27: pro « resuscitatum » scribatur « *redivivum* » vel « *resurgentem* », ne Christus videatur resuscitatus ut alii mortales, sed ut resurgens per seipsum et Auctor vitae.

R. — Textus videtur sufficienter perspicuus.

9 — Pag. 14, lin. 27: post « resuscitatum » addatur referentia ad *2 Cor.* 5, 15, et pro « homini » scribatur « homini*bus* », ut ser-

vetur nom. pluralis, expungatur verbum « ille » et in lin. 28 scri- [149]
batur « pos*sint* » (1 Pater).

R. — Accipitur. Addatur referentia ad calcem expositionis (2) cf. 2 *Cor.* 5, 15. Reliquae mutationes non videntur necessariae.

10 — Pag. 14, lin. 29, post verbum « fieri » addatur referentia ad *Act.* 4, 12 (idem Pater).

R. — Admittitur, et addatur ad calcem: (3) cf. *Act.* 4, 12.

11 — Pag. 14, lin. 29 ss.: post « salvos fieri », addatur « *Credit insuper omnibus mutationibus subesse multa, quae non mutantur quaeque fundamentum suum ultimum habent in Christo, qui est heri, hodie, ipse et in saecula.* Credit *denique* in benignissimo Domino... ». Ratio est ut sermo quoque fiat de immutabilibus (13 Patres). Unus Pater vult ut tollatur verbum « benignissimo » utpote contextui minus congruum, et alii (15 Patres) ut expungatur verbum « clavem » (lin. 30) quia gallicismum sapit nec facile vertitur.

R. — Scribatur inde a lin. 29: « Similiter credit in Domino ac Magistro suo, clavem, centrum et finem inveniri totius humanae historiae. *Affirmat insuper Ecclesia omnibus mutationibus subesse multa quae non mutantur quaeque fundamentum suum ultimum habent in Christo, qui est heri, hodie, ipse et in saecula* » (4). Propter rationem adductam deletur verbum « benignissimo » (lin. 30), propter cursum idearum delentur verba « hominis » (lin. 30) et « nec non » (lin. 31). Sed retinetur verbum « clavem »
(lin. 30) nam ideam exprimit quae non satis innuitur verbis « cen- [150]
trum » et « finem ». Additio de Christo fundamento rerum immutabilium accipitur in sensu assertivo et non exclusivo, nam Christus fundamentum est multarum mutationum. Quia vero contentus propositionis non est sufficienter determinatus, pro « Credit » scribitur « Affirmat », et ne cursus idearum disrumpatur, additio ponitur in lin. 31, post verbum « historiae ».

Scribatur ad calcem: (4) cf. *Hebr.* 13, 8.

12 — Pag. 14, lin. 31: post « historiae » inseratur « Christi enim auxilium non tantum ad vitam singuli hominis dirigendam requiritur, sed etiam ad mores societatis humanae melius componendos, nec non ad crimina cladesque vitanda ». Sine his additamentis textus incompletus videtur (1 Pater).

R. — Idea proposita, quae omnino vera est, sufficienter exponitur infra, sub n. 32.

[150] 13 — Pag. 14, lin. 32: scribatur « ... invisibilis, *novi et indeficientis Hominis,* Primogeniti ... », ut extollatur idea de Christo novo Adamo (1 Pater).

R. — Additio non videtur necessaria, et idea iam innuitur verbis « Primogeniti, etc. ».

14 — Pag. 14, lin. 32: post « creaturae » addatur referentia ad *Col.* 1, 15 (1 Pater).

R. — Admittitur, et scribatur ad calcem: (5) cf. *Col.* 1, 15.

15 — Pag. 14, linn. 33 ss.: scribatur « ... atque ad *cooperandum in detectione solutionis praecipuarum quaestionum nostri temporis* omnes ... », nam sic textus melius respondet dictis in relatione ad n. 10, sub litt. (A), pag. 17 (3 Patres).

R. — Admittitur, sed scribatur « ... atque ad *cooperandum in solutione praecipuarum quaestionum nostri temporis invenienda* omnes ... ».

[151]

PARS I

DE ECCLESIA ET VOCATIONE HOMINIS

CAPUT I

DE HUMANAE PERSONAE DIGNITATE

Exitus suffragationum de numeris 11-22

Suffr. I, par. 11

Votantes	2.113
Placet	2.074
Non placet	27
Vota nulla	12

Suffr. II, par. 12-18

Votantes	2.133
Placet	2.088
Non placet	35
Vota nulla	10

Suffr. III, par. 19-22 [151]

Votantes	2.144
Placet	2.057
Non placet	74
Vota nulla	13

Suffr. IV, de integro Capite

Votantes	2.149
Placet	1.672
Non placet	18
Placet iuxta modum	453
Vota nulla	6

Ergo integrum Caput I cum introductione et omnibus partibus suis in Congregatione Generali adprobatum est.

AD NUM. 11: [*Impulsionibus Spiritus respondendum*] [152]

1 — Pag. 19, linn. 1-5 (et alibi): Duo Patres conqueruntur, quod « Populus Dei » et « Ecclesia » promiscue adhibentur, quin attendatur, quod « Ecclesia » exprimit in primis hierarchiam, « Populus Dei » e contra vagam significationem habeat.

R. — Maneat textus, quia 1. Ecclesia non dicit tantum hierarchiam et 2. quae dicuntur valent de tota Ecclesia seu Populo Dei.

2 — Pag. 19, linn. 1-5: Duo Patres volunt, ut hae lineae supprimantur et incipiatur: Fides Populi Dei, qua credit se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum, omnia novo lumine illustrat et divinum propositum de integra hominis vocatione manifestat. Concilium ergo illos imprimis valores, qui hodie ...

R. — Haec omissio fieri nequit, cum lineae ad finem textus assequendum videantur necessariae.

3 — Pag. 19, linn. 3-5: Unus Pater vult, ut dicatur sic: « ... even*tus*, exigent*ias*, optat*a*, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, *sub luce revelati consilii Dei considerat,* et quaenam *forte* sint in illis signa ipsius consilii atque praesentiae Dei discernere satagit. Fides enim ... ».

R. — Non videtur necessarium mutare textum receptum.

4 — Pag. 19, lin. 5: 14 Patres petunt, ut post verba « vel consilii Dei », addatur: « vel ex adverso, praesentiae Diaboli, in quo

[152] mundus totus positus est » (cum referentia, in nota, ad S. Ioannem).

R. — Quae optantur, sufficienter implicari videntur in verbis « consilii Dei » et « dignoscere ».

5 — Pag. 19, linn. 9-12: Unus Pater proponit, ut haec sententia sic adimpleatur: « Concilium imprimis valores *humanos,* qui hodie maxime aestimantur, sub hoc lumine diiudicare et ad fontem suum divinum referre intendit. Hi enim valores *eorumque divitiae* ab hominis ingenio eidem divinitus collato *ac Dei Revelationes* suffulto deteguntur: tamen humani cordis corruptione, a sua ... ».

Alius Pater petit hanc redactionem: « Concilium in primis illos valores ordinis temporalis, qui hodie maxime aestimantur, in seipsis considerare, sub hoc lumine ... ».

[153] R. — Accipitur mutatio stylistica: « prout ex hominis ingenio eidem divinitus collato ... ». Reliqua non videntur esse necessaria.

6 — Pag. 19, lin. 12: Unus Pater petit, ut lin. 12 sic scribatur: « sed eorum usus a sua debita ordinatione non raro detorquetur; ita ut purificatione indigeat ».

R. — Mutatio proposita non cum textu consonat. De valoribus non dici potest, quod eorum usus detorquetur. Textus maneat.

7 — Pag. 19, linn. 12 ss.: 5 Patres volunt, ut deleantur verba « non raro », quia semper purificatione indigeant.

R. — Deinde textus minus correctus evadaret; propterea maneat textus.

8 — Pag. 19, lin. 13: Unus Pater proponit, ut loco « ita ut purificatione indigeant » dicatur: ita ut restauratione ac purificatione indigeant.

R. — Maneat textus, quia additio indigeret ulteriore explicatione.

9 — Pag. 19, lin. 14: Duo Patres volunt, ut loco « de homine » dicatur: De hominis condicione.

R. — Non admitti potest, quia praecise de ipso homine agitur.

10 — Pag. 19, linn. 14-20: 13 Patres volunt, ut hae lineae deleantur utpote inutilis repetitio eorum, quae iam in parte introductoria dicta sunt.

R. — Non admitti potest propter correspondentiam ad partem II. Omittantur tamen indicationes capitum: (Cap. I) etc.

11 — Pag. 19, lin. 14: Tres Patres volunt, ut in lin. 14 loco « sentiat » dicatur: « sentit ». [153]

R. — Admittitur.

12 — Pag. 19, lin. 18: Unus Pater monet de mendo typographico: scribatur « inseritur ».

R. — Admittitur.

13 — Pag. 19, lin. 18: 6 Patres volunt, ut in lin. 18 dicatur: « Exinde luculentius apparebit populum Dei, humano generi, in quo ille inseritur, servitium praestare, ita ut ... »: ne iuxtaponantur duae familiae humanae.

R. — Non admittendum videtur, quia aliqua distinctio necessaria est ad fundandum dialogum. [154]

14 — Pag. 19, linn. 19 s.: Duo Patres postulant, ut dicatur: « et ex hoc ipso, ad exemplum Christi, qui cum esset Deus homo factus est, summe humanum se exhibeat ».

R. — Non admittitur, quia de Christo in n. 22 agetur.

AD NUM. 12 [*De homine ad imaginem Dei*]

1 — Pag. 19, Titulus Capitis: 13 Patres volunt ut titulus sit: « De humanae personae dignitate et de corruptione naturae ».

R. — Non videtur admittendum, quia superfluum.

2 — Pag. 19, linn. 22-30: 12 Patres volunt, ut textus fiat brevior et vitetur stylus professoralis.

R. — Maneat textus a Congregatione Generali approbatus.

3 — Pag. 19, lin. 23: Unus Pater putat non convenire affirmare hominem esse centrum et culmen terrae.

R. — Maneat textus, quia est doctrina S. Scripturae.

4 — Pag. 19, lin. 24: Unus Pater vult, ut addatur: « et per hominem ad Deum finem ultimum ».

R. — Deinde autem noniam dici posset de credentium et non-credentium fere concordi sententia.

5 — Pag. 19, linn. 24-28: 3 Patres proponunt, ut loco linn. 24-28 dicatur sic: « ad hominem ordinanda sunt, tamquam centrum et culmen; maxima vero dissensio inter homines nostrae aetatis existit de quaestione quomodo homo suam dignitatem affirmet, Deo tamquam ultimo centro et culmine vitae suae agnito aut negato

[154] vel neglecto », ut vitetur falsus anthropocentrismus et ut thema atheismi iam introducatur.

R. — Non admittitur, quia hic agitur de eis, quae Ecclesia dicat. De dissensione hominum postea agitur.

6 — Pag. 19, lin. 28: Duo Patres volunt, ut post verbum « anxius » addatur: remanens.

R. — Non videtur necessarium.

[155] 7 — Pag. 19, lin. 29: Unus Pater postulat, ut propter ordinem logicum pag. 20, lin. 12 transferatur ad pag. 19, lin. 29, quia quaestioni hic positae ibi responsum datur.

R. — Haec mutatio non videtur necessaria.

8 — Pag. 19, linn. 28-30: Unus Pater putat hanc locutionem sonare triumphalisticam in auribus aliorum.

R. — Textus aliquomodo mitigetur eo, quod in lin. 30 dicatur: deline*e*tur, explan*e*ntur, poss*i*nt.

9 — Pag. 20, lin. 1: Unus Pater vult, ut post « imaginem » addatur: et similitudinem.

R. — Non admittitur propter quaestiones interpretationis.

10 — Pag. 20, lin. 2: Unus Pater iudicat locutionem adhibitam valde impropriam esse; requiri, ut finis hominis clare enuntietur.

R. — De rebus, quae necessariae sunt, videtur sufficienter agi.

11 — Pag. 20, lin. 2: Unus Pater vult, ut ad verba « ad imaginem Dei creatam » addatur: et in adoptionem filii ipsius Dei vocatum esse.

R. — Non admittitur, quia hic agitur solum de consequentiis ex ordine naturali.

12 — Pag. 20, linn. 1-3: Tres Patres volunt, ut dicatur sic: « Sacrae Litterae docent "ad imaginem Dei" creatum esse, capacem suum Creatorem cognoscendi et amandi, ad hoc ut dominium et usum rerum in Eum tamquam finem tenderet, seque et universam creaturam in Eius gloriam ordinaret et ad vitam aeternam perveniret. Quapropter a Deo constitutus est dominus super omnes creaturas terrenas, ut eas regeret ... ».

209 Patres proponunt hanc formam: « Sacrae enim Litterae docent hominem "ad imaginem Dei" et ut filium suum creatum esse ut cognoscat, et oboediat Deo Eumque amet et proximum suum, et ita ad vitam aeternam perveniat. A Deo constitutus est homo super omnes creaturas terrenas, ut eas regeret ... ».

Unus Pater similibus verbis proponit: « Sacrae enim Litterae docent hominem "ad imaginem Dei" creatum esse et participem divinae naturae factum, ut in veritate Deum agnoscat Ipsumque in amore serviat, et ita vitam consequatur aeternam. A Deo insuper tamquam dominus super creaturas terrenas est constitutus, ut ... ». [155]

R. — Ad tres illos Modos: Sub respectu, sub quo res in textu tractatur, non videtur necessarium, completam doctrinam de fine hominis proponere. [156]

13 — Pag. 20, linn. 1 ss.: 13 Patres conquerunt, quod textus silet de hominis elevatione supernaturali.

Ex eadem ratione duo Patres proponunt, ut in lin. 2 post « creatum esse » addatur: « ut filium suum ».

17 Patres volunt, ut in lin. 2 addatur: « et amandi eoque finaliter fruendi, ab eo tamquam ... ».

R. — Idem ac pro Modo antecedente.

14 — Pag. 20, lin. 3: Unus Pater vult, ut in nota 1 addantur alii textus biblici: cf. *Gen.* 1, 26; 5, 1; 9, 6; *Sap.* 2, 23; *Eccl.* 17, 1; *1 Cor.* 11, 7; *Col.* 3, 10.

R. — Postquam citationes examinatae sunt ab exegetis, manendum videtur in textibus iam citatis.

15 — Pag. 20, linn. 3-4: 5 Patres volunt, ut dicatur: « ... eisque uteretur et frueretur ... », ne solummodo aspectus technicus describatur.

R. — Sufficienter continentur in verbo « uteretur ». Abusive intellegi posset.

16 — Pag. 20, lin. 8: Unus Pater vult, ut loco « hominem » dicatur: virum.

R. — Non admittitur, quia valet de homine generatim.

17 — Pag. 20, linn. 8-12: Unus Pater vult, ut hae lineae deleantur et earum loco dicatur: « Homo autem ex intima sua natura ens sociale est atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes naturales expandere potest ». Linn. 14 s. etiam deleantur.

R. — Non videtur admittendum.

18 — Pag. 20, linn. 8-12: 17 Patres volunt, ut scribatur sic: « At Deus non creavit hominem solum. A primordiis "masculum et feminam creavit eos" (*Gen.* 1, 27), quorum consociatio primam formam efficit communionis personarum. Homo igitur ... », quia de matrimonio eiusque finibus in speciali capite agetur.

[156] Alius Pater haec proponit: « Qua consociatio viri ac mulieris primam formam efficit communionis personarum, ad societatem
[157] in amore et mutuo adiutorio condendam et ad stirpem humanam propagandam », ut cursus idearum magis pateat.

Unus Pater hanc formam proponit: « At Deus non creavit hominem solum, immo secundum Patres totum genus humanum qua tale ad imaginem suam creavit et exinde homo ex intima sua natura socialis est atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes expandere potest. Ad hanc vero naturam socialem in hominibus firmandam, Deus a primordiis masculum et feminam creavit eos (*Gen.* 1, 27). Quae consociatio viri ac mulieris primam formam efficit communionis personarum ad stirpem humanam propagandam et ad societatem in amore et mutuo adiutorio condendam », cum referentia in nota ad Gregorium Nyssenum, De hominis opificio, c. XVI: *PG* 44, 185 CD.

R. — Ad tres illos Modos: Deleantur in linn. 10-12 verba: « ad stirpem ... adiutorum condendam ». Admittitur correctio stylistica: « creavit eos (*Gen.* 1, 27), quorum consociatio primam formam ... ».

19 — Pag. 20, lin. 13: Unus Pater vult, ut dicatur loco « nec vivere »: nec bene vivere.

R. — Non videtur necessarium esse.

20 — Pag. 20, lin. 11: 3 Patres proponunt, ut loco « et » dicatur: simulac (vel simulque).

R. — Provisum est in responso ad Modum 18.

21 — Pag. 20, linn. 14 s.: Unus Pater petit, ut auferatur sententia: « Deus igitur ... erant valde bona », quia non pertineat ad rem.

R. — Maneat textus, quia tradit transitum ad n. de peccato.

AD NUM. 13 [*De peccato*]

1 — Pag. 20, linn. 16-27: 13 Patres volunt, ut expressa mentio fiat peccati protoparentum. Unus Pater proponit aliam dispositionem materiae huius paragraphi.

R. — *a*) Non videtur necessarium esse ad rem. Agitur de peccato iam inde ab initio.

b) Mutatio ordinis materiae fieri nequit.

2 — Pag. 20, linn. 16-21: 3 Patres monent, quod textus paulinus non est ad rem in lineis antecedentibus expressam. Unus ex

eis proponit hanc mutationem: « In iustitia a Deo constitutus (B), homo autem, suasione Maligni (C) ( ) libertate sua abusus est ac seipsum contra Deum erexit. Finem suum extra Deum attingere cupiendo, filii hominum, "cum cognovissent Deum..." ». [158]

R. — Hic Modus eatenus admittendus esse videtur, quod textus paulinus sine uncis enuntiatur et in referentia dicitur: cf.

3 — Pag. 20, linn. 16 s.: Unus Pater proponit hanc formam: « *Quamvis* homo a Deo in iustitia constitutus *fuerit,* suasione tamen Maligni ... ».

Alius vult hanc formam: « Homo autem, in iustitia a Deo constitutus, suasione Maligni inde ab exordio historiae libertate sua ... ».

Denique unus Pater vult, ut loco « Maligni » aliquoties saltem dicatur « Diabolus ».

R. — Primus et secundus Modus non videntur textum meliorare. Ad tertium Modum dicendum esset, quod in hoc loco videtur melius verbum Malignus.

4 — Pag. 20, lin. 16 s.: Loco « In iustitia... libertate sua ... » dicatur: « Homo ad ordinem supernaturalem a Deo elevatus in ipso momento suae creationis, per peccatum protoparentum — suasione Maligni commissum — gratiam et cetera dona quibus ornatus fuerat amisit. Ita debilior factus, libertate sua abusus est ... ». Ratio: ad clarius explicandam elevationem supernaturalem.

R. — Non videtur accipiendus novus textus tam longus, novam ideam inducens.

5 — Pag. 20, linn. 17 et 30: Cur Malignus cum maiuscula scribitur?

R. — Quia non est nomen commune, sed proprium Diaboli.

6 — Pag. 20, linn. 17-21: Duo Patres volunt ut scribatur: « suasione Maligni inde ab initio in peccatum lapsus, in toto decursu historiae multis modis peccando libertate sua abusus est ... quam Creatori (*Rom.* 1, 21-25). Et ita peccatum abunde intravit in mundum, atque homines servi peccatis facti sunt, eo ipso angustiati et egentes redemptione (*Rom.* 5, 12-21). Quod Revelatione... ».

R — Haec videtur specificatio non necessaria, non sine difficultatibus, et commentario egens.

7 — Pag. 20, lin. 22: Plures Patres volunt, ut phrasis « ex ipsa experientia innotescit » mutetur. 5 ex eis proponunt: « Haec Re- [159]

[159] velatio divina in ipsa nostra experientia translucet »; 17 proponunt: « ... ipsi experientiae concordat ». 3 volunt: « ipsa experientia suo modo testatur ».

R. — His Modis satisfaciendum esse videtur assumendo formam secundi Modi: « ... ipsi experientiae concordat ».

8 — Pag. 20, linn. 23 et 25: 7 Patres postulant, ut restringatur enuntiatio dicendo in lin. 23: « ... *etiam* ad malum inclinatum... » in lin. 25: « principium suum *saepe* agnoscere ... ».

R. — Resp. Hic Modus accipiendus esse videtur.

9 — Pag. 20, lin. 24: Tres Patres postulant additamentum ad « a bono Creatore suo provenire non possunt ».

Unus proponit « a voluntate et sapientia Creatoris ... ».

Alius « quae a Creatore suo, qui est supreme bonus, provenire ... ».

Alius: « quae a Creatore suo, Bono supremo ... ».

R. — Additamenta non videntur esse necessaria.

10 — Pag. 20, lin. 24: In sequenti phrasi unus Pater vult hanc mutationem: « Deum tamquam principium suum agnoscere renuens, *etiam rectitudinem ordinationis suae ad ipsum Deum, finem suum ultimum, ad seipsum et ad alios homines* disrupit ».

R. — Admittatur correctio in hac forma: « etiam debitum ordinem ad finem suum ultimum, simul ac ... ».

11 — Pag. 20, linn. 26 s.: 32 Patres desiderant dimensionem « cosmicam » peccati. Propterea 18 eorum proponunt, ut in lin. 26 addatur « ... sive erga alios homines *sive erga totam creationem* ordinationem ... »; 15 alii postulant, ut post « disrupit » addatur: « immo in ipsis mundi rebus, a Deo in bonitate creatis, potestatem peccati experitur ».

R. — Satisfaciendum esse videtur his Modis in hac forma: « ... sive erga alios homines et ad omnes res creatas ... ».

12 — Pag. 20, linn. 28-31: Variae mutationes exoptantur. Duo Patres dicunt textum sapere exaggerationem, ideoque supprimatur.

3 Patres proponunt hanc mutationem: « Ideo in seipso sic divisus est homo ut in tota vita sua, sive singulari sive collectiva, cum sancto Paulo dicere possit: condelector legi Dei secundum
[160] interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati quae est in membris meis (*Rom.* 7, 22-23) ».

R. — Videtur textus manere debere.

13 — Pag. 20, lin. 30: Plures Patres conqueruntur de « inter Malignum et Deum ». 5 volunt, ut haec verba omittantur. Unus vult, ut invertantur: « ... inter bonum et malum, inter lucem et tenebras, inter Deum et Malignum ». Unus Pater vult, ut loco illorum verborum dicatur: « ... inter aspirationes sublimes et tentationes pravissimas », propter non-christianos. [160]

R. — Inversio admittitur propter stylum. Deletur « inter Malignum et Deum ».

14 — Pag. 20, lin. 31: 19 Patres volunt ut addatur: « ... per seipsum omnes *mali* impugnationes ... ».

R. — Hoc additamentum non videtur necessarium.

15 — Pag. 20, lin. 33: Exoptantur additiones. Unus Pater vult ut post « sentiat » addatur « Qui enim facit peccatum, servus est peccati (*Io.* 8, 34) ». Alius vult, ut in eodem loco addatur: « Quod verum est non tantum de hominibus singulariter sumptis, sed etiam de coetibus et nationibus immo de toto genere humano uti ex historia constat ».

R. — Stet textus in Congregatione generali acceptus.

16 — Pag. 20, lin. 33: loco « ipse Dominus » dicatur « ipse Dominus *Iesus* ».

R. — Non videtur necessarium.

17 — Pag. 20, linn. 34 s.: Unus Pater vult hanc mutationem: « ... ac principem huius mundi (*Io.* 12, 31) vincens qui eum in servitute peccati *retinebat* ». Ratio: in contextu: « foras eiiciens » non quadrat.

R. — Maneat terminus biblicus in textu. Mutetur « retinet » in: « retinebat ».

18 — Pag. 20, linn. 35 s.: 3 Patres proponunt hanc formam: « ... retinet. Peccatum autem *sic magis manifestatur iniquum, cum non solum* hominem minuat, a plenitudine consequenda eum repellens, *sed etiam eum ipsi Christo, Domino ac Redemptori, opponat* ». Ratio: ut evitetur falsus anthropocentrismus in peccato.

R. — In Modo non videtur attendi ad respectum, sub quo res hic tractatur: praecise hoc exhibetur, quod peccatum non est tantum actio contra Deum, sed etiam contra ipsum hominem peccantem. Propterea maneat textus. [161]

19 — Pag. 20, lin. 36: « Unus Pater vult, ut post « repellens » addatur: « .. dum in statu viatoris se praestare (aut comprobare) de-

[161] bet». Alius Pater vult mutationem «... minuit, *a perfectione* (aut: a natura perfecta) consequenda eum repellens».

R. — Hae mutationes non videntur necessariae, immo sensum praecisum textus turbare videntur. Ergo maneat textus.

20 — Pag. 20, lin. 37: Unus Pater proponit: «In lumine huius Revelationis simul sublimitas (aut suprema dignitas) vocationis et...».

R. — Accipitur Modus in hac forma: «... simul sublimis vocatio et profunda miseria ....

21 — Pag. 20, lin. 38: loco «rationem suam ultimam inveniunt» dicatur: «ex ratione sua ultima clarescunt».

R. — Non videtur accipiendum, quia textus clarior est.

22 — Pag. 20, lin. 38: 18 Patres volunt, ut loco «quas» dicatur: «quam». Ratio: solum miseriam, non autem vocationem homines experiuntur.

R. — Non videtur necessaria haec mutatio.

AD NUM. 14 [*De hominis constitutione*]

1 — Pag. 20, linn. 40 s.: Unus Pater vult, ut redeatur ad textum antiquum: «... elementa ... in ipso vocem attollunt, ut Creatori laudem deferant, quae per libertatem humanam plenum suum valorem consequitur».

R. — Hoc admitti nequit, quia textus in Congregatione generali approbatus est.

2 — Pag. 21, lin. 1: Textus mutetur sic: «Vitam ergo corporalem homini despicere non licet, sed e contra ipse corpus suum honore dignum habere tenetur quia a Deo creatum ut inextricabiliter animae coniunctum cuius vicissitudines patitur usque ad gloriam in resurrectione carnis». Ratio: nexus inter corpus et animam melius apparere debet.

R. — Non videtur necessarium, e contra videtur turbare textum.

[162] 3 — Pag. 21, lin. 3: Unus Pater vult ut legatur: «... tenetur; peccato tamen ...».

R. — Non videtur necessarium.

4 — Pag. 21, lin. 4: Unus Pater petit, ut loco «nec» scribatur: «neve».

R. — Hic Modus videtur meliorare textum. Ergo admittatur.

5 — Pag. 21, lin. 6: 3 Patres postulant, ut propter stylum invertatur: «... cum se rebus corporalibus superiorem».

R. — Hic Modus admittatur, quia textum meliorem reddit.

6 — Pag. 21, lin. 8: Duo Patres volunt ut loco « Interioritate sua » dicatur « Anima enim sua spirituali », vel « Spiritu enim suo ... ». Ratio: Interioritas sapit pietismum protestanticum. [16 2]

R. — Periculum, quod timetur, non videtur adesse. Maneat textus.

7 — Pag. 21, lin. 8: Unus Pater proponit, ut post « universitatem rerum » addatur: « materialium ».

R. — Additio huius verbi non videtur admittenda. Sunt res non materiales (e. g. ordo socialis), quas homo excedit.

8 — Pag. 21, lin. 12: Unus Pater vult, ut loco « in seipso » dicatur: « seipsum ».

R. — Hoc non videtur necessarium. Maneat textus.

9 — Pag. 21, linn. 12-14: 10 Patres proponunt hanc mutationem: « ... non *manet tantum in immediato studio et consideratione rerum* physic*arum* et conditi*onum* social*ium,* sed *et* ultimatim ipsum sensum contingentiae rerum attingit ». Ratio: ne dicatur despective de scientiis.

R. — Cum in textu non agatur de scientiis, periculum quod timetur, non adest. Propterea maneat textus.

AD NUM. 15 [*De dignitate intellectus, de veritate et de sapientia*]

1 — Pag. 21, lin. 16: Unus Pater vult, ut deleatur « autem ».

R. — Videtur admittendum.

2 — Pag. 21, lin. 16: 9 Patres proponunt hanc mutationem: « ... homo, lumine a Deo concesso, ... ». Ratio: ad evitandum pantheismum. [163]

R. — Maneat textus, quia hoc periculum sine ratione timetur.

3 — Pag. 21, lin. 18: Postquam unus Pater conqueritur, quod nihil dicitur de pulchris artibus, 5 Patres proponunt: « ... in scientiis empiric*is,* artibus technicis *et liberalibus* sane profecit »; et in linn. 20 s. proponunt iidem additionem: « Semper tamen profundiorem veritatem *et humaniorem pulchri expressionem* quaesivit et invenit ».

R. — Primum punctum admittatur, non autem alterum.

4 — Pag. 21, linn. 20 s.: Unus Pater petit restrictionem: « ... successus (A). Profundiorem tamen veritatem semper quaesivit atque saepe invenit ». Ratio: secus sonus nimis optimisticus.

R. — Haec restrictio non videtur necessaria.

[163] 5 — Pag. 21, linn. 22: Quattuor Patres proponunt mutationem: « ... sed aliquam intelligibilitatem rerum cum vera certitudine adipisci valet ».

R. — Etiam hic textus videtur manere posse.

6 — Pag. 21, lin. 25: Unus Pater desiderat, ut addatur: « per fidem et sapientiam, scientia et studio perficitur ».

R. — Pro respectu, sub quo res his tractatur, textus videtur sufficere.

7 — Pag. 21, linn. 29 s.: Unus Pater vult ut scribatur: « ... indiget ut humaniora fiant *quam plurimum et miranda illa* nova *quae* ipse ... ».

R. — Maneat textus.

8 — Pag. 21, linn 31 s.: Loco « Insuper notandum ... » dicatur: « Insuper notandum est plures nationes, bonis quidem oeconomicis pauperiores, sapientia vero ditiores ... ». Ratio: melior latinitas.

R. — Admittendum videtur.

9 — Pag. 21, lin. 35: 3 Patres volunt propter stylum hanc mutationem: « homo invitatur et urgetur, ut ... contempletur et fide recte sapiat atque de eo gaudeat ».

R. — Mutatio non videtur necessaria.

[164] AD NUM. 16 [*De dignitate conscientiae moralis*]

1 — Reficiatur, ut sermo fiat non tantum de conscientia naturali, sed de Lege positiva a Deo revelata, tum in Vetere, tum in Novo Testamento.

R. — Talis mutatio non iam est possibilis.

2 — 18 Patres volunt ut invertantur numeri 16 et 17 propter logicam.

R. — Videtur alicuius momenti esse, de conscientia ante libertatem agere. Ideo maneat ordo.

3 — Unus Pater monet maximum valorem hominis esse inhabitatum esse SS. Trinitate.

R. — Hoc quidem verissimum est, tamen sub respectu, qui hic valet, non potest explicite de hac re agi.

4 — Pag. 21, linn. 37 ss.: Petitur substitutio alterius textus.

17 Patres proponunt hunc textum: « In imo conscientiae legem homo detegit, quam *a suis placitis independentem et ideo tamquam vim* cui oboedire debet *ad bonum prosequendum experitur, quin illam semper dilucide discernere valeat.* Nam ... ».

Unus Pater proponit: « Conscientia moralis actu, quo de sibi [164]
agendis vitandisque iudicat, homo se quidem tamquam iudicem sententias proferre experitur non tamen proprio libitu, quasi sibi legislator esset supremus. Ipse enim iudicandi actus incitantur boni quodam instinctu atque tacitae cuidam intimae legi subest. Unde iudicandus iudex in imo corde suo legem invenit Dei bonum imperantis malumque vetantis, cui parere ipsa est eius dignitas ».

3 alii adhuc maiorem novum textum proponunt: « In imo conscientiae homo detegit legem, quam ipse sibi non dat, sed cui se subditum esse sentit, et cuius vox, semper ad bonum amandum et faciendum, malum autem vitandum eum advocat. Haec vox ubi oportet auribus cordis clare sonat: fac hoc, illud devita. Nam homo legem cordi suo inscriptam habet, cui parere ipsa eius dignitas est. Conscientia est "nucleus secretissimus" atque "sacrarium hominis, in quo 'solus est cum Deo, cuius vox resonat' in intimo eius" (Pius XII, *A.A.S.,* 44, pag. 271). Conscientia hominem simul ad suam ipsius integritatem et ad unionem simul ad suam ipsius integritatem et ad unionem cum Deo et proximo invitat et impellit. Conscientiae modo mirabili illa
lex innotescit, atque in Dei et proximi dilectione adimpletur [165]
(*Gal.* 5, 14). Fidelitate erga conscientiam christiani ceterique homines coniunguntur ad veritatem inquirendam et tot problemata moralia, quae tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsurgunt, in veritate solvenda. Quo magis ergo conscientia recta praevaleat, eo magis personae et coetus a caeco arbitrio recedunt et normis obiectivis moralitatis conformari satagunt. Non raro tamen evenit ex ignorantia invincibili conscientiam errare, quin exinde suam dignitatem amittat. Quod autem dici nequit cum homo de vero ac bono inquirendo parum curat, et conscientia ex peccati consuetudine paulatim obcaecatur et misere tabescit in malo ».

R. — Elementa essentialia ultimi Modi accipiuntur cum abbreviatione.

5 — Pag. 21, lin. 40: Non pauci Patres conqueruntur de « obscure » et « clare ». 4 Patres petunt, ut deleatur « obscure ». 18 volunt ut et « obscure » et « clare » deleatur. Unus loco «obscure» vult « subobscure » (vel: confuse). 8 Patres addi volunt: « saltem obscure». Unus vult, ut loco « ubi oportet » dicatur « aliquoties autem ». 14 Patres proponunt hanc formam: « ... eum advocans, auribus cordis sonat: fac hoc, illud devita ».

R. — Admittitur omissio utriusque verbi, et « obscure » et « clare ».

[165] 6 — Pag. 21, lin. 41: 5 Patres postulant, ut loco « inscriptam » dicatur: « inspiratam ». Unus Pater hanc mutationem petit: « Nam homines legem in corde eorum a Deo inscriptam habent, cui parere ipsa dignitas eorum est et secundum quam ipsi iudicabuntur ».

R. — Primum non admittitur quia « inscriptam » est locutio biblica. Alterum non admittitur, quia iam sufficienter in textu contineri videtur.

7 — Pag. 22, lin. 6: 2 Patres exoptant, ut addatur post « conformari debet » « Quod quidem Catholici nullo alio modo recte consequi possunt nisi doctrinam et magisterium Ecclesiae sequentes ».

R. — Haec additio non videtur necessaria.

8 — Pag. 22, linn. 6-8: Unus Pater hanc sententiam ita formare velit: « Non raro tamen evenit ex consuetudine peccati conscientiam errare aut paulatim fere obcaecari ». Ratio: ad vitandam translationem ab ordine legis naturalis ad ordinem legis positivae.

[166] Alius Pater addi vult post « quoad praecepta legis » « vel ex malitia ».

R. — Primum non videtur textum meliorare. Alterum iam explicite in contextu habetur. Ergo textus stet uti est.

9 — Pag. 22, linn. 6-8: Tribus Patribus cum articulus n. 13 de peccato optimus sit, non videtur necessarium, iterum de peccato agere.

R. — Ex desiderio explicito multorum Patrum hoc factum est. Ergo maneat textus.

10 — Pag. 22, linn. 6-8: Unus Pater vult, ut textus componatur hoc modo: « Non raro tamen evenit ex ignorantia quoad conclusiones principiorum, seu praecepta legis, conscientiam errare aut ex peccati consuetudine paulatim fere obcaecari.

R. — Cf. resp. ad Modum 4 (quoad pag. 21, linn. 37 ss.).

AD NUM. 17 [*De praestantia libertatis*]

1 — Unus Pater vult, ut clarius, et quidem verbis biblicis, non tantum philosophicis, exprimatur necessitas illius activae liberationis qua homo, adhaerendo Christo ac Deo, iam non remanet « servus peccati ». Insuper sermo fiat de vulnere quo afficitur voluntas eiusque libertas, non tantum per peccatum personale sed iam per peccatum originale.

R. — Primum opponitur voluntati Patrum, qui voluerunt, ut libertas [166]
filiorum Dei non misceatur cum libertate arbitrii, de quo in hoc numero. Alteri desiderio videtur in ultimis lineis huius numeri explicite satisfieri. Textus ergo videtur manere posse.

2 — Pag. 22, linn. 9-16: Unus Pater proponit claritatis causa hanc ordinationem: « Homo libera suiipsius determinatione ad bonum se convertere debet. Libertatem coaevi nostri magni faciunt ardenterque prosequuntur: et quidem recte. Nam vera libertas eximium est divinae imaginis in homine signum. Voluit enim Deus hominem relinquere in manu consilii sui (10), ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem eo inhaerendo perveniat. Saepe tamen libertas false intelligitur et pravo modo fovetur, quasi esset licentia quidquid faciendi dummodo delectet, etiam malum. Dignitas autem hominis ... ».

Alius vult haec: « At nonnisi ... potest. Libertatem quidem [167]
coaevi... et recte sane. Non raro tamen... ».

Unus Pater vult in lin. 11 « et quidem legitime »; alius proponit: « et quidem iure ».

In lin. 12 unus Pater vult addi: « dummodo delectet aut iuvet ».

In lin. 14 s. unus Pater vult, ut adhibeantur signa citationis: relinquere « in manu consilii sui » ita ut ...

R. — Substantialis mutatio textus non iam videtur possibilis esse. Admittitur tamen, ut dicatur: « et recte sane ». Praeterea includantur verba: « in manu consilii sui » in uncis.

3 — Pag. 22, linn. 16-19: Unus Pater putat hanc sententiam debere novam formam recipere, ut aequivoca comprehensio vitetur.

R. — Nova forma dari nequit. Neque ipse Pater formam novam proposuit.

4 — Pag. 22, lin. 7: Unus Pater vult ut legatur: « ... requirit ut secundum consciam et liberam electionem agat ».

R. — Haec inversio admittitur.

5 — Pag. 22, linn. 17 s.: 5 Patres volunt, ut loco « ab intra motus et inductus » dicatur: « personaliter se movens ».

R. — Textus potest manere.

6 — Pag. 22, lin. 18: Unus Pater petit ut loco « libenter » dicatur « voluntarie ». Duo Patres volunt ut omittatur verbum « inter-

[167] nae ». Alius vult ut loco « libenter » dicatur « scienter ». Alius vult ut tantum dicatur: «externae coactionis ».

R. — Admittitur, ut dicatur personaliter scilicet ab intra motus et inductus, et non sub caeco impulsu interno vel sub mera externa coactione.

7 — Pag. 22, lin. 19: Tres Patres volunt additionem post « externae motionis ». 6 proponunt hanc additionem: « ... iniustae. Quibus non opponitur recta sollicitudo parentum vel educatorum ad pueros et iuvenes educandos, necnon rudium conveniens efformatio ».

209 hanc additionem volunt: « Attamen cum in conditionibus humanitatis nostrae multae electiones recte et sapienter fieri non possint, Deus sapientia sua per auctoritates legitimas his defectibus providit; unde auctoritas legitima ne consideretur ut
[168] contraria libertati sed potius ut adiuvans libertatem nostram ». Ratio: descriptio libertatis secus est idealistica.

R. — Modi non admittendi videntur, quia non sunt necessarii neque ad textum quadrant.

8 — Pag. 22, lin. 10: 19 Patres volunt, ut deleantur verba « sese ab omni prava captivitate liberans ». Ratio: est nimis severa sententia neque necessaria.

R. — Scribatur loco « ab omni prava captivitate »: « ab omni passionum captivitate ».

9 — Pag. 22, lin. 22: 5 Patres volunt additionem: « Quam ordinationem ad Deum *rectamque ordinationem ad bona temporalia* libertas hominis... ». Ratio: ne utrumque ab invicem disiungatur.

R. — Non videtur necessaria haec additio, quia implicite iam in textu habetur.

10 — Pag. 22, lin. 23: 3 Patres delere volunt verba « plene actuosam ». Ratio: quia homo omnino hoc facere nequit ».

Unus vult ut loco « efficere » dicatur: « adipisci » vel « attingere ».

12 Patres post « efficere potest » addere volunt haec: « secundum verbum Christi Domini: "sine me nihil potestis facere" (*Io.* 15, 5) ».

R. — *a*) ex explicito desiderio Patrum hae addita erant;
b) non videtur necessarium;
c) haec citatio hic non videtur esse ad rem.

11 — Pag. 22, linn. 24 s.: Unus Pater proponit hanc mutationem: « reddenda erit: *quid a conscientia sua tamquam bonum cognitum gesserit, quid a conscientia sua tamquam malum cognitum* gesserit ». [168]

Alius Pater addi vult post « malum gesserit »: « At ubi et quando conditiones humanae idoneae non sint ad electiones recte et sapienter promovendas, auctoritas legitima aliter provisa recognoscatur, utpote non contraria libertati, sed potius necessaria ad libertatis sensum efformandum et instaurandum ».

R. — *a*) Haec additio non necessaria videtur.

b) Talis casus magis singularis non debet hic addi.

AD NUM. 18 [*De mysterio mortis*] [169]

1 — Pag. 22, linn. 26-36: 9 Patres dicunt: Mitigetur ista scholaris rhetorica.

R. — Non videtur verum esse, hic agi ad modum scholaris rhetoricae. Textus maneat.

2 — Pag. 22, lin. 27: Unus Pater loco « culmen suum attingit » proponit: « profunde experitur (aut simile quid) ». Ratio: de aenigmate dici nequit: culmen attingere.

R. — Corrigatur: « aenigma maximum evadit ».

3 — Pag. 22, lin. 27: 16 Patres volunt additionem: « Non tantum cruciatur homo *dolore* et corporis dissolutione ... ».

R. — Accipitur hic Modus.

4 — Pag. 22, lin. 29: Unus Pater vult ut dicatur: « Rect*e* autem ( ) iudicat ».

R. — Textus videtur manere posse. De cordis instinctu iam S. Thomas loquitur.

5 — Pag. 22, lin. 34: Duo Patres loco « ulterioris » volunt « perpetuae (vel forsitan: aeternae) ». Ratio: S. Scriptura loquitur de vita aeterna iam in terris incepta.

R. — Quia in hoc loco non agitur de supernaturali vita aeterna, maneat textus.

6 — Pag. 22, lin. 38: Unus Pater vult ut addatur post « ... creatum esse affirmat »: « quem tamen beatum finem homo culpabiliter perdere potest ». Ratio: debet dici etiam de morte aeterna.

R. — Haec res non pertinet ad contextum.

[169] 7 — Pag. 22, lin. 36: 3 Patres mutari volunt verba « Dum morte omnis imaginatio deficit ». Unus proponit: « Dum coram morte intellectus noster saepe anceps manet ». Alius: « Mortis aenigmata homo sibi relictus nec perspicere nec solvere valet ». Alius: « Dum coram morte omnis hypothesis deficit ».

R. — Nihil mutandum videtur.

8 — Pag. 22, linn. 36 ss.: 10 Patribus doctrina prorsus insufficiens videtur: recoli debet quod natura humana essentialiter mutabilis
[170] et mortalis est; immortalitas Adami ut donum praeternaturale enuntiari debet; expressius dicatur: per peccatum mors.

R. — Non videtur necessaria mutatio.

9 — Pag. 22, linn. 38-40: De his lineis sat multi Patres conqueruntur et varia proponunt alia.

4 Patres volunt ut deleantur verba « a qua homo si non peccasset subtractus fuisset ». Ratio: per transennam videtur solvi problema sat difficile.

2 Patres proponunt: « Mors enim, docente Apostolo Paulo, est fructus peccati, sed revera vincetur, cum homo ... ».

Unus vult: « Mors, quae per peccatum in mundum intravit, fides ... ».

Alius: « Mors insuper humana, a peccato causata, fides ... ».

Alius: « Homo si non peccasset, vi praeternaturali doni subtractus fuisset quaeque ideo per peccatum in mundum intravit (cf. *Rom.* 5, 12) ».

Tres proponunt: « ... affirmat. Mors vero corporalis, cui homo propter peccatum subiectus est, vincetur, cum homo ... ».

12 volunt haec: « Revelatio divina decursu saeculorum paulatim edoctus, scit mortem per peccatum in mundum intrasse denique tamen victum iri, cum homo in salutem ... ».

R. — Textus videtur manere posse; expressio in eo contenta legitima esse videtur.

10 — Pag. 22, lin. 41: 18 Patres loco « restituetur » volunt: « resuscitabitur ». Ratio: restitutio ad salutem quoad animam iam ante iudicium universale fit.

R. — Hoc non videtur admittendum, quia resuscitatio non est « salus, culpa sua perdita ».

11 — Pag. 23, linn. 1 s.: Unus Pater addi vult: « Quam victoriam Christus, *hominem a morte per mortem suam liberando,* ad vitam ... ».

R. — Admittitur haec inversio.

12 — Pag. 23, linn. 3-5: 9 Patres volunt ut hae lineae auferantur, quia superfluae. [170]

Unus Pater in lin. 4 vult hanc mutationem: « ... simulque facultatem praebet *pro* dilectis ... morte praereptis *Deum orandi* spem conferens ... apud *Ipsum* adeptos fuisse ».

R. — Videtur textus manere posse.

13 — Pag. 23, lin. 4: Unus Pater vult, ut post « in Christo » virgula ponatur. [171]

Alius proponit: « ... iam morte in Christo praereptis communicandi ».

Alius mutari vult verbum « communicandi » quia suggerere potest falsam ideam de communicatione cum mortuis.

R. — Maneat textus uti est; nam virgula post « in Christo » non esset secundum sensum contextus, alia autem non sunt necessaria.

AD NUM. 19 [*De formis et radicibus atheismi*]

1 — Pag. 23, linn. 7-14: Duo Patres proponunt aliam introductionem multo longiorem, pro magna parte ex capite primo Constitutionis « De Revelatione » extractam. Ratio: inter revelationem Dei et agnitionem eius ex parte hominis exsistit nexus directus. Atheismus negat hunc nexum. Unde habet negativum caracterem pro homine ut sic.

R. — Modus non admittitur quia praebet expositionem dogmaticam quae non concordat cum praesentatione totius capitis et quae de facto invenitur in capite primo Constitutionis « De Revelatione ».

2 — Pag. 23, lin. 7: Unus Pater proponit ut legatur « communionem cum Deo *et in Deo cum omnibus hominibus* ».

R. — De communione cum hominibus agitur in Capite II. Non admittitur.

3 — Pag. 23, lin. 9: Unus Pater petit ut legatur « ... non enim existit nisi *quatenus* a Dei amore creatus *ab eoque continuo sustentatus* ». Ratio: stylus videtur abruptus.

R. — Propositio accipi potest quoad ideam « sustentationis », ita ut legatur « ex amore creatus, semper *ex amore conservatur* ... ».

4 — Pag. 23, lin. 10: Redeatur ad textum receptum et dicatur « nec plene » loco « nec recte ». Ratio: athei possunt « recte » vivere, quin « plene » vivant, si Deus eis deest (unus Pater).

[171] R. — Accipitur. Sed proponitur ut dicatur « *plene secundum veritatem* », ad ideam rectitudinis retinendam.

5 — Pag. 23, linn. 11-12: Unus Pater proponit novam formulationem: « Multi ex coaevis nostris *hanc de Deo Eiusque amore certitudinem quae ex revelatione et ratione hauritur quaeque* intimam ac
[172] vitalem cum Deo coniunctionem gignit ... ». Ratio: sententia ut iacet, sensui religioso ab obiectiva veritate abstracto — quod fuit error modernismi — favet.

R. — Loco « percipiunt » legi potest « *perspiciunt* » ad vitandum nimium psychologismum.

6 — Pag. 23, lin. 13: Loco « facta » legatur « *errores* » (unus Pater). Ratio: « factum » est moraliter indifferens, error est per se malus.

R. — Animadversio non valet. Agitur hic de constatatione tantum.

7 — Pag. 23, linn. 13-14: Verba « ac diligentiori etc. » omittantur. Ratio: superflua sunt (unus Pater).

R. — Modus non accipitur, quia sententia utilis est ad longiorem tractationem de atheismo iustificandam.

8 — Pag. 23, lin. 17: Legatur « *quaestionem de Deo* » loco « problema Dei ». Ratio: aptius est (unus Pater). Legatur « *tali methodo* » loco « ideo tantum »; et postea « *ut illa sensu carere videatur* ».

R. — Modus accipitur.

9 — Pag. 23, linn. 18-19: Duodecim Patres petunt ut legatur « ... *scientiarum positivarum* limites » et « *hac sola* ». Ratio: vox « scientia » incorrecte adhibetur.

R. — Animadversio accipitur.

10 — Pag. 23, linn. 23-24: Tres Patres aestimant textum parum comprehensibilem ideoque melius redigendum. Unus proponit ut legatur « reiicere *voluissent* ».

R. — Modus accipitur. Legatur « ... ut *illud* figmentum, *quod* repudiant, nullo modo Deus *sit* Evangelii ».

11 — Pag. 23, lin. 27: Unus Pater proponit additionem « ... protestatione, *sive ex iniustissima bonorum distributione* ». Ratio: Multi, ignorantes doctrinam socialem catholicam et iniustam distributionem bonorum patientes, illam Deo imputant.

R. — Non recipitur, quia impossibile est unum malum potius quam alia indicare.

12 — Pag. 23, lin 28: Proponit unus Pater hanc correctionem « ... absolute, *unius Dei propria et exclusiva, quae tamen* bonis ... *indebite imprimitur,* ita ut ... ». Ratio: ad meliorem perspicuitatem. [173]

R. — Accipitur tantum additio vocis « *indebite* », quae sufficit ad Modum satisfaciendum.

13 — Pag. 23, lin. 30: Proponitur ut dicatur « *cupiditatibus* » loco « rebus ». Ratio: Res terrestres de se non avertunt a Deo (Unus Pater).

R. — Non accipitur, quia res iam est in textu cum voce « nimis ».

14 — Pag. 23, lin. 31: Unus Pater petit ut addatur « ... potest, *cum ex cupiditate voluptatum periculo hedonismi faveat* ». Ratio: explicite revocandus est hedonismus inter causas atheismi.

R. — Additio non videtur necessaria.

15 — Pag. 23, lin. 32: Ante « certo certius » addendum est secundum tres Patres: « *Sunt certe homines qui conscientiae suae oboedientes atheismi professionem faciunt* ». Ratio: patet ex superius dictis.

R. — Non admittitur, quia affirmatio iam continetur in paragrapho praecedente.

16 — Pag. 23, lin. 32: Loco « certo certius », quattuor Patres proponunt « *profecto* », latinitatis ratione.

R. — Accipitur, sed loco « profecto » dicatur « *sane* ».

17 — Pag. 23, linn. 32-33: Unus Pater proponit ut «dictamen ... non secuti », in lin. 32, ante « voluntarie » ponatur, ad meliorem consequentiam.

R. — Non accipitur, quia ordo textus melior est ad exprimendum ordinem rerum.

18 — Pag. 23, linn. 33-34: Aliquis Pater proponit ut « culpae expertes non sunt » deleatur, quia schema invitare, iudicare non vult; et alius proponit ut saltem legatur « *sibimet gravissime nocent* » loco textus praesentati. E contra unus Pater proponit ut textus mutetur in « *maxima* sunt in culpa », et alius ut ei addatur « *omnino inexcusabiles sunt* ».

R. — Hi Modi oppositi non videntur accipiendi. Via media in textu proposita melior apparet.

19 — Pag. 23, linn. 34-42: Duo Patres proponunt ut lineae de responsabilitate christianorum totaliter omittantur, sive quia exagge- [174]

[174] rationem praebent, sive quia materia in num. 21, pag. 24, lin. 43 melius tractatur. Unus petit saltem suppressionem linearum 34-35 « attamen ... ferunt » pro eisdem rationibus.

R. — Hae lineae votis multorum Patrum respondent et stare debent.

20 — Pag. 23, lin. 35: Duo Patres proponunt hanc additionem « ferunt, *quando imaginem fallacem Dei, per vitam Deo indignam vel hypocritam* praebent ». Ratio: res cui alluditur clarius explicatur.

R. — Textus stet. Idea sat clare apparet.

21 — Pag. 23, lin. 36: Duo Patres petunt ut « non est quid originarium » tollatur, quia sensus non clare patet. Alius proponit « *spontaneum* ».

R. — Idea est sat momentosa et textus non tolli potest.

22 — Pag. 23, linn. 37-39: Aliquis Pater proponit ut legatur in linn. 37-38: « Reactio critica contra *modum agendi illorum qui aliquam* religionem et quidem, in multis regionibus, praesertim christianam religionem *profitentur* ». Ratio: ut eluceat reactionem non provenire ex religione ipsa. Alius Pater habet aliam propositionem: « inter quas *aliquoties* adnumeratur etiam reactio critica contra *aliquas* manifestationes religiosas. Quapropter in hac atheismi genesi *aliquam* partem habere possunt *aliqui* credentes ». Ratio: falsum irenismum est responsabilitatem mali imponere bonis; et de facto persecutio saepe invenitur ubi christiani spiritum evangelicum maxime praebebant. Alius proponit loco « Quapropter ... credentes » ut legatur: « Neque oblivioni mandanda est, proh dolor, occasio quam aliquando praebuerunt credentes ». Ratio: mali credentes sunt occasio potius quam causa; et formula scandalum gignere non valet. Tres Patres tandem cupiunt ut legatur loco « reactio critica ... christianam » hanc phrasim « critica impugnatio religionis *ex parte philosophiae inanis et falsae scientiae,* et quidem, in multis regionibus, praesertim religionis christianae, atque *neglectus publicae professionis suae fidei apud ipsos populos christianos* ». Ratio: verae causae atheismi declarandae sunt.

R. — Pro duobus primis Modis, revera « religionem » in lin. 37 accipitur in textu non sensu religionis in sua essentia, sed in sua exsistentia concreta. Ergo proponitur ut legatur « religione*s* », [175] loco « religionem » ad ambiguitatem tollendam. Tertius Modus non videtur necessarius: res est sat clara. Ultimus non est ad rem, ergo reiiciendus.

23 — Pag. 23, lin. 40: Tres Patres proponunt hanc additionem « ... expositione, *vel huic laicismo publico et Statuum nimis indulgentes, propriam fidem non debite contra pericula mundi et Maligni tuentur et saepius ab ea deficiunt propria culpa,* vel etiam vitae religiosae ... ». Ratio: prima causa responsabilitatis christianorum erga atheistas est quod plurimi indulgent huic atheismo qui facit Deum absentem in vita publica. [175]

R. — Animadversio vera est, sed videtur potius pertinere ad caput IV.

24 — Pag. 23, lin. 41: Unus Pater proponit additionem hanc: « defectibus, *discordia et divisionibus christianorum* ». Ratio: Divisio christianorum destituit christianismum suo validissimo testimonio.

R. — De hoc agitur modo positivo, pag. 25, linn. 10-11.

25 — Pag. 23, lin. 41: Duo Patres petunt ut addatur post « defectibus », hanc sententiam « *quandoque atheismum sic dictum practicum faventibus* ». Ratio: Atheismus practicus multorum christianorum favet atheismo.

R. — Hoc videtur sufficienter innui in linn. 29-31.

AD NUM. 20 [*De atheismo systematico*]

MODI GENERALES

1 — Quattuordecim Patres petunt ut numeri 19 et 20 in unum redigantur. Ratio: atheismus modernus non tantum illas duas formas, de quibus in num. 20, comprehendit, sed etiam eas, de quibus in num. 19. Secus impressio habetur quasi atheismus, de quo in num. 19, esset atheismus temporum anteactorum.

R. — Modus non videtur recipiendus, quia revera par. 20 habet obiectum determinatum. Sed proponitur ut titulus sit « De atheismo systematico », ad vitandum periculum in Modo notatum.

2 — Ducenti viginti Patres (220) petunt ut explicita mentio « communismi » fiat. Decem aliquo modo similem animadversionem faciunt. Quattuor rogant ut saltem « marxismus » nominetur. Ratio praecipua est quod silentium intelligi potest ut abrogatio damnationum praecedentium. Unus Pater proponit ut adhibeatur textus Pauli VI in « Ecclesiam suam ».

R. — Modus non potest accipi in genere, quia agitur de mutatione substantiali. Atqui textus substantialiter a Concilio approbatus est. Si ad particularia devenimus, mentio « communismi » non con- [176]

[176] venit, quia sub hac voce continentur etiam conceptiones politicae et oeconomicae de quibus non agitur hic. Vide resp. ad Modum quartum. Ex altera parte « marxismus » sensu stricto systema philosophicum constituit quod longa expositione indigeret. Unde melius est ut verbum non adhibeatur.

Sed allusio fiat ad condemnationes communismi et marxismi a Summis Pontificibus facta, addendo pag. 24, lin. 23, post « reprobet », haec verba, « *sicut antehac reprobavit* ». Et dentur referentiae. Vide infra ad Modum 4 num. 21.

3 — Iidem 220 Patres proponunt ut in hac parte agatur solummodo de communismo, ut praecipuo errore temporis hodierni, et quidem longiori modo. Textus proponitur.

R. — Non accipiendus, quia revera aliae formae atheismi systematici memorandae sunt.

4 — Iidem 220 Patres petunt ut non tantum atheismus in communismo damnetur, sed etiam enumerentur omnes eius errores.

R. — In hac par. agitur tantum de atheismo. Alii errores communismi in variis partibus huius Constitutionis modo positivo refutantur.

N.B. Ex fortuito et prorsus praeter intentionem defectu in transmissione habito, 334 emendationes scripto traditae et inter se identicae, quarum 297 tempore statuto ad Secretariam Concilii pervenerunt, quae petebant ut expressa mentio fieret in Constitutione hac de communismo atheistico marxistico, et ut varii errores huius doctrinae damnarentur, ad Patres Commissionis tempore opportuno non pervenerunt. Commissio autem textum harum emendationum, examini subiectum, prorsus identicum invenit cum modis 220 Patrum hic examinatis.

Res ita notatur ad regularitatem: responsiones enim allatae in expensione Modorum pro illis emendationibus etiam valent.

Ad particularia

5 — Pag. 24, linn. 3-4: Post « autonomiae hominis » sex Patres proponunt ut legatur « *pervertens,* eo usque perducit ... dependentiam *recuset* ». Tres Patres petunt ut loco « difficultatem suscitet » scribatur « *ignoret* » vel « *recuset* », vel « *reiciat* ». Ratio: claritas expositionis.

[177] R. — Modus non accipitur, quia mutat substantiam textus. Supprimatur « legitimum » ad maiorem claritatem.

6 — Pag. 24, lin. 6: Quinque Patres petunt ut deleatur « artifex »; duo ut dicatur « *unicus* artifex ». Ratio: Homo vero sensu est artifex suae historiae quin Deus negetur. [177]

R. — Modus accipitur ita ut legatur « ... suae historiae *solus* artifex et demiurgus.

7 — Pag. 24, lin. 7: Loco « Domini ... finis » legatur « Dei, omnium rerum *domini et iudicis* ». Ratio: verbum « Domini » de Christo intelligitur; melius exprimitur quod atheistae negant legislationem alienam (decem Patres).

8 — Pag.24, lin. 7: Dicatur « *agnitione* » pro « affirmatione », latinitatis causa (unus Pater).

R. — Modus accipitur, ita ut repetitio etiam vitetur cum linea sequenti.

9 — Pag. 24, linn. 8-10: Unus Pater proponit suppressionem ultimae sententiae, quae exprimit falsam diffidentiam erga progressum. Unus petit, ratione latinitatis, aliam expressionem pro « sensu potentiae », quin ipse ullam proponat.

R. — Ad satisfaciendum primum Modum proponitur ut legatur « favere *potest* ». Secundus non videtur necessarius.

10 — Pag. 24, linn. 8-10: Duo Patres petunt ut atheismus praesentetur ut idolatria, i. e. error de vero Deo qui in Christo revelatur, magis quam ut totalis reiectio Absoluti. Et proponunt textum sat longum, qui ponatur post lin. 10.

R. — Non accipitur, quia atheismus non est tantum reiectio revelationis christianae.

11 — Pag. 24, lin. 12: Unus Pater proponit ut dicatur « ex eius *prorsus fallaci et illusoria* liberatione », quia liberatio a communismo promissa est proprie servitus. Alius etiam mutationem affert « ex eius liberatione *religiosa* exspectat, *cum alienatio religiosa liberationi tam sociali quam politicae opposita ex sese habeatur* ». Ratio: atheismus est basis totius systematis.

R. — Primus Modus non accipiendus, quia textus describit mentem ipsorum communistarum. Secundus Modus, qui dicit aliquid verum de systemate ipsius Caroli Marx, non correspondet menti [178] communismi concrete sumpti. Atqui Patres petierunt ut de hoc praecipue agatur. Unde non retinendus videtur.

12 — Pag. 24, linn. 15-18: Unus Pater proponit novam versionem illarum linearum: « Unde huius doctrinae propugnatores religio-

[178] nem oppugnant et atheismum ubique terrarum omnibus in mundo huius temporis possibilibus mediis diffundunt. Maiore adhuc de causa haec atheismi militantis forma perniciosissima habenda est, quod eius propugnatores ad regimen reipublicae accedentes, statum totalitarem constituunt et atheismum militantem omnibus instrumentis potestatis civilis, sive vi sive callidis artibus, propugnant atque imponunt. E contra religionem, maxime autem Ecclesiam Catholicam, vehementer oppugnant, in exercitio suae divinae missionis impediunt, membra Ecclesiae, sive sacerdotes, sive fideles, persecutionibus subiciunt, vel variis sanctionibus seu pressionibus administrativis restringunt ».

Ratio: In schemate denunciatur atheismus tamquam ideologia quae grassatur in sic dicto mundo libero, sed non denunciatur sufficienter clare et decisive periculosissima forma atheismi militantis nostri temporis, quae iam in multis populis potestatem publicam vi vel subdole arripuit ... In universo mundo haec forma militantis atheismi fallaci et attractiva propaganda magis magisque diffunditur.

R. — Modus non accipitur, quia nihil continet quod non sit iam in textu, — et breviori quidem modo.

13 — Pag. 24, lin. 15: Post « deterreret », ponatur haec additio (petita a sex Patribus) « *vel quatenus religionem cum determinato systemate oeconomico-sociali identificatam vident, quod suum idealem conceptum socialem applicare impediret* ». Ratio: Quia saepe id accidit.

R. — Hic Modus potius pertinet ad caput « de vita sociali et oeconomica », quia agitur de valore absoluto alicui systemati oeconomico tributo.

14 — Pag. 24, linn. 16-17: Unus Pater proponit ut loco « religionem ... etiam adhibitis » legatur « *antiqua dogmata ut falsa oppugnant, atheismum vero ut dogma verum quia scientificum diffundunt* ... ». Ratio: sublineare atheismum esse fundamentum communismi. Alius proponit post « vehementer », additionem

[179] « *nefande et inique* ». Ratio: quia verum est. Alius, ut, post verbum « oppugnant », addatur « *veritatem Dei in iniustitia detinentes et* ». Ratio: communismus impedit praedicationem Evangelii. Tres tandem proponunt additionem: « diffundentes, *fideles etiam persequentes* », ut saltem hoc de Ecclesia silentii dicatur.

R. — Primus Modus non accipitur, quia false posset intelligi, quasi [179]
revera atheismus marxisticus scientificus esset. Secundus et tertius videntur nimis polemici. De ultimo agitur pag. 25, linn. 5-6.

15 — Pag. 24, lin. 18: Tres Patres petunt ut loco « instruitur », dicatur « *pollet* ». Unus proponit post « publica » additionem « *saepe quidem illegitime* »; alius « *nonnisi abusive* »; alius « *iniuste* ». Unus Pater proponit longiorem formulam « ... publica, *sanctuarium personae violans, indebite sibi attribuit* ».

R. — Modus accipitur sub forma prima. Dicatur « *pollet* ».

16 — Pag. 24, lin. fin.: Tres Patres petunt ut addatur in fine paragraphi: « *Atheismus ille, qui non directe ex studio veritatis originem ducit, sed appetitu bonorum materialium movetur et desiderio socialium revolutionum nutritur, ad fidem exstirpandam pseudo-argumenta ex scientiis affert et saepe subsidiis utitur quae dignitatem personalem gravius offendunt, iustitiam laedunt et ordinem publicum pervertunt* ».

Ratio: necesse est ut loquatur de gravi periculo ab atheismo marxistico suscitato.

R. — Non accipitur, quia non est locus. De hoc agitur in sequenti paragrapho.

17 — In eodem loco: Unus Pater proponit aliam additionem: « *Etenim conceptio societatis quae personam negans, individuum totaliter collectivitati ordinet, atheismum importat* ».

Ratio: textus tacet de atheismo politico, quae habetur in idolatria Status.

R. — Modus non videtur valere de omnibus formis atheismi marxistici. Unde non retinendus.

AD NUM. 21 [*De habitudine Ecclesiae ad atheismum*]

1 — Pag. 24, lin. 20: Unus Pater petit ut « fideliter ... addicta », omittatur, quia sapit triumphalismum.

R. — Modus non accipitur, quia agitur de ipsa essentia Ecclesiae.

2 — Pag. 24, lin. 21: Duodeviginti Patres petunt ut « dolenter » au- [180]
feratur. Viginti desiderant ut dicatur « *falsas* » potius quam « *perniciosas* ».

Ratio: spiritus dialogi.

R. — Modus non accipitur, quia verus est dolor Ecclesiae et vera est perniciositas atheismi.

[180] 3 — Pag. 24, linn. 21-22: Unus Pater proponit ut « *scientiae* » dicatur loco « rationi », alius ut omittatur « rationi ... contradicunt », quia actionibus applicari nequit; alius ut tantum omittatur « et communi experientiae humanae », quia affirmatio gratuita. Tredecim proponunt ut dicatur « rationi *et fidei* » aut melius « rationi et *experientiae sanctorum* », quia argumentum experientiae communis hodie debilitatur. Alius recusat experientiam, quia existentia Dei ratione cognoscitur.

R. — Primus et secundus Modi non accipiuntur, quia non videntur fundati. Alii etiam non videntur valere, quia experientia humana hic intelligitur tamquam tota humana historia quae de facto religioso certe testimonium praebet.

4 — Pag. 24, lin. 23: Unus Pater cupit ut, post verbum « deiciunt », inseratur: « *cum Pio XI et omnibus Summis Pontificibus eius successoribus* ». Ratio: ad aspectum pastoralem Constitutionis convenit.

R. — Hic Modus accipitur quoad substantiam, addendo post « reprobet » hoc insertum « *sicut antehac reprobavit* », cum nota quae refert ad documenta Magisterii.

5 — Pag. 24, lin. 23: Proponuntur additiones, inserendae post verba « firmitate reprobet »:

a) « *Filios suos materne admonet ne imprudenter in eorum insidias incidant* » (unus Pater).

b) *Proinde haec Sacrosancta Synodus, Veteris et Novi Testamenti revelationi firmiter adhaerens et sanae philosophiae principiorum validitatem vindicans, veritatem a Concilio Vaticano I solemniter confirmat, nempe*: *Deum esse et perfectione praeditum esse* etiam naturalis ratio cognoscere potest ». Ratio: ortus atheismi est criticismus Kantianus et Hegelianus (unus Pater).

c) « *Propterea Patres Concilii, undequaque orbis terrarum congregati, graviter hortantur omnes in Deum credentes ne similibus doctrinis aures praebeant, sed eas prorsus respuant* » (tres Patres).

Ratio: ne Concilium in pura theoria maneat.

[181] R. — Modi *a*) et *c*) continentur in reprobatione atheismi et non recipiuntur. Modus *b*) debilitaret damnationem atheismi, quae est amplior; unde non admittitur.

6 — Pag. 24, lin. 24: Verba « abditas in atheorum mente » debent deleri secundum unum Patrem. Ratio: displicet Ecclesiam scru-

tari corda se iactare. Alius proponit ut loco « abditas » dicatur « *intimas* », quia prius verbum in sensu defavorabili saepe intelligitur. [181]

R. — Verbum « abditas » videtur sufficienter clarum et phrasis cum voce « conatur » non videtur sapere iactationem. Unde textus stat.

7 — Pag. 24, lin. 25: Addatur, post verbum « conscia », « *necnon amore omnium hominum ducta* » (tres Patres).

R. — Modus accipitur sub forma « necnon *caritate* erga omnes homines ducta ».

8 — Pag. 24, lin. 26: Secundum unum Patrem, addatur ex priore textu « Illos vero qui systemata athea asserunt invitamus ut sincere inquirant num suam doctrinam et suam contra Deum oppositionem rationibus validis et iustis fulcire valeant ».

Ratio: si Ecclesia rationes atheismi examini subicere vult, idem valet de atheismo.

R. — Hic Modus accipitur, sed melius ponitur sub forma breviori, pag. 25, lin. 19, ubi de hoc tractabitur.

9 — Pag. 24, lin. 29: Dicatur « *liber atque socialis* » (unus Pater). Ratio: Momentum aspectus socialis in refutationem atheismi marxistici.

R. — Modus, ad vitandum individualismum, accipitur in forma hac: « ... intelligens ac liber *in societate* constituitur ».

10 — Pag. 24, lin. 30: Idem Pater pro eadem ratione petit ut dicatur « felicitatem *in unitate hominum ex omnibus gentibus et temporibus* » (cf. *Lc.* 13, 29; *Apoc.* 7, 9).

R. — Huic Modo videtur sufficienter satisfieri in praecedenti emendatione.

11 — Pag. 24, lin. 31: Loco « spem eschatologicam » dicatur « spem in *Deum* ». Ratio: « eschatologicus » est expressio obscura pro populo et in se aequivoca (tres Patres).

R. — Non accipitur.

12 — Pag. 24, lin. 32: Addatur « *recte ordinari* et » post verbum « prosecutionem ». Ratio: non solum de novo impulsu, sed de nova regula tractandum est (3 Patres). [182]

R. — Modus non congruit cum sensu textus, ubi agitur de motivis actionis temporalis, non de normis. Non accipitur.

[182] 13 — Pag. 24, lin. 33: Addatur: « *etenim his in terris regnum Dei inchoatur* », post verbum « fulciri ». Ratio: ne affirmatio gratuita appareat (5 Patres).

R. — Non accipitur quia de hac quaestione agitur in cap. III.

14 — Pag. 24, lin. 33: Legatur potius « *Deficientibus* vero... » ratione latinitatis (1 Pater).

R. — Accipitur sub forma « *Deficientibus e contra* » ut vitetur aequivocatio « vero fundamento ».

15 — Pag. 24, lin. 35: Legatur « *sine solutione* ». Ratio: aenigma indiget solutione non responsione (1 Pater).

R. — Accipitur.

16 — Pag. 24, linn. 34-35: « atque vitae *et resurrectionis, veniae culparum et momentum doloris* ». Ratio: secundum textum propositum fundamentum mortis et doloris est divinum (1 Pater).

R. — Nullo modo mors et dolor in textu praesentantur ut in Deo fundamentum habentes. Non accipitur Modus.

17 — Pag. 24, linn. 35-36: Omittatur « ita ut homines in desperatione non raro deiciantur ». Ratio: quaestio facti, Concilio non statuendum.

R. — Concilium agnoscit simpliciter factum. Modus non recipitur.

18 — Pag. 24, linn. 37-38: 15 Patres petunt ut loco « subobscure percepta » legatur « *haud clare* » quod melius quadrat cum doctrina catholica.

R. — Differentia verborum non apparet. Unde textus stat.

19 — Pag. 24, linn. 38-39: Deleatur phrasis « Nemo enim ... effugere potest », ut minus absoluta (1 Pater).

R. — Verbum « omnino » in textu iam respondet modo proposito. Ergo nulla modificatio introducenda.

[183] 20 — Pag. 24, lin. 40: Addatur « cum certitudine *agnitus* ». Ratio: expressio sic non est aequivoca: responsio est in agnitione Dei (3 Patres).

R. — Modus pro parte accipitur. Proponitur ut legatur « *responsum affert* » loco « respondet » ad vitandam confusionem cum aliqua revelatione particulari.

21 — Pag. 24, lin. 41: Addatur post « vocat » « *Atheismus tamen quem Ecclesia semper reiicit, omnibus credentibus ansam praebet mentem eorum ab omni idolatriae vestigio emendari. Deus enim, quamvis in Christo revelatur, inaccessibilis manet, et numquam*

ab hominis viatoris intellectu per essentiam videri potest ». Ra- [183]
tio: post damnationem agnosticismi, transcendentia divina agnoscenda est (2 Patres).

R. — Locus non est ut de hac disputata quaestione tractetur. Unde Modus non recipitur.

22 — Pag. 24, lin. 42: In initio addatur: « *Detegendo causas atheismi Ecclesia incitatur ad semper maiorem fidelitatem erga Evangelium Christi.* Remedium ... ». Ratio: existentia atheismi debet esse incitamentum pro Ecclesia (1 Pater).

R. — Quaestio tractatur linn. 42 et seq. Unde Modus in hoc loco satisfactionem accipit.

23 — Pag. 24, lin. 42: loco « non solum a doctrina » legatur « *imprimis doctrinam christianam lucide, amabiliter, modo hodiernae menti apto et constanti zelo exponendo* ». Radio: Textus ut iacet, minuit momentum evangelizationis (1 Pater).

Alius Pater proponit ut dicatur eodem loco: « *primo ex luce ipsius rationis quae invisibilia* Dei ... *conspicit* » (*Rom.* 1, 21).

R. — Ut non minuatur momentum aspectus intellectualis refutationis, proponitur ut, loco « non ... sed etiam », dicatur « *tum* ... *tum* » et addatur « doctrina *apte exposita* ».

24 — Pag. 25, linn. 2-3: Absonum est dicere « integram Ecclesiam » debere indesinenter sese purificare. Ratio est quod Ecclesia in se sancta est, hoc valet tantum de membris.

R. — Modus non accipitur, sed proponitur referentia ad Constitutionem *Lumen Gentium.*

25 — Pag. 25, lin. 4: « lucide » omittatur quia raro verum est (1 Pater).

R. — Non accipitur quia agitur de intento, non de facto.

26 — Pag. 25, lin. 7: Post « movendo » addatur « *quin ipsi in fixitate* [184]
interessata alicuius systematis oeconomici-socialis maneant. Ecclesia enim diversa systemata admittit, quatenus ipsa ordinem a Deo statutum servent ». Ratio: haec est responsio ad communistas (6 Patres).

R. — Non accipitur, quia pertinet ad cap. III, II Partis.

27 — Pag. 25, lin. 7: Tollantur verba « etiam profana » quae pleonasmum sapiunt (3 Patres).

R. — Non accipitur quia haec verba sunt determinatio, nec carent momento.

[184] 28 — Pag. 15, lin. 8: Unus Pater aestimat « praesertim erga pauperes » iterum iterumque repeti in Constitutione, propterea haec verba delenda sunt. Alius vult ut dicatur « *operarios* et pauperes ». Agitur etiam de iustitia. Tertius post « pauperes » addit « *infirmitate corporis vel mentis et senectute laborantes atque maxime peccatores* ». Ratio: specialis dilectio Christi (3 Patres).

R. — Accipitur sub forma hac: legatur « *egentes* » pro « pauperes », quia vox «egens » est maioris extensionis.

29 — Pag. 25, lin. 14: Tres Patres petunt ut dicatur aedificationem societatis in iure naturali tantum fundari posse. Unus proponit formulationem hanc «credentibus cum non credentibus, *principia tamen legis naturalis saltem fundamentalia admittentibus* ».

R. — Non accipitur, quia iam in textu idea invenitur cum verbo « recte ».

30 — Pag. 25, lin. 15: Duo Patres petunt ut haec linea auferatur, quia, si agitur de cooperatione, res iam dicta est; si agitur de vero dialogo, id est de dialogo doctrinali, phrasis admitti nequit, quia non agitur de conditione absoluta.

4 Patres petunt ut dicatur « sincere *et* prudenti » quia prudentia non limitat sinceritatem.

Unus Pater petit ut, post verbum « colloquio », addatur: « *de qua humana sinceritate seu bona voluntate prudenter iudicandum erit* ». Et alius « *modis et condicionibus opportunis* ».

Iidem petunt ut post has insertiones addatur: « *et fere numquam inconsulta auctoritate ecclesiastica* ».

Tres Patres tandem proponunt post « colloquio » hanc phrasim: « *Ad tale colloquium instituendum, duae praesertim difficultates, magni momenti quidem, obstaculum praestant. Ex una* [185] *parte, mundus aedificandus et homo salvandus modo tam radicaliter diverso intelliguntur a christianis et ab atheis ut eadem verba vix easdem res exprimant. Ex altera parte, illa libertas exterior ad convictionem propriam et fidem religiosam exprimendam requisita, quam haec Sacra Synodus in solemni libertate religiosa tam magni fecit, conditio essentialis istius dialogi apparet.* Pro credentibus ... ».

R. — Ad primum Modum respondendum est textum meliorem posse reddi, non omitti, quia multi Patres eum desiderant. Secundus Modus videtur accipiendus ita ut legatur « sincere *et* prudenti ». Aliis Modis vox « prudenti» videtur sufficienter respondere.

31 — Pag. 25, lin. 17: Unus Pater petit ut addantur post « rectores », verba haec: « *christianae religioni infensi* » quia secus textus videtur alludere magis ad aliquos catholicos Status quam ad gubernia communistica. [185]

R. — In textu agitur de atheismo, unde nullum est periculum aequivocationis.

32 — Pag. 25, lin. 20: Post « Ecclesiam » addatur « Dei Verbum » ut Ecclesia non videatur seipsam commendare (18 Patres).

R. — Modus accipitur sub hac forma: legatur « novit Ecclesia *nuntium suum* ... ».

33 — Pag. 25, lin. 23: loco «utilitatem » legatur « *profectum* », ut magis conveniens (3 Patres).

R. — Modus accipitur.

34 — Pag. 25, lin. 26: Unus Pater proponit additionem hanc: « *Atheos vero invitat ut religionem christianam, remota omni eius imagine depravata ac ridicula, sincere considerent* ».

R. — Modus accipitur sub hac forma in lin. 19: « *Atheos vero fraterne invitat ut Evangelium Christi corde aperto considerent* ».

AD NUM. 22 [*De Christo Novo Homine*]

1 — Pag. 25, lin. 27: Titulus: unus Pater vult mutari: « De Christo novi hominis principio ».

R. — Non videtur necessarium titulum mutare.

2 — Pag. 25, lin. 28: Unus Pater vult ut addatur: « ... in mysterio Verbi incarnati *passi et suscitati,* mysterium ... ».

R. — De his postea adhuc sermo est. Ergo hic non addi debet.

3 — Pag. 25, lin. 29: Unus Pater vult ut deleantur verba « primus homo » ne praeiudicetur sententia Adam non necessario unam tantum personam fuisse. [186]

R. — Non videtur necessarium quia tale preiudicium non habetur in his verbis.

4 — Pag. 25, lin. 29: Unus Pater exoptat post (*Rom.* 5, 14) notam in qua citandus sit textus Tertulliani: « quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus » (De resurr. carnis 6 *PL* 2, 282).

R. — Hoc admitti potest.

5 — Pag. 25, lin. 30: sonet « novus Adam ».

[186] R. — Maneat textus, nam *I Cor.* 15, 45 Christus dicitur novissimus Adam.

6 — Pag. 25, linn. 32 s.: Loco « Nil igitur ... fastigium » dicatur: « Nil igitur mirum i*n Eo omnes praedictas veritates suum* aperire fontem atque attingere fastigium ». Ratio: propter stylum.

R. — Admittatur.

7 — Pag. 25, lin. 34: dicatur: « Qui, ut Deus, est "imago Dei invisibilis" (*Col.* 1, 15), Ipse etiam ut homo perfectus ... ».

R. — Hoc exegetice saltem videtur dubie; nam in oppositione ad Deum invisibilem videtur imago intellegi ut visibilis, i. e. ut homo.

8 — Pag. 25, lin. 37: loco « evecta est » dicatur « vocata est » (vel: divina vocatione evecta est).

R. — Melius videtur, ut maneat textus.

9 — Pag. 25, linn. 37 s.: legatur sic: « Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua corpus et animam assumens cum unoquoque homine quodammodo Se univit ». Ratio: clarius indicatur corporis momentum.

R. — Textus sicut iacet videtur melior.

10 — Pag. 25, lin. 42: Tres Patres mutari volunt sic: « Christus, Dominus et frater noster, sanguine suo ... ».

Duo loco « agnus » volunt « victima ».

Unus additiones petit: « Agnus innocens, *"factus pro nobis maledictus", usque ad mortem oboediens,* sanguine libere ef-
[187] fuso, *ad Patrem in gloria per resurrectionem assumptus,* vitam et ... ».

R. — Nullus ex his Modis videtur admittendus.

11 — Pag. 26, linn. 3-16: Unus Pater vult, ut hoc incisum expungatur et restituatur textus prior, in praecedenti fasciculo pag. 18, linn. 32-40.

9 Patres petunt, ut hic textus reficiatur et clarius praedicetur mysterium baptismi (*Rom.* 6, 3-12) cum consequenti lege asceseos christianae; citetur: qui non baiulat crucem suam ...

R. — Textus maneat; in nota 24 detur referentia ad textum evangelicum de cruce baiulanda.

12 — Pag. 26, lin. 4: dicatur: « ... sed *morte sua mortem superavit, et resurrectione sua ad gloriam instauravit viam,* quam ... ».

R. — Non videtur necessarium quia de hac re postea.

13 — Pag. 26, lin. 10: loco « Si Spiritus ... occurret » legatur sic: « Christianus Salvatoris nostri in baptismo configuratus, mysterio paschali participatione corporis et sanguinis Agni glorioso nutritus, vitam in se possidet et ad resurrectionem occurrit ». Ratio: melius ostendatur theologia corporis. [187]

R. — Textus videtur sufficere.

14 — Pag. 26, lin. 10: 13 Patres volunt, ut post (*Rom.* 8, 23) addatur: « consors factus divinae naturae ».

R. — Idea iam adesse videtur. Additamento cursus textus turbaretur.

15 — Pag. 26, lin. 13: 16 Patres postulant, ut post (*Rom.* 8, 11) addatur: « *Cum autem homo in spe tantum redemptus et plena manifestatio gloriae filiorum Dei facta nondum sit* », *et* dein prosequatur: « christianum certe urgent ... ».

Unus Pater idem vult exceptis verbis: homo in spe tantum redemptus est.

R. — Non necessarium videtur, quia antea iam explicite dicta sunt.

16 — Pag. 26, linn. 13-16: Unus Pater hanc mutationem vult: « Christianus certa necessitate et officio urgetur (vel premitur) contra malum per multas ... patiendi; sed mysterio paschali consociatus et Christi morti configuratus, ad resurrectionem occurrendi certa spe roboratur ». Ratio: fluiditas sermonis.

Alius sic proponit: « Christianum certe urget necessitatus et officium ... configuratus, *Christianus ille* ad resurrectionem ... ». [188]
Ratio: grammaticalis.

R. — Textus corrigatur in lin. 14: « Sed mysterio paschali consociatus, Christi morti configuratus, ad resurrectionem spe roboratus occurret ».

17 — Pag. 26, lin. 17: 22 Patres volunt, ut scribatur: « Quod valet *quoque* pro *ceteris* in Deum credentibus, immo et pro omnibus hominibus bonae voluntatis, *etiamsi ad explicitam Dei cognitionem nondum pervenerint,* in quorum corde ... ».

Unus proponit haec: « Quod valet *quoque* pro *ceteris* in Deum credentibus, *immo* et pro omnibus ..., in quorum tamen corde ... ».

Duo Patres proponunt: « Quod non tantum pro explicite credentibus in Deum per Christum valet ... ».

Duo conqueruntur de hoc textu, quin novum proponant.

Unus proponit: « ... bonae voluntatis *qui, etsi ad Populum Dei sint ordinati, sine culpa ad expressam agnitionem Dei non-*

[188] *dum pervenerunt* (Nota: Const. dogm. *Lumen gentium,* c. 2, n. 16), in quorum corde ... ».

Unus vult ut loco « pro credentibus in Deum dicatur « pro baptizatis ».

Unus loco « in quorum corde » vult « in quibus ».

R. — Dicatur in lin. 17 loco « credentibus in Deum »: « christifidelibus ». Detur referentia ad *Lumen gentium* in nota.

18 — Pag. 26, linn. 17-22: Unus Pater ut pericopa tollatur aut clarius significetur cooperatio necessaria hominis ad vocationem Dei.

R. — Provisum videtur in alineis antecedentibus.

19 — Pag. 26, linn. 19 s.: Loco « vocatio hominis ultima » dicatur: «vocatio hominis *suprema* ».

R. — Non videtur necessarium.

20 — Pag. 26, lin. 22: Loco « se consocient » dicatur: « consocientur » Ratio: si Christum ignorant, non possunt active sese Ei consociare. Bene autem possunt ab Ipso invisibili modo mysterio paschali consociari.

R. — Videtur admittendum, quia ea, quae in textu dicuntur, correctius enuntiant.

[189] 21 — Pag. 26, linn. 23 s.: Dicatur: « Talis et tanta est realitas humanae conditionis quae ... » vel « Talis et tanta est hominis conditio eiusque destinatio quae ». Ratio: « Mysterium » est nimis biblicum, quominus intelligatur a non-christianis.

R. — Non videtur necessarium omittere verbum « mysterium », nam hic totus numerus est typice christianus.

22 — Pag. 26, lin. 26: 6 Patres volunt ut dicatur « ... largitus est. Ipse est *Vita, Veritas et Vita,* ut nos, filii in Filio ... ».

R. — Non videtur necessarium quia implicite habetur iam.

23 — Pag. 26, lin. 26: Dicatur: « Morte sua mortem destruxit vitamque *resurgendo* nobis largitus est (vel resurrectione sua) ».

R. — Textus corrigitur accuratius citando liturgiam byzantinam.

24 — Pag. 26, lin. 27: Unus Pater proponit hanc conclusionem: « Tantum in revelata divina paternitate fraternitatis universalis inter omnes homines — ad quem in tempore ac in aeternitate vocati sumus — fundamentum firmissimum positum est ». Ratio: genus humanum auctoritate Concilii ad fraternitatem incitandum est.

R. — Alibi sufficienter tractatur.

CAPUT II [190]

DE HOMINUM COMMUNITATE

Exitus suffragationum
(15-16 novembris 1965)

Suffr. de nn. 23-26

Votantes	2.115
Placet	2.074
Non placet	34
Vota nulla	7

Suffr. de nn. 27-32

Votantes	2.155
Placet	2.115
Non placet	35
Vota nulla	2

Suffr. de integro capite II

Votantes	2.212
Placet	1.801
Non placet	18
Placet iuxta modum	388
Vota nulla	5

Integrum ergo Caput II, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est.

AD TITULUM

1 — Unus Pater proponit ut scribatur: De Homine *in* Communitate.
R. — Maneat titulus uti est.

AD NUM. 23 [*Quid Concilium intendat*]

2 — Pag. 32, linn. 5-11: In lin. 5 legatur « ... profundius in personarum *communione* ... » (unus Pater, qui dat rationem: postea enim, in lin. 7, textus refertur ad « hanc communionem »); in lin. 8,

[191] loco « non parvum » dicatur magis positive *magnum subsidium* (1 Pater) aut *vel maxime contulit* (alius Pater); in lin. 11 proponunt 5 Patres ut legatur « recentiora documenta *pontificalia* vel *Summorum Pontificum* » ne quid praeiudicetur de necessitudine inter Litteras Encyclicas et Magisterium Ecclesiae.

R. — Admittitur *magnum subsidium* loco « non parvum » in lin. 8. Verbum « communitas » est etiam in titulo. Aliae modificationes non videntur necessariae.

3 — Pag. 32, linn. 13-15: Unus Pater proponit ut textus ita corrigatur: « ... in memoriam revoc*at* earumque fundamentum ... expo*nit*. Deinde ... insist*it* ... ».

R. — Admittitur.

AD NUM. 24 [*De indole communitaria vocationis humanae in consilio Dei*].

4 — Pag. 32, lin. 17: Unus Pater proponit ut legatur: « Deus, *qui paternam curam omnium habet,* voluit ut ... » quia verbum « vigilans » sapit extrinsecismum.

R. — Admittitur.

5 — Pag. 32, linn. 20-21: Suggerunt 16 Patres duas distinctas additiones sat longas de matrimonio, eo fine ut iam inde ab initio ponatur basis omnium communitatum humanarum. Et 193 Patres petunt ut post verbum « finem » (lin. 21) addatur *supernaturalem*; vel *id est ad Deum ipsum* (1 Pater); vel *imprimis supernaturalem et etiam ad naturalem prosperitatem et bonum* (1 Pater).

R. — Additio non est necessaria: iam in n. 12, cap. I, habetur verbum de matrimonio; et in n. 22 idea de novo homine in Christo; etiam in n. 29 sermo est de vocatione et destinatione omnium ad vitam divinam. In lin. 21 scribatur: « ... finem, *id est ad Deum ipsum,* vocantur ».

6 — Pag. 32, lin. 23: Unus Pater vult ut dicatur « ab *Apostolo* Paulo ». 11 Patres proponunt loco « Paulo »: « A *Sacra* autem *Scriptura* docemur ... »; quia unitas amoris erga Deum et erga proximum de facto totam Sacram Scripturam pervadit. Alius petit *a Domino docemur*. Unus Pater proponit ut linn. 24-26 substituantur dicendo: *A Ioanne autem docemur Dei amorem a proximi amore seiungi non posse*: *Si quis dixerit*: *quoniam diligo Deum, et fra-*
[192] *trem suum oderit, mendax est* (...) *hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum et fratrem suum* ».

R. — Legatur « A *Sacra* autem *Scriptura* docemur ». Et in lin. 26 ad citationem, addatur *1 Io.* 4, 20. [192]

7 — Pag. 32, linn. 29-36: 195 Patres rogant ut tota alinea omittatur, varias ob rationes: textus esset obscurus (148 Patres), non verus (4 Patres), inintelligibilis etiam pro credentibus non theologis (2 Patres), temerarius (1 Pater), non pertinens ad rem (1 Pater), novasque afferans difficultates dialogo cum Muslim instituendo (1 Pater). Tres alii, e contra, putant fundamentum indolis socialis hominis ad Dei vitam trinitariam optime referre dicuntque hanc notionem centralem omnino servandam esse in textu. Alii varias proponunt emendationes: loco « fidelium rationi » (lin. 29) legatur *humanae rationi* (1 Pater); loco « doctrina ... docet » (lin. 30) dicatur aliquid aliud (1 Pater); loco « vivit » dicatur *refertur* (lin. 31); in eadem linea legatur « relatione *subsistente* constituantur » (unus); in lin. 31 legatur « ... quarum *necessitudines ipsis nominibus revelatione traditis suggeruntur* » (1 Pater); loco, « excogitari licet » (lin. 32) dicatur *incongruum non est opinari* (unus) vel *opinari licet* (unus) vel *fides suggerit* (unus); « personas humanas » (lin. 32) ponatur in singulari numero (9 Patres); deleatur « unius et trini » in lin. 33 (9 Patres); loco « reformatae » (lin. 33) scribatur *a Christo Redemptore renovatae* (unus Pater); post « imitationem Eius » inseratur *qui caritas est* (*1 Io.* 4, 8); post « seipsum » (lin. 35) addatur *ita* et auferatur « idem ex seipso ad alios refertur » (9 Patres); loco « seipsam » ponatur *ipsam* (unus); post « ex seipso » (lin. 35) inseratur *aliquo modo* (unus) vel *quodammodo* (alius); in fine addatur: *et ad Deum a quo venit redeat in habitudine ad alterum* (1 Pater). Pro ultima phrasi proponit unus Pater: « *Etenim sicut Deus hominem ex amore creavit, homo ita natura sua ad alios ordinatur* ut nonnisi ... ».

R. — Omnibus perpensis, textus sic legatur: « Immo *Dominus Iesus, quando Patrem orat ut "omnes unum sint, sicut unum sumus"* (*Io.*, 17, 22), prospectus praebens *humanae* rationi impervios, ( ) *aliquam* similitudinem *innuit inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate. Haec similitudo manifestat* hom*inem, qui* in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, *plene* seips*um* invenire *non* posse nisi *per sincerum suiipsius donum* ». Et fit referentia ad *Lc.* 17, 33.

[193] AD NUM. 25 [*De interdependentia humanae personae et humanae societatis*].

8 — Pag. 33, linn. 2-7: 20 Patres, ad evitandas repetitiones, proponunt sequentem novam redactionem: « Principium, subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet persona humana. *Propter* social*em* hominis indol*em* human*ae* person*ae* profectus et ipsius societatis incrementum ab invicem *necessario pendent. Cum igitur* vita socialis non *sit* homini quid adventicium, commercio cum aliis ... ». Tres Patres cupiunt ut in lin. 4 loco « principium » legatur « *fundamentum* ».

R. — Legatur a lin. 5: « *Cum igitur* vita socialis non *sit* homini quid adventicium, *ideo* commercio ... ». Maneat tamen « principium » in lin. 4.

9 — Pag. 33, lin. 9: Proponit unus Pater ut hic addantur verba ex n. 24, pag. 32, linn. 34-36: « Enimvero ... possit ». Si enim persona humana est finis institutorum socialium, debet dici ipsam personam humanam se invenire non posse nisi dando.

R. — Transpositio proposita non admittitur.

10 — Pag. 33, linn. 10-15: Rogant 18 Patres ut deleatur incisum « quae homini necessaria sunt »: est enim repetitio; 3 Patres proponunt textum valde amplificatum; unus Pater putat conceptum « culturae » (in lin. 12) non corresponderi conceptui secundae partis; 5 Patres volunt loco « communitas politica » (lin. 11) *communitas socialis,* vel *civilis,* vel *terrestris,* vel *societas humana*; unus tandem proponit ut in lin. 15 sic scribatur: « ... unde diversa oriuntur *coetus, consociationes et* instituta *in ius privatum vel publicum plerumque recepta.* Hoc autem ... ».

R. — Ad aequivocationes tollendas tollentur exempla in lin. 12; et in lin. 15: « ... diversa oriuntur *consociationes et* instituta ... ». Aliae suggestiones non accipiuntur.

11 — Pag. 33, lin. 16: Loco « Hoc autem factum, quod socializatio nuncupatur, licet », proponunt 19 Patres ut legatur *Quod factum, sub nomine socializationis notum,* licet ...; alius suggerit: « Hoc autem factum, quod socializatio nuncup*atur, multa* secum emolumenta ... » omittendo « licet periculis sane non careat ». Uni non placet verbum « socializatio ».

R. — Maneat textus uti est.

[194] 12 — Pag. 33, lin. 18: Unus Pater proponit additionem sat longam de communismo et capitalismo.

R. — Res non pertinet ad hoc cap. II et insuper additiones tam notabiles non possunt admitti in textu iam approbato. [194]

13 — Pag. 33, lin. 20: Legatur « ... accipiunt, negari *nequit* homines ... ». Nam agitur de facto et non de iudicio quod potest proferri necne (1 Pater).

R. — Accipitur Modus.

14 — Pag. 33, lin. 27: 190 Patres rogant ut post verbum « homo » addatur *ex consequentia peccati originalis,* ut clare appareat ultima ratio deordinationis quae in ordine sociali invenitur. Unus Pater proponit: *ratione peccati originalis*; alius: « *iamiam ex consequentia peccati originalis* proclivis ad malum natus ... ». Alius denique: « homo, proclivis ad malum *ob peccatum originale natus,* nova deinde ad peccatum personale incitamenta invenit, quae sine strenuis conatibus, gratia *Dei* adiuvante, superari nequeunt ».

R. — Stet textus; de peccato cf. supra n. 13; et ipsum peccatum originale implicite affirmatur etiam in lin. 27: « homo, proclivis ad malum *natus* ».

15 — Pag. 33, lin. 27: Dicatur: « ... homo, proclivis *etiam* ad malum natus ... » (11 Patres). Nam homo est etiam proclivis ad bonum natus.

R. — Textus est affirmativus, non exclusivus et agit de sequelis peccati. Ergo maneat.

AD NUM. 26 [*De bono communi promovendo*]

16 — Pag. 33, linn. 32 ss.: Descriptio boni communis non plene congruit cum ea quae in cap. IV Partis II (pag. 55, linn. 6 ss.) continentur. 3 Patres suggerunt (lin. 32): « seu summam *vitae socialis* condicionem ».

R. — Admittitur.

17 — Pag. 33, linn. 40-41 legatur: « et eius iura universalia sint atque inviolabilia officiaque nobilissima » (1 Pater).

R. — Non admittitur talis distinctio inter iura et officia.

18 — Pag. 33, linn. 42-43 scribatur: « ... quibus ad vitam vere humanam gerendam indiget, ut sunt victus, vestitus, habitatio, *necnon* ius *et facultas* ad educationem ... » (3 Patres). [195]

R. — De facultate iam provisum est in linn. 41-42: omnia homini pervia reddantur, etc. Maneat textus.

[195] 19 — Pag. 33, lin. 43 ad pag. 34, lin. 3: Varia proponuntur: ut addatur *ius ad procreationem* (12 Patres), *ad laborem* (2 Patres); ut mutetur constructio et ordo textus (9 Patres). Ad illud « etiam in re religiosa » suggerit unus Pater *Imprimis in re religiosa*; alius « *vitam tandem spiritualem et religiosam,* iuxta rectam suae conscientiae normam »; 9 tandem Patres proponunt ut simplicius et clarius dicatur *libertatem religiosam,* loco « agendum ... normam ». Unus Pater, loco « rectum suae conscientiae » vult *rectae conscientiae suae normam.*

R. — A lin. 42 pag. 33 textus sic emendetur: « ... gerendam indiget, ( ) ut sunt victus, vestitus, habitatio, ( ) ius *ad statum vitae libere eligendum et ad familiam condendam,* ad educationem, *ad laborem,* ad bonam famam, ad reverentiam, ad congruam informationem, ad agendum ( ) iuxta rectam suae conscientiae normam, ad vitae privatae protectionem atque ad iustam libertatem *etiam in re religiosa* ». Quaestio de iure ad procreationem remittitur ad caput de matrimonio.

20 — Pag. 34, lin. 3: Petunt 9 Patres ut post « iustam libertatem » addatur: « *quae omnia iura fundamentalia personae humanae rationem habent.* Cum enim in n. 29, lin. 23 de iuribus fundamentalibus sermo sit, ad incertitudinem tollendam necesse est determinetur quid in condicione sub hoc nomine intelligendum sit.

R. — Iam dicta sunt in pag. 33, linn. 41 ss.

21 — Pag. 34, lin. 4: Loco « personarum » dicatur *hominum* (1 Pater).

R. — Non accipitur; agitur enim praecise de persona humana.

22 — Pag. 34, lin. 6: Unus Pater rogat ut loco « innuente » dicatur *docente* vel *declarante* vel *affirmante.* Alius proponit: « ipso Domino *id* innuente *cum dixerit* sabbatum ... »; duo petunt omissionem textus.

R. — Admittitur: « ipso Domino *id innuente* cum *dixerit* sabbatum ... ».

[196] 23 — Pag. 34, lin. 10: 19 Patres rogant ut post verbum « implenda » addatur: *reformatio mentis atque,* ut appareat res in melius verti non posse per solam reformationem institutorum, nec per solam reformationem mentium, sed insimul per utrumque.

R. — Admittitur *renovatio* (non « reformatio ») *mentis atque.*

24 — Pag. 34, lin. 10: 204 Patres vident in textu incitamentum ad revolutionem socialem et proponunt sequentem correctionem:

« Ad haec *ergo* implenda *societas semper secundum principia* Evangelii restauranda est »; vel « secundum *principia evangelica, quae in doctrina Ecclesiae Catholicae explicationem atque applicationem sortiuntur* » (1 Pater); vel: « *secundum doctrinam socialem Ecclesiae instauranda* est » (1 Pater); vel: « *secundum principia ordinis naturalis et legis evangelicae* » (1 Pater). [196]

R. — Maneat textus. Iam in lineis 8-10 docetur hoc faciendum esse in veritate, in iustitia et amore. Textus debet in contextu legi.

25 — Pag. 34, linn. 12-13: Ne videatur Ecclesiam affirmare mutationes mundi esse « evolutionem », seu gressus ex minus perfecto ad magis perfectum, 186 Patres proponunt ut dicatur: « Spiritus Dei, qui mirabili providentia temporum cursum dirigit, et faciem terrae *supernaturaliter* renovat, *has mutationes vel causat vel permittit* ». Unus Pater, ut saltem eliminetur verbum « evolutio » proponit: « ... faciem terrae renovat, *has mutationes vel causat vel* permittit »; alius: « *huic immutationi assistit* ». Unus Pater suggerit correctionem a lin. 10: « ... ad haec *ergo* implenda *societas incessanter secundum Evangelii principia restauranda est*: *cui restaurationi indesinenter praeerit Spiritus Dei, quippe qui* mirabili providentia temporum cursum dirig*at* et faciem terrae reno*vet*, et a Christo Domino per Ecclesiam Suam humanitati datus fuerit ». Alius proponit omissionem verborum « huic evolutioni adest »; alius tamen proponit « huic *instaurationi* adest ».

R. — Maneat textus.

AD NUM. 27 [*De reverentia erga personam humanam*]

26 — Pag. 34, lin. 18 scribatur: « ... hominem, ita ut singuli *proximum, nullo excepto, tamquam* "alterum seipsum" considerare ... ». Sic textus erit magis concretus et introducit ideam biblicam « proximi » (3 Patres); alii 4 Patres proponunt « ... erga *quemlibet* hominem ... ».

R. — Admittitur « ... *proximum, nullo excepto,* tamquam ... ».

27 — Pag. 34, linn. 24-25: varia proponuntur: dicatur aliquid de profugo, de expulso e patria (6 Patres); mutetur « illegitimus infans » (1 Pater); non dicatur « iniuste patiens » (1 Pater); 3 Patres rogant omissionem textus de illegitimo infante iniuste patiente, ne Ecclesia seipsam damnet statuens irregularitatem ad ordines vel impedimentum ad vitam religiosam. [197]

[197] R. — Scribatur: « ... operarius *iniuste* despectus, *exsul,* vel infans *ex illegitima unione natus, immerito* patiens propter ... ».

28 — Pag. 34, linn. 31-38: Rogant 3 Patres ut dicatur aliquid de sterilizatione (nam, quamvis sterilizatio sit vera mutilatio, a paucis ut talis consideratur), de segregatione (13 Patres), de deportationibus (1 Pater), de expulsione (unus), de servitute (9 Patres), de digna habitatione (unus), de alcoholismo (unus); amplius agatur de nefanda condicione mulierum venditarum (4 Patres); et textus de voluntario suicidio omittatur (2 Patres).

R. — Verbum « sterilizatio » addi non potest sine explicatione, propter aequivocationem. Patet vero quod sterilizatio directa, praesertim illa quae a lege imponitur, prorsus reprobanda est. In lin. 34, post « deportationes » dicatur *servitus.* De transfugis et expulsis iam provisum est in Modo 27; de habitudine loquitur textus in pag. 33, lin. 43. Maneat textus de voluntario suicidio. Quoad alia, non possumus ad omnia descendere.

AD NUM. 28 [*De reverentia et amore erga adversarios*]

29 — Pag. 35, lin. 1: loco « reverentia » dicatur *iustitia* (5 Patres); et in lin. 2 loco « quidem reverentia ... poterimus » simplicius dicatur *humana conversatio semper honorari possit* (iidem 5 Patres, quibus accedunt alii tres).

R. — Maneat « reverentia in lin. 1; in lin. 2, loco « reverentia » dicatur *humanitate* et ...

30 — Pag. 35, lin. 5: Unus Pater proponit ut loco « nos » legatur *discipulos Christi;* alius suggerit ut deleatur linea 5-6 (« Immo ... annuntiandam ») quia loquimur ad omnes homines, etiam ad non-christianos, qui evidenter non possunt « veritatem salutarem annuntiare ».

R. — Admittitur. Legatur in lin. 5: « caritas ipsa *discipulos Christi* urget ad ...

[198] 31 — Pag. 35, lin. 6: 5 Patres suggerunt omissionem expressionis « veritatem salutarem », propter emendationem factam in Constitutione *Dei Verbum.*

R. — Non admittitur. Contextus est alius et confusio non videtur possibilis.

32 — Pag. 35, lin. 10 legatur: « ... cuiusvis *inviti* culpa » ne videamur sacramentum Paenitentiae excludere (1 Pater). Alius Pater pro-

ponit additionem ut in humilitate errores nostros et culpas recognoscamus. [198]

R. — Modi non videntur necessarii.

33 — Pag. 55, lin. 12: Unus Pater rogat ut omittantur verba « quod est Novae Legis mandatum ».

R. — Stet textus: iam non dicimus sicut in textu priori, hoc esse « proprium » Novae Legis.

AD NUM. 29 [*De essentiali inter omnes homines aequalitate et de iustitia sociali*].

34 — Pag. 35, lin. 18: omittatur incisum « anima rationali pollentes », quia sapit descriptionem philosophicam eamque valde incompletam hominis et ut evitetur discussio de quaestione utrum rationabilitas hominis sit specifica pro homine quatenus est imago Dei (16 Patres).

R. — Ut vitetur discussio scribatur: « ... anima rationali pollentes *et* ad imaginem ... ».

35 — Pag. 35, linn. 20-22: Deleatur « autem » in lin. 20 (3 Patres) et in lin. 22 legatur: « magis magisque agnoscenda *est* » (1 Pater).

R. — Modi admittuntur.

36 — Pag. 35, linn. 31-34: legatur: « amplectendi » in lin. 31 (1 Pater); loco « similem » restituatur *parem* (4 Patres et iuxta votum unius Auditricis); deleatur phrasis « Ut si ... accedendi », nam rumpit cursum idearum, vel saltem pro « conceditur » (lin. 32) legatur *agnoscitur* (1 Pater); et in lin. 32 clarius explicetur contentum verborum « spiritualibus rebus », delendo etiam verba « omnium altissimus », ne quaestio moveatur de gratia (1 Pater).

R. — Admittitur sequens emendatio: « ... amplectendi, vel ad *parem* educationem et culturam quae viro *agnoscitur* accedendi ». Lineae 32-34 (« Immo ... perveniant ») ponantur in fine numeri. [199]

37 — Pag. 35, lin. 36: loco « *quamdam aequalitatem* » rogant 3 Patres ut dicatur *aequalitatem quam meliorem* vel *quam maximam;* alius desiderat *ad quandam congruam et iustam aequalitatem;* alii 5 Patres proponunt *ut ad fundamentalem aequalitatem deveniatur in efficaci tuitione iurium essentialium personae;* alius vult *ut diversitates illae quantum possibile est mitigentur;* est et qui suggerit textum sic emendatum: « ... *postulat ut aequalitatem quae*

[199] *iustitiam non laedet, etiam in condicionibus socialibus deveniatur. Etenim, inaequalitates oeconomicae et sociales ex iniustitia ortae inter membra vel populos unius familiae humanae, scandalum movent atque personae* humanae dignitati ... ». Alii tandem duo Patres optant pro omissione linn. 35-40, quia plus minusve repetunt principia in eodem numero iam expressa; aut saltem ita textus corrigatur: « Ideo, quamquam inter homines iustae diversitates adsunt, aequalis personarum dignitas postulat, ut ( ) nimiae inter membra vel populos unius familiae humanae inaequalitates oeconomicae et sociales *removeantur, quae scandalum gignunt* atque iustitiae sociali, aequitati, personae humanae dignitati, necnon paci sociali et internationali adversantur ».

R. — Legatur in lin. 36: « postulat ut ad *humaniorem et aequam condicionem vitae* deveniatur ».

38 — Pag. 35, lin. 42 legatur: « ac fini hominis *subservire* nitantur » propter latinitatem.

R. — Admittitur.

39 — Unus Pater proponit longam additionem de discriminatione ratione stirpis.

R. — Esset contra normas.

N. B. In numero 29, sequentia sententiarum alio modo ordinata est, claritatis causa.

AD NUM. 30 [*Quod ultra individualisticam ethicam progrediendum sit*]

40 — Pag. 36, lin. 4 corrigatur sic: « *Natura socialis hominis una cum* profunda et veloc*i* rerum immutation*e*, urgenter ... » (4 Patres). Unus Pater, loco « urgenter » (lin. 4), desiderat *urgentius*: alius, *loco* « ethicae » (lin. 5), proponit *pseudo-ethicae.*

R. — Admittitur *urgentius.*

[200] 41 — Pag. 36, lin. 7 legatur sic: « ... adimpletur *unoquoque in bonum commune conferente iuxta proprias capacitates et aliorum necessitates, etiam institutiones* ... » (4 Patres).

R. — Placet Modus, sed sententia quoad stylum aliquantulum emendatur.

42 — Pag. 36, linn. 11-16: 19 Patres rogant ut in linn. 11-12, loco « praescriptiones sociales » ponatur « *praescriptiones bonum commune promoventes* ».

4 Patres rogant omissionem linn. 12-16: sunt parvae res,

et rectae normae tum ad valetudinem tuendam tum ad cursum vehiculorum moderandum adhuc valde subiectivae sunt. [200]

Alii proponunt sequentem redactionem: « ... normas *sociales quasdam, e. g.* ad valetudinem tuendam aut ad vehiculorum *circulationem* moderandam statutas ... ». Sic clarius exprimitur hic agi de exemplis quibusdam, non de totalitate problematis.

R. — Accipitur ultimus Modus quoad substantiam et textus a lin. 14 corrigitur.

43 — Pag. 36, lin. 16: Unus Pater desiderat ut addatur *suam* post « vitam ».

R. — Admittitur quoad conceptum.

44 — Pag. 36, linn. 17-19: loco « necessitudines sociales » ponatur « necessitudines *bonum commune promoventes* » (19 Patres); in lin. 18 scribatur « officia *instantius* recensere easque fidelius observare » (1 Pater); 1 Pater observat verbum « officia » inveniri in linn. 18 et 19.

R. — Admittitur tantum ut in lin. 19 omittatur « officia ».

45 — Pag. 36, lin. 20 sic compleatur « ... extendentur. *Quod fieri nequit nisi et singuli homines et ipsorum coetus morales et sociales virtutes in seipsis colant et in societate diffundant, ita ut vere novi homines et artifices novae humanitatis existant cum necessario auxilio divinae gratiae* ». Ita clare affirmatur ordo socialis non per media mere technica instaurari posse sed praecipue per media moralia; et insimul recolitur quod ordo moralis plene humanus obtineri nequit sine auxilio gratiae (1 Pater).

R. — Admittitur additio.

AD NUM. 31 [*De responsabilitate et participatione*] [201]

46 — Pag. 36, lin. 29: 10 Patres volunt ut dicatur « ... homo *plerumque* non pervenit » et 18 Patres petunt ut legatur « homo *vix* pervenit », nam textus, ut sonat, non est verus: affirmat absolutam impossibilitatem respondendi vocationi suae in adversis vitae condicionibus. Iidem 10 Patres proponunt ut dicatur in linn. 31-32: « *Saepe saepius humana* ... »; 1 Pater suggerit « ... humana libertas *saepe* debilior fit », expungendo « et quasi extinguitur ».

R. — Admittitur *vix* pro lin. 29 et *saepe* pro lin. 32; omittatur « et quasi extinguitur » in lin. 32.

[201] 47 — Pag. 36, lin. 40: 1 Pater, sub regimine marxistico insudans, optat ut legatur: « ... quam maxima in vera libertate ... »; alius ex eadem condicione, proponit: « ... rerum publicarum *realiter et libere* (vel: *in libertate*) particeps fit ».

R. — Legatur in lin. 40 « ... maxima civium *in vera libertate* rerum publicarum ... ».

48 — Pag. 37, linn. 3-5: Duo Patres rogant ut lineae deleantur; sunt enim grandiloqua et inflata verba. Futura humanitatis sors reponatur in manibus Dei et non « in manibus illorum qui ».

R. — Maneat textus, qui non est exclusivus. Cf. additionem iuxta Modum n. 45.

AD NUM. 32 [*Verbum Incarnatum et solidarietas humana*]

49 — Unus Pater petit ut totus numerus deleatur. Alius vult ut in lin. 8 loco singulatim dicatur *singilatim.*

R. — Numerus est approbatus a Congregatione Generali; « singulatim » est ex Const. Dogm. *Lumen Gentium.*

50 — Pag. 37, linn. 11-12: Unus Pater rogat ut dicatur « inde *a tempore abrahamitico* historiae salutis » nam vocatio Abrahae non potest vocari « initium » historiae salutis. Alius rogat ut tota phrasis « Inde ... gentis » deleatur, nam nihil adderet et confusionem afferret. 3 Patres suggerunt ut loco « gens », qui sensum ethicum habet, dicatur *familia* vel *communitas;* unus proponit *populi sui.*

[202] R. — Admittitur tantum ut in lin. 12 legatur « membra cuiusdam *communitatis* ».

51 — Pag. 37, linn. 15-23: 10 Patres suggerunt ut post « et » addatur « *transfigurata* consumma*bitur* » ut melius appareat illa novitas mundi quam consummatio futura afferet.

Unus Pater petit ut tota alinea in fine ponatur, quia tamquam interruptio apparet doctrinae expositae in hoc numero; et petit ut verbum « quae » in lin. 15 deleatur et tota phrasis a lin. 18 ad 20 sic mutetur: « Communissimas res sociales commemorando et locutiones figurasque vitae plane quotidianae adhibendo, Patris amorem hominumque eximiam vocationem revelavit ». Ratio: propter constructionem huius alineae. Unus Pater proponit pro lin. 16: « Ipsum enim Verbum incarnatum, *quamvis afferret Regnum quod non est huius mundi, insuper* humanae ... ».

R. — Modi non admittuntur, quia non videntur necessarii.

52 — Pag. 37, lin. 22: loco « subditus » dicatur *se subiiciens* (1 Pater) vel *voluntarie subditus* (alius Pater) vel *volenter* (1 Pater). Unus Pater proponit omissionem huius incisi (« legibus suae patriae subditus »), quia Christus non in omnibus legibus subditus erat (cf. *Mt.* 12, 1; *Mc.* 3, 1). [202]

R. — Legatur « *voluntarie* subditus ».

53 — Pag. 37, lin. 23 addatur: « *Immo Ipse usque ad mortem sese pro omnibus obtulit, omnium Redemptor. "Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Io.* 15, 13)". Factum enim primordiale solidarietatis Christi non est aliud quam passio et mors Christi (3 Patres). Alius Pater proponit sequentem additionem in eodem sensu: « *Sed praesertim, in imo profundi mortis et humanae miseriae descendere voluit quando Christus exinanivit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem crucis et quando, exaltatus a terra, omnes traxit ad Seipsum et per ipsum ad gloriam Patris* ».

R. — Admittitur primus Modus, sed addatur in lin. 26 (non 23), post verbum « essent ».

54 — Pag. 37, linn. 25-26: Post verba « se gererent » sic dicatur: « In sua oratione rogavit ut *omnes discipuli sui "unum" essent* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

55 — Pag. 37, lin. 31: 19 Patres proponunt ut ponatur: « in Corpore scilicet suo, *quod est Ecclesia* », claritatis causa. [203]

R. — Admittitur.

56 — Pag. 37, lin. 36: Scribatur *in caelesti Ierusalem* post « dilecta » (1 Pater); *unanimiter* post « perfectum » (9 Patres); linn. 34-36 deleantur, iuxta votum unius Patris, qui etiam optaret omissionem totius numeri 32, quia confusionem faceret inter socialem unionem temporalem et populorum Dei.

R. — Modi non admittuntur, quia non necessarii. Non conceditur ratio ultimi Modi.

[204]

CAPUT III

DE HUMANA NAVITATE IN UNIVERSO MUNDO

Exitus suffragationum de Capite III
(die 16 novembris 1965)

Suffr. IX, par. 33-36

Praes. votantes	2.216
Placet	2.173
Non placet	33
Vota nulla	10

Suffr. X, par. 37-39

Votantes	2.227
Placet	2.169
Non placet	45
Vota nulla	13

Suffr. XI, de integro Capite

Votantes	2.223
Placet	1.727
Non placet	25
Placet iuxta modum	467
Vota nulla	4

Integrum ergo caput, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi a Patribus introducti praevie ordinati et examinati sunt a Subcommissione competenti.

Ipsa Commissio plenaria Mixta statuit sequentes responsiones.

MODI GENERALES

1 — Patres sexdecim dicunt caput insufficiens, quia non est bene ordinatum, et quia non satis loquitur de hominis navitate « spirituali ». Unus vult caput abbreviari. Alius observat illud laborare irrealismo idealistico.

R. — De ordine capitis, cf. Relationem, pag. 49. Ibidem statuitur, [204]
intentionem eius esse, ut agatur de navitate praesertim externa.
In hac re delineat ideale, quod christianus prosequi debet. Ab- [205]
breviatio fieri iam non licet.

AD NUM. 33 [*Ponitur problema*]

2 — *a*) Pag. 42, linn. 3-4: Septemdecim Patres existimant verba « suum dominium in universam pene naturam dilatavit » esse exaggerata, et forsitan in futuro ridicula apparere. Patres 45 proponunt: « suum dominium in universam pene naturam *ita* dilatat, *ut eam profunde scrutetur et transformet* ». Ratio est, quia ita exprimitur continuus progressus et significatur id quod scientiam et technicam hodiernam maxime characterizat. Duo Patres volunt, iam hic poni materiam linn. 6-9, hoc modo: « dilatavit ac *continuo* dilatat, *ita ut* adiuvantibus imprimis auctis inter omnes nationes *multimodi* commercii mediis, familia humana ... agnosc*at* atque constitu*at* ».

b) Pag. 42, linn. 4-6: Iidem 45 Patres, loco « ita ut ... procuret », proponunt: « *Quo fit* ut multa bona, quae olim *maxima ex parte a viribus supernis* exspectabat, *salutem corporis ac mentis, fecunditatem familiae ac gregis, pacem tranquillam,* iam propria industria, sibi procur*are speret, ita ut progressus scientificus ac technicus* (vel: *humanus*) *non paucis videatur efficere, ut influxus divinus semper longinquius recedat* ». Quibus accedunt duo Patres citati, qui proponunt: « *Quo fit, ut multa bona,* quae olim a *viribus supernis imprimis* exspectabat, iam propria industria sibi procur*are* speret ». Unus, linn. 5-6, proponit: « ... a *sola* natura ..., hodie sibi *etiam* propria industria, etc. ». Novem Patres, lin. 6, proponunt: « ... procur*are possit* ».

R. — *a*) Eo ipso, quod illud dominium continuo dilatari dicitur, significatur illud esse imperfectum. De transformatione mundi supra iam satis dictum est (num. 5). Revera idea linn. 6-9 expressa videtur arctius coniungi posse; vide ad 3.

b) Admittenda videtur substitutio « *a viribus supernis imprimis* » pro « a natura ». Pro religiositate primitiva enim characteristicum erat, non tam quod a natura, sed quod a viribus suprahumanis sive a natura plus minusve magice vel religiose concepta haec bona imprimis exspectabat. Exempla allata sententiam nimis aggravant. Ideam de « longinquitate » Dei, quae nova est, introducere iam non licet.

[205] 3 — Pag. 42, linn. 6-9: Dicti Patres 45 putant haec delenda esse, quia non bene cohaerent cum reliquis. Septemdecim iam citati existimant, hic haberi quemdam despectum generationum anteriorum,
[206] quae iam credebant humanitatem esse unam. Ut iam dictum est, duo volunt hanc ideam immediate iungi cum lin. 4 et lin. 6 proponunt: « *multimodi* commercii », quia etiam commercium idearum, oeconomicum, politicum, turismi, etc. multa contribuunt. Unus, lin. 8, mavult « *communitatem* », quia « societas » potius significat aliquid iuridice determinatum. Unus, ibid., mavult: « ... sese agno*scit* atque consti*tuere non desistit,* quin etc. ».

R. — Idea iam deleri non licet, sed cohaerentia eius potest clarius apparere. In textu non praecise agitur de unitate per fidem agnita, sed per media communicationis realizata. Reliqua admittenda videntur.

Scribi ergo posse videtur, linn. 4-9: « ... dilatavit ac *continuo dilatat, et* adiuvantibus imprimis auctis inter nationes *multimodi* commercii mediis, familia humana paulatim tamquam unam in universo mundo *communitatem* sese agnosc*it* atque constituit. *Quo fit,* ut multa bona, quae olim a *supernis viribus praesertim* exspectabat, hodie iam propria industria sibi procuret ».

4 — Pag. 42, linn. 10-14: Unus Pater vult pro quaestionibus, linn. 11-14, substituere simpliciores: « *Quemnam valorem ille nisus coram fide habet? Quidnam homini ita laboranti Evangelium affert* »? Alius vult, quaestionem alteram primo loco poni, utpote magis fundamentalem. Alius observat, in quaestionibus directis adhibendum non esse formam coniunctivam. Sexdecim Patres in verbo « divitiis », lin. 12, saporem materialisticum detegunt. Tredecim alii proponunt pro « divitiis » scribi « *rebus* ».

R. — Quaestiones substituere iam non convenit, immo secundum ordinem Concilii iam non licet. Reliquis emendationibus videtur assentiendum, ita ut scribatur, linn. 11-14: « ... interrogationes. Quisnam *est* illius operositatis sensus et valor? Quomodo omnibus his rebus utendum *est?* Ad quem finem ... tend*unt*? ».

5 — Pag. 42, linn. 14-17: Unus Pater monet, in inchoando dialogo locutionem modestiorem convenire quam « Ecclesia responsa possidet », Patres 46 volunt hanc sententiam omitti, utpote iterata iterans; vel saltem deleri sententiam linn. 14-15: « quae responsa ... possidet, quin ... in promptu habeant ». Huic ultimae petitioni tres accedunt.

Plures proponunt formulas diversas. Patres 247: « *Ad quae-*

stiones fundamentales de usu bonorum creatorum de valore [206]
et fine vitae et aliis similibus Ecclesia, *lumine revelationis edocta, habet* responsiones *perpetuo validas, et infallibili certitudine superiora principia ad vitam moralem hominis applicat.* De quaetionibus *ordinis oeconomici et technici autem, principia mora-* [207]
lia docet, quin ad solutiones temporales deveniat. Illa autem principia cum *humana* peritia coniung*ens,* iter *humanum* illumin*at luce divina simul et humana* ».

Unus proponit: « Ecclesia, quae *principia solutionum* universaliora possidet, quin *tamen semper* de singulis quaestionibus *responsa prorsus particularia* in promptu *statim* habeat, etc. ». Alius: « Ecclesia, quae solummodo responsa universaliora *praebere potest,* quin etc. ». Duo: « Ecclesia, quae de *rebus moralibus* responsa *habet perpetuo valida*, quin etc. ». Duo proponunt, lin. 15: « ... singulis quaestionibus, *moralibus exceptis,* omnia, etc. ». Alius, ibid.: « ... singuli quaestionibus *technicis omnia* etc. ».

Formulam breviorem proponit unus Pater: « Ecclesia, *quamvis* de quaestionibus *particularibus iudicandis aliquando dubitat, tamen* responsa universaliora possidet, *ideoque* lumen, etc. ». Alius: « Ecclesia, quae *depositum verbi Dei ubi* responsa universaliora *inveniuntur custodit,* quin de singulis quaestionibus omnia (...) habeat etc. ». Alius: « Ecclesia quae *ultima* responsa *tenet,* lumen revelationis cum omnium peritia coniungere cupit, *ut ad particularia extendantur, et sic* iter illuminetur, *quo homines ad illorum etiam finem divinum perveniant* ». Unus, linn. 15-16: « ... habeat, lumi*ne* revelationis *hominum* periti*am adiuvare* desiderat etc. ».

R. — Sententiam prorsus omittere iam non licet. Ex altera parte ante oculos habeatur, quod de auctoritate Magisterii ex professo tractat cap. IV. Ad diversas formulas propositas observandum est, in hoc capite agi de provincia rerum « mixtarum », ubi nitide distingui non semper possunt aspectus « moralis » et « technicus ». Neque opponenda sunt generalia et particularia, quasi Ecclesia non possit etiam de particularibus ferre iudicium.

Proponitur haec formula, ex diversis emendationibus conflata: « Ecclesia, *quae depositum verbi Dei custodit, ex quo principia solutionum in ordine religioso et morali hauriuntur,* quin *semper* de singulis quaestionibus responsum in promptu habeat, lumen revelationis cum omnium peritia coniungere *cupit*, ut iter illuminetur etc. ».

[207] AD NUM. 34 [*De valore humanae navitatis*]

6 — Pag. 42, linn. 18-22: Patres 18 proponunt formulam simpliciorem: « Cred*imus* hominum navit*atem* individua*lem* et collecti*vam,* seu ingen*tem* conatuum summ*am,* quibus homines decursu [208] saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare *satagunt, Dei* voluntati respond*ere* ». Omittunt « in seipsa considerata et recte ducta », quia haec ultima verba videntur respicere rectitudinem moralem. Alii quinque observant in textu fieri illegitimum transitum a navitate in genere considerata ad conamina concreta, quae non semper voluntati Dei respondent; proponunt, linn. 20-21: « ... collectiva (...), *qua* homines (...) suae vitae condiciones mutare conantur, etc. ».

R. — Constructio revera allevianda, sed vitandum initium « credimus ». Revera hic agitur de bonitate ontologica illius conaminis in genere dum de singulis actibus agitur in paragrapho sequenti, et de bonitate morali in num. 35-36. Ut hoc clarius appareat, lin. 22, pro « voluntati » scribatur: « *proposito* ».

Proponitur ita scribere: « Hoc credentibus ratum est, navitat*em* human*am* individualem et collectiv*am,* seu ingens *illud* cona*men, quo* homines decursu saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare *satagunt,* in seipso *consideratum,* Dei *proposito* respond*ere* ».

7 — Pag. 42, linn. 24-27: Patres 194 proponunt aliam formulam: « ... Deum omnium Creatorem agnoscens, *ei serviet per usum creaturarum secundum legem Dei ad finem naturalem et supernaturalem ad quem creatus est*; seipsum ac rerum universitatem ad Ipsum refer*ens, res omnes, per hominem Deo subicientur,* etc. ». Ratio indicatur, quod Deus non glorificatur nisi per illud dominium hominis, quo finis supernaturalis obtinetur. Quattuor Patres, lin. 24, post verbum « subiciens » insertionem proponunt: « *fines non tantum immediatos et proprios attingens, sed etiam fines vere humanos cum illis ab intrinseco connexos, servato eorum ordine hierarchico, mundum,* etc. ». Duo Patres, lin. 25, post « universitatem » inseri optant: « *secundum finem supernaturalem a Deo determinatum,* ad Ipsum, etc. ». Unus, linea 26, proponit: « ... subiectis, *homine autem Deo,* admirabile etc. ». Similiter alii novem: « ... subiectis homini *qui Deo subiectus est,* admirabile etc. ».

R. — Elaborationes de fine naturali et supernaturali constituerent additionem substantialem ad textum. Ceteroquin hic agitur de rebus

homini subiciendis, dum de Deo serviendo agit paragraphus sequens et nn. 36-37. De lege et de ordine valorum hierarchico n. 35. In lin. 26 retinendum est paradoxum Psalmi de glorificatione Dei per subiectionem rerum sub homine; ideoque inseri hic non convenit subiectio hominis sub Deo, quae hic sufficienter exprimitur per verbum « referret »; nexus inter hoc « referre » et subiectionem rerum magis apparet, si post « referret » non scribitur semicolon, sed virgula. « ... referr*et,* ita ut ... ». [208] [209]

8 — Pag. 42, linn. 28-33: Patres 14 malunt primam sententiam « Hoc ... respicit » in linea 33 poni. Unus Pater, lin. 33, vult inseri: « adimplendum aliquo modo personali etc. ».

R. — Convenit ordinem retinere, ut opera cotidiana immediate iungantur cum gloria Dei; quapropter sententia incipiat: « *Quod* etiam ... respicit. Viri *namque* et mulieres etc. ». Insertio « aliquo modo » est superflua, quia res per se patet.

9 — *a*) Pag. 42, lin. 32, pag. 43, lin. 7: Patres 16 volunt hic aliquid dici de periculo superbiae. Formulas non proponunt.

b) Linn. 34-35: Patres 37 volunt deleri verba: « ut quidam asseverare non desinunt », in quibus sentiunt tonum aliquantulum polemicum.

c) Pag. 43, lin. 1: Septem Patres volunt post « victorias » addi: « *recte sumptas* ».

R. — *a*) De periculo progressui inhaerenti, num. 37.

b) Admittenda videtur omissio verborum, quae vere necessaria non sunt, cum ex ipso responso pateat existere hunc errorem.

c) Quomodo victoriae intelligendae sint, exponitur num. 35.

10 — *a*) Pag. 43, linn. 3-4: Patres 17 proponunt: « responsabilitas, sive singul*orum* sive *communitatum,* etc. », ut vitetur expressio « responsabilitas collectiva ».

b) Pag. 43, linn. 4-7: Unus proponit ut simplicius dicatur: « Unde apparet (...) christia*no* nunt*io* homines ab extruendo mundo non aver*ti,* nec ... impelli, *sed* potius ... obstrin*gi* ». Affirmatio attenuanda est, ne Evangelium ad extruendum mundum reduci videatur.

c) Pag. 43, linn. 4-7: Sex Patres, loco « ab extruendo mundo », quod eis exaggeratum videtur, scribere volunt: « *a suo opere* in mundo, etc. ».

d) Pag. 43, lin. 7: Duodecim Patres volunt scribere: « arctius obstringantur », quod casu excidisse videtur.

[209] *e*) Pag. 43, lin. 7: Unus post « obstringantur » vult addi: « *simul ac obligatio quidem annuntiandi Christum eo magis urgetur* ».

R. — Admittendae videntur emendationes *a, b* et *d*.

c) Formula currens in modo loquendi hodierno, a nemine male intelligetur; eius sensus in toto capite evolvitur (ex. gr. num. 33, lin. 3; num. 34, lin. 21).

e) Verum, sed non huius loci.

[210] Scribatur ergo: « ... responsabilitas, sive singul*orum* sive *communitatum,* extenditur. Unde apparet christia*no* nunt*io* homines ab exstruendo mundo *non* avert*i, nec* ad bonum sui similium negligendum impe*lli,* sed potius officio haec operandi *arctius* obstrin*gi* ».

AD NUM. 35 [*De humana navitate ordinanda*].

11 — *a*) Pag. 43, linn. 8-9: Unus vult haec omitti, quia idem praegnantius dicitur lin. 10. Quindecim observant « significationem trahere » non sonare latinum.

b) Pag. 43, lin. 10: Unus vult: « ad hominem *proxime* ordinatur ».

R. — *a*) Admittitur.

b) Hic agitur de ordinatione ad hominem. De ordinatione ad Deum iam num. 34, et iterum num. 36 et 37.

Incipiat ergo numerus, linn. 8-10: « (De humana navitate ordinanda) *Humana vero navitas,* sicut ex homine etc. ».

12 — Pag. 43, lin. 14: Septem Patres post « divitiae » proponunt additionem: « *cum homo ipse sit finis et ratio mundi ab eo exstructi*; semper ergo magis etc. ».

R. — Iam dictum in lin. 10, et passim.

13 — Pag. 43, lin. 16: Patres sexdecim volunt, ut verba « firmioremque amicitiam » deleantur, vel illis substituatur: « *humanioremque ordinationem* », quia fraternitas iam sufficienter includit amicitiam, et quia ordinatio conviventiae est inter praecipua elementa progressus humani. Unus, lin. 17, vult restitui « necessit*udinibus* ». Alius, latinitatis gratia, vult lin. 18: « *Hi* enim progressus etc. ».

R. — Admittuntur emendationes, ita ut scribatur, linn. 16-18: « ... fraternitatem, *humanioremque ordinationem* in socialibus *necessitudinibus* obtinendam, agunt, *plus* quam progressus technici valent. *Hi* enim progressus etc. ».

14 — Pag. 43, linn. 21-24: Patres sexdecim proponunt ordinis inversionem. « Unde *haec est prima* (vel: *universalis*) humanae navitatis norma, *quod* cum genuino humani generis bono congruat, et homini ... impletionem *permittat,* iuxta consilium et voluntat*em* divin*am* ». Ratio est, quod norma actionum in recto est enuntianda; et quidem prius norma magis proxima, deinde divina. Unus observat, lin. 22, latinitatem exigere: « ... *eius* vocationi ». [210] [211]

R. — Placet norma agendi, de qua hic agitur, in recto enuntiari; sed mentio consilii divini obtineat locum magis eminentem. Non autem admittantur verba « prima » vel « universalis », quae disputationes suscitabunt. « Suae » videtur stare posse; sed videant latinistae.

Scribatur ergo, linn. 21-24: « Unde *haec est* human*ae* navitat*is* nor*ma, quod* iuxta consilium et voluntatem divinam cum ... congruat, et homini ... impletionem *permittat* ».

AD NUM. 36 [*De iusta rerum terrenarum autonomia*]

15ª — Pag. 43, linn. 25-28: Patres 46 in his sententiis inveniunt saporem polemicum, et proponunt ut Numerus ita inchoetur: « *Haec ad hominem ultimatimque ad Deum ordinatio rerum terrenarum legitimam autonomiam non destruit,* si *illam* autonomiam intelligimus etc. Unus proponit, linn. 27-28: « ... autonomiam hominum vel societatum vel scien*tiarum* impediatur ». Ratio: positio verbi scientiae est anomala, scilicet inter dua verba societatem indicantia; « res publica » sufficienter significatur per « societatum ».

15ᵇ — Pag. 43, linn. 30-31: Patres 46 proponunt insertiones: « ... propriis legibus *valoribusque* gaudere, ab homine gradatim dignoscendis, *adhibendis et ordinandis,* eamdem exigere etc. ». Nam non agitur de solis legibus, sed et de valoribus propriis realitatis profanae; hae leges et valores non solum sunt dignoscenda et sequenda, sed etiam in usum hominum adhibenda et coordinanda.

R. — *a*) Tonus polemicus oriri videtur praesertim ex repetitione, quae vitari poterit; sed formula proposita est nimis ieiuna. Altera observatio videtur iusta.

b) Propositio libenter admittitur.

Scribatur ergo, linn. 25-31: « Multi tamen coaevi nostri timere videntur, ne ex arcti*ore* human*ae* navitat*is* et religionis

[211] coniunct*ione* autonomia hominum vel societatum vel scienti*arum* impediatur.

Si per terrenarum rerum autonomiam intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus *valoribusque* gaudere, ab homine gradatim dignoscendis, *adhibendis et ordinandis,* eamdem exigere omnino etc. ».

[212] 16 — Pag. 43, lin. 33: Duodecim Patres, post « congruit » additionem proponunt: « *quia est conditio participationis in opere creationis et sic quaevis interpretatio magica mundi evacuatur* ». Observant, exclusionem conceptionis magicae magni momenti esse praesertim apud populos progredientes.

R. — Quod sit conditio participationis non videtur tam firmiter affirmandum. Relationem inter autonomiam et desacralisationem libenter admittimus, sed res est nimis complicata quam ut hic paucis verbis posset exprimi; de ea iam aliquid in num. 7, pag. 12, linn. 18-21.

17 — Pag. 43, linn. 36-38: Viginti Patres proponunt: « ... disciplinis, *modo* vere scientifico *exculta, limites proprios observans et erga personarum dignitatem reverentiam adhibens,* numquam fidei *vel morali ordini* revera adversabitur etc. ». Rationes: mentio fiat de limitibus singularum scientiarum; norma moralis concrete enuntietur, scil. dignitas personae; conflictus non ex sola oppositione ad fidem oriuntur, sed etiam ad ordinem moralem. Unus, lin. 38, loco « res profanae » proponit: « res *temporales* », quia vox « profanum » videtur vitanda, cum faveat interpretationi non-sacrali aliquarum rerum.

R. — Admittitur « *modo* » pro « *more* ». Reliqua non admittuntur, quia textus impressus clarior est, et « limites » iam innuuntur in « modo vere scientifico », « normae morales » autem continent reverentiam erga veritatem et erga personam. Stare hic potest « profanae », cum res habeant profanitatem legitimam.

17bis — Pag. 43, lin. 40: Unus Pater proponit: « ... conatur, *ultimatim duci potest ad Deum cognoscendum,* qui res omnes etc. ». Ratio indicatur: ex eo quod Deus est Creator, non sequitur Eum praesentem esse in nostra rerum cognitione.

R. — Forte Pater non intellexit hic non agi de cognitione Dei, sed de scientia ut dono Dei. Ut hoc clarius fiat, omittatur virgula post « animo » in lin. 39, et scribatur lin. 40: « ... quasi *manu Dei* ducitur qui etc. ».

18 — *a*) Pag. 43, lin. 41 - pag. 44, lin. 2: Duo Patres volunt hanc sententiam omnino omitti, quia exprimeret complexum inferioritatis. Tres petunt, ut linn. 42-43 deleantur verba « qui aliquando inter christianos ipsos non defuerunt ». Alius optat, ut hic merita Ecclesiae erga scientias extollantur; textum non proponit. [212]

b) Lin. 42: Unus, post « indagatione » vult inseri: « *vel a vera fide christiana* alienos etc. », ut responsabilitas distribuatur. [213]

c) Linn. 41 ss.: proponit aliam formulam: « ... habitus ( ), qui aliquando inter christianos ipsos, *ob non satis perspectam legitimam scientiae autonomiam,* non defuerunt et ... inter se op*positas censerent* ».

Ratio est, quod conflictus potius orti sunt ex neglecta autonomia, quam ex defectu indagationis scientificae. Idem vult supprimi Notulam 7.

R. — *a*) Omissio sententiae vel etiam confessionis defectuum etiam cristianorum constitueret mutationem substantialem.

b) Additio non placet, quia auctores horum conflictuum videtur accusare de ignorantia fidei.

c) Observatio iusta. Sed notula, post amplam disceptationem admissa, remaneat.

Scribatur ergo, linn. 41-42: « ... habitus, qui aliquando inter christianos ipsos, *ob non satis perspectam legitimam scientiae autonomiam,* non defuerunt etc. », et pag. 44, lin. 1: « ... inter se oppo*ni* censerent ».

19 — Pag. 44, lin. 5: Septem Patres, post « referat » volunt addi: « *et etiam ut per eas semetipsum a Deo avertat,* nemo *est* qui Deum cognosc*ens* non sentit etc. ».

Ratio indicatur: Parvi momenti esset quod res ad Creatorem homo non referret, si ipse se a Deo non averteret.

Alius Pater, eodem loco, vult addi: « non referat *neque ad legem moralem,* nemo etc. ».

Nam potest sufficere, quod quis se referens ad legem moralem, implicite se referat ad Deum.

R. — Prima additio, quae sententiam valde aggravaret, non videtur admittenda, quia aversio a Deo fit per actum quo homo bonis finitis inhaeret ut absolutis, id est sine referentia ad Deum.

Altera observatio est iusta; sed non huius loci est de explicita et implicita referentia ad Deum agere.

[213] 19bis — Pag. 44, lin. 8: Unus pater, post « audierunt » inseri petit: « *Caeli enarrant gloriam Dei* ».

Lin. 9: Alius Pater, post « obscuratur » vult addi: « *Christiani vero sciunt omnia ad Christum esse referenda, ut per Ipsum ad Deum adducantur* ».

Ubi enim de autonomia non-absoluta rerum sermo est, innui debet earum relatio ad Christum et Ecclesiam.

[214] R. — Citatio nimis abrupta textui male consonaret.

Quoad locum Christi in hac oeconomia, ample sermo est in nn. 37-38; immo n. 37 concluditur citatione Pauli, quae idem dicit ac textus propositus.

AD NUM. 37 [*De humana navitate a peccato corrupta*]

20 — Pag. 44, lin. 10: Unus Pater, loco « Sacrae Scripturae », scribere vult: « *Divina vero Revelatio* », quia de hac re non solum Sacra Scriptura, sed tota Revelatio loquitur.

R. — Verum est, sed textus expresse ad S. Scripturam se refert.

21 — Pag. 44, linn. 12-16: plura petuntur:

a) 15 Patres volunt ut scribatur: « ... bonum est, *magnam etiam tentationem magnumque abusum periculum* secumferre, *ita ut* ordine valorum turbato et malo cum bono permixto, singuli homines ac coetus solummodo quae propria sunt considerent, non vero aliorum. Quo fit ut mundus ... ». Prius de possibilitate abusuum sermo fieri debet, et postea de effectibus immediatis. Insuper, sic vitaretur impressio, quasi calamitates ex arbitraria Dei vindicta profluere.

b) Alius Pater, lin. 15 vult ut deleatur nota 8 quia non est ad rem, ut apparet ex *Phil.* 2, 4.

c) 1 Pater, linn. 16-17, suggerit ut verba « Dum aucta humanitatis potentia iam ipsum genus humanum destruere minatur » sic legantur: « *Sed ut* aucta hominum potentia ipsum genus humanum destruere minetur » latinitatis causa.

R. — *a*) Modus partim accipitur. Textus sic legatur: « ... bonum est, *magnam tamen tentationem secumferre*: ordine *enim* valorum turbato ... non vero aliorum. *Quo* fit ut ... ».

b) Deleatur referentia

c) Potest stare textus.

22 — Pag. 44, linn. 18-28, plura petuntur:

a) Duo Patres petunt, lin. 18, ut auferantur verba: « et

omnia quae in ea continentur », quia repetitio praecedentium verborum. [214]

b) 203 Patres, linn. 18-21, volunt ut ubi dicitur: « Universa enim hominum historia », dicatur: « *Teste* hominum historia, *homines in ardua colluctatione inveniuntur* inter bonum et malum, inter Deum et Malignum, quae *in peccato Angelorum coepta, per peccatum Protoparentum in mundum intravit et ad omnes homines per peccatum originale pervenit,* et usque ad ultimum diem, dicente Domino, perseverabit. *In hac pugna,* homo ut bono adhaereat iugiter certare tenetur ». Ratio est: textus videtur considerare peccatum ad modum cataclysmi cosmici, non ad modum actus moralis, contra legem moralem. Homo, dum vivit, ad plenam internam unitatem numquam pervenire potest, quia sequelae peccati originalis semper ei adhaerebunt. [215]

4 Patres solummodo proponunt ut post verba « Ab origine » lin. 20 haec adiciantur: « *Per protoparentum peccatum* », ita ut semel saltem recenseatur peccatum originale sine quo nec mala mundi nec redemptio explicari possent.

c) Unus Pater, linn. 18-23, petit ut loco: « Universa enim historia ... in arduam colluctationem inter ... assumuntur, quae ... in seipso unitatem obtinere valet », dicatur: « Universam enim historiam et omnia quae in ea continentur, *ardua colluctatio pervadit,* quae est inter lumen et tenebras, bonum et malum, Deum et Malignum, *quaeque* inde ab origine *generis humani* incepta usque ad ultimum diem, *testante verbo* Domini, perseverabit. In hanc pugnam insertus, homo ut bono adhaereat iugiter certare tenetur, nec sine magnis laboribus *victor evadere valet* ». Ratio est: Verbum « assumuntur » minus congrue adhiberi videtur, cum facile aliquis quaerat: a quonam « assumuntur ». Insuper verba: « in seipso unitatem obtinere », imaginem, quae tenorem totius alineae pervadit, derelinquunt et novam imaginem inducunt, quae non adeo conceptui « pugnae », sed potius « scissionis » respondet. E contra 3 Patres, lin. 19, petunt ut simplicius dicatur: « in ardua*m* colluctatione*m* *contra Malignum assumuntur* ». Quia eadem est ratio sicut pro num. 13, pag. 20, linn. 18-31, scilicet ut videtur dramatisatio non conveniens huic documento, atque vitetur omnis species dualismi quasi Deus et diabolus adversarii aequales essent.

d) Unus Pater, lin. 20, vult ut verbum « *ma*lignus » littera minuscula semper scribatur. Non agitur enim de nomine proprio cuiusdam personae. Alius Pater vult ut deleantur verba:

[215] « inter Deum et Malignum », quia sonat ut quaedam pugna inter Dominum et diabolum, quod est puerile. Tres autem Patres petunt ut loco: « inter Deum et Malignum » legatur « *inter caelestia et pravissimas tentationes* », quia « Malignum », ab hominibus huius mundi hodierni non potest intelligi. 15 Patres suggerunt ut dicatur: « Inter Deum *et potentias tenebrarum* », delendo « inter Deum et tenebras », vel deleatur: « inter Deum *et* Malignum ». Ratio est: Male sonat oppositio inter Deum et Malignum. Sapit manichaeismum. Deus est unus. « Malignus » non est unus, sed turba confusa et obscura.

[216] *e*) Tres Patres proponunt, linn. 22-23, ut sic dicatur: « ... *nec sine gratia Dei et* magnis laboribus ... », quia uti patet certamen et labores sine gratia non sufficiunt.

f) Unus Pater, lin. 26, petit ut post verba « non potest, tamen » inserantur verba: « *sibi temperare* », latinitatis causa.

R. — *a*) Modus accipitur.

b), *c*) et *d*) Omnibus perpensis et ut tollatur repetitio cum linn. 29-31, n. 13, cap. I, legatur: « Universa*m* enim hominum historia*m* ardua colluctatio *contra* potestates tenebrarum pervadit, quae inde ab origine *mundi* incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino[9] perseverabit. In hanc pugnam insertus *homo* ut bono adhaereat iugiter certare *debet,* nec sine magnis laboribus ... ».

e) Modus partim accipitur. Lin. 23 habeat: « laboribus, *Dei gratia adiuvante,* in seipso unitatem obtinere valet ».

f) Non melius videtur.

23 — Pag. 44, linn. 27-28: 13 Patres rogant ut scribatur: « illo scilicet *spiritu* vanitatis et malitiae *imbuto,* qui humanam navitatem, ad hominis et Dei ordinat*ionem* ... ». Quia non potest explicari « saeculum », quasi solummodo esset spiritus; sed est mundus etiam externus, spiritu imbutus. Insuper, convenit prius nominare hominem mediante quo navitas ordinatur ad Deum.

R. — Modus non admittitur, quia verbum « saeculum » sat explicatur in linn. 28-29 de transformatione structurarum humanarum ab illo spiritu qui facit eas instrumenta peccati.

24 — Pag. 44, linn. 30 ss.: Unus Pater postulat ut melius scribatur: « Si quis ergo quaerit qua ratione miseria illa superari poterit, ( ) christiani *necessitatem* profite*ntur poenitentiam agendi pro peccato, et gratuitam remissionem Dei implorando, qui Filium suum unigenitum pro nobis omnibus crucem subire iussit. Sic*

omnes hominis navitates, ( ) *quae per superbiam et inordinatum* [216]
sui ipsius amorem cotidie in discrimine versantur, in Christo pu-
rificari et ad perfectionem deduci *possunt* ». Ratio est: navitates
hominis non progressu evolutivo sine cruce Christi ad perfectio-
nem deduci possunt. 12 autem Patres volunt ut scribatur sim-
plicius et ordine paululum mutato: « Si quis ergo quaerit, qua
ratione miseria illa superari poterit, *christiani profitentur,* omnes
hominis navitates, quae per superbiam et inordinat*um* sui ipsius
amo*rem* cotidie in discrimine versantur, in Christo purificari et
ad perfectionem deduci *posse*. A Christo enim ... ». Ratio est:
constructio evadit simplicior. Ne dicatur etiam quod purificatio
navitatum per Christum versatur in discrimine, sed navitates [217]
ipsae. Alia ex parte, unus Pater petit ut, linn. 31-32, dicatur
claritatis causa: « *unum omnino necessarium esse,* quod super-
bia hominis ... ».

Tres Patres vero desiderant ut scribatur: « *Christiano profiteri unum omnino necessarium*: ut omnes hominis navitates, *quae* superbia hominis ac inordinato sui ipsius amore cotidie in discrimine versantur, in Christo purificentur, et ad *suam* perfectionem adducantur. A Christo enim redemptus et in Spiritu Sancto nova creatura effectus, homo ipsas res a Deo creatas *recte* amare potest ». Ratio est: phrasis in constructione priore vix intelligitur. Addendum esse videtur: « *recte* » cum homo sic vel sic creaturas amet, sed amore non bene ordinato. Unus Pater autem, loco « ut scilicet omnes hominis navitates in Christo purificentur et ad perfectionem deducantur » scribere vult: « ut scilicet omnes navitates hominis Christi *voluntati conformes* ad perfectionem deducantur ». Ratio est: verbum « purificatio » intelligi posset de aliqua reordinatione navitatis post factum et non de ipso valore operationis.

Unus Pater, lin. 33, postulat ut post verbum « purificentur » inseratur « *roborentur* » ut auxilium pro voluntate sauciata humana explicitetur.

R. — Simplicitatis et claritatis causa textus sic legatur: « Si quis ergo quaerit qua ratione miseria illa superari poss*it, christiani profitentur* omnes hominis navitates quae per superbiam et inordinat*um* sui ipsius amore*m* cotidie in discrimine versantur, Christ*i cruce et resurrectione* purificandas et ad perfectionem deduc*endas esse* ».

25 — Pag. 44, linn. 34-40: 205 Patres exoptant ut loco « A Christo enim redemptus ... Christus autem Dei », dicatur: « A Christo

[217] enim redemptus, et in Spiritu Sancto *per baptismum virtute gratiae regenerationis nova creatura factus,* homo ipsas res a Deo creatas amare potest et debet *ut essentialiter bonas.* A Deo enim illas accipit et quasi de manu Dei fluentes respicit et reveretur, *sciens tamen etiam creaturas per peccatum vulneratas esse.* Pro illis Benefactori gratias agens, rebus utens *prout ipsius bono temporali et aeterno convenit,* in vera paupertate et libertate spiritus, ad veram illorum possessionem introducitur ( ) secundum verba Apostoli: « Omnia enim vestra sunt; nos autem Christi, Christus autem Dei (*1 Cor.* 3, 22-33) ». Ratio est: ne concilium videatur dicere hominem fieri novam creaturam virtute Redemptionis sine baptismate, et ne videatur docere ascesim non esse necessariam et homines omnes posse semper uti quibuscumque creaturis.

[218] Unus Pater autem, lin. 35, petit ut verba « *intemperantia et immodicus usus remotis* » addantur post « homo ipsas a Deo creatas amare potest et debet », quia haec ultima videntur nimis absoluta.

7 Patres volunt ut post « respicit et » lin. 36 addantur verba « *in eis fruendis Deum* reverenter », ut excludatur omnis ambiguitas.

R. — Emendationes propositae non concordant cum intentione numeri. Agitur enim de relatione hominis christiani ad res et non de tota quaestione de regeneratione. Contextus sufficienter respondet aliis quaesitis.

26 — Pag. 44, lin. 38: 38 Patres petunt ut scribatur: « utens *ac fruens,* ad veram ... » quia fruitio etiam est aspectus essentialis in habitudine christiani ad res creatas, praesertim ubi agitur de valoribus humanis.

Alii 3 Patres proponunt ut post verbum « utens » addatur *citatio* (cf. *1 Cor.* 7, 29-32).

R. — Scribatur, linn. 37-38: « reveretur. Pro illis Benefactori gratias agens, in paupertate et libertate spiritus, *creaturis* utens *ac fruens, in* veram possessionem *mundi* introducitur, tamquam ... ».

AD NUM. 38 [*De humana navitate in mysterio paschali ad perfectionem deducta*].

27 — Pag. 44, lin. 42 - pag. 45, lin. 1: Tres Patres volunt ut loco « ipsum caro factum est et in hominum terra habitans », dicatur « *quod* caro factum *est* et in terra habita*vit* » quia agitur de facto

praeterito. Alius Pater notat repetitionem eorundem verborum, pag. 54, lin. 36. [218]

R. — Potest stare textus, quia consecutio temporum praesentem admittit.

28 — Pag. 45, lin. 2: 5 Patres postulant suppressionem verborum « assumens et » quia textus citatus (*Eph.* 1, 2) non loquitur de assumente sed tantum de recapitulante. Insuper conceptus « incarnationis cosmicae » adhuc disputatur inter theologos.

R. — Modus reiicitur quia idea assumptionis historiae est omnino traditionalis, biblica et patristica. Nil de incarnatione cosmica hic dicitur.

29 — Pag. 45, lin. 7: 7 Patres suggerunt ut post verbum « instaurandi » addatur « non solum non esse inane *sed etiam ad Unicum Necessarium pertinere* », quia formula negativa valde insufficiens videtur. 15 alii volunt ut, lin. 8, scribatur: « ... caritatem non *in solis sublimibus* rebus sectandam ». Ratio est: Textus impressus significat, caritatem in solis ordinariis vitae adiunctis esse sectandam; ratio est quod his rebus ordinariis opponuntur et insolita. [219]

R. — *a*) Emendatio proposita non congruit scopo numeri.

b) Omnibus perpensis lin. 8 sic legatur: « ... Simul monet hanc caritatem non *in solis magnis rebus* sectandam esse, sed et imprimis in ... ».

30 — Pag. 45, linn. 10-12: Plura petuntur: 13 Patres volunt ut lin. 10 loco « caro et mundus » dicatur: « *mundus carnalis* », quia si mundus sumitur in sensu definito pag. 5, n. 2 expressio non convenit. Hic agitur de mundo peccati, vel de peccato mundi, seu de mundo carnali.

21 Patres vero animadvertunt quod non tantum « caro et mundus » crucem imponunt, sed Providentia divina. Unus Pater, lin. 11, optat ut deleantur verba « pacem et iustitiam sectantium », quia caro et mundus omnibus crucem imponunt. Alius Pater desiderat ut « in caelis », lin. 12 dicatur « *in caelo* » sicut in *Mt.* 28, 18.

R. — *a*) non agitur solum de mundo peccati, sed etiam de mundo simpliciter imperfecto.

b) Videatur in responsione ad Modum praecedentem.

c) Non admittitur quamvis verum sit. Sed hic agitur de hominibus bonae voluntatis confortandis.

d) Dicatur « in caelo ». Unde, Modus accipitur.

[219] 31 — Pag. 45, linn. 14-15: 10 Patres petunt ut post « operatur » deleatur « non solum »; et ut loco « suscitans » dicatur: « suscitando illa generosa vota anima*t*, purifica*t* et robor*at* ».

Rationes: ne mere iuxtaponantur « desideria venturi saeculi » et « generosa vota », sed clarius appareat quod expectatio veri saeculi est principium virtutis, puritatis et roboris in actione humana.

R. — Stet textus, tamen cum aliqua modificatione. Scribatur: « operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitant, sed *eo ipso* illa etiam generosa vota ... ».

[220] 32 — Pag. 45, linn. 17-22: 3 Patres desiderant ut post « dona » addatur « *numquam autem contraria* » ut melius introducatur propositio sequens. De linea 20: 1 Pater optat ut loco « materiam regni caelestis » dicatur « materiam *domus* caelestis » quia in linea 19 sermo est de habitatione. Alius autem Pater vult ut loco « materiam regni caelestis » dicatur « *membra* regni caelestis », quia phrasis textus nimis rara videtur. Alius petit ut « materiam regni caelestis » in aliam expressionem immutetur, quasi male sonans. In lin. 21, 3 Patres suggerunt ut loco « proprio amore abnegato » dicatur « *inordinato sui* amore abnegato » ut textus fiat clarior. 3 Patres postulant ut in lin. 22 deleantur verba « omnibus terrenis viribus in vitam humanam assumptis » quia dant impressionem quod Parousia et regeneratio fient quando omnes vires terrenae assumptae fuerint in vita humana.

R. — *a*) Vox « diversa » sufficienter introducit ad sequentia.

b) Ditior est expressio « Regni » quam « domus ».

c) Aptior videtur locutio « Materia Regni » quam « membra ».

d) Responsio ad *b*) et *c*) hic etiam valet.

e) Textus est sat clarus in contextu.

f) Ad tollendam difficultatem allatam a collocatione verbi « quando » in sententia sic legantur linn. 21-22: « omnes tamen liberat ut proprio amore abnegato, omnibusque terrenis viribus in vitam humanam assumptis, ad futura se extendant, *quando humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo*; [14] ».

33 — Pag. 45, linn. 23-24: 3 Patres postulant additionem post « Accepta Deo » nempe « *quod quidem valet etiam pro non credentibus qui et ipsi ad vitam divinam vocati sunt* ». Ratio: ut congruat textus ad assertionem n. 22, pag. 26, linn. 17-22 et ita vocatio unica hominis in Deo sublineatur. Alius vero Pater vult ut loco « humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo » dicatur « hu-

manitas ipsa oblatio accepta Deo *et consors* (*vel*: *particeps*) *fiet divinae naturae et felicitatis* ». Ratio: finis navitatis humanae transcendit perfectionem naturae per vocationem ad ordinem supernaturalem. 23 autem Patres desiderant ut post verbum « Deo » addatur: « *Sic, etiam quando fidem suam aperte exprimere nequit, per fidem et caritatem christianus actuositatem suam in mundo exercendo participat in actione transformatrice Christi, per Spiritum in universum operando* ». Ratio: ut clarius exprimatur vinculum inter fidem et humanam navitatem; ut magis provideatur de casu eorum qui suam fidem aperte exprimere nequeunt. [220]

R. — *a*) Textus est sat clarus. Non restringitur ad solos christianos. [221]
b) Textus S. Pauli sufficit.
c) Iam provisum est in linn. 7 et 8, 19 et 20 eiusdem pag. et in num. 34, linn. 28-33.

34 — Pag. 45, linn. 24 ss.: 21 Patres suggerunt ut scribatur: « Cuius spei arrham *et ardui itineris viaticum* Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem gloriosa *convertuntur*, coenam communionis fraternae et caelestis convivii praelibation*em* ». Rationes: Eucharistia non est sola arrha, sed etiam confortat ad munus perficiendum; *converti* est magis traditionalis quam transmutari; coena et praelibatio apponuntur aptius ad Corpus et Sanguinem.

R. — Modus accipitur cum levi suppressione. Scribatur ergo: « Cuius spei arrham *et itineris viaticum* Dominus ... in Corpus et Sanguinem gloriosa *convertuntur* etc. ».

AD NUM. 39 [*Terra nova et caelum novum*]

35 — Pag. 45, linn. 28-36: Plura postulantur:
a) Unus Pater censet quod quae dicuntur hic non recte congruunt cum finalitate capitis ubi agitur de activitate humana et non de terra sub aspectu eschatologico.
b) Alius Pater iudicat quod totus numerus deleri debet quia tractat de quaestione discussa inter theologos.
c) Tres Patres volunt ut linn. 28-30 dicatur: « Consummandae terrae ac humanitatis ( ) tempus *ignoramus. Neque modum novimus quo universa transformabuntur*. Docemur autem universa dissolvenda esse atque Deum novam habitationem novam-

[221] que in qua iustitia habitat terram praeparare (cf. 2 *Pt.* 3, 10-13)». Ratio est: quidquid sit de genere litterario Scripturae de finali dissolutione universorum, non possumus tacere illam doctrinam de quadam morte et dissolutione.

d) Alius Pater proponit novum textum pro linn. 28-36, quia ei videtur confusio haberi dum certis certaque incertis miscentur. Et sic sonat: « Consummat*ionis nec* terrae *nec generis humani* tempus novimus (cf. *Act.* 1, 7). Nec de eius modo *certi sumus.* Docemur autem Deum novam habitationem novamque in qua iustitia habitat terram parare *necnon* beatitudinem omnia pacis desideria quae in cordibus hominum ascendunt superantem. Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, et creatura tota a servitute corruptionis et vanitatis liberabitur.
[222] Transibit quidem figura huius mundi peccato deformata, sed, manentibus caritate et fructibus eius, confidimus illam ipsam substantiam ... ».

e) Unus Pater optat ut supprimantur verba « novamque ... terram » in lin. 30 quia fideles non intelligent illam expressionem.

R. — *a*) N. 39 intime cohaeret toto capiti. Eschatologia enim duplici in sensu sumi potest: inquantum nempe « Res ultimae » iam operantur in historia mundi, et inquantum historia mundi tendit ad consummationem. Porro, sub duplici hac ratione actio humana intime cohaeret et terrae praesenti et terrae novae.

b) Fere omnia quae in hoc numero dicuntur sunt certa. Unicum, de quo disputatio habetur est de « substantia mundi» mansura. Pro illa voce ponatur « creatura », sicut in S. Paulo. Vide novam redactionem in responsione ad Modum 37.

c) Modus accipitur. Vide novam redactionem ibid.

d) Textus propositus non est clarior quam textus receptus.

e) Modus est contra expressionem S. Scripturae. Insuper verba « novae terrae » hic necessaria sunt, quia agitur de oppositione inter praesentem et futuram.

36 — Pag. 45, linn. 30-32: Plura desiderantur:

a) 6 Patres volunt ut verbum « superantem », initio lin. 32, praecedatur verbis « involventem et », quia salus eschatologica secumfert omnia terrestria iusta desideria, ea tamen infinite superans.

b) Alius postulat ut lin. 31, loco « omnia pacis desideria » scribatur « *omnia veritatis, fortitudinis et sanctitatis desideria* »,

quia in ambitu messianico pax est fructus veritatis, fortitudinis et sanctitatis. [222]

c) Unus Pater, lin. 32, addere vult, post « resuscitabuntur » verba: « Deumque facie ad faciem videbunt, et ... » quia textus de ultimis loqui intendens, de essentiali tacet.

d) 10 Patres rogant ut post verba « morte devicta », in lin. 32, loco « filii Dei in Christo » dicatur « *omnes* ».

R. — *a*) Modus accipitur, scribendo: « *implebit ac* supera*bit* ».

b) Additio proposita iam est in verbo « pacis », quia hic sermo fit de pace in pleno sensu scripturistico et patristico.

c) Quamvis doctrina in Modo vera sit, locus eae exprimendae non videtur aptus quia obiectum formale numeri eam non directe requirit.

d) Non est necessarium, quia hic tantummodo agitur de resurrectione ad vitam et de obiecto spei.

37 — Pag. 45, linn. 32-37, plura rogantur: [223]

a) 21 Patres iudicant quod quae ibi dicuntur ita sonant ac si reprobatio et infernus non essent. Textus de iudicio et reprobatione silere nequit, ne christiani et non christiani falsa imbuantur spe.

b) 4 Patres volunt ut, lin. 33, loco « transibit » dicatur « trans*it* », quia sic magis consonat cum textu S. Pauli et S. Irenaei (cf. pag. 47, Nota 20) et magis ostenditur, ad mentem S. Pauli, futurum aliquomodo iam adesse. Iidem postulant, ut lin. 36, dicatur « *substantiam mundi mansuram esse* », quia obiectum spei.

c) Alius Pater proponit novum textum. A lin. 32 « Tunc ... » usque ad lin. 37 « ... sacravit » sic legantur: « Tunc *liberata* creatura a servitute corruptionis et vanitatis, *"omnes resurgemus: qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, alii vero in resurrectionem iustitiae"* (*Io.* 5, 29). "Transit quidem figura huius mundi" attamen *"corruptibile hoc oportet induere incorruptionem" et omnia quae "seminata fuerunt in corruptione, sacrata quidem Filii* incarnatione et *Spiritus opere renovata, surgere* et manere *in incorruptione"* ». Ratio est: ad vitanda incerta.

d) Duo Patres volunt ut supprimantur linn. 33-37 propter mentionem quaestionis obscurae.

e) Unus Pater aestimat quod linn. 34 ss. sunt delendae quia ambiguae, vel minus exactae. Attamen 5 Patres proponunt se-

[223] quentia: loco linn. 35-36 « confidere licet illam ipsam substantiam manere, quam Deus... » volunt ut scribatur: « confidere licet illam ipsam substantiam mundi manere, *sed in melius mirabiliter transmutatam* (vel *regeneratam*), quam Deus ... ». Ratio: ne minuatur apud fideles veritas profundae transformationis finalis rerum, neve credatur terram novam attingi per felicem evolutionem mundi.

f) 10 Patres postulant ut, linn. 34 ss. sic legatur: deleatur « per peccatum deformata », et statim dicatur « quam Christus Dominus "*secundum operationem qua etiam possit subicere sibi omnia*" (*Phil.* 3, 21) *faciet* "nova*m*" *et tamen semper et eo vel magis nostram* ». Ratio: ne doctrinam scripturisticam transfigurationis et renovationis mundi in gloria Christi infauste occultemus et quemdam cultum mundi inconsulte foveamus.

g) Unus Pater proponit ut textus a linn. 33 ad 35 sic legatur: « Transibit quidem figura huius mundi per peccatum deformata, *sed mundus visibilis non annihilabitur*. Manentibus caritate et fructibus eius, *ipse mundus quem Deus* propter ho-
[224] minem creavit et Filius incarnatione sacravit, *modo nobis incognito transformabitur* ».

h) 219 Patres postulant modificationem textus, a lin. 33 ad 36; loco « Transibit ... sanavit », dicatur: « Transibit quidem figura huius mundi per peccatum deformata, *sed mundus visibilis non annihilabitur sed, modo nobis incognito, transformabitur, et sic novum caelum et nova terra* (erunt) ».

i) Duo Patres proponunt ut lin. 35, post « et fructibus eius » addatur: « *imprimis communione personarum in ipsa caritate fundata*, confidere licet ... ». Ratio: ut ab omnibus hominibus facilius intelligantur verba: « fructus caritatis ». Alii 13 suggerunt ut potius scribatur: « manente caritate et *opere* eius, confidere ... ». Ratio est: Paulus, in loco citato, loquitur de opere quod manet. Expressio « fructus » in mentem vocat fructus spiritus, de quibus hic non agitur.

k) 239 Patres volunt ut lin. 39, loco « nova terra » legatur « *vita aeterna* ».

R. — *a*) Non videtur opportunum onerare sententiam, quia intentio non erat de tractatu completo « De Novissimis » conscribendo.

b) Modus videtur fundatus. Scribatur ergo « trans*it* » lin. 33 quia eschatologia aliquo modo iam praesens est.

c) Modus partim accipitur, citando textum ex *1 Cor.* 15.

d) Textus ita modificabitur, ut nonnisi certa dicat.

e) Transformationis mundi mentio fit in nova redactione. [224]

f) Idem responsum. Ceteroquin textus propositus periculum includere videtur, ne omnis continuitas inter terram nostram et futuram negetur.

g) Non placet formula negativa « non annihilabitur ». Ceteris providetur.

h) Idem responsum.

i) Mentio « communionis personarum » gravaret sententiam; res includitur in « manente caritate ».

k) Expressio scripturistica de « nova terra » consulto adhibetur, ad innuendam continuitatem inter duos status mundi, ante et post parousiam.

Conclusio ad Modos 36-37:

n. 39, pag. 45, linn. 28-37, ita scribatur:

« Terrae ac humanitatis consummandae tempus *ignoramus,*[15] nec *universi transformandi* modum novimus. Trans*it* quidem figura huius mundi per peccatum deformata,[16] *sed* docemur Deum novam habitationem novamque terram parare in qua iustitia habitat,[17] *et cuius* beatitu*do* omnia pacis desideria, quae in cordibus hominum ascendunt, *implebit ac* supera*bit.*[18] Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, *et id quod seminatum fuit in infirmitate ac corruptione, incorruptionem induet*:[19] et, manente caritate eiusque *opere,*[20] a servitute vanitatis liberabitur tota creatura illa,[21] quam Deus propter hominem creavit » ( ). [225]

(15) Cf. *Act.* 1, 7.

(16) Cf. *1 Cor.* 7, 31; S. IRENAEUS, *Adversus Haereses,* V, 36, *PG,* VIII, 1221.

(17) Cf. *2 Cor.* 5, 2; *2 Pt.* 3, 13.

(18) Cf. *1 Cor.* 2, 9; *Apoc.* 21, 4.

(19) Cf. *1 Cor.* 15, 42 et 53.

(20) Cf. *1 Cor.* 13, 8; 3, 14.

(21) Cf. *Rom.* 8, 19-21.

38 — Pag. 45, linn. 38-41:

a) Decem Patres rogant ut linn. 38-39 deleantur verba « Etsi ergo ... perdat », ne verbum evangelicum quasi obiectio exhibeatur. Sententiam sequentem paulo modificari volunt.

b) Unus Pater proponit, ut lin. 39 inseratur: « sed magis excitare », quia forma positiva magis convenit.

c) Patres 17 observant, expressionem « corpus humanitatis » aliqua ambiguitate laborare.

[225] *d*) Patres undecim volunt, ut lin. 41 scribatur: « et *quae ab hominibus exculta* in umbris etc. ». Non enim hic agitur de corpore humanitatis, sed de terra, et quidem praecise de terra inquantum per hominem excolenda.

R. — *a*) Verba evangelica tollere non convenit, sed sententia alio modo construitur.

b-c) Observationes iustae.

d) Scribatur: *quae*. Verba « ab hominibus exculta » non videntur necessaria, quia hoc in toto capite habetur.

Scribatur ergo, linn. 38-42: « Monemur *sane* nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat.[22] Exspectatio tamen novae terrae extenuare non debet, *sed potius excitare,* sollicitudinem hanc terram excolendi, ubi corpus illud novae *familiae* hum*anae* crescit *quod aliqualem* novi saeculi *adumbrationem* iam praebere valet ».

39 — Pag. 45, lin. 42; pag. 46, lin. 3:

a) 37 Patres postulant, ut verba « Ideo ... interest », scilicet a pag. 45, lin. 42 ad pag. 46, lin. 2, omittantur, pro diversis rationibus: dirimitur quaestio controversa. Sunt enim qui dicunt, verum ordinem socialem, id est qui caritate animatur, non prorsus distinguendum esse a Regni Dei augmento; insuper, formula « Re-
[226] gno Dei magni interest » tam vaga est, ut nihil dicat; elaborandum esset qua ratione ei interest; denique, de ordine sociali in aliis capitibus ample agitur.

b) Duo alii Patres proponunt aliam variationem: « Ideo, licet *progressus terrenus* (vel *temporalis*) a Regni Dei augmento *sedulo* distinguendu*s* sit, *inquantum* ad societat*em* human*am melius* instituend*am* ac regend*am contribuere* potest. Regn*i* Dei magnopere interest ». Rationes: potius agitur de navitate scientifica et technica; insuper de perfectione ordinis socialis non potest simpliciter dici, quod ab augmento Regni *prorsus* sit distinguenda. Inquantum enim perfectio ordinis socialis includit caritatem, non adaequate distinguitur.

Alius Pater suggerit ut pag. 46, lin. 1, pro « a Regno Dei », ponatur « a Regno *Christi* ». Etenim, Regnum Dei, biblice loquendo, non patitur augmentum per navitatem humanam promovendum, sed descendit e caelo in apocalypsi eschatologica. Regnum vero Christi bene augeri dicitur.

c) Tres alii proponunt ut pag. 45, lin. 42 et pag. 46, lin. 1 dicatur: « Ideo, licet *terrestris* ordinis socialis perfectio ... ». Ratio

est: secus ratio distinctionis (allata in pag. 46, lin. 1) prorsus tol- [226]
litur: ordo socialis ipsius Communionis Sanctae non distinguitur in Regno Dei.

d) In lin. 2, pag. 46, 3 Patres proponunt ut scribatur: « *Humana societas instituitur ac regitur, manifestat, utrum homines Regnum Dei sincero corde acceperint et omnibus aditum ad nuntium Dei magis pervium reddere velint* ».

R. — *a*) et *b*) Ad tollendas difficultates in lin. 42, pag. 45 et linn. 1 et 2, pag. 46 sic textus legatur: « ... iam praebere valet. Ideo, licet *progressus terrenus* a Regni *Christi* augmento *sedulo* distinguendus sit, *inquantum tamen ad societatem humanam melius ordinandam conferre potest,* Regn*i* Dei *magnopere* interest[22] ».

c) Iam provisum est in responsionibus praecedentibus.

d) Modus non accipitur quia non correspondet intentioni textus.

40 — Pag. 46, linn. 4-5. Plura postulantur:

a) Unus Pater, lin. 4, rogat ut post verba « naturae nostrae fructus » addatur: « *per Redemptionem et gratiam ad ordinem supernaturalem elevatos* ». 189 Patres postulant ut dicatur « hos omnes scilicet bonos naturae nostrae fructus, *si in gratia Dei acti sunt,* postquam ... ».

b) Sex Patres proponunt, lin. 4: « hos omnes scilicet bonos *navitatis humanae* fructus ... »: quia in contextu culturae humanae hodie nimis felix dicendus est sermo de « natura nostra ». Illa
enim non sunt fructus naturae nostrae sed liberae operationis [227]
humanae.

c) 14 Patres, eadem lin. 4, mallent scribere: « bonos naturae *ac industriae* nostrae fructus ... », quia totum caput agit de sensu navitatis humanae: communio et libertas hominum non solius naturae fructus sunt, sed naturae etiam excultae.

d) Alius Pater optat, ut lin. 5, dicatur: « ... iuxta Domini mandatum per gratiam suam propagaverimus ... ».

R. — *a*) Modus accipitur cum aliqua modificatione, scilicet, in fine lin. 4 et in initio lin. 5 sic scribatur: « ... postquam *in Spiritu Domini et* iuxta *eius* mandatum in terris propagaverimus, postea ... ».

b) Videatur ad responsionem sequentem.

c) Modus accipitur. Unde lin. 4 legatur: « hos omnes scilicet bonos naturae *ac industriae* nostrae fructus ... ».

d) Iam provisum est in responsione ad primum Modum.

41 — Quoad notas, 3 Patres suggerunt ut addatur in nota 9: *Mt.* 13, 24-30 et 36-43, quia clarius dicitur.

R. — Modus accipitur.

[228] CAPUT IV

DE MUNERE ECCLESIAE IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

Exitus suffragationum de Numeris 40-45

Suffr. I, nn. 40-42

Votantes	2.227
Placet	2.107
Non placet	113
Nulla	7

Suffr. II, nn. 43-45

Votantes	2.222
Placet	2.095
Non placet	112
Nulla	15

Suffr. III, de integro capite

Votantes	2.202
Placet	1.817
Non placet	99
Placet iuxta modum	284
Nulla	2

Integrum ergo Caput IV Partis I^{ae}, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie ordinati et examinati sunt a Subcommissione V. Ipsa Commissio Mixta plenaria statuit sequentes responsiones.

EXPENSIO MODORUM GENERALIUM

Praenotanda:

1 — Ex 99 Patribus, qui votum negativum dederunt ad totum caput IV partis I^{ae}, 57 voto suo explicationem polycopiatam affixerunt, qua graviores difficultates contra totum caput, immo contra totum schema, moventur.

2 — 15 Patres iisdem foliis polycopiatis utentes partim graviores obiectiones deleverunt, partim omnia puncta retinentes votum additis notis mitigaverunt. Qui dixerunt: *placet iuxta modum.* [228]

Folia ergo apposita secundum voluntatem horum Patrum tamquam norma novae redactionis consideranda essent *quin formulae concretae adderentur.* Sic e. g. unus Pater postulat, ut num. 40-42 « funditus recognoscantur ». [229]

3 — Cum textus cum tanta maioritate acceptus sit, talis nova redactio admitti non potest. Attamen cum hae obiectiones motae ostendant textum capitis IV *falsae interpretationi* expositam esse, numerus introductorius clarius conceptus est, id quod tamen maxime *adhibitis Modis concretis* fieri potuit. Ad arcendas huiusmodi interpretationes textus, Subcommissio V in examinandis Modis Modos quosdam accepit qui ut additiones ad textum approbatum apparere possunt. Quod fieri potuit, quia hi Modi *secundum substantiam* textus erant.

4 — Modi quoad *titulum capitis et titulos singulorum paragraphorum*:

Unus Pater: Titulus capitis IV mutetur et quidem loco « de Munere ... » dicatur: « de Habitudine ... ».

R. — Cum haec mutatio maiores difficultates et mutationes textus secum ferat, non admittitur.

Unus Pater: Titulus uniuscuiusque paragraphi debet esse simpliciter indicativus et affirmativus (loco e. g. praestare potest: praestat).

R. — Non admittitur. Tituli non remanent. Secundum rem non est differentia.

Expensio modorum de singulis numeris

AD NUM. 40 [*De Ecclesiae et mundi mutua relatione*]

5 — In genere: Quattuor Patres postulant pro hoc numero brevem descriptionem veri vultus et divinae missionis Ecclesiae, *secundum Ep. ad Ephesios* dandam, ex rationibus pastoralibus et oecumenicis.

R. — Accipitur Modus et quidem secundum formulam, quam viginti Patres proponunt infra.

6 — Pag. 50, linn. 1-2: Unus Pater: Loco « omnia quae a nobis

[229] dicta sunt » dicatur: « omnia quae *supra* dicta sunt » vel similiter.

R. — Mutatio non necessaria.

[230] 7 — Pag. 60, linn. 5-6: Decem et octo Patres: Loco « quatenus *ut visibilis communitas* in hoc mundo exsistit » dicatur: « quatenus in hoc mundo exsistit, quia in sequentibus de Ecclesia "invisibili" tantum sermo est ».

R. — Omissio hic admittitur, sed res in textu reemendato exprimitur (alin. 2). Ratio tamen addita agnosci non potest.

8 — Pag. 50, lin. 6: Unus Pater addi vult: « firma manente doctrina quam Concilium de Ecclesia iam statuit ». Accedunt duo alii Patres, qui postulant, ut commemoretur *Lumen Gentium* et in sequentibus natura et missio Ecclesiae latius exponerentur, ad evitandam « naturalismus » (linn. 6-20).

R. — Inseritur in textum: « *omnibus praesuppositis ab hoc Concilio de mysterio Ecclesiae iam edictis* ». Alteri desiderio satisfit Modis infra allatis et acceptis.

9 — Pag. 50, lin. 6: Sexdecim Patres (cum aliis tredecim qui signant folium unius Patris et ita ponderari non possunt) post « exsistit » inseri volunt: « *Ecclesia Catholica libenter agnovit perplura testimonia in hoc munere adimplendo oblata fuisse ab aliis ecclesiis christianis* ». Ratio: excludatur « exclusivismus » vel « monopolium » et introducatur oecumenismus, qui in hoc schemate deest, sed Concilii maxime interest.

R. — Additur brevis formula in fine num. 40.

10 — Pag. 50, lin. 7: Duo Patres: ostendi debet Ecclesiam esse fundatam a Christo et unitam esse in Spiritu Sancto. Proponunt brevem formulam, quae tamen inclusa est in Modo sequenti. Quoad intentionem eorum cf. supra Mod. 5.

11 — Pag. 50, linn. 7-12: Viginti duo Patres (secundum intentionem Modis 5 et 10 manifestatam) proponunt hanc formulam « *Procedens ex amore Patris aeterni, in tempore fundata a Christo Redemptore, unita in Spiritu Sancto Ecclesia habet finem salutarem et eschatologicum, qui nisi in futuro saeculo plene haberi nequit. Quae nihilominus constituitur ex hominibus membris civitatis terrenae, ad id tamen vocatis, ut iam in historia terrestri generis humani usque ad adventum Domini familiam filiorum Dei praeparent et efforment, unitam quidem vinculis praesertim divinis, sed et vere humanis et socialibus. Ita Ec-*

clesia ut societas visibilis eadem via cum tota humanitate incedit suamque cum mundo terrenam patitur, ita tamen ut sit veluti anima societatis humanae in Christo renovandae». [230]

Notae 2 addatur: *Eph.* 1, 3, 5-6, 13-14, 23.

R. — Hic textus cum paucis modificationibus admittitur, cum falsas interpretationes capitis arcere et desideria aliorum Patrum (cf. supra) implere possit. [231]

12 — Pag. 50, lin. 8: Decem et octo Patres (cum viginti duobus Patribus Modi 11) ad vocem «eschatologicum» addere volunt: «qui plene nonnisi in futura vita haberi potest», ad explicandam sc. vocem hanc.

R. — Admittitur cum Modo 11.

13 — Pag. 50, linn. 10-11: Tres Patres tolli aut mutari aut compleri volunt verba: «et quidem secundum voluntatem Dei in communitate visibili», quia superflua.

R. — Verba mutantur et complentur in textu (alin. 2).

14 — Pag. 50, linn. 12-13: Ecclesia «anima societatis humanae»: Quinque Patres: tollantur haec verba, quia sic Ecclesia et societas humana confunduntur, quod «modernismus» esset.

Sat multi Patres proponunt mutationem:

a) «veluti fermentum»; *b*) «veluti anima, quae principia et leges proprias societatis humanae servans, eam in Christo renovat»; *c*) «ut (Ecclesia) sit societas humana in Christo renovata»: nam Ecclesia non est mera «pars»; *d*) loco «Ecclesia» dicatur: «Christifideles» (contextus Epistolae ad Diognetum).

R. — Retinetur locutio addita explicatione per «veluti fermentum». Haec enim figura non exprimit totam substantiam Ecclesiae, sed dumtaxat eius munus erga societatem. Cf. *Lumen Gentium*, cap. IV, num. 38, cum notis!

15 — Pag. 50, linn. 13-20: Unus Pater: loco «Quae quidem... ponuntur» scribatur: «Attamen... elevandam. (Hic addit:) *Progrediente autem scientia et arte technica, ipsa se scit multum ab hominibus iuvari posse*».

R. — Non accipitur, quia nimis coarctat rationes, quomodo Ecclesia a mundo iuvari potest (cf. infra num. 44).

16 — Pag. 50, lin. 16: «Unus Pater: loco «per singula sua membra et totam suam communitatem» dicatur: «*per suam doctrinam et sacramenta, necnon per singula sua membra*».

[231] R. — Non accipitur. Nam nequit omitti « communitas »; secus media supernaturalia expresse nominantur in textu et explicantur fuse in Const. *Lumen Gentium*, hoc loco citata.

[232] 17 — Pag. 50, linn. 16-17: Duo Patres: post « finem proprium » addatur: « supernaturalem persequendo, per singula sua membra et totam suam communitatem, *mediis sanctificationis a Christo fundatore suo collatis, maxime* se conferre posse credit ».

R. — Provisum in textu reemendato.

18 — Pag. 50, linn. 17-19: Unus Pater loco « se conferre posse credit » dicatur: « *conferre potest* »; et loco « ei (sibi) persuasum est »: « *multum iuvare potest* ».

R. — Maneat textus, quia insimul modestior et plenior est. Commissio textum paulo ampliavit.

19 — Pag. 50, linn. 19-20: Novem Patres: loco « huius mutui adiutorii » ponatur: « *huius communicationis inter Ecclesiam et humanam societatem* » (sex Patres); vel: « *coniunctioni principia* » (cf. pag. 5, lin. 9 huius schematis) (tres Patres).

R. — Additur: « *commercii* ».

AD NUM. 41 [*De adiutorio quod Ecclesia singulis hominibus praestare satagit*].

20 — Pag. 50, lin. 22: « Unus Pater: loco « homo hodiernus in via est » dicatur: « homo hodiernus *tendit ad personalitatem* ». Alius: « ... persequitur plenitudinem suae personalitatis iuraque sua magis magisque detegenda et affirmanda ».

R. — Maneat textus.

21 — Pag. 50, linn. 24-25: Unus Pater vituperat verba: « Deus ultimus finis personalis », cum Deus sit etiam finis *socialis* mediante Ecclesia.

R. — Omittitur « personalis ».

22 — Pag. 50, linn. 24-25: Unus Pater « Ecclesia, cui concreditum est manifestare mysterium Dei, qui est ultimus finis personalis hominis, essentialem de homine veritatem docet » (omittendum ergo esset: « ipsa aperit homini sensum propriae eius existentiae »). Ratio: textus simplicior; philosophice magis univocus!

R. — Ad evitandam vituperatam iuxtapositionem « existentiae-essentialem » ponitur: *intimam* scilicet de homine veritatem.

23 — Pag. 50, lin. 24: Unus Pater: « Si Ecclesiae concreditum est » mutetur in « Praeterquam quod Ecclesiae concreditum est », quia non de conditione, sed de facto agitur. [233]

R. — Scribitur: « *Cum autem* ... concreditum *sit* ».

24 — Pag. 50, lin. 27: Unus Pater: omittatur « cui ipsa inservit ». Sic textus simplicior.

R. — Maneat textus, quia nexus inter Deum et Ecclesiam efferri debet.

25 — Pag. 50, lin. 28: Unus Pater: dicatur quid Ecclesia singulis hominibus per sacramenta sua ad salutem praestare possit.

R. — Praesupponitur et provisum in num. 40.

26 — Pag. 50, linn. 29-30: Unus Pater: « Novit-fore »: haec sententia nimis absoluta. Ideo deleatur, aut saltem verbum « prorsus ».

R. — Admitti nequit: « prorsus » praecise sententiam minus absolutam facit.

27 — Pag. 50, lin. 34: Post « mortis », secundum sex Patres, inserendum: « ideoque et ubique viget illa, sic dicta praeparatio Evangelica qua mundus aetatis (nostrae?) ipse caret ».

R. — Modus respicitur in num. 40, v. fin.

28 — Pag. 50, lin. 34: Unus Pater: loco « ipsa praesentia Ecclesiae » dicatur: « Ubi praesens est Ecclesia ». Ratio: quia non ubique praesens est.

R. — Admitti nequit. Textus debilior fieret.

29 — Pag. 50, lin. 36: Unus Pater: loco « plenissimum » melius: « perfecte adaequatum ».

R. — Admitti nequit ut nimis scholasticum.

30 — Pag. 51, lin. 2: Tres Patres: loco « Quicumque ... perfectum » dicatur: « Christum, qui Deus est et homo perfectus », ne taceatur divinitas Christi, cuius claram professionem hic Pater in schemate vix invenit (sed cf. statim linn. 3 ss.).

31 — Pag. 51, linn. 3-5: Unus Pater timet, ne his lineis redemptio obiectiva sic praesentetur, ut actus subiectivi hominis ad eam amplectendam excludantur.

32 — Pag. 51, linn. 3-4: Decem et septem Patres loco: « totum *hominem,* corpus et anima » dicatur: « totam substantiam hominis, corpus et anima in eaque ... », quia terminologia accuratior. [234]

[234] 33 — Pag. 51, linn. 3-4: Quinque Patres proponunt: « in eoque totam naturam a Deo in utilitatem (hominis) creatam per crucem et resurrectionem sanctificavit ». Omittitur ergo pro hac parte verbum « assumpsit », quod ad solam naturam humanam Christi individualem refertur. Excluditur sic quaestio de « incarnatione cosmica ».

34 — Pag. 51, linn. 4-5: Duo Patres: « Verbum enim Patris incarnatione sua totum hominem, corpus et animam, assumpsit, in eoque homine totam naturam, quae ad hominem refertur et ordinatur, ad se quodammodo elevavit: quam et per crucem et per resurrectionem sanctificavit ».

35 — Pag. 51, linn. 3-5: Unus Pater: « Verbum enim Patris incarnatione sua, non solum integram naturam hominis, corpus et animam assumpsit, sed etiam rerum omnium naturam quodammodo sibi copulavit, cum omnia in utilitatem hominis sint creata: et sic universalitatem rerum per crucem et resurrectionem suam sanctificavit ».

36 — Pag. 51, lin. 5: Unus Pater proponit: « assumpsit et per *vitam, mortem et* resurrectionem sanctificavit ».

R. — Ad Modos 30-36:

a) Cum aliis quattuor Patribus hi Patres in Modis 30-36 adducti haec pericula timent:

1) ne falsa proponatur doctrina Incarnationis (« homo assumptus »);

2) ne assumptio humanae naturae Christi in eodem plano ponatur cum « assumptione » naturae universae. Hi Patres inserunt hic: « diverso tamen modo » (assumpsit), vel: « pro modulo suo et mutatis mutandis — totam naturam (assumpsit) », vel: « aliquomodo totam naturam assumpsit »;

3) ne actus subiectivi in acceptanda redemptione excludantur (quasi data Incarnatione Verbi, morte et resurrectione Christi iam hominibus nihil maneat faciendum ... excepto actu fidei praestando, quod faveret postulatis Reformatorum).

b) Resp.: linn. 3-5 omittuntur, quia iam in n. 22. Additur in lin. 1: « *divino* ».

[235] 37 — Pag. 51, linn. 6-7: Unus Pater loco: « dignitatem humanae naturae — potest » dicatur: « dignitatem naturae humanae *indesinenter affirmavit in omnibus ... mutationibus* ».

R. — Non admittitur.

38 — Pag. 51, lin. 10: Unus Pater loco: « Evangelio Christi Ecclesiae concredito » dicatur: quam eas Evangelio Christi concredendo ». [235]

R. — Non admittitur, quia sensus phraseos mutaretur.

39 — Pag. 51, lin. 12: Unus Pater loco: « dignitatem conscientiae eiusque liberam decisionem sancte veretur » dicatur: « dignitatem conscientiae sancte *tuetur* eiusque liberam decisionem *iudicat quidem at nullatenus aufert* ».

R. — Mutatio non videtur esse necessaria.

40 — Pag. 51, lin. 13: Unus Pater post « dignitatem conscientiae » addit: « *recta norma formatae* ».

R. — Subintelligitur.

41 — Pag. 51, lin. 15: Idem Pater est contra formulam: « In Dei hominumque servitium ».

R. — Textus mutatur sic: « *in Dei servitium hominumque bonum* ».

42 — Pag. 51, lin. 14: Septemdecim Patres: loco « reduplicare » dicatur: « augere », vel unus: « multiplicare ».

R. — Maneat textus, cum sit modus usitatus loquendi.

43 — Duodecim Patres rogant ut lineae 16-19 (pag. 51) transponantur post lin. 27, et ibi sit nova alinea. Ratio: uti nunc stat, interrumpitur cursus idearum.

44 — Decem et novem Patres simul cum his duodecim textum melius componere volunt. Diversas formulas proponunt:

45 — *a*) Sex Patres: loco « quamvis enim *in praesenti* oeconomia » dicatur: « *in christiana oeconomia* ». Ratio: ad vitandas quaestiones de aliis oeconomiis possibilibus.

46 — *b*) Unus Pater: « quamvis enim in praesenti oeconomia ordo redemptionis *et ordo* creationis, historia hominum *et* historia salutis arctissime connectantur, haec tamen connexio nullo modo ... ». Ratio: ad excludendum illud « includit ». Nam ordo supernaturalis ordinem naturalem *supponit*, non includit. [236]

47 — *c*) Unus Pater: « in praesenti oeconomia ordo redemptionis in se ordinem creationis includit et historia hominum arctissime in historia salutis implicatur ». Deleantur reliqua. Ratio: evitetur quidquid solutionem huius quaestionis salebrosae disputatae.

48 — *d*) Unus Pater: addit in lin. 19: « in sua dignitate *et autonomia* ».

[236] 49 — *e*) Quattuordecim Patres: loco linn. 16-19 (quae sunt transponendae post lin. 27): « Visio ergo, quam Ecclesia de homine proponit, realitati correspondet, quae in Christo manifestata est. Ipse est Filius Dei homo factus, centrum ordinis redemptionis simul et creationis (cf. *Col.* 1, 13-23), ita ut in hac unitate utriusque ordinis terrena et humana non tollantur, sed purificentur et eleventur et elevata pro semper conserventur ».

Ratio: melior nexus et evitantur quaestiones disputatae.

R. — Ad Modos 43-49:

1) Transpositio propter contextum non est possibilis.

2) Textus sic sonet: Hoc *legi fundamentali oeconomiae christianae correspondet*: *Etsi* enim *idem Deus sit Salvator qui et Creator,* idem quoque Dominus et historiae *humanae et* historiae salutis, *tamen in hoc ipso ordine divino iusta creaturae autonomia et praesertim* hominis *nedum* aufer*a*tur, potius in sua*m* dignitate*m restituitur atque in ipsa firmatur.*

50 — Pag. 51, linn. 20-23: Unus Pater addere vult ideam de « iure Dei »: « ne singuli homines Dei iurium obliti ».

R. — Resp. Admitti nequit cum non ad rem.

51 — Pag. 51, lin. 21: Unus Pater loco « dynamismi — promoventur » dicatur: « eorumque promotionem maxime aestimant ». Ratio: ne de prioribus temporibus sinistre iudicetur.

R. — Non admittitur, quia textus debilior fieret.

52 — Pag. 51, lin. 21: Unus Pater loco « dynamismi » dicatur: « *ardorem* quo haec iura hodierno tempore *ubique* promoventur ».

R. — Non admittitur, quia textus debilior fieret.

[237] 53 — Pag. 51, lin. 21: Unus Pater: loco « undique » dicatur « saepe ».

R. — Textum meliorem non facit.

54 — Pag. 51, linn. 23: Sexdecim Patres loco « debet » dicatur « *satagit* ». Ratio: nam Ecclesia de facto implet pro posse, quod debet.

R. — Providetur in sequentibus Modis acceptis.

55 — Pag. 51, linn. 22-24: Unus Pater: « Qui motus tamen *spiritu Evangelii* imbuend*us* et omni falsa autonomia purific*andus est* ». Ratio: etiam christiani sentiunt hanc tentationem; praeterea verbum « tentatio » ita non duplicatur.

R. — Affirmative; sed scribatur: « *et adversus omnem speciem falsae autonomiae tutandus est* ».

56 — Pag. 51, lin. 24: Unus Pater: « Tentationi enim subii*cimur* iudicandi *nostra* iura personalia tunc tantum plene servari, cum ab omni norma Legis divinae sol*vimur* ». Ratio: eadem ac in Modo 55. [237]

R. — Affirmative.

AD NUM. 42 [*De adiutorio quod Ecclesia societati humanae afferre satagit*].

57 — In genere: Unus Pater: textus describit potius Ecclesiam tamquam societatem philanthropicam ad progressum humanum. Media supernaturalia connumeranda sunt.

R. — Non videtur ad rem. Cf. v. g. linn. 31-35. Attendatur scopus capitis, sicut nunc in num. 40 evolvitur.

58 — Pag. 51, linn. 29-30: Quinque Patres loco « unio ... debent » proponunt: « unio familiae humanae et unitas familiae filiorum Dei in Christo fundata *relationem habere possunt ac debent* ». Ratio: « complere » nimia dicit.

R. — Cf. infra.

59 — Pag. 51, linn. 29-30: Duo Patres similiter: « *Ita cohaerent* ut se invicem complere pos*sint* et deb*eant* ». Ratio: relatio inter utramque familiam magis intrinsece et simul rectius consideratur.

R. — Cf. infra.

60 — Pag. 51, linn. 29-30: Unus Pater: « familia, *quae est Ecclesia* » vel alio adhuc meliore modo. [238]

R. — Ad Modos 58-60: Proponitur hic textus: « Unio familiae humanae unitate familiae filiorum Dei in Christo funda*ta multum roboratur* et comple*tur* ». De adiutorio, quod Ecclesia recipit ab unione societatis humanae, sermo est in num. 44.

61 — Pag. 51, lin. 31: Unus Pater: dicatur: « Ecclesiae suae *missionem ordinis religiosi praefixit, nullumque officium ad fines et structuras ordinis temporalis efficiendas*. Et sane ... ».

62 — Pag. 51, linn. 31-32: Tres Patres: omittatur verbum « socialis ». Missio Ecclesiae enim extenditur ad societatem.

63 — Pag. 51, linn. 31-34: 12 Patres: auferatur ambiguitas inter linn. 31 et 34. Primo sermo de ordine sociali, politico, oeconomico. Tunc de ordine sociali tantum.

[238] 64 — Pag. 51, linn. 31-34: 26 Patres proponunt: Christus quidem Ecclesiae suae *nullum officium seu munus directe* assignavit ordinis politici... *Ad hunc finem autem implendum Ecclesia lucem et vires affert,* quae ordini sociali ... ». Post « possunt » addatur hoc: « *Ubi autem opus fuerit, secundum temporum et locorum concretas circumstantias, ipsa suscitare potest immo et debet opera misericordiae et promotionis in servitium omnium, praesertim egentium* ».

Ratio: *a*) Vox *finis* reservatur pro missione ultima Ecclesiae
b) Opera misericordiae non omittenda sunt
c) Textus nimis europaeus
d) Agitur de ipsa missione Ecclesiae.

65 — Pag. 51, linn. 31-33: Unus Pater: Ceteris omissis scribatur: « *Christus Ecclesiae suae finem ordinis religiosi praefixit* ». Ratio: Non simpliciter dici potest Ecclesiam nullum habere finem ordinis politici, oeconomici, socialis.

R. — Ad Modos 61-65: Eligitur formula, quae difficultatibus motis respondere videtur: « Missio *quidem propria, quam* Christus Ecclesiae suae concredidit, *non est* ordinis politici, oeconomici vel socialis; *finis enim* quem ei praefixit ordinis religiosi est ». Inseritur insuper ex Modo 64 idea, Ecclesiam ex missione sua sic descripta secundum circumstantias etiam *munus* et obligationem habere opera in servitium societatis humanae movere.

[239] 66 — Pag. 51, lin. 35: Duo Patres: loco « inservire possunt », dicatur « *inserviunt* », cum agatur de facto, non solum de possibilitate.

R. — Remaneat textus, cum agatur ex parte Ecclesiae etiam de aliquo adiutorio oblato, quod accipi debet ab hominibus.

67 — Pag. 51, linn. 34-35: dicatur: « quae ordini sociali hominum *recte* constituendo ».

R. — Additio necessaria non est.

68 — Pag. 51, linn. 34-35: Unus Pater addi vult in lin. 34, post « sociali »: « *politico,* oeconomico »; in lin. 36 post « possunt »: « *cum munus* sit *Ecclesiae etiam naturae legem custodire et interpretari* ».

R. — Inseritur: « quae *communitati* hominum *secundum Legem divinam constituendae* ... ».

69 — Pag. 51, lin. 36: Unus Pater: loco « evolutionem » dicatur: « *progressum* versus unitatem » quia prior locutio est aequivoca.

R. — Remaneat textus: « Evolutio » non intelligitur in sensu « evolutionismi ». [239]

70 — Pag. 51, lin. 35: Unus Pater: omittatur « processum sanae socializationis », cum « sana socializatio » difficulter definiri possit et habeantur tentamina insana.

R. — Remaneat textus. « Consociatio civilis et oeconomica » non omnes possibilitates socializationis exhauriunt (cf. consociatio scientifica etc. et omnino culturalis). Ut abusus excludantur, dicitur praesertim « sana » socializatio.

71 — Pag. 51, linn. 35-36: Unus Pater: inseratur post « invenitur » (lin 36): *praesertim.*

R. — Admittitur, cum sit etiam responsum ad Modum 70.

72 — Pag. 51, linn. 37-38: Unus Pater: loco « promovere unitatem » dicatur: « promotio enim unitatis ».

R. — Affirmative.

73 — Pag. 51, lin. 42: 5 Patres ad unionem ... ex caritate » addere volunt aut: « *veritate et* caritate »; aut « ex unione *mentium* cordium fluere, ex illa scilicet *fide et caritate* » (2 Patres); aut « ex unione fidei et magisterii » loco: ex unione cordium [240] (2 Patres).

R. — Accipitur illa versio: « *ex unione mentium et cordium fluere, ex illa scilicet fide et caritate* ».

74 — Pag. 51, linn. 40-41: Unus Pater in lin. 40 addit ad « ostendit »: « et pro sua parte praebet ... fluentem ».

R. — Aliter provisum est.

75 — Pag. 51, lin. 42: Unus Pater notat adiutorium, quod Ecclesia mundo praebet, esse *exercitium practicum* caritatis.

R. — Coniungitur cum Modo sequenti.

76 — Pag. 51, lin. 42: 20 Patres proponunt sequentem Modum: « *Quae caritas proprie constituit vim, quam Ecclesia societati hodiernae hominum immittere potest et debet, non vero dominium aliquod externum mediis humanis exercendum. Cum insuper vi suae missionis* et naturae ad nullam alligetur particularem culturae humanae formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale, Ecclesia *ex hac sua universalitate ligamen arctissimum inter diversas hominum communitates et nationes esse potest, si hae ei fidunt eique veram libertatem ad hanc suam*

[240] *missionem adimplendam praebent* ». Ratio: idea paragraphi plenius evolvitur. Timor dominii terreni Ecclesiae excluditur.

R. — Modus accipitur itemque ei praecedens. Una cum Modo 64 inseritur cum quibusdam parvis mutationibus.

77 — Pag. 52, lin. 2: 19 Patres proponunt loco « legitimis » ponatur « iustis ». Legitimum vocatur omne quod legi conformatur, etiam iniustae.

R. — Admittitur.

78 — Pag. 52, linn. 8-10: 8 Patres proponunt: Transferatur incisum « natura-sociale » in phrasim praecedentem, uti in Modo n. 76.

R. — Admittitur.

79 — Pag. 52, linn. 12-13: 8 Patres proponunt: omittatur: « et suae missionis libertatem » cum iam in Modo praecedenti.

R. — Admittitur.

[241] 80 — Pag. 52, linn. 9 ss.: 12 Patres postulant fortiorem et pleniorem textum de rebus culturae, de systematibus politicis, oeconomicis et socialibus.

R. — Id quod pertinet ad Partem II.

AD NUM. 43 [*De adiutorio quod Ecclesia per christianos navitati humanae conferre satagit*].

81 — Pag. 52-54 in genere: 12 Patres lamentantur de repetitionibus in comparatione cum num. 34 et 35, et de nimiis adhortationibus.

R. — Repetitiones necessariae sunt, quia diversi respectus. Hic sermo magis ad christianos est.

82 — Pag. 52, lin. 25: 3 Patres loco « totaliter » scribatur « ita ». Ratio: « totaliter » est verbum ambiguum.

R. — Admittitur.

83 — Pag. 52, lin. 29: Unus Pater loco « errores » postulat: « agendi rationes », quia discidium est res practica.

R. — Maneat textus quia sunt etiam errores practici.

84 — Pag 52, lin. 30: Unus Pater: loco « redarguunt »: redarguerunt.

R. — Mutetur tempus verbi.

85 — Pag. 52, lin. 35: Unus Pater addere vult: « negligit *erga proximum immo et* ipsum Deum ».

R. — Accipitur.

86 — Pag. 52, lin. 36: Unus Pater indicat mendam typographicam: in discrime*n*. [241]

87 — Pag. 52, lin. 39: Unus Pater: scribatur: « in una*m* synthesim sub religionis lumine colligendo, mediante quorum ».

R. — Scribatur « una*m* » ceteroquin maneat textus, quia clarior.

88 — Pag. 53, lin. 2: Unus Pater proponit: « ... eosdem iustos ac rectos fines ... ».

R. — Non admittitur. Res apparet ex contextu.

89 — Pag. 53, lin. 2: Loco « persequentibus » scribatur « *pros*equentibus ». [242]

R. — Admittitur.

90 — Pag. 53, lin. 2: Unus Pater proponit: post « cooperabuntur » ponatur virgula.

R. — Non admittitur. Aggravaret textum et mutaret eius sensum.

91 — Pag. 53, linn. 2-7: 3 Patres proponunt: « Agnoscentes exigentias fidei eiusque virtute praediti, incunctanter, ubi oportet, nova incepta *competentia qua pollent* excogitent atque ad effectum deducant. Cum ad *ipsorum* conscientiam iam apte formatam spect*et*, ut lex divina in vita civitatis terrenae inscribatur, *laici indesinenter lucem et vim spiritualem hauriant ex sacra doctrina, cuius administratores sunt pastores*. Ne *tamen* censeant ... ». Ratio: Sic excluditur expressio infelix: « instrumentis technicis utentes ».

R. — Accipitur Modus quoad omissionem formulae incriminatae. Textus clarius redigitur.

92 — Pag. 53, lin. 4: Unus Pater: loco « oportet » scribatur « *iuvat* ».

R. — Non admittitur.

93 — Pag. 53, lin. 5: Unus Pater: loco « generatim » dicatur « per se et immediate spectare » (cum allusione ad Pium XII, Ad iuristas italianos).

R. — Res exprimitur breviter.

94 — Pag. 53, lin. 7: Idem Pater: linea post « exspectent » sic compleatur: « ..., *parati etiam suis Pastoribus oboedire cum iudicium morale emittant etiam de rebus ad vitam et navitatem terrestrem pertinentibus* ». Ratio: res tam difficilis indiget hanc additionem (cf. P. II, cap. IV, n. 80, pag. 58, linn. 2-4).

R. — Remaneat textus, cum paucis abbreviationibus. Additur citatio ex Litt. Encycl. *Mater et Magistra*.

[242] 95 — Pag. 53, lin. 7: In lin. 7 secundum 15 Patres legatur loco « Ne »: *Neque.*

R. — Admittitur.

96 — Pag. 53, linn. 8-9: legatur in lin. 9 « exsurgent*e* » (1 Pater) et lin. 8: loco « omni »: in qualibet (1 Pater proponit: in cuius-
[243] cumque generis quaestione); lin. 9 legatur: « *solutionem concretam in promptu habere* ».

R. — Admittitur.

97 — Pag. 53, linn. 7-12: Post has emendationes acceptas non admittitur propositum 4 Patrum, qui volunt delere has lineas, vel unius Patris qui in lin. 8 post « quaestione » addere vult: « ordinis terrenae »; vel unius Patris, qui in lin. 9 loco « in promptu » ponere vult: « sibi *plenum* responsum »; vel unius Patris proponentis: « in promptum *faciliter* habere »; vel duorum Patrum, qui delere volunt « illos ad hoc missos esse ».

98 — Pag. 53, lin. 13: 17 Patres: loco « certam » ponatur « aliquam ».

R. — Ponatur « *aliquam determinatam* » ratione claritatis.

99 — Pag. 53, lin. 19: Unus Pater post « vindicare » addere vult: memores dicti, "in dubiis libertas" ».

R. — Non admittitur.

100 — Pag. 53, lin. 21: 3 Patres: addatur post lin. 21: « Laicorum vero munus multo latius extenditur (quam) ut mundum spiritu christiano imbuant. In media consortione humana Christi testes esse debent. Vincula inter homines multiplicando, manifestationes Spiritus Dei discernendo, verbo et opere infinitum amorem Patris patefaciant ».

R. — Accipitur additio post lin. 21 hoc modo: « *Laici vero, qui in tota vita Ecclesiae actuosas partes gerendas habent, non solum mundum spiritu christiano imbuere tenentur, sed etiam ad hoc vocantur ut in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi sint testes* ».

101 — Pag. 53, lin. 18: 16 Patres rogant ut deleatur « cuius sunt praecones ».

R. — Admittitur; cf. Modum praecedentem.

102 — Pag. 53, linn. 22-27: Rectius subiectum huius paragraphi determinari debet: Episcopi-presbyteri. In linn. 22-25 de utrisque sermo, verba in linn. 25-27 data in *Lumen Gentium* ad solos presbyteros diriguntur.

R. — Inseratur in lin. 23, post « memores sint » « *pastores* » (quod Episcopos et presbyteros designat).

103 — Pag. 53, lin. 23: Omittatur « cum auctoritate ». [244]

R. — Affirmative, cum iam habeatur « munus moderandi » in lin. 22.

104 — Pag. 53, linn. 31-32: Scribatur « ut *in* dialogo ... partes suas in dialogo ... partes suas agere possint ». Quia non soli presbyteri dialogum instituunt.

R. — Accipitur.

105 — Pag. 53, linn. 27-28: lin. 27 loco « christiani » dicatur « Christi »; linn. 28 s. loco « Ecclesiam ... sua praesentia » scribatur: « Evangelium, quod cum omnibus suis donis in Ecclesia praesens est, inexhaustum fontem ... ».

R. — Mutationes non necessariae vel inopportunae.

106 — Pag. 53, linn. 33-37: Verba ex *Lumen Gentium* citata hic et Episcopos et presbyteros comprehendere debent; deleatur in lin. 33 « ad seipsos directa ».

R. — Admittitur.

107 — Pag. 53, linn. 42-43: 5 Modi ab 18 Patribus propositi omittere, aut mutare volunt verba: « nuntium a se prolatum humanam debilitatem longe exercere ».

R. — Assumitur Modus 15 Patrum: « ... non fugit, *quantum distent* nuntius ab *ea* prolatu*s* et human*a* debilita*s*, *cui Evangelium concreditur* » cum parva mutatione.

108 — Pag. 53, linn. 44 ss.: 17 Patres attingunt quaestionem de « defectibus ». 15 Patres proponunt longiorem additionem pro lin. 44, post « excedere »: « *Imprimis in sua ad mundum relatione excolenda Ecclesia evolutioni historicae subiecta est* » id quod aliquibus exemplis quoad relationem inter Ecclesiam et mundum illustratur. Ratio: Hoc praecise pertinet ad scopum huius paragraphi proprie exprimendum. Nam non agitur de defectibus in missione spirituali Ecclesiae implenda examinandis, sed potius de defectibus quoad recte ordinatam relationem inter Ecclesiam et mundum.

R. — Inseritur brevis sententia in sensu huius Modi, omissis exemplis concretis.

109 — Pag. 53, linn. 44-45: 1 Pater proponit ut scribatur: « Quidquid ( ) de istis defectibus *historia* iudicat, eorum conscii ... »

R. — Ut formula clarior admitti potest. Sic etiam provisum est alteri [245]
Modo, qui in linn. 44-45 invenit stylum « ecclesiasticum contortum ».

[245] 110 — Pag. 54, lin. 1: 3 Patres melius exprimere volunt lin. 1. Loco « pugnare » ponatur « et pro viribus illos eradicare ». Est minus bellicosum.

R. — Cf. Mod. seq.

111 — Pag. 54, lin. 1: Pro « ne Evangelio detrimentum afferant » scribatur « strenue eos *im*pugnare, ne Evangelio *diffundendo* detrimentum *capiant* ».

R. — Admittitur sed loco « capiant » maneat « *afferant* ».

112 — Pag. 54, lin. 2: Unus Pater: loco « instigante Spiritu » ponatur « suggerente » vel « impellente ».

R. — Scribatur « Spirit*u* Sanct*o* *ducta* ».

AD NUM. 44 [*De adiutorio quod Ecclesia a mundo hodierno accipit*]

113 — In genere: N. 44 delendus vel aliter redigendus.

R. — Cum simpliciter in ratione addita negetur Ecclesiam a mundo adiutorium accipere posse, ille Modus non admittitur. Cf. Paulus VI, Encycl. *Ecclesiam suam*. Cf. etiam Modum sequentem.

114 — In genere: Unus Pater: introducatur in hunc num. textus ex *Lumen Gentium,* n. 13. Ibi ostenditur melius quomodo Ecclesia adiuvatur immo et divitiis gentium et mundi.

R. — In nota *Lumen Gentium* adducitur. Textus maneat.

115 — Pag. 54, linn. 5-7: 1 Pater: supprimantur hae lineae et incipiatur ab « Imprimis ». Quia hic Ecclesia apparet ut aliena a societate et in n. 40 dicitur « anima » societatis.

R. — Admitti nequit. Cf. verba Decreti de Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, n. 13, sec. alinea. Ecclesia non est separata ab humana societate, sed distincta.

116 — Pag. 54, linn. 8 et 22: Unus Pater contra vocem « evolutione » rogat ut ponatur « *progressus* ».

R. — Cf. supra ad Modum 69.

[246] 117 — Pag. 54, linn. 9-20: 7 Modi (insimul 10 Patres) proponunt aut:

a) ut deleantur linn. 15-16 (sive de credentibus sive de non credentibus agitur) quia « veri periti essent credentes ».

R. — Non admittitur.

b) ut quaedam mutentur: Unus Pater vituperat perperam aequari Pastores et theologos, et peius — totum populum Dei munus habere « discernendi, interpretandi, diiudicandi » vocem temporis.

R. — Cf. *Lumen Gentium,* Cap. II, num. 12, de sensu fidelium - « pastores », postea introducti, cum minuscula scribuntur cum Episcopos et omnes pastores animarum comprehendat. Non agitur de interpretanda « revelatione » sed de « voce temporis » (sub lumine fidei) « audienda ». [246]

c) Alia mutatio proposita vult omittere in lin. 14 « viventes in mundo », cum hic habeat sensum specificum sc. « habere immediatum contactum cum mundo.

R. — Non admittitur. Agitur de speciali praesentia ad mundum.

d) ut deleantur linn. 16-20 (Totius populi Dei ... possit). Quia haec monitio ad Decr. de Presbyteris et De Apostolatu Laicorum pertineret. Hic mundus hodiernus alloquendus est.

R. — Maneat textus. Sed fiat nota, in qua citatur *Lumen Gentium.*

e) Tres Patres postulant ut haec paragraphus de adiutorio quod mundus Ecclesiae praestat, aliquibus ideis ditetur, quae *omnino essentiales* sint ad exprimendum propositum eius. Deest etiam *aequilibrium* inter hanc paragraphum et alias. Agitur de adiutorio quod Ecclesia ex lingua et genio diversorum populorum pro nuntio suo praedicando accipit.

aa) Duo Patres sic proponunt (pro lin. 9): « *Praecipuum adiutorium, quod Ecclesia in suo munere evangelizationis accipit, sunt lingua et genium uniuscuiusque populi, quae nuntio Christi exprimendo et explicando inserviunt* ». Sequens sententia in lin. 9 sic mutetur: « *Crescente insuper* experientia ... absconditis, *Ecclesiae accrescunt media in dies perfectiora,* quibus hominum *et populorum* naturam *vel historiam melius intelligat iisque nuntium suum divinum plenius adaptet. Quo adiutorio Ecclesia* imprimis nostris temporibus, in quibus res celeriter mutantur et cogitandi modi valde variantur ( ) ad missionem suam adimplendam indiget. *Quod ei praestatur maxime* ab hominibus, viris et feminis, qui viventes ... ».

bb) Unus Pater sic proponit (pro lin. 11, post « aperiunt »): « *Ab initio suae historiae Ecclesia nuntium suum ope conceptuum et linguarum diversorum populorum exprimere didicit et sapientia philosophorum perlustrare quoque conata est; in hunc finem nempe ut Evangelium simul omnium captui et sapientium exigentiis, in quantum par erat, adaptaret. Quae quidem verbi revelati accommodatio lex omnis evangelizationis permanere debet. Ita enim in omni natione facultas nuntii Christi suo modo exprimendi excitatur simulque vivum colloquium inter Ecclesiam et diversas populorum culturas promovetur* ». [247]

[247] R. — Commissioni visum est, has ideas inserendas esse eo, quod unicus textus ex duobus propositis fiat. De facto sufficit, si secundus textus cum parvis mutationibus assumitur, qui facile quoque in textu receptum inseri potest.

118 — Pag. 54, linn. 21-28: Unus Pater postulat ut haec verba omnino deleantur; unus Pater vult relinquere tantum verba de persecutione, quae clarius reddenda esse censet.

R. — Cf. infra, ad 121.

119 — Pag. 54, linn. 21-24: 4 Patres volunt scribere: « Ecclesia cum visibilem habeat structuram socialem, signum quidem suae *unitatis* in Christo, grato animo percipit... ». Omittitur ergo: « ab evolutione vitae socialis humanae ditatur ». Ratio: valde ambiguum est, theologice non est rectum.

R. — Accipitur « *unitatis* » loco « unionis ». Quoad reliqua: cf. infra 121.

120 — Pag. 54, linn. 21-28: Unus Pater vult addere aliquid de Ecclesia ut societate perfecta.

R. — Cf. infra ad 121.

121 — Pag. 54, linn. 21-28: Duo Patres addere volunt: « ditatur, *non ad structuram compaginis suae detegendam vel accipiendam, cum a Christo data sit, sed ad melius eam exprimendam et temporibus sese mutantibus sine damno institutioni suae divinae applicandam* ». Ratio: necessaria additio ad recte intelligendas linn. 21-23.

R. — Commissio proponit hunc modum: « *non quasi aliquid in constitutione a Christo sibi data deesset, sed ad eamdem profundius cognoscendam, melius exprimendam atque temporibus nostris felicius accommodandam* ».

[248] 122 — Pag. 54, lin. 25: 5 Patres post « conditionis accipere » addere volunt: « *Omne quod laborat ad melius esse hominis in hoc mundo cooperatur, suo modo, secundum consilium Dei, ad melius esse Ecclesiae. Hoc valet in ordine familiae, culturae, vitae oeconomicae et socialis, necnon politicae, tam nationalis quam internationalis* ». Ratio 1) quod dicitur in schemate est nimis generale; 2) per additionem, *nexus inter primam et secundam* partem schematis melius apparebit.

R. — Commissio Modum in breviore forma accepit, additis ideis in Modo n. 123 propositis.

123 — Pag. 54, lin. 23: Unus Pater similem ideam exprimit, inserendam in lin. 23, post « ditari »: « *sicut a beneficiis quae ex latiore*

ad educationem bonaque culturae successu, praesertim mulierum, pro vita communitatis, etiam ecclesialis, hodie oriuntur ». [248]

R. — Cf. Resp. ad Mod. praec.

AD NUM. 45 [*De Christo, alpha et omega*]

124 — Pag. 54, linn. 29-30: Duo Patres loco « Ecclesia, sive a mundo iuvetur sive ipsa mundum adiuvet, ad hoc unum tendit » dicatur: « Ecclesia *dum mundum adiuvat et ab eo multa accipit*, ad hoc unum tendit ... ».

R. — Admittitur.

125 — Pag. 54, linn. 36 ss.: Unus Pater: post lin. 35 inseratur: « *Propter suam spem eschatologicam Ecclesia tribuit mundo eiusque historiae sensum eius definitivum ac ultimam subsistentiam. Suam enim spem Ecclesia reponit in Verbo Dei, per quod omnia facta sunt, quod caro factum est, ita ut* ... ». Ratio: sic nexus cum praecedentibus; exprimitur aperte adiutorium definitivum, quod Ecclesia praestat.

R. — Maneat textus.

126 — Pag. 54, linn. 36 ss.: Unus Pater putat totam alineam esse eandem ac in par. 42, pag. 44. Ergo textus perpoliatur.

R. — Tamen hic est alius contextus.

127 — Pag. 54, lin. 38: Unus Pater: loco « humanae historiae » ponatur « humanae vitae ». Ratio: ne fiat repetitio.

R. — Maneat textus.

128 — Pag. 54, lin. 39: Unus Pater rogat ut deleatur « humani generis centrum » quia in linea praecedenti « punctum medium ». Scribatur forte melius: « humani generis *Cor* ». [249]

R. — Cf. ad Mod. 127.

129 — Pag. 54, lin. 36; pag. 55, lin. 7: 18 Patres petunt ut redeatur partim saltem textum in Commissione plenaria iam admissum et addantur paucae aliae lineae: « Propter spem suam Ecclesia ultimum sensum et definitivum valorem tribuit tum singulis personis tum societati humanae eiusque historiae. Sua enim in mundo praesentia pignus est omnia haec cum toto universo ad id ordinata esse, ut recapitularetur in Christo ad laudem gloriae Dei Patris (cf. *Eph.* 1, 10. 14). *Una tunc erit communitas et familia hominum nullaque oppositio inter Ecclesiam et mundum, cum civitas caelestis, unica omnium patria, unico vinculo*

[249] *omnes liget, claritate et caritate Dei et Agni. "Et ambulabunt gentes in lumine eius: et reges terrae afferent gloriam suam et honorem in illam" (Apoc. 21, 24). Haec est humanae historiae consummatio in Christo* ». Ratio: Melior nexus ad totum caput. Idea centralis huius capitis, nempe relatio inter civitatem terrestrem et caelestem melius recolitur et perficitur.

R. — Melius videtur quod textus maneat. Etenim, habitudo civitatis terrestris et civitatis caelestis iam in capite tertio clare ponitur.

130 — Pag. 55, lin. 4: Unus Pater: addatur « *cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* » (cf. *1 Cor.* 11, 3).

R. — Maneat textus.

131 — Pag. 55, lin. 5: Unus Pater: scribatur: « Dicit *Ipse* Dominus » ad clariorem reddendam phrasim pro non-christianis.

R. — Admittitur.

[251]

RELATIO GENERALIS

Constitutio de Ecclesia in mundo huius temporis a Patribus maximam attentionem obtinuit. Ex Modorum numero necnon ex ratione praecisa et personali quo redacti sunt, apparet quanti textus ille ab ipsis factus sit, eo magis quod tempus ad illum examinandum brevissimum fuerit.

Gratitudine igitur maxima Commissio diversas animadversiones accepit et, in quantum sine modificatione substantiae et ordinis textus hoc possibile erat, in textum inseruit.

Ut videre erit, nullus Modus neglectus est, et etiamsi non fuerit admissus, religioso tamen examini subiectus est.

* * *

Secundum quod exspectandum erat, sive ex ipsa natura rerum, sive ex praevisione expresse facta ...[1], puncta ad quae Patres maximam attentionem dederunt, sunt Atheismus, Matrimonium et Bellum.

Quoad *Atheismum* iam in relatione priori mens *Commissionis explicata est.*[2] Inter Modos, 209 inventi sunt qui condemnationem expressam et formalem Communismi requirebant. Iam inter animadversiones scriptas, tercentae triginta duae inveniebantur, quae *hoc idem postulatum iisdem verbis* exprimebant. Hae profecto animadversiones, licet tempore debito ad Commissionis Nostrae officia pervenissent, cum tamen ad

eiusdem Commissionis Sodales, praeter quidem intentionem, transmissae non fuerint, non suo tempore examinatae sunt ...[3] [251]

Examine tamen facto in expensione Modorum, quibus illae animadversiones ad litteram cohaerent, Commissio censuit eas non esse admittendas, ex pluribus rationibus quae suo loco exponuntur; sed in loco ubi improbatur expresse atheismus, priores eiusdem condemnationes referuntur.

Cum *Caput de matrimonio et familia,* indolem pastoralem peculiari modo prae oculis habeat, Commissio consulto conata est doctrinam, verbis mentalitati coaetaneae adaptatis, proponere.

Momentum prolis eiusque educationis, — « filii etenim sunt praestantissimum matrimonii donum », — perpolita expressione, adhuc fusius in lucem ponitur (p. 6, linn. 18-20), quin ceteri matrimonii fines posthabeantur.

Unitas et indissolubilitas coniugii pluries in textu recepto affirmantur et bonum fidei in textu emendato iterum pressius exprimitur (p. 6, lin. 34).

Nonnulli Patres conclusiones practicas, praecipue quae ad regulan- [252]
dam procreationem spectant, expostulaverunt. Cum vero plures ex illis quaestionibus, servata continuitate doctrinae catholicae, ulteriori investigationi subiiciantur et supremo iudicio Summi Pontificis reserventur, S. Synodus hac de re agere non intendit.

Uberior explanatio de familia in textu emendato traditur: praesentia activa patris et cura domestica matris commendantur (p. 10, linn. 19-21), doctrina de spiritualitate coniugali clarius exponitur (p. 6, linn. 34-43), familia ut totius vitae consuetudo et communio coniugum (p. 10, linn. 25 ss.), schola verae humanitatis et fundamentum societatis extollitur (p. 10, lin. 25).

Faxit Deus, ut nuntium evangelicum de sanctitate matrimonii et familiae coniugibus sit adiutorio ut amanter et generose munus suum sacrum suscipiant, utque omnes suo quoque modo, conferant ad mundi ornatum et Ecclesiae augmentum.

Caput V quod attinet, Modi Patrum praesertim primam eius sectionem « De bello vitando » respiciebant, in qua proinde non paucae mutationes introductae sunt, quin tamen textus substantialiter mutaretur.

Quae de *obiectione conscientiae* n. 83 (nunc 79) dicuntur, supprimi non poterant, quod contra normas fuisset, sed paulisper mutata sunt. Notandum est textum abstrahere a iudicio de obiectiva moralitate obiectionis conscientiae, nec statuere ...[4] *ius* recusandi adhibitionem armorum, sed tantummodo affirmare: aequum videtur ut huic casui humaniter provideatur.

[252] Quoad *bellum totale,* de quo n. 84 (nunc 80) agit, quidam Modi supponere videbantur, in textu aliquo modo retrahi ea quae in numero antecedente (i. e. 83) de legitima defensione dicta erant. Textus nunc ita redactus est, ut etiam in hoc numero 84 ius defensionis explicite commemoretur.

Quoad *condemnationem actionum bellicarum,* quae in eodem numero 84 enuntiatur, attentionem specialem meretur vox « indiscriminatim ». Quid haec vox significet, ex toto contextu doctrinae Ecclesiae in Notis memoratae erui potest. Non intratur in quaestionem casuisticam, quid positive in concretis, praesertim extremis casibus liceat.

In n. 85 (nunc 81), qui *de cursu ad arma apparanda* tractat, omnia illa elementa eliminata sunt quae nationes quasdam determinatas offendere *possent.*[5]

* * *

Caput IV, I^{ae} Partis « De munere Ecclesiae in mundo huius temporis » nonnullis Patribus animadversiones sat graves inspiravit. Quod primo oculo sat mirum videtur, cum hoc caput expresse ad manifestandum munus Ecclesiae hierarchicae ad mundum conceptum sit. Attamen diffi-
[253] cultates exsurgentes ostendere videntur non omnino claram fuisse, in initio capitis, definitionem obiecti. Ideo primus numerus capitis, in textu abbreviatus, integer restitutus est, ut quaevis aequivocatio tollatur. Aliae autem modificationes introductae minoris sunt momenti. Gratiae aguntur Patribus qui possibilitatem nobis dederunt textum redigendi lucidiorem et ditiorem.

Expectare licebat quoad secundam partem multos Modos venturos fuisse de vita oeconomica-sociali in qua tot ponuntur difficiles et saepe acres quaestiones. De facto autem animadversiones non tam graves fuerunt. Textus tamen ex his Modis perfici potuit, qui agebant de agricultura, de iusto salario determinando, de participatione ordinata omnium in vita oeconomica evolvenda — sive in inceptis, sive in institutis superioris ordinis — necnon de principiis moralibus respiciendis in re monetaria.

* * *

De aliis capitulis nonnisi breviter loquendum est cum pauca tantum ex Modis mutare oportuit.

Quoad expositionem introductoriam, denuo approbata *methodo descriptiva expositionis introductivae,*[6] Patres per suos Modos adhuc textum quantum ad aliquas expressiones satagerunt. ...[7] Sub numero 4 ordo *phrasium*[8] immutatus est iuxta ordinem conceptuum magis perspicuum. In

eodem numero verba « specializatio » et « personalizatio » introducuntur prima vice in schemate; ideoque modo descriptivo exhibentur relinquendo ad cap. de vita oeconomico-sociali maiorem explicationem de re. [253]

Praeter alias parvulas emendationes et additiones, iuxta Modos perfectas, notandum est in fine nova insistentia in illis quae mutationibus omnibus subsunt, quaeque fundamentum suum ultimum habent in Christo, qui est Dominus mundi in suo esse atque totius humanae historiae.

De tribus primis capitulis I^ae partis, ex expensione Modorum apparebit non factas esse veras difficultates.

Quoad *caput secundum, II^ae partis,* Modi paucissimi fuerunt a Patribus propositi, qui sensum reapse attingant. *Inter illos vero qui textus formam perficiunt, aliqui tantum considerandi enumerantur.*

— *Num. 61 (nunc 57), pag. 24, lin. 25: Additur « et cum conscie partes assumit in socialium coetuum vita ... atque seipsum excolit », ut participatio in socialibus coetibus momentum suum obtineat.*

— *Num. 61 (nunc 57), pag. 25, lin. 14: Obligatio faustiores reddendi vitae condiciones omnibus extenditur nominatim ad illos « qui vel responsabilitatis privatione vel culturae paupertate laborant ».*

— *Num. 65 (nunc 61), pag. 27, lin. 35: « Aucta librorum diffusio » inter media quae universali culturae favere possunt nominatur.*

— *Num. 66 (nunc 62), pag. 28, lin. 18: Additur quod theologorum labor fieri debet « servatis propriis scientiae theologicae methodis et exigentiis ».* [254]

— *Num. 66 (nunc 62), pag. 28, lin. 38: Quoad novas artis formas indicatur quod « in sanctuario recipiantur ... ».*[9]

...[10] *Ad caput IV, II^ae partis.* Quamvis varii Modi ad Caput IV propositi sunt, caput in maxima sua parte retineri potuit.

Praecipui Modi ad hoc caput propositi sunt sequentes:

1. Ad *num. 77* (nunc 73), pag. 54, lin. 18: Nonnulli Patres voluerunt, ut praeter iura minoritatum, quae in textu agnoscuntur, etiam earum officia magis pronuntientur. Quorum desiderio parva mutatione textus, nempe verbis « earum officiis erga communitatem politicam non neglectis » satisfactum est.

2. Ad *num. 78* (nunc 74), pag. 55, lin. 29, ubi de iure resistentiae agitur, nempe circa verba « iniustas aggressiones »: Loco verborum « iniustas aggressiones » verba « *abusum huius auctoritatis* » adhibita sunt, ut ita clarius fiat, in textu non de aliqua externa, sed interna vi, i. e. a parte respectivae auctoritatis politicae agi.

3. Ad *num. 79* (nunc 75), pag. 55-56, linn. 43 ss. circa ius et officium suffragio utendi:

Ne circa hanc gravem rem confusio fiat, secundum desiderium plu-

[254] rium Patrum clare dicitur, hoc ius et officium tantum existere, si civibus etiam possibilitas detur suffragio *libero* utendi.

4. Ad *num. 80* (nunc 76), pag. 57, linn. 18 ss. circa relationem inter communitates politicas et Ecclesiam:

Autonomia et independentia ab invicem modo clariori pronuntiatur *addendis*[11] expressis verbis « Ecclesia etc. ... sunt *independentes et* autonomae ». Similiter eodem in numero (pag. 58, lin. 1) munus Ecclesiae in vita politica non tantum ad fidem praedicandam restringitur, sed etiam expressis verbis *ad socialem suam doctrinam docendam* extenditur, sicuti hoc a pluribus Patribus desideratum fuit.

* * *

De titulo iam pluries quaestio fuit, etenim novitas huius schematis circa hoc determinationes necessario requirebat. Sub luce animadversionum quas commissio exhibuit post discussiones, Patres a Secretario Generali Concilii sub fine suffragationum circa textum rogati sunt ut, qui alium titulum quam « Constitutio Pastoralis » mallent, scripto intra statutum diem suam opinionem exprimerent. Pari tempore, iterum monuit Patres Commissionem considerare praesenti titulo favorabilem opinionem illorum Patrum qui nullam de hac re observationem scripto tradiderint.

Ex conspectu responsionum quae traditae sunt, et quae 541 fue-
[255] runt, apparet plures speciatim pro titulo « Declaratio » vel « Litterae » sensum suum protulisse.

Commissio autem censuit, nonobstante possessione praesentis tituli — Patres enim qui alium titulum proposuerunt simul sumpti non attingunt tertiam partem —, non posse tamen praetermittere ingentem numerum suffragiorum in contrarium.

Omnibus bene perpensis, ut ratio aliqua habeatur diversarum sententiarum, Commissio competens Patribus ea quae sequuntur proponit:

Titulo « Constitutio Pastoralis De Ecclesia in mundo huius temporis » servato, addatur in corpore Constitutionis nota naturam propriam schematis explicans et proinde regulam ad eius rectam interpretationem enuntians.

Nota autem illa in initio primae partis invenitur in Notis ad finem prooemii appositis ...[12]

Et de hac expensione quaesitum proprium suo tempore fiet.

* * * [255]

In hoc ultimo sui operis instanti, non potest Commissio non exprimere Patribus cum quanto gaudio et spe, non obstantibus difficultatibus, ad schema istud laboravit, Patrum animadversionibus, consiliis et etiam obiectionibus adiuta.

Facessit Deus ut hoc Ecclesiae verbum ex imo Consilio et ex intima Revelationis doctrina haustum, ad cor hominum, Deo iuvante, perveniat, amorem ardentem Christi et spem Ecclesiae mundo afferens, *gaudium igitur et spem* quae ex caritate fluunt.

In oratione: [1] in relatione priori. [2] et spiritus commissionis explicati sunt. [3] De hoc etiam in expensione Modorum fit mentio, et de relatione ista ratio habenda est in legenda nota. [4] ullo modo. [5] potuissent. [6] est methodus descriptiva expositionis introductivae. [7] Sed. [8] deest. [9] Plures sequuntur quos non lego nunc. [10] Pagina sequenti. [11] additis. [12] In fasciculo quem Patres prae manibus habent, exstat ista declaratio in pag. 6 in notis.

EXPENSIO MODORUM [5]

PARS II *

DE QUIBUSDAM PROBLEMATIBUS URGENTIORIBUS

PROOEMIUM ET CAPUT I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

Exitus suffragationum de Prooemio et de Capite I
(die 16 novembris 1965)

Suffr. XV, n. 50

Votantes	2.149
Placet	2.106
Non placet	39
Vota nulla	4

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in eorum domiciliis romanis die 3 decembris 1965.

[5] *Suffr. XVI, nn. 51-53*

Votantes	2.150
Placet	2.052
Non placet	91
Vota nulla	7

Suffr. XVII, nn. 54-56

Votantes	2.163
Placet	2.011
Non placet	140
Vota nulla	12

Suffr. XVIII, de Prooemio et de integro Capite

Votantes	2.157
Placet	1.596
Non placet	72
Placet iuxta modum	484
Vota nulla	5

[6] Prooemium ergo et integrum Caput I, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi a Patribus introducti praevie ordinati et examinati sunt a Patribus Subcommissionis sextae cum peritis Subcommissionis. Quibus accesserunt Praeses et membra sacerdotalia Pontificiae Commissionis de re matrimoniali.

Ipsa Commissio Generalis Mixta sequentes responsiones statuit:

1 — *Modi generales ad Partem II.*

a) Quatuor Patres aestimant argumenta Partis II schematis melius tractari posse per Magisterium ordinarium et Commissiones postconciliares.

b) Duo alii proponunt ut ordo capitum I et II invertatur (quia quaestiones quae pertinent ad culturam indolis generalioris sunt).

c) Unus Pater proponit ut tota haec Pars II separetur a prima et sub forma unius vel plurium « declarationum » edatur.

R. — *a*) et *b*): hoc esset contra normas.

c) Haec propositio aliquo modo tangit quaestionem de titulo, de quo Modi speciales dantur.

AD NUM. 50 (nunc 46). [*Prooemium*] [6]

2 — Pag. 5, lin. 3: 14 Patres petunt ut loco: « *vocatus* », dicatur: « *vocata* », cum subiectum propositionis sit persona humana.

R. — Accipitur. Scribatur ergo: « *vocata* ».

3 — Pag. 5, linn. 3-4: 14 Patres rogant ut loco: « *sive singulare sive commune* », dicatur: « *sive individuale sive sociale* », ad obtinendam meliorem latinitatem.

R. — Partim admittitur: dicatur: « sive *individuale* sive commune ». Vox: « commune » enim latius extenditur quam vox: « sociale ».

4 — Pag. 5, lin. 4: Unus Pater petit ut loco: « *et humanae experientiae* », scribatur: « human*a* experienti*a* *iuvante* », quia experientia non est lux Concilii nisi secundaria.

R. — Ut aequivocatio tollatur, deleatur vox: « *eadem* » in praecedente membro phraseos.

5 — Pag. 5, lin. 10: Unus Pater proponit ut loco: « et pacem; circa singula clarescant principia et lumina a Christo manantia », dicatur: « et pacem. Circa haec singula Concilium *proponere intendit* principia et lumina a Christo manantia » (quia lumina et [7] principia iam clara sunt ex sese et a Concilio proponuntur).

R. — Admittitur prima propositio: « Circa *haec* singula », quia phrasem clariorem reddit. Non autem admittitur secunda, quia de Concilio iam in lin. 1 eiusdem numeri sermo fit.

CAPUT I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

1 — *Modi generales ad NUM. 51-56* (nunc 47-52):

a) Unus Pater petit ut totum caput *omittatur,* quia materia tractabitur a Summo Pontifice, adiuvante Pontificia Commissione.

b) Alius observat in toto hoc capite *amorem* tantum sublineari ut si deficiat matrimonium cessare videatur.

c) Duo Patres aestimant totum caput adhuc theologice immaturum, aequivocum et reticens in quibusdam essentialibus remanere: insistit praevalenter et quasi unice in *amore* coniu-

[7] gali et in *donatione personali,* quod, aiunt, non correspondet modo loquendi Ecclesiae inde ab antiquissimis temporibus usque ad Enc. *Casti Connubii* et ad Pium XII, Ioannem XXIII et Paulum VI. Si caput tamen approbari debeat, quaeritur ab his Patribus ut saltem revideatur, loquendo modo claro *de hierarchia finium, de intrinseca malitia onanismi* (ita etiam 20 alii Patres), de *mediis inhonestis quibus proles impeditur, de validitate matrimonii etiam ubi amor deest, de personali et mutua donatione iurium et officiorum matrimonio propriorum.*

d) Unus Pater petit ut *inserantur* nonnulla verba *de mediis gratiae,* de sacramentis, de precibus communibus.

e) 20 Patres petunt ut iterum affirmetur procreationem finem primarium matrimonii esse.

R. — *a*) Propositio admitti nequit: esset contra normas.

b) De *indissolubilitate* matrimonii inconcusse constat in textu: cf. n. 52, pag. 6, linn. 10-14 et 26; n. 53, pag. 7, lin. 35; n. 54, pag. 8, lin. 15; n. 55, pag. 9, lin. 7. Textus ipse nulla modo insinuat matrimonium, deficiente amore, dissolvi posse.

c) Quia agitur hic de Modo *generali,* responsum non ad particularia descendere debet, quae ceteroquin in subsequen-
[8] tibus Modis tractanda erunt. Patet textum receptum non omnia problemata solvere; ipse tamen characterem sacrum matrimonii, amoris et foecunditatis necnon plura officia et iura, quae vitam matrimonialem et familiarem spectant, claro et opportuno modo, tum pro christifidelibus tum pro ceteris omnibus, in lucem ponit. Notetur insuper praestantiam *amoris* iam claris verbis in Enc. *Casti Connubii* doceri (*A.A.S.* 22, 1930, pp. 457-548). Ceteroquin in num. 51 pag. 6, linn. 3-7 expresse affirmatur S. Synodum intendere « quaedam (tantum) doctrinae Ecclesiae capita in clariorem lucem ponere »; tractatio completa, ut scitur, Pontificiae Commissioni demandata fuit.

d) In genere sufficienter provisum videtur in textu. Dicatur tamen pag. 6, lin. 42: « Unde, ipsis parentibus exemplo et oratione *familiali* praegredientibus ... ».

e) Vide responsum ad litt. *c*). Vocabularium technicum ceteroquin textui *pastorali* minus convenire videtur.

AD NUM. 51 (nunc 47). [*De matrimonio et familia in mundo hodierno*] [8]

2 — Pag. 5, lin. 14: Unus Pater rogat ut *deleantur* verba: « *ac christianae* », uti inutilia et aequivoca (phrasis significare videtur salutem pro societate humana diversam esse a salute pro societate christiana).

R. — Propositio non admittitur: phrasis sufficienter clara est.

3 — Pag. 5, linn. 17 s.: *a*) Unus Pater proponit ut loco: « in communitate *amoris* fovenda » dicatur: « in communitate *domestica* fovenda ».

b) 15 alii suggerunt: « in *hac* communitate amoris ».

R. — *a*) mutatio non admittitur, quia duo aspectus communitatis coniugalis considerantur, vita nempe et amor.

b) Admittitur claritatis causa, scribatur ergo: « in *hac* communitate amoris ».

4 — Pag. 5, lin. 18: Novem Patres postulant ut, loco: « in communitate amoris fovenda et in vita colenda », dicatur: « *in vita colenda, in eius fontibus sancte praecavendis et in communitate amoris fovenda* », ne modus loquendi quaestionem de finibus matrimonii praeiudicet.

R. — Quia textus in hoc numero solummodo vitam socialem describere intendit, additio proposita hic saltem non est ad rem.

5 — Pag. 5, lin. 22: Duo Patres petunt ut elenchus errorum augeatur mentione *onanismi,* dum 14 alii petunt mentionem « anticonceptionis ». [9]

R. — Praxes hic incriminatae non directe respiciunt ipsum institutum matrimonii, de quo in hac sententia sermo fit, sed potius ipsam vitam coniugalem, de qua in secunda phrasi agitur. Etsi additiones expostulatae, saltem quoad rem, iam continentur in « egoismo et hedonismo », tamen non absque utilitate videtur hic mentionem facere de illicitis usibus contra generationem. Formula dicendi generalis praeferenda videtur locutioni: « *artibus anticonceptionalibus* ». Nam uterque ex his terminis tum apud scientificos hodiernos tum apud nonnullos alios coaetaneos quadam ambiguitate afficitur. Terminus enim: « *artes* », apud easdem personas, rationem factibilium significat ideoque saltem ex obliquo quamdam technicam supponere videtur, ita ut, in hoc contextu, sese etiam extenderet ad sic dictam « methodum continentiae periodicae » (quae computationes saepe technicas requirit ut recte applicari possit), dum

[9] eaedem personae saepe saepius distinctionem faciunt inter anticonceptionalia, contraceptiva et aconceptiva (ita ut ex damnatione *anticonceptionalium* non sequatur pro ipsis alia etiam esse improbata). Quibus omnibus perpensis, Commissio proponit ut scribatur: « insuper amor nuptialis saepius egoismo, hedonismo (de suppressione vocabuli: « erotico »: cf. Resp. ad Modum 6 sub *c*) *et illicitis usibus contra generationem* profanatur ».

6 — Pag. 5, lin. 23 sq.: Plures proponuntur Modi relate ad ea quae dicuntur de « *hedonismo erotico* »:

a) 21 Patres petunt ut post verba: « insuper amor nuptialis », *addatur*: « *qui ad totum hominem ditandum ordinatur* », ut ita sublineetur id quod textus dicere intendit et ut clarius appareat vera idea amoris coniugalis in oppositione ad omnem spiritualismum Origenisticum.

b) 17 alii Patres proponunt ut in lin. 24, post verbum: « profanatur », *addatur*: « *non raro ex eo quod moderna media communicationis persaepe, commercii quidem causa, mentes praesertim iuvenum excitent ad speciem « amoris » passionalis, valorum vere personalium prorsus ieiuni* » (ut ita aliquid dicatur de facto « commercialisationis sexus »).

c) Unus Pater suggerit ut *deleatur* verbum: « *eroticum* », quia « eros » in se aliquid boni habet.

d) Tres Patres petunt ut loco « *saepius* », dicatur: « *saepe* »,
[10] quia « saepius » posset innuere omnem amorem coniugalem egoismo et hedonismo profanari.

R. — *a*) Verba vera sunt sed idea quam exprimunt, exponitur in num. 33, pag. 7, lin. 20.

b) Non fit elenchus exhaustivus omnium praesentis temporis malorum; idea de influxu mediorum communicationis socialium ceteroquin iam in lin. 25 (« condiciones socio-psychologicae ») continetur.

c) Omnibus iterum perpensis melius *deletur*.

d) Non videtur necessarium.

7 — Pag. 5, lin. 25: *a*) Plures Patres petunt ut aliquid plus dicatur de condicionibus hodiernis quae non leves pro vita familiae perturbationes inducunt.

b) 12 Postulant ut post: « civiles », *addatur*: « *atque influxus deviatorum mediorum communicationis socialis* ».

c) 34 Alii Patres (quibus 26 formula paululum diversa acce-

dunt) ut in eodem loco *addatur*: « *et ideologicae pro unitate, intimitate immo et ipsa exsistentia* familiae, *graves perturbationes et etiam destructiones* inducunt ». [10]

R. — *a*) Non fit elenchus exhaustivus; brevitas commissioni commendata fuit.

b) Cf. ad Modum 6 sub *b*); ceteroquin de his mediis modo magis completo loquendum esset.

c) Dicatur: « non leves *pro familia* (loco: « pro *vita* famili*ae* ») perturbationes inducunt (ut omnia uno verbo comprehendantur).

8 — Pag. 5, lin. 26: Unus Pater proponit ut, loco: « in certis denique orbis partibus », dicatur: « *Ubique terrarum* », quia problema de facto ubique existit, etiamsi in quibusdam regionibus supprimitur mediis quae ab Ecclesia approbari non possunt.

R. — Stet textus, quia melius condicionibus hodiernis correspondet.

9 — Pag. 5, lin. 28: 17 Patres proponunt ut post verba: « Quibus omnibus conscientiae anguntur », *addatur*: « *immo etiam corrumpuntur* », quod de facto fit.

R. — Multi Patres petierunt ut vitetur ne textus nimis severus et pessimisticus reddatur: quare additio non admittitur.

10 — Pag. 6, lin. 5: Unus Pater suggerit ut *tollantur* verba: « *ad statum matrimonialem vocati* », quia Concilium omnes alloqui intendit.

R. — Admittitur propositio: textus ita erit legendus: « qui dignitatem nativam statu*s* matrimonial*is eiusque* eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur ». [11]

AD NUM. 52 (nunc 48). [*De sanctitate matrimonii et familiae*]

11 — Pag. 6, lin. 8: 17 Patres proponunt ut titulus huius numeri sequenti modo *mutetur*: « De *sacralitate et* sanctitate matrimonii et familiae », quia textus etiam illos alloquitur qui non recipiunt matrimonium-sacramentum; hoc modo distinctio fit in Enc. *Arcanum*.

R. — Vocabulum: « *sanctitas* », in linguis modernis, sensum valde generalem acquisivit, qui etiam comprehendit id quod per « sacralitatem » intenditur.

12 — Pag. 6, linn. 8-26: Unus Pater novum pro hac paragrapho textum proponit, in quo doctrina theologica de matrimonio expo-

[11] nit, exhibendo eius fundamentum tum divinum (quod invenitur in ipsa natura hominis, quem Deus creavit masculum et feminam) tum humanum, et insistendo in hoc quod matrimonium est vera vocatio divina.

R. — Textus sane pulcher est, sed eum admittendo contra normas ageremus.

13 — Pag. 6, lin. 8: Unus Pater proponit ut in formula: « Intima communitas vitae et amoris coniugalis », *deleantur* verba: « *et amoris* », utpote superflua, quia amor iam in vita continetur.

R. — Stet textus ob rationem expositam in Relatione, pag. 14 sub litt. A.

14 — Pag. 6, lin. 10: *a*) Tres Patres postulant ut dicatur: « *contractuali* foedere coniugii ».

b) Alius ut loco: « irrevocabili », scribatur: « *stabili* », quia cum de matrimonio *naturali* agatur, non est certum consensum debere esse irrevocabilem ut verum matrimonium constituatur; de facto S. Sedes dissolvit talia matrimonia.

c) Quatuor alii Patres petunt ut sermo fiat de: « *consensu* personali *deliberato* ».

R. — *a*) Non admittitur, ob rationem expositam in Relat. pag. 14 sub A.

b) Quidquid sit de ratione allata, mutatio non accipitur, quia
[12] in praesentibus adiunctis verborum substitutio ansam praebere posset ambiguitati.

c) Non admittitur, quia « deliberatio » illa in « consensu personali » iam continetur.

15 — Pag. 6, linn. 11-15: Plures Patres petunt ut in hac phrasi, in qua origo matrimonii eiusque proprietates describuntur, quaedam *immutentur*:

a) Quinque postulant ut loco: « *Ita actu humano* », dicatur: « Ita actu *voluntatis legitime manifestato* », ut melius declaretur natura illius actus et ut attendatur ad formam requisitam.

b) 34 Patres pro lineis 11-13 (« quo coniuges sese mutuo tradunt ... etiam coram societate ») alium textum proponunt: « quo *inter se* (vel: *inter proprias personas*) *specifica iura et officia* mutuo *atque legitime* tradunt et accipiunt coniuges, etiam coram societate *in matrimonio legitimo constituuntur, vinculo divino coniuncti*; quod vinculum ... ». Rationes: obiectum consensus matrimonialis non sunt personae (« sese ») sed potius

actiones personarum; expressio: « *propriae personae traditio* » [12]
videtur vitanda: cf. *A.A.S.*, 36 (1944), p. 103; additur: « *legitime* », quia etiam in matrimonio naturali servandae sunt leges iustae ab auctoritate legitima impositae; vitatur vox « *institutum* », quia consensu coniugum legitime praestito nascitur non institutum in genere sed *proprium* matrimonium.

c) Ob easdem rationes, ad *recolendam doctrinam catholicam* hucusque traditam et ad melius indicandam *hierarchiam finium* 190 Patres sequentem immutationem pericopae proponunt: « Ita actu *voluntatis legitime manifestato, quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem,* institutum ordinatione divina firmum oritur; hoc *dein* vinculum sacrum intuitu boni tum personarum tum societatis *libere contractum a quolibet* humano arbitrio *minime pendet.* Ipse vero Deus est auctor matrimonii, variis praediti bonis ac finibus *hierarchice connexis* ».

d) Unus Pater petit ut loco: « *actu humano* », dicatur: « *consensu humano* », ne videatur agi de ipso actu coniugali.

e) Decem vero Patres sequentem *additionem* rogant: « Ita actu humano, quo coniuges *sese personaliter in vitae amoris communione* tradunt atque accipiunt », ut vita coniugalis ut integre humana et non tantum biologica appareat.

f) Unus denique Pater petit ut *explicite* memorentur *bona* matrimonii: « de hisce bonis revera agitur, ait, attamen verbum *"fidem"* vel semel tantum inducitur ».

R. — *a*) In textu pastorali praecisio illa iuridica non requiritur. [13]

b) Ius non existit sine obiecto, quod in matrimonio personas coniugum respicit. Expressio: « *traditio personae* » nullo modo in *A.A.S.*, 36 (1944), p. 103 reiicitur, immo in Enc. *Casti Connubii* explicitis verbis adhibetur: *A.A.S.*, 22 (1930), p. 553: « generosa propriae personae traditio ». Quoad vocabulum: « *legitime* »: cf. sub *a*). Retinetur vox: « *institutum* » utpote terminus receptus pro ipso matrimonio.

c) In textu *pastorali* qui dialogum cum mundo instituere intendit elementa illa iuridica non requiruntur. De « bonis ac finibus *hierarchice* connexis »: cf. infra sub litt. *f*.

d) Clarum est vocabulum ad consensum referri.

e) Hoc ex ipso contextu elucet.

f) Cum *in hoc loco* de matrimonio in ordine *naturali* agatur, bona christiana (uti sacramentum) *hic* enumerari nequeunt. Ci-

[13] tabuntur tamen in nota plura documenta traditionis et Magisterii in quibus de illis sermo fit: cf. S. AUGUSTINUS, *De bono coniugii, PL* 40, 75-376 et 394; S. THOMAS, *Summa Theol., Suppl.* Quaest. 49, art. 3 ad 1um; *Decretum pro Armenis*: DENZ.-SCHÖN., 1327; Enc. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), 547-548.

Notetur *hierarchiam bonorum* sub diverso aspectu considerari posse: cf: *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), 547. Insuper in textu, qui stylo directo et pastorali mundum alloquitur, verba nimis technica (hierarchia) vitanda apparent. Ceteroquin momentum primordiale procreationis et educationis saltem decies in textu exponitur, de sacramento pluries sermo fit, fidelitas et indissolubilitas saltem septies in textu sublineantur. Verum est in nostro num. 52 « fidem » semel tantum induci: quare lin. 34 legenda erit: « se invicem perpetu*a fidelitate* diligant ».

16 — Pag. 6, lin. 12: Unus Pater petit ut loco: « institutum ordinatione divina firmum », dicatur: « *communitas* ordinatione divina firm*a* » (ad vitandam formulationem iuridicam).

R. — Provisum est in responsione ad Modum 15, sub litt. *b*).

17 — Pag. 6, lin. 13: Unus Pater petit ut post verba: « hoc vinculum... intuitu boni » et ante: « tum personarum », inseratur: « *tum prolis generationis* ».

R. — Admittitur mentio « prolis »: textus sic legatur: « hoc vinculum... intuitu boni tum *coniugum et prolis* tum societatis ».

18 — Pag. 6, lin. 14: Tres Patres postulant ut *deleatur* verbum: « *amplius* » (quia confusionem generare potest; duo vero alii ut
[14] auferatur verbum: « *solo* »; 190 denique ut scribatur: « *a quolibet* humano arbitrio *minime pendet* ».

R. — Retinentur duae priores propositiones, quia revera opportunae apparent: textus dein sic se habet: « hoc vinculum *non* (...) *ex humano arbitrio pendet* ».

19 — Pag. 6, linn. 14-15: *a*) Decem Patres petunt ut in prima parte phraseos, post vocabulum: « finibus », *addatur*: « *ad ipsius communitatis coniugalis augmentum ordinandis,* praediti ».

b) 20 vero alii Patres proponunt ut post verba: « finibus praediti », ponatur punctum et ut sequens phrasis *addatur*: « *Itaque Concilium Florentinum* (*D.* 702) *declaravit*: « *Assignatur... triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas ma-*

trimonii, propter hoc quod significat coniunctionem Christi et Ecclesiae ». [14]

R. — *a*) Haec omnia in secunda parte phraseos textus recogniti iam continentur.

b) Cf. responsum ad Modum 15, sub litt. *f*.

20 — Pag. 6, lin. 16: Unus Pater petit ut post verba: « pro generis humani continuatione », *addatur*: « *in exsequendo mandato Domini*: « *crescite et multiplicamini* » (qui textus nullibi citatur).

R. — Providebitur postea: cf. resp. ad Modos 68 et 70 (num. 54).

21 — Pag. 6, lin. 16: Duodecim Patres petunt ut loco: « *progressu* personali », dicatur: « *perfectione personali* », quia terminus « progressus » magis rebus convenit.

R. — Scribatur: « *profectu* personali ».

22 — Pag. 6, linn. 17-18: Undecim Patres postulant ut etiam sermo fiat de familia, dicendo: « pro *dignitate,* stabilitate, pace et prosperitate *ipsius familiae* totius*que* humanae societatis ».

R. — Propositio admittitur.

23 — Pag. 6, linn. 18-20: Plures proponuntur emendationes relate ad hanc phrasim:

a) 179 Patres, ad sublineandum procreationem esse finem *intrinsecum* matrimonii, dicendum esse putant: « procreatione et educatione prolis *natura sua* uti fastigio coronantur ».

b) ut melius indicetur procreationem esse finem *primarium* [15] matrimonii, 16 Patres (quibus 4 alii formula quoad sensum identica accedunt), petunt ut dicatur: « Ipsum autem institutum matrimonii, *quod est in servitium vitae et amoris, actuali procreatione et educatione prolis simul cum praxi virtutis amoris coniugalis generosi consciique, veluti fastigio suo coronantur* ». Alius Pater petit ut loco: « procreatione... coronantur », dicatur: « *sua indole ad procreationem et ad educationem prolis naturaliter et Dei voluntate ordinantur* ». Alius adhuc petit ut *restituatur* textus prior vel ut dicatur, cum additione quadam: « Institutum..., *procreationi et educationi prolis a Creatore destinatum, ipsis* veluti fastigio coronantur ».

c) Decem Patres petunt ut potius dicatur: « *quasi fastigio* », ne nimis inhaereatur in ipso facto procreationis, ac si communitas infecunda elemento essentiali careret.

d) Unus Pater postulat ut *mutetur* verbum: « *coronantur* »

[15] (res quae alia re quasi fastigio coronantur, possunt habere finem principaliorem qui ab illo fastigio differt).

R. — *a*) et *b*): Scribatur: « *Indole autem sua naturali* ipsum institutum matrimonii amorque coniugalis *ad* procreatione*m* et educatione*m* prolis *ordinantur iisque* veluti suo fastigio coronantur ».

c) « Veluti » idem exprimit.

d) Provisum est in responsione ad *a*) et *b*).

24 — Pag. 6, linn. 20-24: Plures pro utraque parte huius phraseos Modi proponuntur:

1. In prima parte:

a) Unus Pater petit ut, in lin. 21, post: « qui », *addatur*: « matrimonio » (ne amor confundatur cum ipso matrimonio); alius ut scribatur: « qui *actuali usu iuris* ex foedere dilectionis coniugalis »; alius adhuc ut in eadem linea loco: « dilectionis coniugalis », dicatur: « *foedere* coniugal*i* ».

b) 15 Patres petunt ut dicatur: « Vir insuper *et mulier,* qui foedere *legitimo* coniunguntur ».

c) 161 Patres postulant ut post verba: « foedere dilectionis coniugalis », *addantur* verba: « *ad fecunditatem vero connaturaliter ordinatae* ».

d) Alius vero: « foedere dilectionis coniugalis *actu consummato* » (quia hoc modo coniuges « una caro » fiunt).

e) Undecim tandem ut dicatur: « qui *eximio modo* foedere dilectionis coniugalis... una caro sunt », ne institutum in sola foecunditate fundetur.

2. In altera parte phraseos:

[16] *a*) Duo Patres postulant ut scribendo: « *animorum* » (loco: « personarum ») reditus fiat ad priorem textum, qui elementum internum et externum bene exprimebat.

b) 16 Patres petunt ut dicatur: « intima *et personali* operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque *matrimonii* unitatis, *illis verbis Domini cuicumque matrimonio propriae* (cf. *Conc. Trid.*: DENZ. 969), *experiuntur et vivunt* » (ut verba *Mt.* 19, 6 citentur iuxta sensum Trid.).

R. — Ad primam partem:

a) Omnibus satisfit scribendo: « *foedere coniugali* ».

b) et *c*) Retinetur formula: « Vir insuper *et mulier* »; ceteris satis provisum est in Resp. ad Modum 23 sub *a* et *b*.

d) Hoc esset contra exegesim receptam textus citati. [16]

e) Hoc nullo modo a textu insinuatur.

Ad secundam partem:

a) Provisum est in Relatione, pag. 15, sub litt. E.

b) Sententia verbis, quae addenda proponuntur, nimis oneraretur. Conc. Trid. verba *Mt.* 19, 6 adhibet ad probandum quod vinculo matrimonii duo tantum coniungi possunt. Quod non negatur a nostro textu, qui tamen potius sublineat intimam personarum eorumque operum coniunctionem, quo faciendo nullo modo Conc. Trid. contradicit.

25 — Pag. 6, linn. 24-26: Plures proponuntur emendationes pro hac pericopa:

a) Duo Patres petunt ut dicatur: « *maritalis* donatio » (nam sunt donationes inter personas sine tali fide); alius Pater petit ut loco: « intima unio », dicatur: « *coniunctio matrimonialis* », ne cessante amore rueret matrimonium.

b) Ob eandem rationem 15 Patres sequentem textum proponunt: « quae intima unio *et coniugii unitas, cum bono fidelitatis et indissolubilitatis essentialiter connectitur* », qui modus loquendi insuper magis cohaeret cum modo loquendi Enc. *Casti Connubii* (DENZ. 2229).

c) 161 Patres sequentem textus *immutationem* postulant: « quae intima unio, utpote mutua duarum personarum *iurium et obligationum* matrimonialium » (duo alii Patres addunt: « *ex parte* duarum personarum *operosa donatio* ... »).

d) 11 vero Patres petunt ut dicatur: « mutua *ipsarum* personarum donatio », ut appareat communitas ipsius vitae et non tantum operum, iurium et obligationum.

e) Unus Pater petit ut dicatur: « Quae intima unio, utpote... donatio, *sicut et bonum liberorum,* plenam coniugum fidem exigit ».

f) 163 Patres postulant ut in lin. 26 scribatur: « *praesertim* (vel: "imprimis", vel: "maxime") intuitu liberorum », loco: « *etiam* », ne, dicunt, hierarchia finium invertatur. [17]

g) Unus Pater petit ut dicatur: « Quae... unio, utpote mutua donatio duarum personarum, *intuitu liberorum inita* » (proponit insuper ut verba de liberis in lin. 26 deleantur).

h) Unus denique Pater petit ut *addatur* in fine phraseos: « *quidquid sit de ista indissolubilitate, praxis misericordiae commendanda est pro coniuge innocente sine propria culpa derelicta* ».

[17] R. — *a*) Stet textus quia patet agi de matrimonio legitimo.

b) Ad rationem allatam quod attinet, saltem septies in textu indissolubilitas matrimonii affirmatur: ideae, in Modo expositae, in ipso textu modo simpliciori exprimuntur. In nota referentia ad Enc. *Casti Connubii* fiet: cf. *A.A.S.*, 22 (1930), 546-547: DENZ.-SCHÖN. 3706.

c) Provisum iam est in resp. ad Modum 15 sub *b*. Contrarium ceteroquin petitur in Modo hic sub litt. *d* exposito.

d) Iam provisum est in textu.

e) *f*) *g*) Modi illi proponuntur probabiliter quia textus non sufficienter clarus erat. « *Etiam intuitu liberorum* » additum fuit non ad dirimendam quaestionem de finibus matrimonii (de qua hic nullo modo sermo fit) sed ad urgendam indissolubilitatem matrimonii, quae exigitur non tantum ex natura fidelis mutuae duarum personarum donationis sed etiam ob bonum prolis. Omne periculum erroneae interpretationis evanescit, admittendo textus mutationem prout sub litt. *e* exponitur: « Quae intima unio, utpote mutua duarum personarum donatio, *sicut et bonum liberorum,* plenam coniugum fidem exigunt atque indissolubilem *eorum* unitatem urgent ».

h) Esset contra normas.

26 — Pag. 6, linn. 27-29: Plures proponuntur emendationes:

a) Unus Pater aestimat verbum « *benedicere* » regere dativum.

b) 13 Patres proponunt ut *deleantur* hae lineae una cum initio phraseos subsequentis (Sicut ... populo suo occurrit), quia probatum non est etiam matrimonium naturale constitutum fuisse ad exemplar unionis Christi cum Ecclesia.

c) 16 Patres petunt ut *deleatur* adiectivum: « *multiformem* », quia sensum obscurat et infra fusius hac de re sermo fit.

d) Unus Pater proponit ut loco: « dilectionem », dicatur: « *unionem* (quia Christus hanc ad sacramentum erexit), alius,
[18] ob rationem identicam, ut post: « dilectionem », *addatur*: « *contractum sanctum* ».

e) 148 Patres petunt ut dicatur: « suae cum Ecclesia *fecundae* unionis » (quod, aiunt, habetur in *Eph.* 4, 13-16), decem vero, e contra: « *amantis et fidelis unionis* ».

f) 25 Patres rogant ut quaedam *addantur*: « ad exemplar (unus Pater hic addit: « *et participationem* ») suae unionis cum Ecclesia *indissolubiliter* constitutam (ita adhuc 28 alii Patres), abundanter benedixit *et sanctificavit* ».

R. — *a*) Stet textus. [18]

b) Non accipitur, quia praecise hic transitus fit ad matrimonium christianum.

c) Adiectivum divitias huius dilectionis ostendere intendit; stet ergo textus.

d) Stet textus quia verba adhibita correspondent verbis Conc. Tridentini: DENZ. 1799 (969).

e) Idea fecunditatis in loco citato non occurrit. Nam Ecclesia in l. c. intelligitur de Christo et de Eius membris ita unitis ut *in Ipsum* crescant, ex quo totum corpus habet suam connexionem. Constitutio *Lumen Gentium,* ad ideam inculcandam in Modo expressam citat *Eph.* 5, 32.

f) Reiiciuntur hae additiones, quia inutiles (septies de indissolubilitate sermo fit in textu; de « participatione »: cf. pag. 7, lin. 9; idea sanctificationis in sequentibus lineis habetur).

27 — Pag. 6, linn. 32-33: 52 Patres petunt ut haec phrasis sequenti modo *immutetur*: « Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit *sibique univit* (quae verba omittuntur a 27 ex his Patribus), *ita nunc, cum Filius Dei in incarnatione humanitatem nostram in carne sua sibimetipsi coniunxerit, Ipse tanquam Sponsus Ecclesiae humanum amorem coniugalem quasi assumpsit et illum per sacramentum matrimonii sanctificavit* » (ut melius ostendatur fundamentum amoris coniugalis christiani in ipso mysterio Christi inveniri).

R. — Additio sane pulchra sed sat longa: ipse textus brevius eandem ideam exprimit (cf. etiam pag. 6, linn. 4-36): stet ergo textus.

28 — Pag. 6, linn. 32-36: Plures proponuntur emendationes pro his lineis:

a) 25 Patres petunt ut, in initio, loco: « eis », dicatur: « *cum coniugibus christianis* » et ut, post: « ad Deum », *addatur*: « *a quo venit, perducere valeat* ».

b) Sex Patres postulant ut post: « ditatur », *addatur*: « ut *sponsi* efficaciter ad Deum *ducantur atque in sublimi munere* [19] *patris et matris adiuventur et confortentur* » (ut mentio fiat de intrinseca ordinatione germani amoris coniugalis ad munus patris et matris).

c) 151 Patres novam textus redactionem proponunt: « ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et semetipsum pro ea tradidit, *eiusdemque membrorum auctum usque ad aetatem plenitudinis suiipsius continuo promovens* (*Eph.* 4, 13-16), ita et

[19] coniuges, mutua deditione, se invicem perpetuo dili*gentes, matrimonii fines recte assequantur*. Germanus enim amor coniugalis *fecunditate sua* in divino amore assumitur... ».

d) Octo vero Patres proponunt ut *addatur*: « Germanus amor coniugalis, *etiamsi foecunditate non coronatur* », ut amor ille agnoscatur supernaturalis etiam in matrimoniis non fecundis.

e) Unus denique Pater rogat ut loco: « germanus amor », dicatur: « *unio* ».

R. — *a*) Additiones propositae videntur superfluae.

b) Claritatis causa, additio proposita accipitur, mutato verbo: « sponsi » in « coniuges », ita ut textus sonet: « Germanus amor coniugalis in divino amore assumitur et virtute redemptiva Christi ... ditatur, ut *coniuges* efficaciter ad Deum duc*antur atque in sublimi munere patris et matris adiuventur et confortentur* ». Cf. *Lumen gentium*: *A.A.S.*, 57 (1965), 15-16; 40-41; 47.

c) Provisum est per mutationem in *b*; ceteroquin textus Ep. ad *Eph.* 4, 13-16 non est ad rem. In linea 34 tamen scribatur (cf. resp. ad Modum 15 sub *f*): « Se invicem perpetu*a fidelitate* diligant ».

d) Provisum est in num. 54, pag. 8, linn. 18-19.

e) Mutatio proposita necessaria non videtur.

29 — Pag. 6, linn. 37-38: Plures Patres *immutare* volunt formulam desumptam ex Encyclica *Casti Connubii* (« peculiari veluti consecrantur ... sacramento ») quia in praesenti contextu apparet ambigua: quatuor proponunt ut *deleatur*: « *veluti* », 20 ut scribatur: « *vero et proprio* consecrantur ... sacramento », 29 ut dicatur: « *proprio* sacramento *sanctificantur* et roborantur »; tres denique petunt ut scribatur: « ad sui status *dignitatem et officia* ».

R. — Proponitur ut scribatur, ad vitandam omnem ambiguitatem: « Quapropter coniuges christiani ad sui status officia et dignitatem (hic ordo Enc. servatur, quia textus clarus est) peculiari *sacramento roborantur et veluti consecrantur* » (ipsa idea Enc. ita fideliter exprimitur).

[20] 30 — Pag. 6, linn. 38-41: Plures hic proponuntur emendationes:

a) Unus Pater postulat ut dicatur: « cuius virtute *munera sua* (loco: « munus suum ») explentes ... ».

b) Alii ut loco: « ad propriam humanae personae perfectionem » scribantur, vel: « *suam* » (1 Pater), vel: « *suarum per-*

sonarum » (2 Patres: ne quis inducatur in errorem quod quaelibet persona humana tantum perficiatur per munus coniugale), vel: « *propriam* perfectionem » (3 Patres: eadem ratio). [20]

c) 3 Patres petunt ut loco: « gradatim », dicatur: « *magis ac magis* ».

d) 32 Patres, quibus 23 alii quoad sensum accedunt, rogant ut secunda pars phraseos sic *immutetur*: « cuius virtute munus suum coniugale *et familiae* (ita unus Pater) explentes, gradatim ad propriam sanctificationem *eo magis* accedunt *quo penitius tota eorum vita fide, spe et caritate quotidie pervaditur, et ita spiritu Christi imbuti propriae vitae coniugalis et familiaris exigentiis et mediis Deum glorificare queunt* » (ut clarius exponatur doctrina de spiritualitate coniugali et ut praecaveatur ne coniuges putent quod, sincere mutuo sese diligentes, quin curent de profundiore fide, spe et caritate, eo ipso ad sanctitatem accedant).

R. — *a*) Providebitur in resp. ad *c*).

b) Ut appareat in hoc loco agi de perfectione vitae coniugali propria, scribatur: « *propriam suam perfectionem* ».

c) « *Magis ac magis* » de facto melius est: admittitur.

d) Idea huius additionis retinenda videtur et sequenti modo in textu exprimi posset: « cuius virtute munus suum coniugale *et familiale* explentes, *spiritu Christi imbuti, quo tota eorum vita fide, spe et caritate pervaditur, magis ac magis* ad propriam *suam* perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt ».

31 — Pag. 6, lin. 41: Unus Pater petit ut post: « accedunt », sequentia *addantur*: « *Ad roborandum sensum Dei in sinu familiae maxime confert illa oratio qua omnia membra insimul in fide et caritate Deum colunt et Eius uberrimas benedictiones impetrant* ».

R. — Sufficienter provisum est in textu et in resp. ad Modum 30.

32 — Pag. 6, lin. 41: Post finem paragraphi praecedentis, 60 Patres petunt ut nova paragraphus *addatur*: « *Ut familia autem possit ad suae vitae veluti plenitudinem pervenire, sincere requiritur et benevola inter coniuges communicatio, qua unitas directionis et auctoritatis ab unoquoque eorum suo peculiari* [21] *modo exercendae, obtineatur. Meminerint etiam parentes quot et quanta bona vel detrimenta filiis, iam ex prima infantia, ex dictis vel tacitis exemplisque obveniant, ac praesertim quanti*

[21] *momenti sint praesentia et influxus patris, siquidem quae filii de patre experiuntur, ad Deum patrem quasi sponte referunt* ».

R. — Additio pulchra sed longa. Ageremus contra normas eam ita inserendo; idea de necessitate exempli iam adest in textu recepto pag. 6, lin. 42; mentio de *necessitate praesentiae patris* in num. 56 inseretur.

33 — Pag. 6, lin. 43: Quinquaginta septem Patres proponunt ut *addatur*: « *humanitatis,* sanctitatis atque salutis viam (« *praesertim in adiunctis* difficilioribus: ita 26 ex ipsis) », ad sublineandum etiam aspectum humanum.

R. — Quamquam ipsa « sanctitas » etiam respicit « humanitatem », tamen vox « *humanitatis* » addi potest scribendo ad obtinendam quamdam gradationem: « *humanitatis,* salutis atque sanctitatis »; additio de adiunctis superflua videtur.

34 — Pag. 7, lin. 2: 12 Patres petunt ut loco: « ornati », dicatur: « *praediti* », quia paternitas non est simplex ornamentum in matrimonio.

R. — Vocabulum: « ornati » selectum fuit ad ostendendam dignitatem muneris paterni et materni.

35 — Pag. 7, lin. 3: 58 Patres proponunt ut post verba: « diligenter adimplebunt », *addatur*: « *virtute et amore suffulti Illius ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur* ».

R. — Additio pulchra sed non necessaria.

36 — Pag. 7, lin. 5: Quinque Patres postulant ut *omittatur* particula: « *enim* », quia nexus causalis non datur inter gratum animum filiorum et sanctitatem parentum; unus vero petit ut post: « pietate », *addatur*: « *oboedientia* ».

R. — « *Enim* » hic potius sensum explicativum habet; in « pietate » continetur « oboedientia ».

37 — Pag. 7, linn. 6-7: Duo Patres petunt ut dictio ponatur in praesenti vel in coniunctivo-optativo.

R. — Hic tempus futurum praeceptum indicat (modo ceteroquin classico).

[22] 38 — Pag. 7, linn. 7-8: *a*) 31 Patres aestimant phrasim additam: « Familia ... generose communicabit » potius inserendam esse in fine paragraphi, lin. 13.

b) 17 Patres proponunt ut solummodo idea inseratur in lin. 13

et quidem hoc modo: « tum omnium membrorum *inter se et cum aliis familiis generosa* cooperatione ». [22]

c) 1 Pater *insertionem* ante linn. 7-8 proponit et quidem his verbis: « *Familia est ergo quaedam schola verae et plenae humanitatis, in qua generationes sibi invicem succedentes conveniunt, atque sese mutuo adiuvant ad pleniorem humanam sapientiam acquirendam atque iura personarum cum exigentiis aliorum componenda; fit ergo fundamentum spirituale societatis, atque ut tale semper a publicis potestatibus est tuenda.* Familia *autem* suas divitias ... ».

R. — *a*) Non videtur necessarium.

b) Sententia videtur retinenda ut stat, quia a laicis valde optata.

c) Haec additio, in forma breviori, inserenda videtur in n. 56.

39 — Pag. 7, lin. 9: Duo Patres petunt ut, loco: « cum e matrimonio ut imagine ... exoriatur », dicatur: « cum e matrimonio, *quod est imago* et participat*io* ... exoriatur », quia theologice est magis conforme textui paulino.

R. — Admittitur propositio.

40 — Pag. 7, lin. 13: Quatuor Patres postulant ut post ultimam paragraphum huius numeri *addatur* exhortatio pro iuvenibus et pro eorum parentibus de debita praeparatione ad matrimonium.

R. — Provisum est in num. 53, pag. 8, linn. 5-7 et in num. 56, pag. 10, linn. 14-16.

41 — Pag. 7, lin. 13: Quatuor Patres proponunt *additionem de virginitate et viduitate* et quidem sequentibus verbis: « *Immo et etiam sanctitas matrimonii non modo non excludit sed et melius sanctitatem virginitatis manifestat, cum virginitas suo proprio modo unum idemque mysterium unionis virginalis Christi significet et futurum regnum praenuntiet. Quo mysterio sanctificatur et consecratur etiam viduitas generose acceptata in caritate Dei et patientia Christi* ».

R. — De virginitate sufficienter actum est in aliis textibus conciliaribus. De cetero quaestio de relatione inter matrimonium et virginitatem tam brevi sententia vix claro modo tractari potest. Textus de viduitate inserendus videtur pag. 7, lin. 7, post [23] verba: « filiorum more assistent ». Scribatur: « *Viduitas, in continuitate vocationis coniugalis forti animo assumpta, ab omnibus honoretur* » (in nota fiet citatio: *1 Tim.* 5, 3).

[23] AD NUM. 53 (nunc 49). [*De amore coniugali*]

42 — Pag. 7, lin. 14: 113 Patres observant:
a) normas concretas in re pastorali esse proponendas;
b) naturam amoris et amicitiae esse explicandam;
c) textum nimis optimisticum esse, quia non ad passiones attendit.

R. — *a*) Iam partim provisum est in resp. ad Modum 1: de applicationibus concretis novum documentum, a Pontificiae Commissione conficiendum, aget.
b) De natura amoris: cf. num. 53, pag. 7, linn. 20-29; amicitia est in reciproca voluntate: cf. num. 53, pag. 7, linn. 19-20.
c) Textus a passionibus non abstrahit: cf. num. 51, pag. 5, linn. 23-24; num. 53, pag. 7, lin. 29; num. 53, linn. 39-42 (ubi de virtutibus).

43 — Pag. 7, linn. 15-16: Quinque Patres proponunt ut vocabula: « *fecunda* » et « *laetantes* » *inserantur*; unus Pater petit ut omittantur: « *sponsalia* » de quibus in Vetere Testamento non fit mentio.

R. — De foecunditate saltem 13 vicibus variis verbis sermo fit in textu; idea de gaudio adest in num. 53, pag. 7, lin. 33 et num. 56, pag. 10, linn. 30-31; auditis peritis in re biblica, mentio de « sponsalibus » non videtur auferenda: textus ceteroquin non affirmat sermonem de ipsis in V. T. fieri.

44 — Pag. 7, linn. 16-22: Decem Patres petunt ut *omittatur* haec phrasis, quia verus amor haberi potest etiamsi coniuges matrimonio non utuntur.

R. — Stet textus, qui nullo modo affirmat verum amorem haberi non posse si coniuges matrimonio non utuntur.

45 — Pag. 7, lin. 16: Unus Pater proponit ut loco: « plures », dicatur: « *ut plurimum* ».

R. — Superlativus nimis absolutus esset.

[24] 46 — Pag. 7, lin. 19: Unus Pater proponit ut loco: « eminenter humanus », dicatur: « *proprie humanus* », quia in usu technico theologico vox « eminenter » respicit visionem beatificam.

R. — Periculum aequivocationis hic adesse non videtur.

47 — Pag. 7, lin. 20: *a*) Unus Pater petit cur verba illa addita sint.
b) Tres Patres proponunt ut legatur: « *ad* totius personae bonum intendit ».

R. — *a*) Cf. Relat. pag. 16 A: addita sunt verba ut clarius dicatur amorem illum ante omnia in voluntate radicari et totius personae bonum intendere (ad vitandam confusionem inter amorem et libidinem). [24]

b) Mutatio textum non meliorem reddit.

48 — Pag. 7, lin. 21: 24 Patres proponunt ut loco: « corporis animique motus », dicatur: « *sive quae corporis sive quae animi sunt* », ne imago obscena suggeratur.

R. — Amor non est in quocumque corporis elemento sed in motu; proponitur tamen ut loco: « motus », dicatur: « *expressiones* ».

49 — Pag. 7, lin. 23: *a*) Unus Pater proponit ut post: « sanare », addatur: « *perficere* ».

b) Duo Patres petunt ut dicatur tantum: « elevare et sanctificare ».

c) Unus suggerit ut loco: « sanare », scribatur: « *confirmare* », ne matrimonium non-sacramentale quamdam luem continere videatur.

d) Alius vero asserit sanationem afficere concupiscentiam et non amorem.

R. — Proponitur ut iuxta Concilium Tridentinum (DENZ.-SCHÖN., 1799) addatur vocabulum: « *perficere* ». Servetur vocabulum « *sanare* », quia tota natura (ergo etiam amor) gratia Christi sanatur.

50 — Pag. 7, lin. 23: Decem Patres petunt ut verbis: « caritatis dono », *addatur*: « *per sacramentum* ».

R. — Provisum est sub num. 52, pag. 6, linn. 31-38 ubi de sacramento fusius agitur.

51 — Pag. 7, lin. 25: Decem Patres postulant ut expresse dicatur amorem coniugalem

a) non ad validitatem matrimonii requiri;

b) ordinari ad prolem ita ut onanismo aliisve mediis inhonestis eam impedire coniugibus non licet. [25]

R. — *a*) Cf. resp. ad Modum 1 sub *b*. Textus ceteroquin nullatenus insinuat quod Patres illi timere videntur.

b) Cf. resp. ad Mod. 42 sub *a*. Cf. etiam num. 55, linn. 22-29 (pag. 9).

52 — Pag. 7, linn. 24-27: *a*) Decem Patres proponunt ut phrasis: « Talis amor ... crescit » *omittatur*, quia in Enc. *Casti Connubii* dicitur amorem officia, non totam vitam, pervadere et quia nimis agitur de personarum dono.

[25] *b*) Unus Pater petit ut tota phrasis reducatur ad: « Talis amor, humana et divina consocians, ( ) totam vitam coniugum pervadit ».

c) 108 Patres postulant ut verbis: « totamque vitam coniugum pervadit », *addatur*: « *in ordine matrimonii finium* ».

d) Septem Patres proponunt ut legatur: « totam vitam coniugum *secundum sensum suum naturalem et supernaturalem* pervadit » ut de sensu, bonis ac finibus omnibus agatur.

R. — *a*) et *b*) Encyclica non de officiis in sensu restrictivo loqui videtur; ad « traditionem personae » quod attinet: cf. resp. ad Modum 15 sub *b*.

c) et *d*) Superfluum videtur illas ideas, quae sufficienter in textu continentur, hic repetere.

53 — Pag. 7, lin. 28: *a*) Sex Patres proponunt ut loco: « eroticam inclinationem », dicatur: « *sensuum* inclinationem », quia vox « erotica » dedecet et videtur habere sensum peiorativum.

b) Tres Patres petunt ut sileatur de illa « erotica inclinatione », de qua iam constat ex num. 51, pag. 5, lin. 24.

R. — *a*) Stet textus, quia non dicitur « eros » esse in se malum: agitur de inclinatione *mere* erotica *egoistice exculta*. Proponitur tamen ut *deleantur unci*.

b) Provisum est sub *a*); ceteroquin in num. 51 non iam sermo fit de « hedonismo erotico », sed de « hedonismo ».

54 — Pag. 7, lin. 30: Unus Pater proponit ut post verbum: « haec » addatur: « *quidem* ».

R. — Non videtur necessarium.

55 — Pag. 7, lin. 31: Quatuor Patres petunt ut loco: « *perficitur* », dicatur: « consummatur ».

[26] R. — Stet textus, quia verbum: « perficere » magis aspectum humanum in lucem ponit.

56 — Pag. 7, linn. 31 s.: *a*) 10 Patres postulant ut hic vel alibi de mysterio virginitatis loquatur.

b) 10 Patres proponunt ut dicatur: « actus quibus ... *per se* honesti sunt. *At omnia in vita coniugali caritate informari debent, non « carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixa, neque in blandis verbis sed etiam in intimo animi affectu posita »* (*Casti Connubii*).

c) Duo Patres petunt ut vox: « caste » in lin. 31 *deleatur*; unus ut ei *addatur*: « *secundum ordinationem divinam* ».

d) Post: « uniuntur » (in lin. 32): [26]

— unus proponit ut *addatur*: « *in ordine ad generationem* »;

— 109 Patres petunt ut *addatur*: « *ad prolis generationem per se apti* »;

— 10 Patres vero: « *etiam ad communionem vitae confirmandam* ».

R. — *a*) Provisum est in resp. ad Modum 41.

b) Provisum est in resp. ad Modum 53 et in textu in linn. 27-29 p. 7; vox: « *carnalis* » hodie non bene sonat.

c) Vocabulum: « caste » servetur ad recolendam virtutem seu ordinem castitatis.

d) Nulla ex his tribus propositionibus videtur admittenda. Non omnes enim actus ad generationem tendunt (cf. sterilitas, tempus ageneseos) et de communitate vitae sufficienter iam in textu actum est.

57 — Pag. 7, linn. 33-34: *a*) Unus Pater petit ut verba: « *qua sese ... locupletant* » *deleantur*.

b) Duo vero proponunt ut post verbum: « locupletant », *addatur*: « *et Dei consilium in bonum generis humani initum explent et perficiunt* », ut ontologica et sociologica ratio amoris exprimantur.

R. — *a*) Haec sententia expresse et instanter a laicis petita fuit. Cf. ceteroquin Modum 43.

b) Superfluum videtur: cf. num. 52, p. 6, lin. 16.

58 — Pag. 7, lin. 34: 31 Patres petunt ut legatur: « amor ille fide ratus, *institutione matrimoniali* sancitus, et potissimum sacramento Christi *consecratus* ».

R. — Fides hic sumitur in sensu formali; quare additio superflua videtur. Ad tollendam tamen omnem ambiguitatem scribatur: « amor ille *mutua fide ratus* ».

59 — Pag. 7, lin. 36: Tres Patres postulant ut loco « remanet », dicatur: « *esse debet* », quia de facto non semper alienus remanet. [27]

R. — Stet textus quia « remanet » actuose asserit officium morale.

60 — Pag. 7, lin. 37: Unus Pater petit ut vox « *agnoscenda* », claritatis causa, ante vocabula: « in mutua » ponatur.

R. — Admittitur propositio: textus ergo sic sonat: « Aequali ... dignitate ..., *agnoscenda in mutua atque plena dilectione*, unitas ... matrimonii apparet ».

[27] 61 — Pag. 7, linn. 38-39: Decem Patres petunt ut loco: « apparet », dicatur: « *manifestare debet* », quia est dispositio ordinis divini.

R. — Cf. resp. ad Modum 59.

62 — Pag. 7, lin. 39: Quatuor Patres rogant ut legatur: « *Christiani coniuges autem* », quia eos tantum textus hic alloquitur.

R. — Hoc patet per verba: « *vocationis christianae* »; stet ergo textus.

63 — Pag. 7, lin. 42: Tres Patres postulant ut dicatur: « col*a*nt » et « impetrent ».

R. — Cf. resp. ad Modum 37.

63 — Pag. 7, linn. 42-43: 18 Patres petunt ut *addatur*: « *Immo inter matrimonium in Christo sanctum et ipsam virginitatem Deo consecratam unitas profunda viget Mysterii Christi et Ecclesiae quod est utriusque fons et exemplar. Quo mysterio etiam sanctificatur viduitas generose acceptata in patientia Christi* ».

R. — Provisum est in resp. ad Modum 41.

65 — Pag. 8, lin. 3: 14 Patres proponunt ut post vocabulum: « renovationem », *addatur*: « *religiosam* », quia renovatio religiosa prima est.

R. — Non requiritur additio, quia hic sermo fit de renovatione christiana mundi et non vitae christianae.

66 — Pag. 7, linn. 5-6: *a*) 14 Patres petunt ut *omittantur* verba: « *munere et opere* », ut educatio generalis ab initiatione sexuali distinguatur.

b) Tres Patres rogant ut post verbum: « familiae », in lin. 6, addatur: « *opportune impertienda, in ordine ad matrimonium sancte ineundum, suum habet momentum atque urget* ».

[28] *c*) Tres Patres petunt ut voci: « apte », addatur: « *et prudenter* ».

R. — *a*) Textus videtur sufficienter clarus.

b) Dicatur: « *apte et tempestive instruendi sunt* ».

c) « *Prudenter* » in « apte » includi censetur.

AD NUM. 54 (nunc 50). [*De matrimonii fecunditate*]

67 — *Modi generales*: Unus Pater petit ut totus numerus *reficiatur* et reducatur ad pauca principia doctrinae catholicae; alius ut clare dicatur amorem coniugalem, independenter ab intentione prolem procreandi, non iustificare actum coniugalem.

R. — Prima propositio accipi non potest, quia esset contra normas; secunda affirmatio cum doctrina recepta non consonat.

68 — Pag. 8, linn. 8-13: 25 Patres pro prima hac paragrapho novum textum proponunt: « *Ipse Deus dicens*: *"non est bonum hominem esse solum"* (*Gen.* 2, 18), *"fecit hominem ab initio masculum et feminam"* (*Mt.* 19, 14). *Idem Creator, volens homini participationem specialem in Suiipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens*: *"crescite et multiplicamini"* (*Gen.* 1, 28). *Intima ab initio ordinatio viri mulierisque ad invicem ut mutue se compleant, coniungitur cum humani generis procreatione* ». Ratio: fines matrimonii et amoris coniugalis hoc modo verbis Sacrae Scripturae enuntiantur; insuper textus sequens hoc modo tanquam conclusio ex S. Scriptura sequitur. [28]

R. — Inspecta ratione allata, prima pars textus, in forma paululum mutata, inter phrases primam et secundam huius paragraphi inseratur, ut iuxta vota plurium Patrum modo magis scripturistico de matrimonio sermo fiat: « *Ipse Deus qui dixit*: *"non est bonum hominem esse solum"* (*Gen.* 2, 18) *et "qui hominem ab initio masculum et feminam fecit"* (*Mt.* 19, 14), *volens ei participationem specialem quamdam in Suiipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens*: *"crescite et multiplicamini"* (*Gen.* 1, 28) ».

69 — Pag. 8, lin. 9: 158 Patres postulant ut loco: « *indole sua* », scribatur: « *natura sua* ».

R. — Stet textus, quia voce « *natura* » sensus non mutaretur sed neque clarior fieret.

70 — Pag. 8, lin. 9: Unus Pater suggerit ut dicatur: « *Uti patet ex ipsa indole sua et ex ipsis Dei Creatoris verbis*, matrimonium... ». [29]

R. — Provisum est in resp. ad Modum 68.

71 — Pag. 8, lin. 11: Plures Patres petunt vel ut *deleatur* particula: « *etiam* » (ita: 2), vel ut ei *substituatur*: « *praecipue* » (117) vel: « *praesertim* » (1 Pater): ratio, aiunt, patet ex hierarchia finium. Alius vero Pater laudat usum illius « *etiam* », quia, ait, ita innuitur ordinationem matrimonii et amoris ad procreationem non exhaurire sensum tum matrimonii tum amoris coniugalis, dum alius adhuc Pater loco « etiam », suggerit: « *si fieri potest* », quia, ait, indicationes legitimae existere possunt, quibus foecunditas moraliter commendanda non est.

R. — Commissio admittit vocabulum: « *etiam* » aliquantulum ambiguum esse. In textum inductum fuit ut clare dicitur in Relationem pag. 18, sub litt. B, non ad quaestionem de hierarchia

[29] finium dirimendam, sed ad sublineandum procreationem non *unicum* matrimonii finem esse. Si autem simpliciter tollitur vox: « etiam », sententia quibusdam videri insinuare posset alios matrimonii fines non esse considerandos. Ad quod praecavendum, Commissio proponit ut deleatur: « etiam », et ut insimul, post verba: « indole oriens », addatur: « *non posthabitis ceteris matrimonii finibus* ». Ad prolis momentum inculcandum, *inseratur* in initio huius paragraphi, inter primam sententiam textus recepti et alteram (prout in resp. ad Modum 68 accepta fuit), sequens additamentum: « *Filii sane sunt praestantissimum matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt* ».

72 — Pag. 8, linn. 14-17: *a*) Unus Pater suggerit ut phrasis in fine numeri 54 *transponatur,* nam magis logicum esse videtur post doctrinam generalem de exceptione loqui.

b) Unus Pater aestimat hunc textum non posse admitti, quia traditioni Ecclesiae contradicit; proponit ut ei *substituatur* sequens phrasis: « *Amor coniugalis ad finem primarium matrimonii, qui est proles, ordinatur* ». Cui accedit alius Pater, saltem quoad sensum.

c) Sex Patres *restructurationem* phraseos (cum insistentia in amorem) postulant: « *Cum indoles foederis indissolubilis inter personas atque bonum prolis exigunt ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine exhibeatur, proficiat et maturescat, non est tantum ad meram procreationem absque dilectione institutum* ».

d) Alius Pater postulat ut inter verba: « in prolem » et « ordinatur », *inseratur*: « *praesertim* ».

[30] *e*) 20 Patres ex 25 qui proposuerunt Modum 68, petunt ut aliquantulum *mutetur* phrasis, ut melius appareat tanquam conclusio ex antea dictis (in modo 68), scribendo nempe: « Matrimonium *quidem* in prolem ordinatur, *tamen* non est tantum ad procreationem institutum ».

R. — *a*) Propositio admittitur quia *de exceptione* potius in fine num. 54, p. 9, lin. 1 agendum videtur (post verbum: « suscipiunt »). Cum agatur de coniugio infecundo, ratio non datur cur in ordinatione ad foecunditatem insistatur, de qua ceteroquin iam in p. 8, lin. 9; scribatur ergo: « Matrimonium *vero* ( ) non est tantum ad procreationem institutum; sed ipsa indole ... indissolubilitatem servant ». Qua translatione admissa, melius videtur *delere* ultimam huius numeri sententiam, p. 9, linn. 1-2: « Qui omnes ... augmentum ».

b) Non admittitur: cf. resp. ad *a*; de cetero traditioni conforme est matrimonium infecundum validum manere et alia bona prosequi. [30]

c) Provisum est sub *a*).

d) Inutile ob rationes sub *a*) expositas.

e) Superfluum ob phraseos transpositionem et ob suppressionem inductam.

73 — Pag. 8, linn. 17-20: 91 Patres petunt ut in hoc loco addatur phrasis *de adoptione*: «*Huiusmodi tamen coniuges doceantur adoptionem orphanorum aliorumque puerorum qui parentali cura orbantur esse rem omnino laudandam. Sic exemplum sequi possunt Christi, qui nos Dei filios per adoptionem effecit*».

R. — Partialiter saltem provisum est in textu, sub num. 56, p. 10, linn. 9-10. Gravissimum est problema condicionis vitae orphanorum, sed etiam puerorum derelictorum, compartium derelictarum et viduarum. Elenchus fieri nequit nec unum problema aliis praeponendum videtur.

74 — Pag. 8, lin. 18: 20 Patres suggerunt ut ante verbum: « deficiat », *addatur*: «*inculpabiliter*», nam non licet suscitare prolem per media inhonesta, ut v. g. foecundatio artificialis.

R. — Sufficienter provisum est verbis: «*saepius tam optata*» (de prole) (p. 8, lin. 18).

75 — Pag. 8, lin. 22: Unus Pater rogat ut loco: « propria », dicatur: «*praeclara*», ne intelligatur expressio de fine primario.

R. — Non videtur necessarium.

76 — Pag. 8, lin. 23: 103 Patres petunt ut post verba: « amoris Dei Creatoris », *addatur*: «*et Redemptoris*». [31]

R. — De Redemptore: cf. in hoc num. 54, p. 8, lin. 12. De cetero non clare apparet quomodo sat directe transmissio vitae ad Redemptionem referatur.

77 — Pag. 8, lin. 24: Quinque Patres petunt ut *deleantur* verba: «*et christiana* (responsabilitate) », secus tota sententia ad solos coniuges christianos coarctaretur.

R. — Sententia per priorem partem omnes respicit et christianos per utraque criteria.

78 — Pag. 8, lin. 25: Unus Pater desiderat ut verbis: « docili erga Deum reverentia », substituantur verba: «*fideli erga Deum obedientia et reverentia*», ut vitetur situationismus.

[31] R. — Iam dicitur: « dociles » (cf. num. 53, p. 8, lin. 3); docilitas maiorem sensibilitatem oboedientiae indicat.

79 — Pag. 8, linn. 26-27: 111 Patres petunt ut prius loquatur de bono puerorum, dein de bono ipsorum coniugum, et ut in primo casu dicatur: « attendentes tum ad bonum *praesertim* liberorum » (ob hierarchiam finium).

R. — Ex notis verbis Pii XII liquet ad bonum salutis matris quandoque maxime attendendum esse; ceteroquin praesens textus nil de hierarchia finium insinuare intendit.

80 — Pag. 8, linn. 28-29: 13 Patres petunt ut textus sequenti modo *immutetur*: « status vitae condiciones tum *materiales* tum *spirituales*, ac denique » quia enumeratio proposita est insufficiens ideoque melius esset adhibere formulam generalem, quae omnes condiciones considerandas complectitur.

R. — Propositio *accipitur* ob rationes allatas.

81 — Pag. 8, linn. 30-31: Plures proponuntur emendationes in hac phrasi:

a) quinque Patres petunt ut simpliciter *deleatur*, quia potest male intelligi (de independentia nempe a iudicio confessarii), quia sapit subiectivismum et quia impossibile est iudicare de futuris;

b) 86 rogant ut saltem auferantur verba: « *et nemo alius* »;

c) plures Patres *additiones*, rem clarificantes, proponunt, dicendo vel: « Hoc iudicium *ad conscientiam ipsorum coniugum,*
[32] *debito modo informatam*, spectat », vel: « Hoc iudicium ipsi coniuges, *conscientiis recte formatis et ad normas obiectivas confirmatis, ferre debent* », vel, in unum conflando hanc phrasim et sequentem: « *Hoc iudicium ferre debent*, quamquam in sua agendi ratione ... ».

d) Quinque, e contra Patres petunt ut *deleatur* illud: « *ultimatim* » (dici posset: « ferre *possunt* »).

R. — Ad *a*) et *b*) Admittitur suppressio verborum: « *et nemo alius* » (quia nimis dura videri possent), quin tamen sensus sententiae, qua excluditur omnis indebita interventio, mutetur; de cetero voce « ultimatim » responsabilitas coniugibus vere committitur. Scribatur tamen: « Hoc iudicium ipsi ultimatim coniuges coram Deo ferre debent ».

Ad *c*) et *d*) Per verba « coram Deo » provisum est Modo qui postulat additionem expressionis « debito modo informatam »;

vox « *ultimatim* » stare debet, quia propriam coniugum responsabilitatem sublineat quin consilium ex parte aliorum excludat. [32]

82 — Pag. 8, linn. 33-34: *a*) Duo Patres proponunt ut loco: « illuminanda », dicatur: « *mensuranda* », alius vero ut scribatur: « *illuminata* » alius adhuc ut post: « illuminanda », *addatur*: « *et determinanda iuxta doctrinam Magisterii Ecclesiae* ».

b) 17 Patres *mutationes* phraseos postulant, ita ut dicatur: « sed semper regi debere ( ) *ab ipsa lege divina a Magisterio Ecclesiae sub luce Evangelii authentice interpretata* » (quia conscientia non tantum illustratur sed etiam regitur lege divina; excludenda est suspicio interpretationis sic dictae: « ethicae situationis »); alius Pater idem intendens proponit: « sed semper regi debere *ipsa lege divina quae illuminat conscientias, quamque Magisterium sub luce Evangelii authentice interpretatur. Magisterio vero christifideles oboedientiam filialem et fidelem debent* ».

R. — Omnes illae propositiones revera sufficienter in textu adsunt; docilitas dicit sensibilitatem oboedientiae. Scribatur tamen, claritatis causa: « ipsi legi divin*ae* conformanda ».

83 — Pag. 8, lin. 34: Duo Patres rogant ut, loco: « dociles erga Ecclesiae Magisterium », scribatur: « *adhaerentes Ecclesiae doctrinae, quae illam* ».

R. — Cf. resp. ad Modum 82.

84 — Pag. 8, lin. 35: Septem Patres proponunt ut post verba: « authentice interpretatur » et ante verba: « Lex illa », *inseratur* pars phraseos ex num. 55, linn. 13-15: « *Ecclesia autem in memoriam* [33] *revocat veram contradictionem inter Leges divinas vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse.* Lex *enim* illa ... », quia sic textus roboratur et clarificatur.

R. — Transpositio phraseos opportuna non videtur, quia specialiter ipsa ad num. 55 pertinet.

85 — Pag. 8, lin. 35: Unus Pater proponit sequentem textus *mutationem*: « Lex *enim* illa divina amoris coniugalis plenam significationem *ostendit,* illum protegit et ad eiusdem ... » quia lex divina in primis ostendit significationem amoris coniugalis. Duo Patres *delere* volunt verba: « *amoris coniugalis* », quia aliae etiam sunt leges in matrimonio, dum alius adhuc suggerit ut *addatur*: « *foederis et* amoris coniugalis », quia agitur de matrimonio et non tantum de amore.

[33] R. — Introductio verbi: « *ostendit* » accipitur propter rationem allatam. Claritatis causa, verba « amoris coniugalis » ponantur post: « significationem ». Tertia observatio non videtur retinenda, quia ubi agitur de amore coniugali foedus supponitur, quod lege sancitur (cf. num. 53, pag. 7, lin. 34). Phrasis ergo finaliter sic se habet: « Lex illa divina *plenam amoris coniugalis significationem ostendit, illud* protegit et ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit ».

86 — Pag. 8, lin. 36: Unus Pater rogat ut verba: « ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit » clarificentur, ne qui virginitatem colunt « minorati » videantur; alius *additionem* petit post verbum: « impellit »: « *Ius habent huiusmodi coniuges modo homini digno vivendi. Multoties tamen hoc sub respectu « nativitatis limitationis » applicant. Sed inquirendum habent praeprimis utrum rationes propter quas pueros non vel non amplius habere, velint, revera homini sint dignae* ».

R. — Minoratio virginitatis nullatenus insinuatur: cf. ceteroquin resp. ad Modos 41 et 64; ad aequivocationem vitandam vocabulum « propriam » additum fuit num. 52, pag. 6, lin. 39. Additio proposita nimis particularis videtur.

87 — Pag. 8, lin. 37: Unus Pater petit ut loco: « fideles », dicatur: « *coniuges* », quia de ipsis sermo fit.

R. — Admittitur propositio sed dicatur: « *coniuges christiani* ». In linn. 38-39 scribatur, ob motivum latinitatis: « atque *ad* perfectionem *contendunt* ».

[34] 88 — Pag. 8, lin. 39: Duo Patres proponunt ut loco: « responsabilitate », dicatur: « *determinatione* », quia sic melius visio et conceptio christiana in tam difficili problemate proponitur.

R. — Ratio allata non sufficiens videtur.

89 — Pag. 8, linn. 39-40: Unus Pater postulat ut *deleantur* verba: « *generosa humana atque christiana responsabilitate* », quia ad usum mediorum illicitorum adducere possent.

R. — Responsabilitas « *christiana* » illicita non admittit.

90 — Pag. 8, linn. 40 sq.: Unus Pater aestimat elogium de familiis numerosis non esse ad rem.

R. — Multi Patres hoc expressis verbis petierunt.

91 — Pag. 9, lin. 1: Unus Pater proponit ut post verba: « prolem numerosiorem suscipiunt », *addantur* verba: « *et ita faciendo saepissime magnum gaudium etiam in hoc mundo inveniunt* ».

R. — Non videtur necessarium; cf. ceteroquin de gaudio: num. 56, pag. 10, linn. 31 et 36. [34]

92 — Pag. 9, lin. 2: Tres Patres petunt ut post vocabulum: « augmentum », *addatur*: « *Sunt sal terrae* (*Mt.* 5, 13), *lux mundi* (*Mt.* 5, 14) *et fermentum societatis* (cf. *Mt.* 13, 33). *Augmentum Ecclesiae enim est augmentum mundi* ». Alius vero Pater longam additionem proponit in qua conflantur textus e psalmo 127 (de prolis benedictione) et e sermone montano (de divina Providentia).

R. — Citationes biblicae prioris textus non ad familiam pertinent. Additio secunda esset contra normas.

AD NUM. 55 (nunc 51). [*De amore coniugali componendo cum observantia vitae humanae*].

93 — *Modus Generalis*: 27 Patres petunt ut numerus applicationibus practicis compleatur.

R. — Hoc non ad documentum conciliare pertinere videtur, quia tale munus Pontificiae Commissioni demandatum fuit.

94 — Pag. 9, lin. 4: Unus Pater postulat ut loco verborum: « S. Synodus novit », quae « paternalismum sapiunt », dicatur: « *Inter omnes constat* », vel: « *Nemo ignorat* ».

R. — Non sine pretio est ipsam Synodum, sine ulla specie paternalismi, haec facta agnoscere. [35]

95 — Pag. 9, lin. 5: 15 Patres petunt ut loco: « saepe », dicatur: « *forte saepius hodie quam saeculis anteactis* ».

R. — Cf. num. 55, pag. 9, lin. 5 ubi de condicionibus hodiernis mentio fit.

96 — Pag. 9, linn. 6-7: *a*) Unus Pater asserit verba: « in quibus ... augeri nequit », esse nimis trita et iuvenes hortandos esse « ne nimis ad matrimonium accedant ».

b) Quinque Patres petunt ut verba illa *deleantur* ne confusioni ansam praebeant.

c) 18 Patres proponunt ut dicatur: « ... *rationabiliter* augeri *non* (vel: *minime*) *convenit*, et ideo ... *non parvas difficultates experiuntur* »; alius vero: « augeri *non posse censent* ».

R. — *a*) Non videtur verba illa esse nimis trita; ad exhortationem quod attinet: cf. num. 53, pag. 8, lin. 7 et num. 56, pag. 10, linn. 13-14 una cum resp. ad Modos 41 et 64.

[35] *b*) E contextu clarum est illud periculum non adesse.

c) Stet textus: ratio sufficiens immutationis textus adesse non videtur.

97 — Pag. 9, lin. 10: 12 Patres rogant ut loco vocabuli: « *possunt* », ponatur: « *contingit* »; alii ut loco « homini indignas », dicatur: « *inhonestas* ».

R. — Primum non videtur necessarium; secundum admittitur.

98 — Pag. 9, linn. 13 sq.: *a*) 26 Patres postulant ut praeter doctrinam formalem dentur applicationes practicae circa rationem agendi qua prolis generatio limitetur.

b) 12 Patres petunt ut *deleantur* verba. « At Ecclesia ... non posse »; 19 vero ut *transferantur* ad num. 54, lin. 34.

c) Unus Pater suggerit ut aliquid dicatur de moderatione in cibis seu de ieiunio ut medio continentiae et de aliis adiumentis spiritualibus quibus difficultates descriptae facilius superantur.

R. — *a*) Cf. resp. ad Modum 93.

b) Stet textus ut nexus idearum servetur.

c) Consideratio de ieiunio nimis particularis videtur. Idea de necessitate virtutis castitatis coniugalis ad difficultates superandas retinetur, sed melius hic non inseritur quia ex hoc
[36] contextu quidam concludere possent S. Synodum castitatem coniugalem tanquam *unicum* medium ad easdem difficultates superandas proponere. Dicatur potius in lin. 28 huius paginae, post verba: « integrum sensum mutuae donationis ... observant »: « *quod fieri nequit nisi virtus castitatis coniugalis sincero animo colatur* ».

99 — Pag. 9, lin. 17: *a*) 14 Patres postulant ut post verbum: « commisit », *addatur*: « *actibus humanis adimplendum tum quoad usum facultatum generativarum tum quoad vitam conceptam* ».

b) 18 Petunt ut dicatur: « *ministerium conservandae speciei* ».

c) Duo Patres animadvertunt verba: « *humano modo adimplendum* » significare posse: « sine magno conatu »; alius vero dicit quod obscura sunt.

R. — *a*) Stet textus quia principium omnino generale enuntiatur.

b) Idem responsum.

c) Proponitur ut dicatur: « *modo homini digno* ».

100 — Pag. 9, lin. 17: Unus Pater rogat ut dicatur: « vita *hominis* ».

R. — Vocabulum « hominis » superfluum videtur.

101 — Pag. 9, lin. 18: *a*) 19 Patres proponunt ut verba: « in utero », [36]
deleantur, quia ovum fertilizatum, etsi non iam in utero, quid sacrum est.

b) Tres Patres petunt ut *deleantur* verba: « iam concepta », ne quis illa male intelligat, eo sensu quod actus coniugalis ad vitam colendam non spectaret.

c) Tres Patres petunt ut « *abortus* » melius describatur.

R. — *a*) Proponitur ut dicatur: « *inde a conceptione* », quin tempus animationis tangatur.

b) Cf. resp. ad *a*).

c) Stet textus, quia illa crimina sine determinationibus technicis in documento pastorali enuntiari possunt.

102 — Pag. 9, linn. 19-22: 13 Patres petunt utrum e textu constet necne observantiam vitae coniugalis omnes simul actus aut etiam singulum actum respicere, utrum onanismus illicitus sit illis qui 5 vel 10 filios habuerit necne.

R. — Cf. resp. ad Modum 93; in praesenti numero principia in genere tantum enuntiantur.

103 — Pag. 9, linn. 19-22: *a*) 21 Patres postulant ut indoles humana [37]
totius hominis sexualitatis agnoscatur, legendo: « *Indoles vero sexualis hominis* necnon facultas humana generali mirabiliter exsuperant ea quae ... habentur; *proinde* ... ».

b) Unus Pater proponit ut post verbum: « habentur» (in lin. 20) dicatur: « *iam aliquo modo innuit dignitatem ipsius actus vitae coniugali proprii et Domini institutionem* ».

c) Duo Patres proponunt ut, lin. 19, loco: « mirabiliter », scribatur: « *mirabili sua dignitate* » et lin. 21, loco: « germanam», ponatur: « *suam* ».

R. — *a*) Admittitur propter rationem allatam; ne autem phrasis sequens lin. 22 eodem vocabulo incipiat, ibi legatur: « Moralis autem indoles ».

b) Expositio fieret longior neque dignitas humana et lex divina opponendae sunt.

c) Non requiri videtur; ceteroquin vocabulum « *dignitas* » iam in lin. 17 inductum est.

104 — Pag. 9, linn. 25-26: *a*) 20 Patres postulant ut loco: « criteriis ». dicatur: « *normis moralibus* ».

b) 13 Patres proponunt formulam: « criteriis *ut exempli gratia in facultatibus generativis humanae naturae* in eadem personae humanae dignitate fundatis ».

[37] *c*) Quinque petunt ut dicatur: « ex *ipsa* personae *natura* et dignitate *desumptis* ».

d) 20 vero: « *secundum legem Dei* ».

e) Quatuor: « in *ipsa* personae ... dignitate fundatis ».

f) Alius: « in eadem personae humanae dignitate *atque iuxta naturam ipsorum* ».

g) Alius adhuc: « *in lege Creatoris* ... fundatis ».

h) Alius: « in dignitate *et lege naturali* fundatis ».

i) Duo vero: « *in ordine divino* ... fundatis ».

j) Ultimus denique: « *in normis a Magisterio statutis* ».

R. — *a*) Vocabulum « *criterium* » magis characterem obiectivum innuit.

b) Additio videtur superflua, quia agitur de principio generali.

c) et *f*): Elementa ex utraque hac propositione retinendo, proponitur ut loco: « *in eadem personae dignitate fundatis* », dicatur: « *ex personae eiusdemque actuum natura desumptis* »; quibus verbis asseritur etiam actus diiudicandos esse non secundum aspectum merum biologicum, sed quatenus illi ad personam humanam integre et adaequate considerandam pertinent.

[38] *e*) Provisum est sub *c*).

d) *f*) *g*) *i*) *j*): Cf. resp. ad Modum 103 *b*) et num. 55, pag. 9, linn. 28-29 et num. 54, pag. 8, lin. 34.

105 — Pag. 9, lin. 27: *a*) Unus Pater petit ut post verba: « humanae procreationis », *addatur*: « *et naturalem ordinationem actus* ».

b) Alius proponit ut loco: « *in contextu veri amoris* », dicatur: « *intra verum amorem* ».

R. — *a*) Provisum est in resp. ad Modum 104 sub *c*) et *f*) et in resp. ad Modum 103 *b*).

b) Stet textus, quia coaetaneis clarior.

106 — Pag. 9, lin. 28: *a*) Tres Patres proponunt ut post vocabulum: « observant », *addatur*: « *atque unitati fidelitatique favent* ».

b) Sex Patres petunt ut post idem verbum, *addatur* conclusio explicita et clarior: « *Moralis igitur illa ratio agendi aestimatur quae generoso animo exercita, veram integritatem humanam modo harmonico veretur* ».

R. — *a*) Hoc continetur in expressione: « *veri* amoris ».

b) Videtur bona explicatio sed superflua.

107 — Pag. 9, linn. 28-29: *a*) Unus Pater suggerit ut illa verba *transferantur* in linn. 12-13 huius paginae, post verbum: « prae-

sumunt »: « *At filii Ecclesiae,* in procreatione regulanda, ne vias ineant, quae a Magisterio improbantur, *memores* veram contradictionem ... adesse non posse. *Ipsi praesertim* abhorrent a *foetus* occisione. Deus enim ... ». [38]

b) Unus Pater proponit ut verba *deleantur,* quia de Magisterio sufficienter sermo fuit in num. 54, pag. 8, linn. 31-35.

c) Sex Patres novam formulam proponunt, propter nexum cum num. 54, pag. 8, lin. 36: « Quibus principiis imbuti, in regulanda procreatione, filii Ecclesiae *dociles sint erga eius Magisterium, quod Legem divinam interpretari curat* ».

d) Unus Pater, claritatis causa, novum textum redegit: « Indoles igitur moralis ... cum responsabili vitae transmissione, *cum in sincera intentione fundetur divinae voluntati adhaerendi, quam Magisterium Ecclesiae rite interpretatur, et obiectivis quoque adiunctis rationem habere oportet, ita tamen ut,* humanae personae dignitate *semper servata, omnique sancti matrimonii abusu improbato, integer sensus observetur mutuae donationis ac humanae procreationis,* in contextu veri amoris ».

e) Alius Pater suggerit: « vias *inire non licet* » (lin. 29), alius adhuc: « vias *inire non possunt* ».

f) Unus Pater hanc formulam proponit: « Quibus principiis imbuti, filii Ecclesiae, in procreatione regulanda, *religiose prae oculis habeant doctrinam a Magisterio authentice propositam, ne vias ineant a Lege divina aberrantes* ». [39]

g) Unus adhuc Pater postulat ut loco: « in procreatione regulanda », dicatur: « *in exercitio facultatis vitae procreativae* ».

h) Duo denique suggerunt ut in nota citetur Enc. *Casti Connubii*: DENZ. 3176-3177.

R. — *a*) Translatio et additiones propositae non necessariae videntur.

b) Non videtur opportunum: ceteroquin esset contra normas.

c) Talis repetitio non videtur necessaria: cf. num. 54, pag. 8, linn. 34-35.

d) Textus ut novus sonare posset et propter verba: « in sincera intentione » quibusdam ansam praebere ac si subiectivismus induceretur: Cf. Relat. pag. 20, litt. *g*).

e) Dicatur: « Fili*is* Ecclesiae, *his* principiis *innixis,* in procreatione regulanda, vias *inire non licet,* quae a Magisterio, *in Lege divina explicanda,* improbantur ».

f) et *g*): Sufficienter provisum est sub *e*).

h) In adnotatione sequentia *inducentur* documenta: Cf. Enc.

[39] *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930). DENZ. 3716-3718; *Oratio Pii XII ad obstetrices habita*: *A.A.S.*, 43 (1951); *Allocutio Pauli VI ad E.mos Patres Purpuratos*: *A.A.S.*, 56 (1964), 581-589. Sequens nota ipsis *addatur*: « *Quaedam quaestiones quae aliis et diligentioribus investigationibus indigent, iussu Summi Pontificis, Commissioni pro studio populationis, familiae et natalitatis traditae sunt, ut postquam illa munus suum impleverit, S. Pontifex iudicium ferat. Sic stante doctrina Magisterii, S. Synodus solutiones concretas immediate proponere non intendit* ».

108 — Pag. 9, linn. 30 sq.: Unus Pater postulat ut allusio fiat ad divinam Providentiam in incremento demographico.

R. — Provisum est in cap. II partis II.

109 — Pag. 9, lin. 31: Unus Pater proponit ut loco vocabuli: « perstringi », dicatur potius: « *restringi* ».

R. — Admittitur claritatis causa.

110 — Pag. 9, lin. 32: 16 Patres petunt ut loco: « sed ad », dicatur: « sed *etiam* ad ».

R. — Sine vocabulo « *etiam* » textus videtur clarior.

[40] 111 — Pag. 9, linn. 30-32: Tres Patres petunt ut illa phrasis in fine num. 54 *transferatur*.

R. — Stet textus: ratio sufficiens huius translationis non existit.

AD NUM. 56 (nunc 52). [*De matrimonii et familiae promotione ab omnibus curanda*].

112 — Pag. 9, lin. 35: Unus Pater proponit ut loco: « aeterna », dicatur: « *immutabilia* ».

R. — Terminus « aeterna » hic magis convenire videtur.

113 — Pag. 9, lin. 40: Sex Patres petunt ut dicatur: « sensus christianus fidelium, *oboedientiam filialem exhibire Magisterio Ecclesiae* ».

R. — De Magisterio iam fit sermo in num. 54 et 55.

114 — Pag. 10, lin. 1: Unus Pater proponit ut post vocabulum: « praecipue », *addatur*: « *medicis* ».

R. — Admittitur ut post: « biologicis », dicatur: « *medicis* ».

115 — Pag. 10, lin. 4: Unus Pater petit ut post: « conantur », *addatur*: « *Parati semper Magisterio Ecclesiae in rebus moralibus plene consentire* ».

R. — Cf. resp. ad Modum 113.

116 — Pag. 10, lin. 6: Unus Pater suggerit ut scribatur: « promotion*i* ». [40]

R. — Erat intentio textus, sed melius adhuc dicitur: « *ad* promotio*nem* ... conferre debent ».

117 — Pag. 10, lin. 7: Unus Pater rogat ut media oeconomica fovendi vitam familiarum citentur.

R. — Cf. caput 3 Partis II.

118 — Pag. 10, linn. 7 sq.: Tres Patres petunt ut *dispositio materiae* in hac parte *mutetur* (unus ut linn. 9-10 alibi ponantur) et quidem hoc modo:

— in lin. 7, post « debent », *inserantur* linn. 25-27.

— in lin. 7, post: « tutandum », *inserantur* linn. 19-21.

— in lin. 21 post verbum: « posthabeatur », legatur: « *Legibus et moribus atque sensu responsabilitatis omnium eo tendendum est* ut cunctis infantibus bonum procuretur quo, in familia vere unita nati, ibi enutriantur atque educentur. *Sapienti legislatione et inceptis privatis et socialibus illi protegantur et adiuventur* qui misere bono familiae carent ». [41]

— dein ponantur paragraphi de liberis (linn. 9-18), de variis operibus (linn. 22-24), de sacerdotibus (linn. 28-32), et de ipsis coniugibus (linn. 33-36).

R. — Nova materiae ordinatione textus sane clarior et magis logicus fieri potest. Principaliores propositiones hic factae videntur admittendae, inserendo tamen etiam in textu ideas quae in resp. ad Modos 32 et 38 (de familia) retentae fuerunt cum necessariis correctionibus stylisticis inductis. Proponitur ut phrasis: « Cunctis infantibus ... educentur » pag. 10, linn. 7-9 supprimatur quia de eorum condicione oeconomica provisum est pag. 10, lin. 14.

119 — Pag. 10, linn. 9 sq.: *a*) Octo Patres proponunt ut mentio fiat de illis quae bono familiae carent, nempe mulierum viduarum et derelictarum, in linn. 21-22, ubi sermo fit de cura domestica matris, quia ita obtinetur ordo logicus.

b) 80 Patres proponunt ut in num. 54, linn. 17-20, loquatur de *adoptione* ex parte coniugum qui prole carent.

R. — *a*) De ordine: cf. resp. ad Modum 118; de viduis: provisum est in resp. ad Modum 41 et 64.

b) De adoptione: cf. resp. ad Modum 73.

[41] 120 — Pag. 10, lin. 12: *a*) Tres Patres proponunt ut post verba: « responsabilitatis sensu », *addatur*: « *consilium divinum ad vocationem sacram fortasse invitantem fideliter exsequantur* ».

b) Unus Pater proponit ut dicatur: « *vel* vocationem etiam sequi *vel*, si nuptiis iungantur, vitae statum eligere ... ».

c) 30 Patres petunt ut verba: « *etiam sacram* » *omittantur*, ne sacra puerorum vocatio detrimentum patiatur.

d) Unus Pater suggerit ut vel virgula post « sacram » *deleatur*, vel nova post « vocationem » *addatur*.

e) Alius tandem ut legatur: « etiam vocationem sacram sequi ».

R. — *a*) Sufficienter provisum est in textu.

b) Non videtur necessarium; de cetero « status vitae » non nuptiis ligandus videtur.

c) Esset contra vota multorum Patrum; ceteroquin non videtur quomodo textus sit in detrimentum vocationis sacrae.

[42] *d*) Admittitur suppressio commatis: scribatur: « *vocationem etiam sacram sequi* ».

e) Cf. resp. ad *d*): sensus apparet clarus.

121 — Pag. 10, lin. 22: Quinque Patres aestimant praesertim verba: « *praecipue nuper iunctos* » non requiri, quia praeparatio et formatio ad matrimonium semper requiruntur.

R. — His verbis alii non excluduntur, sed nuper iuncti speciali titulo citari debent.

122 — Pag. 10, linn. 22-24: Sex Patres petunt ut plus dicatur de praeparatione ad matrimonium.

R. — Sufficienter provisum est in textu: cf. num. 53, pag. 8, linn. 5 sq., num. 54, pag. 10, linn. 10 sq.

123 — Pag. 10, lin. 25: Sex Patres postulant ut ante lin. 25 sequentia *inserantur*: « *Magni etiam interest societati civili salus cum naturalis tum ethica et psychologica familiae; in ea enim cives hodierni et futuri formantur, ideoque ab ipsa bonum ipsius maxime pendet. Pro viribus itaque ea omnia quae nostris diebus libertatem familiae atque unionem, communicationem, harmonicam cooperationem et amicitiam inter familiae membra in discrimen adducunt, avertere conetur* ».

R. — Esset additio satis longa. Nihilominus plures huius propositionis ideae in textum inserentur, inductione in textum reelaboratum (cf. Resp. ad Modum 118) idearum Modi 38, *c*). Cf. etiam num. 52, pag. 7, linn. 9-13.

124 — Pag. 10, lin. 25: Duo Patres petunt ut loco: « potestas publica », dicatur: « potestas *civilis* », uti in « De libertate religiosa ». [42]

R. — Admittitur propositio.

125 — Pag. 10, linn. 26-27: *a*) Unus Pater proponit ut post vocabulum: « matrimonii » (in lin. 26), *addatur*: « *indissolubilis* ».

b) Novem Patres proponunt ut verbo: « protegere », *addatur*: « *promovere* ».

c) Unus Pater petit ut in lin. 26 dicatur: « protegere *libertatem et communicationem, quidquid unionem inter familiae membra in discrimen adducit avertere* ».

d) Alius Pater suggerit ut post verbum: « favere », *addatur*: « *Sana enim familia, in seipsa non conclusa, necessarium est adiumentum necnon et parentibus et liberis optima vitae socialis palaestra* ». [43]

e) Unus denique *addere* proponit in lin. 27: « *Est autem societatis coniugalis et familiaris ita sese gerendi et prolem educandi ut habitudo ad societatem universalem sive religiosam sive civilem, suis modis propriis, efficaciter honoretur* ».

R. — *a*) Non videtur necessarium quia saepius dictum.

b) Dicatur: « *provehere* », quia « promovere » pluries iam in textu occurrit.

c) Cf. Resp. ad Modum 123.

d) Provisum est: cf. Resp. ad Modum 38.

e) Provisum est: cf. Resp. ad Modum 38.

126 — Pag. 10, lin. 26: *a*) Decem Patres petunt ut post: « sacerdotum est », *addatur*: « *debita in re familiari praeparatione accepta* ».

b) Sex Patres proponunt ut post: « cultu liturgico », dicatur: « *directione spirituali aliisve adiumentis vitam et unitatem coniugalem et familiarem fovere* ».

R. — *a*) Dicatur: « *debita de re familiari eruditione accepta* ».

b) Difficultas provenire videtur ex errore in textu, in quo legendum est, loco: « spirituali », « spirituali*bus* ».

127 — Pag. 10, lin. 29: Unus Pater proponit ut dicatur: « spiritualibus ».

R. — Revera fuit mendum in textu.

128 — Pag. 10, lin. 31: *a*) 12 Patres petunt ut dicatur: « vere et radiose familiae efformentur ».

[43] *b*) Unus ut loco: « radiosae », dicatur: « *felices* ».

c) Unus petit ut vox: « *radiosae* » *tollatur*.

R. — Vox in latinitate existit; in linguis modernis sat vulgata est: indicatur hoc vocabulo felicitas diffusiva sui.

129 — Pag. 10, lin. 31: *a*) Unus Pater petit ut loco: « *sustentare* » (quod adiutorium materiale indicat), scribatur: « *moraliter adiuvare* » vel « *roborare* ».

b) Alius proponit ut post verbum: « sustentare », *addatur*: « *prudenter in difficultatibus moralibus consiliare* ».

R. — *a*) Admittitur « *roborare* ».

b) Idea iam adest in textu.

[44] 130 — Pag. 10, lin. 33: *a*) Unus Pater suggerit ut dicatur: « Ipsi denique coniuges... mutua sanctitate *inter se* adunati sint, *et parentes, cum pueris suis filiis Dei nominatis et factis ligati sint,* ut Christum ... ».

b) Alius Pater proponit ut, loco: « mutua sanctitate », dicatur: « *mutuo sanctificationis studio* ».

R. — *a*) Additiones nimis onerarent phrasim; de cetero provisum est in num. 53.

b) Ne mutetur citatio Sacramentarii Gregoriani.

131 — Pag. 10, lin. 33: 30 Patres proponunt ut dicatur: « Christi vitae *et amoris* principium ».

R. — Iam bis in hac phrasi de amore sermo fit.

132 — Pag. 10, lin. 36: *a*) Unus Pater petit ut dicatur: « *mutuum* fidelem amorem ».

b) 31 Patres rogant ut scribatur: « per eorum *fecundum et* fidelem amorem ».

R. — *a*) Si « fidelis » est amor, est etiam « mutuus ».

b) Sufficienter provisum est in textu.

133 — Pag. 10, lin. 36: 17 Patres proponunt ut dicatur: « fidelem amorem, *quo omnia familiae membra nutriantur atque in unum coadunentur,* illius testes fiant mysterii dilectionis *quo* Dominus morte et resurrectione sua *homines in unam familiam Dei coadunare vult* ».

R. — Idea quae a prima additione exprimitur iam pluries in textu exprimitur; pro secunda additione: cf. num. 54, pag. 8, linn. 12-13.

134 — Pag. 10, lin. 38: Unus Pater petit ut aliquid *addatur* de condicione sociali et in specie de aequalitate status mulieris. [44]

R. — Satis provisum est in num. 53, pag. 7, linn. 37 sq. et in novo textu admisso in Resp. ad Modum 118.

In expensione Modorum sub numeris 5, 71, 98 et 107, Commissio Generalis Mixta sedulo et reverenter rationem habuit consiliorum Summi Pontificis, quae ei, mediante E.mo Cardinali a Secretaria Status, transmissa fuerunt.

CAPUT II [45]

DE CULTURAE PROGRESSU RITE PROMOVENDO

Exitus suffragationum (die 16 novembris 1965)

Suffr. 490, nn. 57-63

Praesentes votantes	2.158
Placet	2.102
Non placet	52
Vota nulla	4

Suffr. 491, nn. 64-66

Praesentes votantes	2.125
Placet	2.058
Non placet	61
Vota nulla	6

Suffr. 492, de integro capite

Praesentes votantes	2.146
Placet	1.909
Non placet	44
Placet iuxta modum	185
Vota nulla	8

Integrum ergo Caput II Secundae Partis, cum omnibus suis partibus a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi a Patribus propositi, a Subcommissione competenti rite examinati, submissi sunt Commissioni plenariae mixtae, quae responsa sequentia statuit.

[45] AD TOTUM CAPUT

1 — Unus Pater postulat ut textus ad breviorem formam reducatur; alius ut stylus fiat minus verbosus, ephemeridisticus. Alius rogat sermonem de abusibus, praesertim contra moralitatem, qui sub specie culturae patrantur. Alius conqueritur in hoc capite non inveniri ideam quod omnis Sapientia et Scientia est a Deo; quod Christus communicavit *omnem* Sapientiam et Scientiam Ecclesiae suae; et ideo quod dissidium est impossibile inter Revelationem et scientiam humanam.

[46] R. — Quoad stylum iam provisum est. De abusibus, sermo fit in nn. 61 et sq. Idea quam postulat tertius Pater invenitur in n. 61 (pag. 24, linn. 32-34) et in n. 66 (pag. 28, linn. 10 sq.).

AD TITULUM

2 — Unus Pater proponit: « De culturae *et scientiae* progressus ... ».

R. — Obiectum specificum capitis est cultura, in sensu pleno; scientia intervenit tantum ut pars huius culturae.

AD NUM. 57 (nunc 53).

3 — Pag. 22, lin. 2: « Nonnisi » deleatur (2 Patres), vel ei substituatur « *etiam et praesertim* » (1 Pater). Alius proponit: « ut per culturam, hoc est bona, valoresque naturae *et gratiae* » — ne sancti, parum exculti, excludi videantur.

R. — Remanet textus quia in hoc numero agitur de cultura in quantum ad ipsam hominis naturam pertinet. De gratia sermo fit in numero 62.

4 — Pag. 22, lin. 3: Verba « veram plenamque » deleantur (1 Pater), vel saltem « veram » omittatur (17 Patres).

R. — Vox « vera » servatur, quia cultura fundamentum habet in ipsa natura rationali.

5 — Pag. 22, linn. 5-6: Loco « multifarias » dicatur « multi*modas* ».

R. — Correctio non est necessaria.

6 — Pag. 22, lin. 6: Additio proponitur: « dotes animi corporisque perpolit ac explicat *finem suum prosequitur;* ipsum ... ».

R. — Additio inutilis, quia de hac re iam loquitur lin. 3.

7 — Pag. 22, lin. 8: Loco « tam familiarem quam politicam », unus Pater proponit: « *tam in familia quam in tota consortione ci-*

vili ». Quia vita socialis, quam cultura humaniorem reddit, extenditur ad omnes ambitus consortionis humanae. [46]

R. — Admittitur.

8 — Pag. 22, lin. 9: Unus Pater postulat ut post « reddit » addatur: « *veritatem, pulchritudinem honestatemque inquirit magnasque* experientias ... ».

R. — Additio inutilis: iam provisum est in linn. 18-19 huius numeri et in n. 61, pag. 24, linn. 32-34. [47]

9 — Pag. 22, lin. 10 ita legatur: « decursu temporum *in scientia, in monumentis litterarum, in artis* operibus suis exprimit ... ». Ut cultura accuratius describatur, et non tantum sub aspectu eius sociologico.

R. — Additio inutilis, quia de his provisum est in linn. 13-24 huius numeri.

10 — Pag. 22, linn. 14-15: Unus Pater proponit textum ita rescribi: « atque vocem "cultura" *a variis condicionibus populorum, sive sociologicis sive ethnologicis, pendere.* Hoc sensu ... ».

R. — Hic Modus textum clariorem non reddit.

11 — Pag. 22, linn. 17-19: In lin. 17, loco « colendi » dicatur, « *professandi* ». Linn. 18-19 ita scribantur: « augendi scientias atque artes *sive technicas sive pulchras* ... ». Ut vitetur verbum « colere », et ut idea melius exprimatur.

R. — Haec propositio non videtur admittenda, quia descriptio debet remanere generalis, et quia verbum « colere » relationem habet cum « cultura » et ideo consulto adhibetur. Videatur nota (F), ad quam remittit textus.

12 — Pag. 22, lin. 22: Loco « definitus » scribitur « *determinatus* ».

R. — Textus receptus est clarus.

AD NUM. 58 (nunc 54).

13 — Pag. 22, linn. 25-26: 17 Patres rogant verba « ut in initio huius Constitutionis amplius expositum est » deleri.

R. — Admittitur omissio, sed nota additur, in qua ad antedicta remittitur.

14 — Pag. 22, lin. 28: Additio proponitur: « de nova historiae humanae aetate *aliquo modo* loqui liceat ».

R. — Additio est inutilis, quia iam adest « liceat », et non est clara.

[47] 15 — Pag. 22, linn. 30-31: Loco « naturalium et humanarum, etiam socialium » dicatur « humanarum, socialium et naturalium ».

[48] R. — Emendatio non admittitur, quia sensum sententiae mutat. Scientia socialis est pars scientiae humanae.

16 — Pag. 3, lin. 1: Unus Pater additionem proponit: « Hinc cultura hodierna, *quae est technica* (vel: *scientifica*), particularibus ... ».

R. — Non admittitur, quia additio redderet falsa ea quae sequuntur, ubi non agitur tantum de cultura technica vel scientifica.

17 — Pag. 23, lin. 2: Loco « iudicium criticum » dicatur « *empiricam observationem* ».

R. — Emendatio non admittitur, quia aliam ideam introducit; empirica observatio iudicio critico subicienda est.

18 — Pag. 23, lin. 5: Loco « evolutionis » dicatur « *progressus* ».

R. — « Evolutio » retineatur, quia est terminus magis genericus.

19 — Pag. 23, linn. 6-7. Unus Pater proponit ut legatur: « ... urbanisatio, *automatio* aliaeque causae, quae vitam communitariam *afficiunt*, novas ... ». Alius proponit ut loco « promovent » ponatur « *diversimode* afficiunt ».

R. — Remanet textus: nam « automatisatio » est aliquis aspectus industrialisationis, et « afficere » in hoc contextu non sufficit, cum in sequentibus agatur de aliqua promotione.

20 — Pag. 23, linn. 7-8: Unus Pater proponit: « novas culturae formas creant *collectivas*, ex quibus novae *formae cogitandi*, sentiendi ... ».

R. — Non admittitur, quia « mass-culture », propter usum technicum, plus dicit quam forma collectiva; quia non expedit vocem « forma » bis repetere; quia « cogitandi » includitur in « sentiendi ».

21 — Pag. 23, lin. 9: Unus Pater proponit ut addatur post « nascuntur »: « *innumeri sunt libri, de qualibet re tractantes, qui hodie diffusi sunt in diversis ambitibus quasi omnium nationum orbis* ».

R. — Additio non admittitur, quia hic non est locus ad particularia descendendi. De re, iterum sermo fiet circa num. 65 (pag. 27, lin. 36).

22 — Pag. 23, linn. 11-14: Unus Pater proponit textum ita legere: « et sic *paulatim universaliora evadant elementa pluribus culturis communia,* quae ... promov*ent* ... exprim*unt* ... obser-
[49] v*ant* ». Quia potius quam de aliqua hypothetica cultura univer-

sali, oportet loqui de elementis communibus pluribus culturis. [49]
Alius Pater proponit: et sic paulatim *vis* paratur *ad* universa*liorem* culturae humanae forma*m,* quae ... promove*bit* ... ex*primet* ... observa*bit* ». Quia elementa enumerata in textu sunt tantum media quae formam culturae favere *possunt.*

R. — Manet textus. Nam prima propositio novam ideam inducit, quae cum contextu non concordat. Secunda autem propositio ideam affert, quae iam in textu adest (lin. 11: « paulatim ... paratur »).

23 — Pag. 23, linn. 12-13: Unus Pater proponit: « eo magis *plenitudinem vitae hominum* exprimit *ipsamque* unitatem humani generis promovet quo melius ... ».

R. — Emendatio non admittitur, quia non est ad rem in hoc contextu.

24 — Pag. 23, lin. 14: Unus Pater proponit ut in fine addatur: « *et nationalismum exaggeratum evitet vel superet* ».

R. — Haec idea ad Caput IV potius pertinet.

AD NUM. 59 (nunc 55).

25 — Pag. 23, linn. 15-24: Unus Pater proponit ut textus huius paragraphi ita retractetur: « Maior in dies fit numerus virorum ac mulierum cuius*vis* coetus vel nationis, qui conscii sunt suae communitatis *novarum formarum* culturae artifices se esse atque auctores. In universo mundo magis magisque crescit sensus autonomiae simul *variarum disciplinarum,* quod pro spirituali ac morali maturitate generis humani *momento non caret.* Illud clarius apparet si ante oculos unificationem *physicam* mundi ponimus atque munus nobis impositum, ut in veritate et iustitia novum aedificemus mundum. Tali ergo modo testes sumus *elementa alicuius* novi humanism*i evolvi,* in quo homo imprimis per suam *necessitudinem* erga suos fratres historiamque definitur ».

R. — (1) In hac propositione expungitur idea centralis huius numeri, quae in nota B clare explicatur, idea scil. conscientiae secundum quam homines accipiunt in dies maiorem suae autonomiae ac responsabilitatis, necnon idea momenti huius conscientiae pro spirituali ac morali maturatione generis humani. Loco huius ideae, nova idea introducitur: haec mutatio esset contra substantiam textus. (2) Admittitur correctio « cuius*vis* » atque omis- [50]
sio verborum « absque ullo dubio » (lin. 19).

[50] 26 — Pag. 23, lin. 16: Unus Pater proponit additionem: « ... vel nationis, *qui ampliorem culturam quaerunt simul ac conscii ...* ».

R. — Haec additio non est opportuna in hoc contextu.

27 — Pag. 23, linn. 18-20: Unus Pater petit ut, loco « responsabilitatis sensus », dicatur « *libertatis* sensus ». Duo alii proponunt ut, post « responsabilitatis sensus », scribatur: « *apud paucos, cum apud multos minuatur, etiamsi hoc incrementum responsabilitatis apud omnes necessarium esset.* Illud ... ».

R. — Vox « responsabilitatis » remanet, quia de hac re praecise agitur. Textus sensum responsabilitatis simpliciter affirmat ut fons autonomiarum de quibus fit descriptio; ad particularia non est descendendum.

28 — Pag. 23, lin. 21: loco « unificationem mundi » dicatur « *exigentiam humanam familiam unificandi* ».

R. — Haec emendatio non est necessaria.

29 — Pag. 23, linn. 21-23: Unus Pater petit ut scribatur: « munus *omnibus* impositum, ut ... aedifi*cent mundum.* Tali ergo modo nov*us* humanism*us n*asci*tur* ». Quia de munere Patrum Concilii non agitur.

R. — Significatio textus non est ambigua.

30 — Pag. 23, lin. 22. Unus Pater proponit ut addatur: « ut in veritate, iustitia, *moralitate et amore* ... ».

R. — Haec additio non est necessaria, nam veritas et iustitia moralitatem et amorem includunt.

31 — Pag. 23, lin. 22: loco « novum aedificemus mundum », unus Pater petit ut dicatur « mundum *instauremus* ». Quia « novus mundus » est expressio quae pertinet ad terminologiam eschatologicam S. Scripturae. Alius petit ut dicatur « *universalem hominum* aedificemus *societatem* »; quia expressio « novus mundus » est metaphora ambigua.

R. — Dicitur « *meliorem* aedificemus mundum ».

32 — Pag. 23, linn. 22-24: unus Pater proponit ut deleatur phrasis « Tali ergo modo ... definitur ». Alius aestimat « testes » non
[51] sufficere, et proponit « *actorem* »; idem invenit difficultatem in locutione « novum humanismum » et proponit: « *actores sumus plenioris* humanism*i promovendi* ». Alio verbum « humanismus » videtur aequivocum.

R. — Omissio esset contra normas. Correctio verborum « testes » [51]
et « novi humanismi » non est necessaria. Significatio vocis « humanismus » ex contextu patet.

33 — Pag. 23, lin. 24: Unus Pater proponit ut « per » deleatur in initio lineae, et in fine, pro « definitur » legatur « *persentit* ». Alius petit ut loco « definitur » ponatur « *describitur* ».

R. — Verbum « definitur » servatur, quia accuratius est in hoc loco. Sed « per » deleatur, et scribatur « su*a* responsabilitat*e*... definitur ».

AD NUM. 60 (nunc 56).

34 — Pag. 23, linn. 25-28 ita legantur: « Quibus in condicionibus, mirandum non est *si* homin*es* qui responsabilitatem suam sent*iunt* pro culturae progressu, *quamvis* altiorem spem nutr*iant in eo, tamen non sine* anxietate adspi*ciunt* multiplices antinomias *inde exsurgentes, quae nova problemata ponunt* ».

R. — Textus receptus est nitidior et fortior: servatur.

35 — Pag. 23, lin. 29: Unus Pater additionem proponit: « *Imprimis responsabilitatis sensus in dies excitatur in anima eorum qui scientias artesque technicas colunt, necnon timor illius libertatis, quae ad summum principium non referatur. Inventio ad inventionem provocat et nemo scit quo vadat scientia, semper ad altiora propulsa. Hodie in controversias vocatur, apud lucidissimos scientiarum cultores, finalitas eorum navitatis* ».

R. — Iam provisum est, speciatim in expositione introductiva, n. 4.

36 — Pag. 23, lin. 30, ad pag. 24, lin. 9: Relinquatur modus loquendi interrogativus, qui scholis convenit potius quam Concilio.

R. — Quaestiones dialogum facilius instituunt et dogmatismum vitant.

37 — Pag. 23, linn. 35-38: Unus Pater postulat ut loco « novae culturae » (lin. 35) ponatur « nov*arum formarum* cultur*alium* »;
et loco « cum cultura quae... oritur » (linn. 37-38) dicatur [52]
« cum *formis* cultur*alibus* quae... ori*untur* ».

R. — Emendatio non est utilis et textum debilitat.

38 — Pag. 23, lin. 36: Loco « pro traditionis haereditate » dicatur « *erga* traditi*onum* haeredita*tem* ».

R. — Admittitur.

[52] 39 — Pag. 23, lin. 37: 17 Patres additionem postulant: « particulari modo *hodie* urget ».

R. — Scribatur: « particulari modo urget, *ubi* cultura ... componenda *est* ».

40 — Pag. 23, lin. 41: Post « formandae » addatur « *quae non inanis eclectismus sit* ».

R. — Additio non est necessaria, quia redundat.

41 — Pag. 24, lin. 5: Addatur in nova linea: « *Quid ulterius faciendum si valor voluptuosus* (*Lustwert*), *quod apud multos accidit, uti summus habetur unde cultura tota in discrimen vocatur?* ».

R. — Idea est extranea scopo huius capitis.

42 — Pag. 24, linn. 6-7: Ita legantur: « *Quomodo denique culturae iura propria eiusque leges ita agnoscantur, ut cultura suis legibus utatur,* quin in ... ».

R. — Textus receptus est brevior et magis perspicuus.

43 — Pag. 24, linn. 9-10: Ita legantur: « In medio quidem illarum antinomiarum cultura*m* humana*m* ita hodie *oportet profiteri,* ut integram personam aequo ordine *perficiat* atque ... ».

R. — Haec correctio non videtur necessaria.

44 — Pag. 24, lin. 10: Post « evolvatur » addatur « *optandum est* »; vitetur tonus exhortativus.

R. — Additio non admittitur.

45 — Pag. 24, linn. 11-12: Deleantur verba « praecipue autem christifideles ».

[53] R. — Haec verba servantur, quia textus hic praesertim christifidelibus destinatur. Sed, ut sensus clarius appareat, scribatur lin. 11: « homines iuvet in muneribus *ad quae adimplenda* omnes, praecipue autem christifideles ... ».

46 — Pag. 24, lin. 13: In fine addatur: « *Scimus quomodo progressui in cognitione veritatis et culturae ad bonum commune et pacem inter omnes, homines scientiae laborant obscure et patienter, fraterno modo et fructuose* ».

R. — Haec idea, certe perpulchra, in sequentibus numeris evolvitur.

AD NUM. 61 (nunc 57).

47 — Pag. 24, lin. 14: 7 Patres proponunt pro titulo: « *Scientia cultura*que *humana et Sapientia* ».

R. — Talis titulus non correspondet contento huius numeri, quod in nota A exponitur.

48 — Pag. 24, linn. 16-22: Expungantur, quia idem invenitur in I Parte: pag. 43, linn. 4-7, et pag. 52, linn. 22-23. [53]
R. — Idea exposita in istis lineis necessaria est in contextu.

49 — Pag. 24, lin. 18: Loco « exstruendi » ponatur « *ordinandi* » (19 Patres).
R. — « Exstruendi » melius componitur cum imagine aedificationis.

50 — Pag. 24, lin. 18: Post « exstruendi » addatur: « *quo etiam futura caelestia adumbrantur et aliquo adhuc mysterioso modo parantur* » (4 Patres).
R. — Idea proposita cum contextu phraseos male componitur; exposita est in I Parte, Cap. III, n. 39.

51 — Pag. 24, linn. 18-19: Loco « mysterium » dicatur « *donum* ».
R. — Vox « mysterium » servanda est.

52 — Pag. 24, lin. 21: Loco « cultus humanus » ponatur « cult*ura* human*a* ».
R. — Hoc in loco vox « cultus » servari oportet, propter specialem significationem de conatu et studio hominis ad seipsum perficiendum (non licet dicere « cultivatio »).

53 — Pag. 24, lin. 23: Incipiat verbis: « *Sed et omnis* homo, cum opere ... » (2 Patres). [54]
R. — Textus servatur, quia in ista paragrapho explicantur ea quae supra dicta sunt, et quae pro omnibus hominibus valent.

54 — Pag. 24, linn. 25-28: Expungantur, nam idem invenitur in I Parte: pag. 42, linn. 22-25.
R. — Idea est eadem, sed applicatio valde differt.

55 — Pag. 24, lin. 25: Proponitur post « fiat »: *et quando conscie partes assumit in socialium coetuum vita;* et lin. 26, deletis verbis: « signa spiritualia rebus imprimendo » ... addatur: « *atque seipsum excolit* ».
R. — Admittitur.

56 — Pag. 24, lin. 25: Post « ipse » addatur « *saltem obiective* ».
R. — Haec additio non est utilis.

57 — Pag. 24, lin. 18: Addatur in fine: « *Dum in vita sociali in commerciis cum vitae quotidianae tum temporalium organizationum, invitantur omnes homines ad conscie, active et libere participandam mundi organizationem, facultate gaudent seipsos excolendi, uti constat ex experientia: ita magis ad effectum adducitur consilium Dei hominem ad imaginem suam creandi,*

[54] *simulque totam humanitatem coadunandi in unam communitatem fraternam* » (5 Patres).

R. — Iam provisum est in I Parte, Cap. II.

58 — Pag. 24, linn. 27-28: Ita legantur: « insimul *cum genuinam responsabilitatem in omnibus vitae socialis campis assumunt, eo ipso sese excolunt, omnes facultates suas,* in servitium fratrum *suorum secundum* Christi mandatum impend*entes* ».

R. — Manet textus, quia Modus restringit significationem quae culturae tribuitur.

59 — Pag. 24, linn. 29-30: Ita legantur: « Insuper homo, cum in varias *philosophiae, historiae et scientiae mathematicae et naturalis disciplinas* ... ».

R. — Admittitur.

60 — Pag. 24, linn. 30-32: Ita compleantur: « ... disciplinas *obiective et profunde* incumbit et ... elevetur *et ad iudicium rationale*
[55] *universalis valoris, iuxta humanae culturae limites, perveniat sicque ad supernaturalem vitae conceptionem consentaneo modo recipiendum adaperiatur* et clarius illuminetur ... » (7 Patres). Vel hoc modo: « ... elevetur *ad iudicia intellectualia universalis valoris, iuxta humanae culturae limites perveniens indeque supernaturalia consentaneo modo bona prospiciens sicque* clarius illuminetur ... ».

R. — Admittitur emendatio sub hac forma: post ... « rationes », scribitur: ... « *atque ad iudicium universalis valoris elevetur* ».

61 — Pag. 24, lin. 41, ad pag. 25, lin. 6: Textus ita reformetur: « Hodiernus progressus scientiarum *pro completa explicatione mundi sufficere nequit nec plene satisfacit desiderio hominis circa veritatem, quamvis aliquando sive homines scientiarum periti ita scientiam proponant, sive aliqui illam accipiant* » (2 Patres).

R. — Textus receptus est explicitior, et emendatio contextui non convenit.

62 — Pag. 25, lin. 1: loco « essendi » dicatur « *rerum* » (vel: « *essentiarum* »).

R. — Admittitur « *rerum* ».

63 — Pag. 25, linn. 2-4 ita legantur: « ... nequeunt, *cum sola phaenomena attingant,* cuidam phaenomenismo et agnosticismo favere potest, *quando* methodus ... habetur ». Ita unus Pater; alius favet « *quando* ».

R. — Admittitur ut dicatur: essendi *rerum* et *quando.*

64 — Pag. 25, lin. 3: scribatur «*legitime* utentes». [55]
R. — Additio non est utilis.

65 — Pag. 25, lin. 6: Addatur in fine: «*Humana scientia semper eget philosophica interpretatione ac verbi Dei de hominis sorte in mundo theologica expositione. Ad hoc autem ut dialogus haberi possit inter tum diversas disciplinas humanae cognitionis omnino requiritur ex unaquaque parte conatus expositionem adaptandi ut vera communicatio idearum et mentium possibilis evadat*» (5 Patres).
R. — Iam provisum est in n. 65, pag. 27, linn. 21-29.

66 — Pag. 25, lin. 6: Addatur in fine: «*Ita mentalitas materialistica hodie late diffunditur etiam inter excultos*». [56]
R. — Res accuratius exprimitur in meliori contextu.

67 — Pag. 25, linn. 7-16: Textus reficiatur, quia actionem diaboli ignorat.
R. — Provisum est in I Parte schematis.

68 — Pag. 25, linn. 7-16: Redactio emendata proponitur: «Haec tamen infausta non necessario ex hodierna cultura sequuntur, nec nos in tentatione inducere debent ne *eius* valores positivos agnoscamus. Inter quos enumerantur: exacta fidelitas erga veritates in inquisitionibus scientificis, necessitas laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidaritatis internationalis, conscientia magis magisque clara responsabilitate peritorum erga homines adiuvandos immo et protegendos, voluntas vitae condiciones hominibus faustiores reddendi: *hi omnes valores pro credentibus multum conferre possunt ad vitam christianam perficiendam*: *pro vero non credentibus rectitudinem moralem afferunt, quae aliquo modo eos disponit ad nuntium Evangelii et donum caritatis Christi accipiendum*».
R. — Admittitur correctio in linn. 8-9: «ne *eius* valores positivos ( ) agnoscamus»; item admittitur expunctio vocis «hodierna» in lin. 10. Sed non admittitur redactio nova secundae partis paragraphi, cum textus receptus votis Patrum respondeat (cf. nota H), et cum de credentibus sermo fiat in n. 66.

69 — Pag. 25, lin. 14, restituantur verba ex textu a Commissione plenaria recepto: «*praesertim illis qui vel carentia responsabilitatis vel paupertate cultus humani laborant*».
R. — Admittitur, quia textus iam approbatus est. Attamen, claritatis causa, loco «carentia» dicatur «*privatione*».

[56] 70 — Pag. 25, lin. 14 ita compleatur: « Haec omnia, *cum animam et mentem ad altiora et humaniora elevent, iam* aliquam praeparationem ... ». Vel hoc modo: « Haec omnia *humanas virtutes excolere possunt, quae* Evangelii nuntio *gratia Dei fide accepto,* caritate informari *possunt* ... ».

R. — Istae additiones non sunt utiles; quoad rem, cf. n. 61; pag. 24, linn. 29-40.

[57] 71 — Loco « caritate » dicatur « *gratia* ».

R. — Manet caritas.

72 — Addatur in n. 61: « *Christifideles vero tentationes et pericula inquisitionum scientificarum facilius vitare possint si eodem gradu eademque vi culturam religiosam alant* quam humanam » (3 Patres).

R. — Provisum est in n. 66; pag. 28, lin. 43, ad pag. 29, lin. 7.

AD NUM. 62 (nunc 58).

73 — Hic numerus retractetur ad tenorem Cap. III, I^{ae} Partis, praesertim numeri 38.

R. — Haec postulatio est contra normas.

74 — Pag. 25, lin. 19: loco « multiplices nexus inveniuntur » dicatur « nexus inveniuntur multiplices *et intrinseci* » (2 Patres).

R. — Haec additio non est utilis.

75 — Pag. 25, linn. 19-22 ita rescribantur: « Nam Deus, *populo suo sese revelans* usque ad plen*am* sui manifestationem in Filio incarnato, *varia elementa humanae culturae adhibuit* » (5 Patres). Vel hoc modo: « Nam Deus per revelationem suam *intima hominis attigit ei usque conscientiam excitavit, ut ipsi Deo responsabilis fieret. Sic autem culturam personalem modo usque tum inaudito evolvit* » (1 Pater).

R. — Textus sic emendatur: « Nam Deus, *populo suo sese revelans* usque ad plen*am* sui manifestationem in Filio incarnato, locutus est secundum culturam diversis aetatibus propriam ».

76 — Pag. 25, lin. 24: « adhibuit » dicatur « adhib*et* »; vel « adhibuit *et adhibet* ».

R. — Servatur « adhibuit », quia agitur de hoc quod Ecclesia fecit « decursu temporum ».

77 — Pag. 25, lin. 29: post « morum ratio » addatur « *salvo iure naturali ac divino* ».

R. — Additio non est necessaria, quia res per se patet.

78 — Pag. 25, lin. 31: Dicatur « Suae *sacrae* traditioni ... ». Vel: « *Et profundiori reflexione de sua missione universali et meliore cognitione diversitatum et unitatis culturarum adiuta his temporibus Ecclesia magis quam saeculis anteactis conscia est qua libertate* communionem cum diversis ... » (3 Patres). [57] [58]

R. — Textus ita recognoscitur: « *Propriae* traditioni *inhaerens et insimul missionis suae universalis conscia,* communionem ... ».

79 — Pag. 25, lin. 32: Post « inire potest » addatur « *et revera iam inivit* ».

R. — Additio non est utilis.

80 — Pag. 25, lin. 32: Loco « Ecclesia » dicatur « *christifideles* ».

R. — « Ecclesia » manere debet in hoc contextu.

81 — Pag. 25, linn. 32-33 ita redigantur: « *quas* Ecclesia *ad suum munus adimplendum adhibet* ipsas etiam locupletando » (4 Patres).

R. — Textus receptus est ditior et clarior.

82 — Pag. 25, lin. 34: Scribatur « Bonus Christi nuntius ».

R. — « Bonum nuntium » est optimae latinitatis.

83 — Pag. 25, linn. 34-41 scribantur modo optativo, non assertivo, ne in triumphalismum incidamus (4 Patres).

R. — Forma indicativa etiam exprimit sensum optativum.

84 — Pag. 25, lin. 37: Post « elevat » addatur « *constanter et strenue reverentiam pauperum revocat, necnon partem quae ipsorum est cum materialium tum spiritualium bonorum communitatis humanae* » (5 Patres).

R. — Idea placet, sed in hoc contextu non est admittenda; invenitur in initio numeri 64.

85 — Pag. 25, lin. 41: Deleantur verba « *etiam liturgica* », quae sunt otiosa.

R. — Manent, quia his verbis ad traditionem orientalem alluditur.

86 — Pag. 25, lin. 41: loco « interiorem » dicatur « *veram* ».

R. — Non admittitur, quia libertas de qua agitur est de se vera libertas.

AD NUM. 63 (nunc 59). [59]

87 — Pag. 26, lin. 6: Loco « rationali » dicatur « *intellectuali* », quia « intellectus » sensum habet pleniorem quam « ratio».

R. — Vox « rationali » consulto introducta est.

[59] 88 — Pag. 26, lin. 6: Deleatur vox « immediate ».
R. — Omissio non placet, cum nexus intimus inter hominis naturam et culturam hic sublineari debeat.

89 — Pag. 26, linn. 8-9: Loco « ius ergo habet ad reverentiam » ponatur « *Merito* ergo *postulat* reverentiam » (19 Patres).
R. — Modus quoad substantiam placet, ideo dicitur: « agendi facultate. *Iure merito* ergo *postulat* reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate ».

90 — Pag. 26, lin. 11: Addatur: « intra fines *veri* boni communis. *Ex sua parte culti homines, specialiter scientifici, erga huiusmodi bonum commune suae responsabilitatis conscii sint* ».
R. — Modus nihil addit ad ea quae iam dicta sunt.

91 — Pag. 26, linn. 14-18: Loco « nec sane Ecclesia ... affirmat » legatur: « nec sane Ecclesia vetat ne "*humanae artes et disciplinae* in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo"; quare "iustam hanc libertatem agnoscens", cultus humani et praesertim scientiarum legitimam autonomiam affirmat ac "*id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent*" ». Ut Conc. Vaticanum I accuratius citetur.
R. — Pro prima parte: schema citat Conc. Vat. I ad litteram. Secunda autem pars Modi est repetitio eorum quae dicta sunt in n. 61, pag. 24, lin. 41, ad pag. 25, lin. 6.

92 — Pag. 26, linn. 16-18: Loco « quare iustam ... affirmat », legatur: « *Attamen cum illa principia et illae methodi non sint eiusdem generis in scientiis naturae materialis et in scientiis "de homine"* (specialiter in illis scientiis quae de sanitate, moribus et ethica hominis tractant), *sancta Synodus agnoscit* et affirmat "iustam hanc libertatem", *rite servatis natura et principiis cuiusque scientiae, et optat ut haec legitima libertas vigeat in omnibus campis cultus humani* ».
[60] R. — Emendatio non est admittenda, sive quia hic ad particularia devenire non oportet, sive quia de re agitur, quae in toto Capite exponitur (videatur Relatio, pag. 34, ad n. 61, nota B).

93 — Pag. 26, linn. 21-22: Loco « ex veritate de publicis eventibus » dicatur « *de* veritate *circa* publi*cos* event*us* ». Vel dicatur: « *secundum* veritatem de publicis eventibus ».
R. — Admittitur secunda propositio: « *secundum* veritatem ».

94 — Pag. 26, lin. 26: Post « minoritates alicuius nationis » addatur « *vel religionis* » (20 Patres). [60]

R. — Ne controversiae suscitentur circa naturam « *minoritatum* », maneat textus.

95 — Pag. 26, lin. 26: Ad verbum « nationis » addatur nota: « Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris, A.A.S.* 55 (1963), p. 283. Cf. PIUS XII, Nuntius radiophon. 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), pp. 16-17 ».

R. — Admittitur.

96 — Pag. 26, linn. 26-28: Ita reformentur: « ne cultura, potestatibus publicis vel oeconomicis servire coacta, a proprio fine avertatur ».

R. — Textus receptus est magis perspicuus.

97 — Pag. 26, lin. 27: Scribatur « *iniuste* servire cogatur ».

R. — Additio non est necessaria.

98 — Pag. 26, lin. 28: In fine (vel alibi) nova alinea addatur: « *Ipsi vero vel litterarum, vel bonarum artium, vel scientiae cultores sciant se non eximi legibus moralibus, sed in suis inventis praesertim evulgandis suam responsabilitatem agnoscant et bene perpendant sive erga ipsum ordinem moralem, sive erga concivium iura et totius societatis bonum* ».

R. — Res aequivalenter dicitur in eodem numero, linn. 19-21.

AD NUM. 64 (nunc 60).

99 — Pag. 26, lin. 30: Deleatur « primum » (2 Patres). Deleantur linn. 30-31: « Cum nunc primum ... liberandi ».

R. — Deletur « primum ».

100 — Pag. 26, lin. 32: Omittantur verba « praesertim pro christianis ». [61]

R. — Manent verba, quia textus praecipue ad christianos dirigitur, et quia nunc (in Sectione 3) agitur de christianorum muneribus.

101 — Pag. 26, linn. 33-34: Scribatur: « ... ut tum in re oeconomica ... internationali, *ferantur iudicia fundamentalia* ... ».

R. — Admittitur nova redactio textus.

102 — Pag. 26, linn. 34-37: Ita legantur: « ... quibus *postulatio* human*ae* civil*is*que cultur*ae* personae dignitati congru*ae ab om-*

[61] *nibus excolendae* ... ubique terrarum merito agnoscatur et ad rem deducatur ».

R. — Textus receptus retinetur, quia de vero iure agitur.

103 — Pag. 26, lin. 36: Post « nationis » addatur « *religionis* » (19 Patres).

R. — Admittitur.

104 — Pag. 26, lin. 36: Loco « condicionibus » legatur « condicion*is* ».

R. — Admittitur.

105 — Pag. 27, lin. 5: Loco « quoad fieri possit » ponatur « *probitate praediti* ».

R. — Non requiritur tantum probitas.

106 — Pag. 27, lin. 11: Deleatur idea « iuris » et dicatur: « *responsabilitatis, quia secundum fidem et religionem* astringuntur »; vel: « *debiti, qua recte* astringuntur ».

R. — Idea « iuris » et simul idea « officii » retineri debent. Sed, ut ambiguitas vitetur, dicatur (linn. 10-11): « conscii fiant tum iuris *ad culturam*, tum officii ... ».

107 — Pag. 27, linn. 15-16: Loco « humanum eorum cultum » dicatur « human*am* eorum cultur*am* ».

R. — Admittitur.

108 — Pag. 27, lin. 15: Post « oportet » addatur « *ius obtinendi* tales ... » (4 Patres). Vel loco « quibus praebeantur oportet » dicatur « *quorum ius est obtinendi* » (1 Pater).

R. — Hic agitur de casu concreto, in quo difficile videtur simpliciter affirmare ius; emendatio ergo non retinetur.

[62] 109 — Pag. 27, lin. 16: Addatur: « Mulieres, *in aliquibus regionibus*, in fere ... »; quia descriptio valet tantum de Occidente.

R. — Textus remanet, quia illa restrictio iam continetur in phrasi.

110 — Pag. 27, lin. 18: Post « propriam indolem » addatur « *id est in domo et in familia sua* ».

R. — Modus affert limitationem inopportunam.

111 — Pag. 27, linn. 18-20. Ad repetitiones vitandas, addatur post « propriam indolem »: « *etiam in campo culturali* », et deleatur ultima phrasis: « Omnium erit ... promoveatur ».

R. — Retinetur textus receptus, quia ultima phrasis momentum suum habet.

AD NUM. 65 (nunc 61). [62]

112 — Pag. 27, linn. 21-29 melius sub n. 60 venirent. Nam non apparet quomodo media de quibus sermo fit pag. 27, lin. 34, ad pag. 28, lin. 4, conferunt ad solvendam crisim de qua agitur in linn. 21-29.

R. — Transpositio non est opportuna; haec paragraphus, si bene intelligitur, optime introducit ea quae sequuntur.

113 — Pag. 27, linn. 21-29 hoc modo recognoscantur: « Maior hodie adest difficultas quam olim varias disciplinas *modernae cognitionis* scientificas et artes in synthesim redigendi, *ita ut ad iudicium universalis valoris perveniatur quoad vitam historiamque humanam.* Dum enim crescit moles et diversitas factorum culturalium, insimul minuitur facultas pro singulis hominibus ea percipiendi *quae sunt universalis valoris ita ut bona universalia humanitatis* magis ac magis evanesc*ant.* Attamen unicuique homini remanet officium *critica ratione attingendi nexum inter cognitiones scientificas technicasque artes et valores* totius personae humanae ... » (7 Patres).

R. — Lin. 22 legitur « varias *cognitionis* disciplinas ». Additio pro lin. 23 non videtur utilis, quia de hac re agitur lin. 26 sq. Emendatio pro lin. 25 sensum mutat: stet textus. Additio pro lin. 26 affert ea quae iam dicta sunt in n. 61: pag. 24, lin. 40, ad pag. 25, lin. 16.

114 — Pag. 27, lin. 25: Loco « hominis universalis » dicatur « hominis *culturae* universalis » (1 Pater); vel « *ipsius* hominis » (1 Pater); vel « hominis universali*ter docti* » (17 Patres). [63]

R. — Textus receptus servetur, quia terminum technicum adhibet.

115 — Pag. 27, linn. 28-29 ita legantur: « et fraternitatis valores, *qui omnes* in Deo Creatore funda*ntur* et a Christo mirabiliter sanati et elevati *sunt* ».

R. — Emendatio placet.

116 — Pag. 27, lin. 36: 7 Patres postulant ut inter facta culturalia nostrae aetatis memoretur ingens librorum diffusio per orbem, et ut ratio habeatur de momento huius facti pro cultura efformanda et spargenda. Ex iis duo proponunt additionem in lin. 36 introducendam, post « fovere possunt »: « *Insuper vulgantur per orbem libri et periodica diversis mentibus accommodata, quae recto animorum profectui conferre satagunt* »; altera formula: « *Insuper libri et periodica diversis mentibus accommodata,*

[63] *quae per orbem vulgantur et sparguntur atque multis hominibus etiam per bibliothecas patent, altiori animorum profectui inservire valent* ».

R. — Admittitur in lin. 35 haec modificatio: « ... praesertim ex *aucta librorum diffusione atque ex* novis *instrumentis* communicationis *culturalis et* socialis, ... ».

117 — Pag. 27, lin. 40: Loco « expolitur » dicatur « expol*iri potest* »; vel: « *congrue dispositum* expolitur ».

R. — Correctio non est necessaria.

118 — Pag. 28, lin. 2: Loco « ergo collaborent » unus Pater proponit « ergo *rite instruantur ut* collaborent »; alius proponit: « ergo *secundum rerum adiuncta et proprias condiciones* collaborent ».

R. — Textus simplicior manet.

119 — Pag. 28, lin. 4: Unus Pater proponit ut in fine addatur: « *Quandoque enim quaedam activitatis sportivae genera, ut puta boxe, corridas et alia huiusmodi, contraria videntur humanae personae dignitati eiusque iuribus et officiis* ».

R. — Ad nimis particularia descendere non oportet.

[64] AD NUM. 66 (nunc 62).

120 — Pag. 28, linn. 9-10 ita reficiantur: « *Omnes probe sciunt quantum, in decursu temporis, Ecclesia contulit* ad progressum culturae. *Ipsa tamen conscientiam habet se nonnisi partem, et quidem sub aspectu morali et religioso, habere,* et experientia constat ... ».

R. — De hac re controvertitur; textus receptus retinetur.

121 — Pag. 28, lin. 12: Scribatur « sine *gravibus* difficultatibus ».

R. — Stat textus, qui factum generale asserit.

122 — Pag. 28, lin. 12, in fine addatur: « *ac plurimis in regionibus ansam praebuisse damnosi dissidii inter vitam culturalem societatis et formas manifestationesque vitae ecclesialis* ».

R. — Ad haec alluditur in linn. 18-21; amplior explicatio non est necessaria.

123 — Pag. 28, linn. 13-15 ita reficiantur: « *Quamvis* istae difficultates fidei *aliquorum damnum afferre possunt, si debita prudentia proceditur illae potius* ad accuratiorem et altiorem fidei intelligentiam mentem excitare *valent* » (1 Pater). Vel hoc modo:

« Istae difficultates, *quamvis aliquando damnum vitae fidei afferunt, tamen* ad accuratiorem ... » (18 Patres). [64]

R. — Additiones phrasim onerant, nihil novum afferendo.

124 — Pag. 28, lin. 13: Loco « sed » ponatur « *immo* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

125 — Pag. 28, lin. 16: Post « consequentias », addatur « *in disciplinis theologicis et* ... ».

R. — Additio adducit tautologiam.

126 — Pag. 28, linn. 18-21: Expungantur « Praeterea ... sententia ».

R. — Expunctio esset contra normas. Non admittitur.

127 — Pag. 28, lin. 18: Rogatur, ut, post « theologi », scribatur: « ... *servatis propriis methodis atque exigentiis* ... ».

R. — Admittitur.

128 — Pag. 28, lin. 23: Unus Pater proponit ut deleantur verba « imprimis psychologiae et sociologiae ». Alius proponit ut legatur: « imprimis *sanae et verae* psychologiae, *necnon* sociologiae *christianae* ». Tertius proponit: « imprimis psychologiae et *certis* sociologiae *repertis* »; quia non constat sociologiam esse veram scientiam. [65]

R. — Stet textus. Emendationes propositae textum non meliorem reddere videntur.

129 — Pag. 28, lin. 24: « Etiam » omittatur.

R. — Vox « etiam » manere debet, ut phrasis intelligi possit.

130 — Pag. 28, lin. 25: Addatur in fine: « *Dialogus verus et permanens inter theologos, philosophos et homines scientiae statui debent in mutuo respectu, cum fraterna comprehensione, qui fructus unicuique profert* ».

R. — Provisum est in fine huius numeri.

131 — Pag. 28, lin. 31: Addatur post « satagunt »: « *necnon prolusionem quandam sortis felicioris efformant* » (8 Patres).

R. — Potius legitur in linn. 30-31: « et vires hominum illustrare *atque sortem hominis meliorem adumbrare* satagunt ».

132 — Pag. 28, lin. 32: In fine legatur: « elevare *eiusque sensum spiritualem et religiosum efformare* valent ».

R. — Haec idea invenitur in linn. 38-39.

133 — Pag. 28, lin. 33: Post « cultores » addatur « *mentem et animum intendant ad catholicae fidei mysteria cognoscenda;* atque se ab Ecclesia ... ».

[65] R. — Haec additio est supervacua et cum contextu non conveniens.

134 — Pag. 28, linn. 35-39: Unus Pater rogat ut textus deleatur (« Novae quoque ... erigat »), quia cum Constitutione « De Sacra Liturgia » non concordat. Duo Patres petunt ut textus componatur cum iis quae in eadem Constitutione (nn. 123-124) dicuntur, ne abusibus ansam praebeat. Alius petit ut dicatur in initio: « Novae formae *verae* artis ». Alius, ut dicatur lin. 36: « quae coaevis nostris *et menti hominis religiosi* adaptantur ». Alius, ut dicatur lin. 37: « regionum indolem pro valore religioso, quem possunt habere ».

[66] R. — Textus concordat cum Constitutione « De Sacra Liturgia », ad quam remittitur in nota; in particularia intrare non videtur opportunum.

135 — Pag. 28, lin. 37: 8 Patres proponunt ut loco « agnoscantur » dicatur « *recipiantur* ». Alius ut dicatur « agnoscantur *et promoveantur* ». Alius ut dicatur: « *agnosci poterunt* ».

R. — Admittitur haec modificatio: « agnoscantur. In sanctuario autem *recipiantur, quando,* modo ... ».

136 — Pag. 28, lin. 39: Nota 11 remittere debet non ad Civ. Catt., sed ad *A.A.S.* 56 (1964), pag. 439-442.

R. — Admittitur.

137 — Pag. 28, lin. 41: Scribatur: « perspicua *fit* et eorum condicionibus quasi insita *apparet* ».

R. — Admittitur.

138 — Pag. 29, lin. 7: Post « probare atque interpretari » addatur « *vel reprobare et respuere* ».

R. — Verbum « probare » implicat possibilitatem approbandi et reprobandi: « Omnia probate, quod bonum est tenete » (*I Thess.* 5, 21).

139 — Pag. 29, linn. 8-22: Unus Pater putat textum non sufficienter praecavere a periculis, quae ex cultura pro iuvenibus in Seminariis oriri possunt; dicit expositionem esse materialisticam et hedonisticam, non habentem rationem humanae debilitatis. Alius Pater animadvertit quod cooperatio, de qua agitur in linn. 8-10, utilis est pro Universitatibus, non pro Seminariis.

R. — Sermo fit de professoribus, praecise ut pericula a iuvenibus avertant.

140 — Pag. 29, lin. 15: Dicatur: « qui doctrinae *de Deo,* de homine ... ». [66]
R. — Admittitur.

141 — Pag. 29, lin. 20: Post « producant » addatur « *sub vigilantia sacrorum Pastorum* ».
R. — Additio est superflua.

142 — Pag. 29, linn. 20-23: Deleantur (2 Patres). [67]
R. — Expunctio esset contra normas.

143 — Pag. 29, linn. 20-23 hoc modo recognoscantur: « Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, *sive laicis sive clericis, tam saecularibus quam regularibus* iusta libertas, *ita ut nulli Superiori vel Capitulo religioso hanc libertatem, a sancta Matre et Magistra Ecclesia omnibus concessa, suis subditis negare liceat,* inquirendi ... ».
R. — Textus receptus sufficit.

144 — Pag. 29, lin. 21: Unus Pater postulat ut expungantur verba « sive clericis, sive laicis ».
R. — Textus manet, nam illa verba voto in Aula proposito respondent.

145 — Pag. 29, lin. 22: Tres Patres petunt ut deleatur « et fortitudine ».
R. — Textus manet, nam fortitudo non est inutilis.

CAPUT III [68]

DE VITA OECONOMICA-SOCIALI

Exitus suffragationis super integrum Caput:

Praesentes votantes	2.253
Placet	1.740
Non placet	41
Placet iuxta modum	469
Vota nulla	3

Subcommissio modos ordinavit et examinavit. Responsiones subcommissionis discussae sunt in Commissione plenaria mixta, quae sequentes solutiones statuit.

[68] IUDICIUM GENERALE SUPER TOTUM CAPUT:

1 — Totum caput minus placet eo quod fusius agat et nimis definitive de his quae pluribus obnoxia sunt technicis mutationibus. Oportet igitur hac de re nonnisi principia generaliora exponere (20 Patres).

Ratio non datur.

R. — Non admittitur. In aliquibus casibus delebuntur forsan aliqua magis technica.

2 — Nimis ethice tantum loquitur (1 Pater).

Ratio non datur.

R. — Textus in genere receptus fuit post lungas disceptationes.

3 — Cum multa dicantur quidem de iuribus opificum, sed nulla de eorum obligationibus, caput sapit « demagogismum » (1 Pater).

Ratio non datur.

R. — De opificibus non in particulari agitur, sed de omnibus vitam oeconomicam participantibus, et etiam de eorum obligationibus saepius fit sermo (cf. quae dicuntur de operistitio).

[69] QUOAD TITULUM CAPITIS:

4 — Titulus capituli sit: « De vita sociali-oeconomica » (23 Patres).

Ratio: Ordo adiectivorum ideo transponendus est, ut conceptio marxistica — secundum quam oeconomia est basis omnium — etiam a titulo capituli elongetur.

R. — Non admittitur, quia in hoc capite agitur de vita sociali, *quatenus* est oeconomica; nam etiam in aliis capitibus agitur de vita sociali, et ibi sub *aliis* respectibus.

AD NUM. 67 (nunc 63).

1 — Pag. 38, lin. 4, post verbum « finis » addatur « immediatus » vel « proximus » (2 Patres).

Ratio: Finis ultimus cuiuslibet humanae activitatis Deus est, non homo. Contra anthropocentrismum naturalisticum.

R. — Finis immediatus praecise vitae oeconomicae est homo.

2 — Pag. 38, linn. 6-8, post « notatur » usque ad « populos » nova redactio proponitur: « et densiores impensioresque relationes atque mutuam dependentiam inter cives, coetus et populos *fovet* ».

Et supprimantur verba « necnon frequentiori imprimis politicae potestatis interventione » (1 Pater). [69]

R. — Non admittitur, quia non agitur de valutatione aspectuum in hoc numero.

3 — Pag. 38, lin. 8, supprimatur « imprimis » (13 Patres).

R. — Admittitur.

4 — Pag. 38, lin. 10, dicatur « ... oeconomiam *magis* aptum » (13 Patres).

R. — Vide resp. ad Modum 5.

5 — Pag. 38, linn. 10-12, loco « oeconomiam ... inserviendum » dicatur: « oeconomiam aptum effecerunt instrumentum, *quod* adauctis familiae humanae necessitatibus melius inservire *possit* » (16 Patres).

R. — Admittitur.

6 — Pag. 38, linn. 14-15, loco « dominari » dicatur « subiici » (1 Pater).

R. — Dicitur « regi ».

7 — Pag. 38, lin. 16, post « imbuatur » addatur: « Cum vero hoc accidat tam in nationibus quae oeconomiae collectivisticae favent quam in illis quae oeconomiam privatam colunt, potius quam minuere, illae quae inter eas ex diversa ordinatione oeconomica-sociali controversiae oriuntur, aliquo modo inquinantur ». [70]

R. — Nimis in particularia descendere videtur. Ergo non admittitur.

8 — Pag. 38, linn. 17-18, supprimatur « tam in nationibus quae oeconomiae collectivisticae favent quam in aliis » (1 Pater).

R. — Post explicitam disceptationem textus sic desiderabatur. Ergo non admittitur.

9 — Pag. 38, lin. 22, loco « etiam » dicatur « praesertim » (2 Patres).

R. — Non admittitur, quia « praesertim » videtur in contextu verbum depretiativum.

10 — Pag. 38, lin. 29, post « ex altera parte » addatur « immo non raro inter liberales et technicas artes » (22 Patres).

R. — Tollitur « ex una parte » necnon « ex altera parte »; et sic respondetur ad quaestionem, quia liberales artes comprehenduntur sub « servitiis ».

11 — Pag. 38, linn. 30 sq., dicatur: « Inter nationes *oeconomice* magis progressas *aliasque* nationes gravior ... ».

R. — Admittitur.

[70] 12 — Pag. 38, linn. 31-32, loco « oppositio fit » dicatur « inaequalitas oeconomica augetur » (1 Pater).

R. — Non innuitur quod est pugna ineluctabilis; tantummodo alluditur ad factum vigens.

13 — Pag. 39, linn. 2 sqq., haec nova redactio proponitur: « ... Ad hoc Ecclesia, iustitiae et aequitatis principiis inspirata, in decursu saeculorum secundum rectae rationis postulata doctrinam sub luce Evangelii exaravit, atque his praesertim ultimis temporibus, non tantum pro singulis communitatibus sed et pro vita internationali, protulit. Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis roborare et orientationes quasdam proferre intendit ... » (12 Patres).

R. — Admittitur hoc modo: « Ad hoc Ecclesia iustitiae et aequitatis principia, *tam pro vita individuali et sociali, quam pro vita inter-*
[71] *nationali,* a recta ... », etc., et post « roborare » admittitur incisum « *orientationes quasdam proferre* ».

14 — Pag. 39, lin. 3, post « a recta ratione postulata » addatur « et haud raro a non-christianis iam proposita » (4 Patres ».

R. — Non admittitur.

15 — Pag. 39, linn. 5-7, nova redactio proponitur: « Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis proponere intendit, hominibus huius temporis collaborationem suam in tot problematibus solvendis, quae pro homine ex hac progressione oriuntur, praebere desiderans » (4 Patres).

R. — Non admittitur, quia saepius haec collaboratio Ecclesiae iam in prima parte offertur.

16 — Pag. 39, linn. 6 sq., deleatur « imprimis » (aliqui Patres).

R. — Non admittitur.

AD NUM. 68 (nunc 64).

1 — Pag. 39, lin. 8, mutetur titulus sic: « De progressione oeconomica et de eius *criterio* fundamentali » (13 Patres).

R. — Titulus sic mutatur: « *De progressione oeconomica in hominis servitium* ».

2 — Pag. 39, linn. 8 sqq., aliquid esset dicendum de paupertate evangelica (4 Patres).

R. — Pag. 44, lin. 36, fit sermo de « spiritu Beatitudinum », ubi addetur « notabiliter paupertatis ».

3 — Pag. 39, lin. 11, post « servitiorum » addatur « et eorum omnium iusta distributio » (3 Patres). [71]

R. — Non admittitur, quia in hoc contextu agitur tantummodo de *progressione* oeconomica et de incremento.

4 — Pag. 39, lin. 16, loco « lex » dicatur « criterium » (13 Patres).

R. — Dicitur « finalitas ».

5 — Pag. 39, lin. 18, loco « hominis ... integri » scribatur « hominis integri servitium » (1 Pater).

R. — Propter connexionem cum membro sententiae ultimo admitti non potest. [72]

6 — Pag. 39, linn. 17-18, deleatur verbum « maximum » et verbum « latissimum » et legatur « neque lucrum vel dominatum, sed hominis servitium » (3 Patres).

Ratio: lucrum est incitamentum, nullo modo *lex fundamentalis*.

R. — Admittitur; sed dicatur « Huius autem productionis *finalitas* fundamentalis non est merum productorum incrementum, neque lucrum vel dominatus, sed hominis servitium ... ».

7 — Pag. 39, lin. 20, loco « hominis, dicimus, cuiuscumque » legatur « Quod servitium cuicumque homini destinatur » (1 Pater).

R. — Propter ordinem totius sententiae non admitti potest.

8 — Pag. 39, lin. 22, nova redactio proponitur « ... navitas oeconomica secundum methodos et leges proprias, quae ad utilitatem oeconomicam obtinendam proxime spectant, et intra fines ordinis moralis exercenda est ... » (18 Patres).

R. — Admittitur, deleto inciso « *quae ad utilitatem oeconomicam obtinendam proxime spectant, et* ».

9 — Pag. 39, lin. 23, post « exercenda » dicatur « ita ut in servitium hominis cedat et Dei de homine consilio respondeat ».

R. — Lineis immediate antecedentibus (18) dicitur servitium hominis esse legem fundamentalem oeconomiae. Hinc repetitio non necessaria.

AD NUM. 69 (nunc 65).

1 — *Circa totam paragraphum 69*:

Cum textus non paucas neque leves tangat technicas quaestiones, lineis tantum universalioribus oportet loqui. Dicatur erga

[72] simpliciter quam plurimos esse promovendos ad rerum gerendarum participationem in vita oeconomica-sociali (16 Patres).

R. — Omnia et singula puncta correspondent Patrum postulatis.

2 — Pag. 39, lin. 32, post verbum « coetuum » addatur « stimulentur, promoveantur et » (1 Pater).

R. — Iam satis provisum est cum verbis, quibus reiicitur arbitrium paucorum in initio numeri (lin. 26).

[73] 3 — Pag. 39, linn. 32 et 35, loco « publicarum » vel « publicae » dicatur « civilium » vel « civilis » (1 Pater).

R. — « civilis » contradistinguitur ab « ecclesiastico », « publicum » a « privato ».

4 — Pag. 39, lin. 34, post « Incrementum » addatur « bonorum materialium » (2 Patres).

R. — Agitur de incremento oecon. in genere (etiam servitiorum), quod satis patet ex contextu.

5 — Pag. 39, lin. 37, post verba « quam illae » addatur « quae specie falsae socialitatis » (17 Patres).

R. — Iam provisum est verbis « organizationi productionis collectivae ».

6 — Pag. 40, linn. 2-3, loco « adhuc progredientibus » dicatur « minus progressis » (1 Pater).

R. — Admittitur addito verbo « oeconomice ».

7 — Pag. 40, lin. 4, loco « graviter in discrimen vocant qui opes suas infructuose retinent » dicatur « qui *ingentes* suas opes infructuo*sas* retinent » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

AD NUM. 70 (nunc 66). [*De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis*].

1 — In hac paragrapho introducatur pericopa de pretio iusto comparando pro sic dictis « matières premières » (1 Pater).

R. — Hoc problema pertinet ad commercium internationale. De idea agitur sub n. 90, *b*).

2 — Pag. 40, lin. 8, post « satisfiat » addatur « atque socialis et internationalis pax servetur » ... etc. (1 Pater).

R. — Pag. 38, lin. 32, est sermo de pace turbata per ingentes differentias. Hinc non est necessarium ut hic dicatur iterum expresse quod per diminutionem differentiarum pax servari debeat.

3 — Pag. 40, lin. 11, loco « cum discriminatione sociali coniunctae » [73]
dicatur « quae ordinatae progressioni societatis et exercitio iurium fundamentalium personae humanae omnium membrorum [74]
communitatis sese opponuntur » (14 Patres).

Ratio: Nulla.

R. — Textus prout iacet melior videtur, quia innuit praecise iniustitiam. Admittitur tamen ut post « discriminatione » addatur « individuali et ».

4 — Pag. 40, lin. 12, post « minuantur » addatur « ita ut plures semper homines plenius atque plenius ad bona oeconomica accedant » (25 Patres).

R. — Esset repetitio ideae saepius in capite enuntiatae (v. incrementum oecon. n. 68; v. paragr. 75).

5 — Pag. 40, lin. 12, post « minuantur » addatur « Ad hoc requiritur praesertim ut eligantur media aptissima ad necessitates urgentiores pacanda et ut instituantur organisationes quae aequam distributionem divitiarum nationis inter omnes faveant » (26 Patres).

R. — Nimis in particularia descendit. Alii « media apta » inquirantur.

6 — Pag. 40, lin. 12, deleantur verba « vel saltem minuantur » (1 Pater).

R. — Admittitur.

7 — Pag. 40, linn. 12-17, nova redactio proponitur: « Pariter in pluribus regionibus, attentis peculiaribus agriculturae difficultatibus sive in gignendis sive in vendendis bonis, adiuvandi sunt ruricolae, cum ad necessarias evolutiones et innovationes inducendas, tum ad aequum redditum consequendum, ne ut saepius accidit, in conditione civium inferioris ordinis maneant ».

Et addatur: « Ipsi autem agricolae, praesertim iuvenes, conscii fiant de momento ac dignitate suae missionis et sponte ac sollerter sese applicent ad suam peritiam professionalem perficiendam sine qua progressio agriculturae dari nequit » (140 Patres).

R. — Admittitur incisum « tum ad aequum redditum consequendum ». Ex « additione » admittitur: « *Ipsi autem agricolae, praesertim iuvenes, sese sollerter applicent ad suam peritiam professionalem perficiendam, sine qua progressio agriculturae dari nequit* ».

8 — Pag. 40, lin. 28, post verbum « favere » addatur: « Immigrantes autem talem insertionem et sincere velle et in effectum paulatim ducere ipsi ex officio tenentur » (9 Patres).

[75] R. — *Non omnes* immigrantes tenentur sese inserendi definitive in communitatem recipientem.

9 — Pag. 40, lin. 28, post « favere » addatur « Cui insertioni et ipsi immigrantes positive cooperari satagant » (2 Patres).

R. — Vide resp. ad Modum antecedentem.

10 — Pag. 40, linn. 30 sq. legatur « In rebus oeconomicis hodie mutationi obnoxiis, exempli gratia ubi automatio progreditur ... » (1 Pater).

R. — Loco « necnon » dicitur « ut ».

11 — Pag. 40, lin. 35, loco « ob morbum vel aetatem gravioribus laborant difficultatibus » dicatur « ob morbum vel aetatem vel sexum laborant difficultatibus » (17 Patres).

Ratio: liquet.

R. — Non admittitur, quia difficultates, de quibus in textu, et viros et mulieres tangunt.

AD NUM. 71 (nunc 67).

1 — Pag. 40, lin. 37 sqq., haec nova redactio proponitur: « Labor humanus cuiusvis generis vere spiritualem induit indolem proindeque omnibus aliis factoribus vitae oeconomicae praestat quippe quae sunt propter hominem. Hic enim labor ... » (2 Patres).

R. — Non admittitur, quia contradistinctio inter laborem humanum et alios factores oeconomicos fortius exprimitur in textu recepto.

2 — Pagg. 41-42: Ibidem de aliis quoque elementis quae praeter humanum laborem oeconomicarum rerum productioni necessario conferunt, quodammodo ex iustitia agendum est (15 Patres).

R. — Agitur de facto de aliis elementis in variis locis e. g. n. 86 (« Studium inceptorum creandorum »), n. 74 (« de pecuniarum collocationibus »). Hic agitur tantum de labore. Expresse fit etiam sermo de « rebus materialibus », quibus labor praestat.

3 — Pag. 41, linn. 3-6, nova redactio textus proponitur: « Labore suo, homo communi societatis humanae etiam totius creationis bono inservit, et simul media sibi comparat, quibus suae suorumque sustentationi providere valet, germanam caritatem erga [76] pauperes et afflictos exercere potest, et cum fratribus suis in laboribus amicitia laete coniungitur » (4 Patres).

R. — Ea quae hic desiderantur, iam bene tractantur in prima parte, n. 34.

4 — Pag. 41, lin. 4, post « sustentat » addatur « proprias ingenii vires evolvit, virtutes exercet, plurima bona humano cultui affert, cum fratribus ... » (11 Patres). [76]

R. — Cf. resp. ad Modum antecedentem.

5 — Pag. 41, lin. 7, supprimatur « tenemus » et textus aliter redigatur (1 Pater).

R. — Adhibetur vox « tenemus », ut appareat quod hic non sermo est tantum secundum simplicem rationem naturalem.

6 — Pag. 41, lin. 10, post « officium laborandi » inseratur referentia ad dictum S. Pauli *2 Thess.* 3, 10-12 (4 Patres).

R. — Ratio, quae datur pro officio laborandi (« Exinde oritur ... »), desumitur ex omnibus elementis contextus antecedentis et non restringi potest ad dictum S. Pauli. Ergo non admittitur.

7 — Pag. 41, linn. 10-12, loco « societatis vero ... possunt » haec scribantur: « inter praecipua vero societatis officia est talem ordinem oeconomicum fovere, et si adiuncta exigant, promovere, in quo omnes cives, et praesertim iuvenes, sufficientis laboris occasionem invenire possunt » (1 Pater).

R. — Difficile est stabilire praevalentiam officii pro iuvenibus. Additio de ordine oeconomico favendo in hoc contextu non est ad rem.

8 — Pag. 41, lin. 11, post « adiuvare » addatur « praesertim iuvenes qui familiam condere contenduntur » (2 Patres).

R. — Vide antecedentem Modum.

9 — Pag. 41, linn. 12-14, dicatur: « Denique quamvis remuneratio laboris computari debeat iuxta ipsius qualitatem et efficacitatem, tamen, dummodo labor recte et honeste exerceatur, numquam minor esse debet quam quae sufficit ut homini facultates ... » (1 Pater).

R. — Additur post « excolendi » « spectatis uniuscuiusque munere et productivitate necnon officinae conditionibus et bono communi ».

10 — Pag. 41, lin. 13, post « praebeantur » addatur « saltem » (1 Pater). [77]

R. — Idea includitur in verbo «digne» in lin. 14.

11 — Pag. 41, lin. 14, post « culturalem » addatur « familiarem » (1 Pater).

R. — Continetur in « eorumque ».

12 — Pag. 41, lin. 14, post « excolendi » addatur « spectatis munere et productivitate singulorum nec non conditione oeconomica coetus

[77] bonis gignendis et bono communi civitatis consortionisque hominum universae » (14 Patres).

R. — Vide resp. ad Modum 9.

13 — Pag. 41, lin. 14, post « spiritualem » addatur « religiosam » (1 Pater).

R. — Includitur in « spirituali ».

14 — Pag. 41, lin. 14, post « excolendi » addatur « ita tamen, ut crescente lucro etiam salarium crescat » (1 Pater).

R. — In notula 6 remittitur ad documenta Pontificia.

15 — Pag. 41, lin. 16, loco « esset » dicatur « est » (1 Pater).

R. — Admittitur.

16 — Pag. 41, lin. 18, loco « opus facientes » dicatur « opifices » (1 Pater).

R. — Agitur hic de « quibusvis laborantibus », sicuti ex linea antecedenti videndum est, non tantum de opificibus sensu stricto.

17 — Pag. 41, lin. 20, aliquid de iuvenum labore dicendum esset (1 Pater).

R. — Implicite continetur in lin. 23, quando de respectu aetatis agitur.

18 — Pag. 41, lin. 25, loco « socialem et religiosam » dicatur « et socialem necnon ad religiosam praxim » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia ratio data non videtur constringens.

19 — Pag. 41, lin. 25, post « explicandi » addatur: « Ad has facultates excolendas adolescentes, praesertim ruricolae, iuventur ut apti fiant ad laborem dignum persona inveniendum. Denique ad vitam ... » (2 Patres).

R. — Nimis particularia videntur.

[78] 20 — Pag. 41, lin. 26, post « otio » addatur « semper fecundiore » (7 Patres).

R. — Idea exprimitur in phrasi immediate sequenti.

21 — Pag. 41, lin. 28, post « valent » haec addantur: « Iamvero oblivioni dari non debet, quod in oeconomiis valde progressis non raro obtingere potest, sensu vitae humanae, quamdiu in hoc saeculo versamur, non positum esse praesertim in obtinendo quam maximo et semper augendo tempore a laboris onere libero, sed in labore professionali fideliter praestando » (24 Patres).

R. — Admittitur hoc modo, ut in lin. 10 ante verbum « laborandi » addatur « fideliter » et in lin. 25 post verbum « explicandi »

nova phrasis sic currat: « *Huic exercitio tempus viresque suas debita cum responsabilitate applicantes, tamen* ad vitam ... *etiam* sufficiente quiete et otio omnes gaudeant ». [78]

AD NUM. 72 (nunc 68).

1 — Participatio enixe optanda est, dummodo servetur libertas incepti. Nondum experientia constat, quaenam sit melior methodus sequenda (15 Patres).

R. — Libertas aequivalenter exprimitur cum verbis « salva ... unitate ».

2 — Pag. 41, lin. 32, scribatur: « Ideo, salvis operis efficacitatis conditionibus, promoveatur ... » (2 Patres).

R. — De efficacitate productionis sermo fit in n. 68.

3 — Pag. 41, linn. 32-34, loco phrasis ibi enuntiatae haec nova redactio proponitur: « Ideo, salva efficientia coetus ad bona gignenda et necessaria directionis operis unitate, omnibus actuosae partes attribuantur in negotiis societatis cui navant operam, modis apte determinandis. Cum autem ... » (12 Patres).

R. — Vide responsum ad Modum 5.

4 — Pag. 41, linn. 32-34, phrasis « Ideo ... et fructibus », omittatur et eius loco inseratur: « Auctoritates civiles leges edant quae, salva directionis operis unitate necnon primaria proprietarii responsabilitate, laborantibus cuiuscumque incepti congruentem participationem, modis apte determinandis, in curatione praesertim servandarum laboris occasionum et magis in fructibus praebeant » (1 Pater).

R. — Vide responsum ad Modum 5.

5 — Pag. 41, lin. 33, post verba « operis unitate » addatur « quae suam distinctam responsabilitatem tribuit proprietati, intellectui, operae » (22 Patres). [79]

R. — Pro linn. 32-34 post « creati » dicitur: « Ideo, *attentis muneribus uniuscuiusque, sive proprietariorum, sive conductorum operis, sive dirigentium, sive operariorum,* atque salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur, modis apte determinandis, omnium *actuosa* participatio in inceptorum curatione et fructibus ». Cum autem ...

6 — Pag. 41, lin. 33, loco « promoveatur ... participatio » dicatur « promovere oportet omnium sociorum participationem » (25 Patres).

R. — Non possumus in re tam delicata praeceptum formale imponere.

[79] 7 — Pag. 41, lin. 34, loco « in inceptorum negotiis » dicatur « ad negotia expedienda » (1 Pater).

R. — Cf. notulam 7 in textu recepto.

8 — Pag. 41, lin. 34, deleatur « negotiis eorum » (6 Patres).

R. — Admittitur.

9 — Pag. 41, linn. 38 ss., deleatur « et quidem per delegatos libere electos » (25 Patres).

R. — Admittitur hoc modo, ut post « habeant » dicatur « et quidem per se ipsos vel per delegatos libere electos ».

10 — Pag. 41, lin. 38, post « partem » addatur « non mere symbolicam et passivam, sed realem et efficacem, habeant ipsi ... » (1 Pater).

R. — In contextu agitur de actuosa participatione, et expresse nominatur in phrasi antecedente.

11 — Pag. 41, lin. 40, deleatur « fundamentalia » (3 Patres).

R. — Non admittitur. Hoc ius a quasi omnibus legibus constitutionalibus inter « iura fundamentalia personae » ponitur.

12 — Pag. 41, lin. 40, post « consociationes » addatur « intra limites iustos boni communis cuiusque populi » (2 Patres).

R. — Valet de omnibus iuribus huius ordinis: hinc non est cur expressa mentio fiat.

[80] 13 — Pag. 41, linn. 40-42, loco « Inter ... condendi » dicatur: « Omnes qui in inceptis oeconomicis consociantur ampliores consociationes libere condendi ... » (1 Pater).

R. — Hic non agitur de inceptis tantum, prout ex titulo paragr. apparet.

14 — Pag. 41, lin. 41, post « pro laborantibus » addatur « ceterisque in incepto aliquo oeconomico cooperantibus vel participantibus » (1 Pater).

R. — « laborantes » omnes operis socios comprehendit, non tantum opifices.

15 — Pag. 41, lin. 43, post « navitatem » addatur « propriam » vel « specificam » (2 Patres).

R. — Additio non videtur necessaria.

16 — Pag. 41, lin. 43, post « libere » addatur « et iuste » (1 Pater).

R. — Ex contextu, lin. antecedenti, apparet quod agitur de « recto ordine ».

17 — Pag. 42, lin. 1, post « participandi » addatur: « Hoc tamen ius exerceatur oportet intra limites impositos exigentiis boni communis cuiusque Civitatis, uti sunt propria populorum indoles, gradus progressionis oeconomicae et socialis aliaque eorum adiuncta historica » (7 Patres). [80]

R. — Vide resp. ad Modum 12.

18 — Pag. 42, lin. 11, post « participandi » addatur: « Numquam tamen desint in societate politica organa legitima ad iura uniuscuiusque in ambitu laboris definienda et imponenda » (1 Pater).

R. — Supponitur pro omnibus iuribus; hinc mentio specialis non requiritur.

19 — Pag. 42, linn. 1-5, phrasis tota « Per ... sentiant » deleatur, vel saltem addatur « dummodo a probatis et libere electis viris hae consociationes ducantur et bonum totius communitatis non parvipendant » (1 Pater).

R. — Additur post « socialis » « necnon universi boni communis ».

20 — Pag. 42, lin. 5, post « se sentiant » addatur: « Praeter has consociationes, quae iuris et ordinis sunt privati (nota 8: PIUS XI, *Quadragesimo anno, A.A.S.* 23 [1931], 205), etiam collegia seu corpora, quae tamquam iuris publici instrumenta atque instituta consociationes illas dirigunt easque in rebus communibus ad unum idemque coordinant, ad meliorem ordinem socialem instaurandum promovendumque conducere possunt, dummodo praedictum ius consociationum intra ipsa servetur, neque potestas civilis ultra limites boni communis liberae activitati civium se substituat (not. 9: cf. PIUS XI, ibid., 208 (26 Patres). [81]

R. — Collegia seu Corpora iuris publici non excluduntur in contextu.

21 — Pag. 42, linn 6 ss., loco phrasis ibi enuntiatae haec dicantur: « Cum vero controversiae laboris oriuntur, media pacifica imprimis adhibenda sunt » (13 Patres).

R. — Textus videtur dicere substantialiter idem.

22 — Pag. 42, linn. 6-12, pro tota alinea nova redactio proponitur: « Cum vero conflictus oeconomici-sociales oriuntur, ut ad pacificam eorum solutionem deveniatur enitendum est, ita ut semper praeprimis ad sincerum inter partes colloquium sit recurrendum, vel ad magistratus, ubi ad hoc adsint, vel ad colloquium cum ipsa auctoritate publica. Operistitium tamen ad propria iura defendenda et ad iusta laborantium quaesita implenda adiumentum

[81] ultimum esse debet, ita ut quamprimum viae ad negotiationem et solutionis colloquium resumendum quaerantur » (27 Patres).

R. — Textus prout iacet, post longas disceptationes et cum votatione receptus est. Et ad praecavendas difficultates additum est « etsi ultimum ».

23 — Pag. 42, linn. 6-12, pro tota alinea nova redactio proponitur: « Si inter personas in inceptis oeconomicis consociatas conflictus oeconomici-sociales oriuntur, ut ad pacificam et iustam solutionem deveniatur enitendum est, sive sincero inter partes colloquio, sive recursu ad legitima organa publica quae iura aut iusta quaesita cuiusque partis definiant et impleant. Nec licet ad operistitium confugere nisi quando pacifica et iusta via non suppetat ad iura defendenda et implenda » (1 Pater).

R. — Idem ac pro Modo antecedenti.

24 — Pag. 42, linn. 6-12, recolenda est doctrina Pii XI in *Quadragesimo anno* de institutionibus socialibus (tribunali del lavoro) (1 Pater).

R. — Non excluditur a mediis ad pacificam solutionem quaerendam.

[82] 25 — Pag. 42, linn. 8-11: improbetur operistitium quod non sit propter rationes oeconomico-sociales (1 Pater).

R. — 1) Agitur tantum de conflictibus oec.-socialibus;
2) quoad « operistitium » sic dictum politicum cf. relationem textus recepti, pag. 51, ad *c*).

26 — Pag. 42, lin. 8, post « colloquium » addatur « et ad instituta arbitralia, ubi dentur » (1 Pater).

R. — Vide Modum 24.

27 — Pag. 42, lin. 9, post « iura » addatur « in re oeconomica » (1 Pater).

R. — Vide Modum 25.

28 — Pag. 42, lin. 10, post « manere potest » addatur « si desunt normae iuridicae ad solvendos conflictus » (1 Pater).

R. — Supponitur cum verbis « etsi ultimum », quod significat « ultimam rationem ».

29 — Pag. 42, lin. 10, post « etsi ultimum » addatur « iustisque semper legibus moderandum intuitu boni communis » (1 Pater).

R. — Non intratur in hanc rem, quia hoc pendet a diversis conditionibus in variis nationibus.

30 — Pag. 42, lin. 11, post « etsi ultimum » addatur « et defectu cuiusque compositionis pacificae etiam inductae per normam legalem et secure protectae » (3 Patres).

R. — Vide Modum antecedentem.

31 — Pag. 42, lin. 11, post « manere potest » addatur « Vitetur autem in operistitio quaecumque vis sive in res sive in personas, ne ius in iniustitiam pervertatur » (1 Pater). [82]

R. — Hoc supponitur.

32 — Pag. 42, lin. 11, post « manere potest » addatur: « Cessationes vero operis tantummodo habeantur ob rationes vere graves et sint semper proportionatae illis rationibus gravibus et incommodis, nocumentis, damnis ac malis quae communitati civium causantur ab ipsa operis cessatione » (1 Pater).

R. — Continetur in verbis « etsi ultimum » et « iusta laborantium quaesita ». Reliquia pertinent ad casuisticam laboris.

33 — Pag. 42, lin. 11, post « potest » addatur « dummodo maiora mala non implicet et honestis methodis procedat, vitata qualibet operariorum iniusta coactione » (1 Pater). [83]

R. — Vide Modum 31.

34 — Pag. 42, lin. 12, post « quaerantur » addatur « ita ut progressus ad controversias mediis iuridica efficacitate praeditis solvendas foveatur » (13 Patres).

R. — Iam includitur aliquomodo prima sententia huius alineae.

35 — Pag. 42, lin. 12, post « quaerantur » addatur « siquidem non raro, si nimis protrahatur, operistitium, initialiter iustum, potest iniustum devenire » (1 Pater).

R. — Tunc non iam sermo esse potest de « iustis quaesitis ». Hoc de casu in casum determinandum est.

36 — Pag. 42, lin. 12, post « quaerantur » addatur « In casu operistitii respiciantur etiam iura aliorum et universe ea quae bonum commune postulat » (1 Pater).

R. — Si laedantur iura aliena, cessant « iusta quaesita ».

37 — Pag. 42, linn. 6-12, ad operistitium generaliter: etiam in casu operistitii servitia necessaria in tuto collocari debent (3 Patres).

R. — Deletum fuit, quia videbatur inclusum in verbis « iusta quaesita ».

38 — Pag. 42, linn. 6-12, ad operistitium generaliter: Textus insufficiens est. Reformetur, ut abusus evitentur (2 Patres).

R. — Vide Modum 22.

39 — Pag. 42, linn. 6-12, de operistitio generaliter: « Operistitium non oportet ut ab Ecclesia suadeatur ullo modo ». Totum alinea deleatur (3 Patres).

R. — Vide Modum 22. Insuper Ecclesia indiscriminatim non suadet, sed agnoscit ius.

[83] AD NUM. 73 (nunc 69).

1 — Pag. 42, linn. 13 s.: Subtitulus « De bonorum terrestrium *universali* destinatione *ad usum omnium* » (9 Patres).

R. — Potest recipi cum hac formula: « De bonorum terrestrium *ad universos homines* destinatione ».

[84] 2 — Pag. 42, lin. 15, post « destinavit » adiungatur: « *secundum ius naturale* » (6 Patres).

Ratio: Ut conformitas habeatur cum S. Thoma, II-II, q. 57 a. 2-3.

R. — Additio non videtur necessaria, quia in contextu agitur de bonis a Deo creatis, ergo de ordine naturali rebus intrinseco, et dicitur « *iustitia* duce », ergo in primis de iustitia naturali, ad quod pertinet ius naturale. De citato textu S. Thomae multo esset disputandum.

3 — Pag. 42, lin. 16, loco « iustitia duce caritate comite » proponitur ut dicatur: « *secundum iustitiam, caritate inspiratam et roboratam* » (3 Patres).

Ratio: Quia expressio textus recepti esset omnino contra doctrinam S. Scripturae, offendit theologos et homines modernos ridere facit.

R. — Illa expressio iisdem verbis legitur in litteris encyclicis Pii XII citatis in nota 8. Alia ex parte de momento et primatu caritatis in genere agitur in prima parte schematis et de influxu super iustitiam sermo fit expresse in fine huius capitis, n. 76, ubi dicitur: « opus iustitiae inspirante caritate ». In praesenti numero vero agitur de effectiva destinatione rerum ad omnes homines; quod *primo* pertinet ad iustitiam, etiam ex parte illorum qui caritatem non agnoscunt. Alia ex parte cf. *Relatio* textus anterioris p. 51, B, ubi explicatur sensus.

4 — Pag. 42, lin. 16 quaeritur, ut loco « comite », dicatur « influente » (1 Pater).

Ratio: Hoc verbum maxime convenit caritatis actioni.

R. — Ut ad Modum praecedentem.

5 — Pag. 42, lin. 17 s. quaeritur ut hic etiam enuntietur explicite principium proprietatis privatae uti essentialis exigentia personae humanae (2 Patres).

Ratio: Ne illud principium videatur in oblivionem poni.

R. — De hoc quod quaeritur agitur in num. 75, linn. 28 ss. Hic sermo fit tantum de *primario* iure omnium hominum ad habenda necessaria ad vitam, quod praevalet ipsi iuri proprietatis ut talis. [84]

6 — Pag. 42, lin. 18, loco « secundum ... adiuncta » proponitur, ut dicatur: « qua *secundum ius humanum* diverse et mutabiliter *condita sunt* » (6 Patres).

Ratio: Propter conformitatem cum doctrina S. Thomae, II-II, q. 66, a. 2, ad 1. [85]

R. — Additio potest male intellegi, quasi ac proprietas privata non sit etiam secundum ius naturale, quod e contra ipse S. Thomas affirmat II-II, q. 57, a. 3 in resp. et alibi.

7 — Pag. 42, lin. 19, loco « ad hanc ... attendendum est » proponitur: « ad hanc *primariam* bonorum destinationem *ad usum omnium* semper attendendum est » (11 Patres).

Ratio: Ut clarior fiat textus.

R. — Anterius iam disputatum fuit, num placeat verbum « primarium » « fundamentale » etc. relate ad ius de quo in lin. 22, et praevaluit mens ut illa adiectiva vitentur (cf. *Relatio* textus recepti, p. 51, in D).

Dicatur hoc modo: « ad hanc bonorum *universalem* destinationem ... ».

8 — Pag. 42, linn. 19-22 respectu verborum « Quapropter homo ... prodesse queant » plures Patres sequentes proposuerunt Modos:

a) Lin. 20 dicatur: « non sibi *tantum proprias* » (21 Patres).

Ratio: Sic negatio est minus absoluta.

b) Linn. 21-22 dicatur: « *ut scilicet de facili eas communicet in necessitate aliorum* ».

Ratio: Ut integer textus S. Thomae referatur et non una pars tantum; haec omissio posset male intellegi (8 Patres).

c) Linn. 20 ss. loco « non tanquam sibi proprias, sed tamquam communes habere debet » proponitur ut dicatur: « *non ut exclusive proprias habere debet, sed functionem rerum socialem agnoscat* ».

Ratio: Ut ex una parte vitetur abusus proprietatis et ex alio versu conceptus ipsius proprietatis servetur, qui in textu non videtur sufficienter tutus ad mentem Magisterii Ecclesiae, vel maxime litt. encycl. *Rerum Novarum* LEONIS XIII (cf. D. 3265) (2 Patres).

d) Alii (2 Patres) linn. 19-22 hanc redactionem proponunt: « quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas possidet

[85] *uti proprias tamquam communes etiam* habere debet, *in eo quod aliis quoque prodesse debent* ». Non datur ratio.

e) Alius proponit eodem loco: « quapropter homines *qui bona illa ut propria possident, nihilominus in usu eorum ea tamquam communia reputant, ut non sibi* tantum sed etiam aliis prodesse queant.

Ratio: Ut vitetur interpretatio communistica.

f) Alius, lin. 20, loco « res exteriores ... proprias » proponit
[86] ut dicatur: « *quas possidet tamquam proprias, ita tamen* ut aliis prodesse queant ».

Ratio: Ut melius conformetur magisterio Ecclesiae.

g) Alius proponit eodem loco sequentem redactionem: « *Quapropter homines bonis exterioribus utentes, non exclusive ad proprium commodum et arbitrium, sed tamquam patrimonium commune totius humanae familiae ea habeant* (*ut etiam aliis prosint*); *nam ius omnibus competit, servatis servandis, partem sufficientem habendi sibi suisque ex bonis terrae. Ita etiam qui in extrema necessitate etc.* ».

Ratio: Ut vitetur interpretatio non recta, quasi ac textus faveret negationi proprietatis.

h) Alius proponit ut omittantur verba a « non tamquam ... » usque ad « habere debet »; et finiatur verbis « *ita agat* ut non sibi tantum sed etiam aliis prodesse queant ».

Ratio: Aliter textus est directe contra ius naturale proprietatis privatae.

R. — 1) Ad *a*) Textus quoad substantiam concordat cum textu S. Thomae in notis citato. Cf. etiam Encycl. LEONIS XIII *Rerum Novarum* (cf. DENZ. 1938 [3267]). Tamen ex hac citatione S. Thomae nullo modo deduci potest negatio iuris proprietatis ex parte Leonis XIII.

2) Ad *b*) Verba ultima textus S. Thomae mutata fuerunt, non ut illa negarentur; sed ut melius hodie consulatur modis amplioribus adimplendi functionem socialem, non tantum rerum directa communicatione, sed quocumque modo, quo aliis, propriis rebus, quis prodesse potest.

3) Ad *c*) De functione sociali proprietatis expresse sermo fit in numero 75, pag. 44, linn. 3 ss. Non potest ex contextu desumi negatio proprietatis, quia paulo antea nominantur « quaecumque formae *proprietatis* ... ». Item *aliis locis* fit sermo de proprietate privata.

4) Ad *d*) Suggestio per se est recta; sed non correspondet

litterae textus S. Thomae. Textus autem ex contextu diiudicandus est. [86]

5) Ad *e-h*) Valere possunt explicationes supra datae pro aliis Modis!

Conclusio: Ad clariorem reddendum textum legatur: « Quapropter homo, illis bonis utens res exteriores quas *legitime* possidet non *tantum* tamquam sibi proprias, sed *etiam* tanquam communes, eo sensu ut non tantum sibi sed etiam aliis prodesse queant ». In nota datur referentia ad S. Thomam. Et citantur etiam documenta pontificia, in primis Litt. Enc. *Rerum Novarum,* quae ad explicationem textus S. Thomae se refert.

9 — Pag. 42, lin. 22, loco « ceterum ius habendi partem ... » *a*) unus Pater quaerit ut dicatur: « ius habendi, *pro posse,* partem »; *b*) alius proponit « ceterum ius *utendi rebus sibi suisque familiis sufficientibus* omnibus competit ». [87]

Ratio: Nam directe usus necessitatibus satisfacit non nuda proprietas. Alii 11 Patres similiter: « ... ceterum ius *utendi rebus* sibi suisque familiis sufficienti*bus* omnibus competit ».

R. — Textus fundatur in documentis pontificiis citatis in nota 8 et 9. De iure autem ad proprietatem cf. in num. 75 textus. Hic agitur de iure primario.

10 — Lin. 25: lin. 25 *a*) Unus Pater proponit ut verba « *non tantum* ex superfluis » supprimantur.

Ratio: Quia textus videtur non distinguere inter ea, quae sunt ex praecepto et ea quae sunt ex consilio; inter casum ordinariae necessitatis et casum extraordinariae necessitatis.

b) Unus Pater proponit ut auferantur noviter inducta verba « *non tantum* ».

Ratio: Videtur non esse satis probatum, quod sit obligatio iustitiae dare etiam de necessariis.

R — Ad *a*) Distinctiones relinquimus consulto theologis. At dare de necessario aliquando et saltem ex caritate urget, ut constat etiam ex citato textu S. Gregorii (cf. Relatio textus anterioris, p. 51, F) de quo in nota datur citatio.

Ad *b*) Hic non affirmatur quod sit obligatio iustitiae dare de sibi necessariis. Nam supra in principio capitis praemittitur, quod etiam caritas intervenit in istis obligationibus. Verbulum « Ita » se refert ad *totum contextum.*

Alia ex parte hic intenditur meminisse secundum mentem Sanctorum Patrum superflua non esse egoistice determinanda.

[87] Ideo, ad clariorem reddendum textum in nota post textus ex SS. Patribus et Doctoribus, adiungantur verba desumpta ex IOANNES XXIII, *Nuntius radio-televis. pro Concilio* 11 sept. 1962: in *A.A.S.* 54 (1962), p. 682.

11 — Pag. 42, linn. 25-27 quoad verba « qui autem ... sibi procurent » sequentia proponunt Patres:

a) Quidam (3 Patres) post « procurent » addunt: « *Ius illud naturale valet non tantum pro individuis sed etiam quodammodo pro communitatibus humanis, ut sunt familiae vel populi* ».

Ratio: Ut sic sit fons exigentiae pro nationibus divitibus et fons spei pro nationibus in via incrementi. Quid simile proponunt alii 4 Patres.

[88] *b*) Alius loco « procurarent » proponit « *prostent* ».

Ratio: Procuratio directe debet esse ultimus modus. Sufficit nobis statuatur ius.

c) Alii (2 Patres) proponunt: « Qui autem in extrema necessitate degunt, ius habent *naturale* ut *etiam* ex aliorum opulentia et divitiis necessaria sibi ad vitam procurare queant, quippe quia Deus bona materialia omnibus ad vitam necessaria abundanter creavit et providit ».

Ratio: Ne videantur homines ad violentae appropriationis bonorum aliorum provocare.

d) Alii (3 Patres) ut tota periodus *deleatur* sive propter periculum falsae interpretationis quasi ac Concilium ad revolutionem incitaret pauperes; vel *alia formula* est invenienda vel debitis cautelis muniri (1 Pater).

e) Alii (Plures Patres) ut post « procurent », addatur: « modo hominis digno » (aut similis) (1 Pater).

Ratio: Propter leges civiles, quae generatim furtum vetant.

Alius: « necessaria sibi *sine violatione pacis populorum* ».

Ratio: Quia pax semper servanda est.

Duo Patres addunt: « *dummodo iisdem poscentibus a proprietario irrationabiliter denegetur* ».

Ratio: Quia haec est doctrina communis theologorum.

Alius addit: « *modo tamen rationabili* ».

Ratio: v. g. non destruendo, ut aliquando fit, res vel media productiva.

Alius addit: « *ab omni tamen vi vel fraude sese abstinentes* ».

Ratio: Sententia prout iacet iustificare videtur furtum vel rapinam.

f) Alii (5 Patres) quaerunt ut addatur: « *secundum adagium*

commune: *iure naturae omnia sunt communia, id est tempore necessitatis communicanda* ». [88]

Ratio: Comprobatur textibus fontium quoad hoc adagium et interpretatione auctorum modernorum; additio autem vult manifestare intentionem substantialem textus praesentis.

g) Alius proponit: « *Qui autem in extrema necessitate degunt ius habent ut ex aliorum divitiis necessaria sibi dentur* ».

Ratio: Quia verba textus prout iacent male possunt intellegi.

h) Alius loco « procurent » proponit ut dicatur: « *participent* », « *acquirant* », vel simile.

Ratio: ne fures excusationem inveniant!

R. — 1) Ad *a*) Quoad iura populorum dicitur in textu paulo infra linn. 31 s.

2) Ad *b*) De iure naturali ad habendum necessarium iam dicitur in linn. 22 ss. Hic agitur tantum de *casu* extremae necessitatis, in quo illud ius maxime urget, ut non tantum prostent res, [89] sed illas arripere si *aliter* sibi subvenire non potest, et servatis de iure servandis.

3) Ad *c*) Modus propositus est verus; sed de iure *habendi* sermo fit paulo antea lin. 22 ss. Hic agitur de casu urgente et imminente periculo extremo, secundum doctrinam communem.

4) Ad *d*) Deletio opponitur explicito voto anteriori. Et textus est maioritate firmatus.

5) Additiones propositae sunt rectae; sed per se implicite continetur in nota 11, ubi dicitur: « pro ratione, extensione et modo quo applicatur principium in textu proposito, cf. S. THOMAS, *Summa theol.,* II-II, q. 66, a. 7. « Si tamen adeo sit *urgens* et *evidens* necessitas ut manifestum sit *instanti* necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum, puta cum imminet personae periculum et *aliter subveniri* non potest, tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suae necessitati subvenire, sive manifeste sive occulte sublatis. Nec hoc proprie habet rationem furti vel rapinae ».

6) Ad *f*) Principium expresse citatur in nota 11.

7) Ad *g*) Sed si non dantur res in illo casu extremo omnibus conditionibus impletis, licet sibi sumere.

8) Ad *h*) Modus propositus parum mutat substantiam. S. THOMAS *l. c.* utitur verbo « subvenire ».

Conclusio: Phrasis construatur *modo singulari non plurali* ne textus videatur innuere conspirationem vel revolutionem. In *nota* referatur ad textum S. Thomae, et addatur aliqua explicatio.

[89] 12 — Pag. 42: 112 Patres proposuerunt, ut in textu n. 73 sequentia verba inserantur: « *Caritatis summus actus adiuvare est indigentes, ut per seipsos sese adiuvent: hoc modo non fames tantum, sed homo ipse elevatur* » (in Modis propositis adsunt aliquae verborum variationes quae non tangunt substantiam).

R. — Admittitur suggestio, et loco verborum pag. 42, linn. 31 ss. legatur: « *praesertim illos, sive singulos sive populos, subsidiis muniendo, quibus ipsi sese adiuvare atque evolvere possint* ».

13 — Pag. 42, lin. 39, post verbum « dummodo » addatur: « cum recta doctrina morali componatur et » (1 Pater).

Ratio: Evidens, non enim semper tales consuetudines rectae sunt sub aspectu iustitiae, aequitatis, caritatis etc.

R. — Suggestio recipitur hoc modo: lin. 38, loco « contra illas » dicatur: « contra *honestas consuetudines* ».

[90] 14 — Pag. 42, linn. 41 s., loco « socialium institutionum » dicatur: « socialium institut*ioni* » (1 Pater); legetur « ... spectantium, in communem bonorum destinat*ionem ad actum adducendam pro sua parte* valet conferre » (1 Pater); « ... spectantium, conferre valet, *ut* communis bonorum destinatio pro sua parte ad actum *adducatur* »; « ... spectantium, conferre valet, ut communis bonorum destinatio *quam efficacissime* ad actum adducatur » (3 Patres).

Ratio: Latinitas et claritas.

R. — Loco « valet conferre » sufficit dicere: « adducere *potest* ».

AD NUM. 74 (nunc 70).

1 — Pag. 43: Integer numerus deleatur (1 Pater).

Ratio: Agit de rebus nimis technicis et fluentibus, et ea quae linn. 15-21 habentur, non videntur opportuna nec omnino vera. Nimium restringitur ad problema determinatae partis mundi.

R. — Textus est iam probatus. Pro lineis 15-21 cf. infra.

2 — Pag. 43, lin. 11: post « gravem suam obligationem agnoscere » addatur: « ex una parte invigilandi, ut necessariis ad vitam decentem requisitis, sive pro singulis sive pro coetibus, semper provideatur, etiamsi aerario publico onerosa sint; ex altera parte futura praevidendi ... » (23 Patres).

Ratio: Quia in decernendo ii qui rebus oeconomicis aut aerario praesunt, prae oculis habere debent non tantum aequilibrium hic et nunc stabiliendum inter necessitates ipsius praesentis temporis.

R. — Recipitur Modus sed loco « sive pro singulis sive pro coetibus » dicatur: « sive singulorum sive totius communitatis »; et deleatur « semper » ante « praevideatur » et omittantur verba « etiamsi aerario publico onerosa sint », utpote nimis technica. [90]

3 — Pag. 43, lin. 11: post « futura » addatur « prudenter » (2 Patres).
Ratio: Liquet.

R. — Non videtur necessaria additio, quia supponitur semper prudenter agendum esse.

4 — Pag. 43, linn. 15-21: deleantur proposita verba (23 Patres). [91]
Ratio: Quia est res nimis ardua.

R. — Textus gaudet possessione. Sed cf. resp. ad Modum seq.

5 — Pag. 43, linn. 15-21. 5 Patres proponunt ut dicatur: « Cum plurimae sint difficultates nunc exortae tam a formis commercii oeconomici, tum a depretiatione pecuniae, necessario omnino videntur transformationes regularum quibus commercium dirigitur nec non et systematum "pecuniae" modo magis conscio exigentiarum solidarietatis internationalis ».

Ratio: Propter difficultates in istis problematibus innixas vitandas.

R. — Admittitur ut generaliori modo dicatur: « *In re autem monetaria caveatur, ne propriae nationis necnon aliarum nationum bono offendatur. Provideatur insuper ne oeconomice debiles ex valoris pecuniae immutatione iniuste detrimentum patiantur* ».

6 — Pag. 43, lin. 17: « ... quicumque ob *quamlibet rationem* pecuniae valorem invocant, *caveant ne* contra commune propriae nationis necnon aliarum nationum bonum *offendant ut vitetur* ne immo oeconomice debiles praeprimis detrimentum ex valoris pecuniae diminutione iniuste *patiantur* » (1 Pater).

Ratio: Interdum devaluatio valoris pecuniae utilis et etiam necessaria esse potest.

R. — Cf. resp. ad Modum praecedentem.

7 — Pag. 43, linn. 20-21: Non constat « oeconomice debiles prae primis ex valoris pecuniae diminutione iniuste patiantur » (1 Pater).

Ratio: Diminutio valoris pecuniae saepe necessaria fuit ad procurandum laborem. Post valoris pecuniae diminutionem remunerationes possunt ita augeri ut debiles ullum damnum patiantur.

R. — Cf. resp. ad Modum 6.

[91] AD NUM. 75 (nunc 71).

1 — Pag. 43, linn. 22 sq. Proponitur:
(De accessione ad proprietatem et de latifundiis). Cum proprietas seu ius stabili modo possidendi uti propriis et libere disponendi de bonis sive materialibus sive immaterialibus, essentialem connexionem habeat cum perfectione personae et ordinata
[92] progressione societatis, cum insuper occasionem homini praebeat ... » (13 Patres).

R. — Additur ad « dominium » adiectivum « privatum » (in titulo et in prima phrasi huius alineae).

2 — Pag. 43, linn. 23 sq.: Desideratur distinctio inter bona consummativa quae sunt immediatum obiectum appropriationis ad personalem et familiarem autonomiam, et bona productiva, quorum dominium ex se ordinatur ad vitam oeconomicam et culturalem aliorum hominum (cf. iam in encyclica *Mater et Magistra*). Ergo melius inciperet textus (lin. 23) a tali duplici fine (et regulatione) dominii super bona exteriora, *tum* ad necessariam perfectionem, libertatem et responsabilitatem personae humanae, *tum* ad vitam socialem ampliandam secundum destinationem bonorum — et non immediate a sola radice personali (1 Pater).

R. — Videntur nimis particularia.

3 — Pag. 43, lin. 24: « ad expressionem personae », addatur « et libertatem »; dicatur ergo: « ad expressionem et libertatem personae ».

R. — In lin. 30 est sermo de libertate. Sed proponitur ut deleatur verbum « necessaria ».

4 — Pag. 43, lin. 27: Post verbum « foveatur », addatur: « Quoad securitatem in dispositione bonorum consumptionis omnino esset distinguendum inter ea quae ad consumptionis bona personalia et familiaria attinent, usum instrumentorum (equipements) socialium collectivorum et iura circa media productionis » (5 Patres).

R. — Vide resp. ad Modum 2.

5 — Pag. 43, lin. 26: Sic mutetur: « ... sive singulorum sive communitatum ad proprietatem accessio foveatur. Hoc ius proprietatis exerceri potest non tantum a singulis sed et a coetibus familiaribus libereque consociatis et a communitatibus intermediis. Proprietas privata spatium plane ... » (13 Patres).

R. — 1. vox « communitates » includit omnes hos casus [92]
2. verba « dominium quoddam » retineantur, quia post Modum acceptum pro prima sententia difficultas sublata est.

6 — Pag. 43, lin. 32: Post « constituunt », addatur: « Unde fit quod in Rebuspublicis, ubi proprietas privata minuitur, etiam libertates civiles facilius in discrimen vocantur » (25 Patres). [93]

R. — Loco « libertatis politicae » dicitur « libertatum civilium ».

7 — Pag. 43, lin. 33: Legatur: « Formae proprietatis ... » (13 Patres).

R. — Vide resp. ad Modum 5.

8 — Pag. 43, lin. 39: Legatur: « Ius autem privatae proprietatis sive singulorum sive coetuum libere constitutorum illi iuri non obstat ... » (13 Patres).

R. — Iam provisum est in pag. 43, linn. 26-27.

9 — Pag. 43, lin. 41: Addantur: « ... auctoritate, *iuxta legem,* iuxta boni » (1 Pater).

R. — Forma iuridica includitur in expressione textus: « iuxta boni communis exigentias ».

10 — Pag. 43, lin. 42: Post verbum « potest » addantur: « ita tamen ut sufficiens quantitas bonorum privatis civibus relinquatur » (1 Pater).

R. — Supponitur ex antea dictis (nn. 73 et 75) de iure habendi partem bonorum sufficientem.

11 — Pag. 43, lin. 42: Post « intra eius limites », addatur: « iustaque compensatione oblata » (3 Patres).

R. — Accipitur hoc modo: « *aequa* compensatione oblata ».

12 — Pag. 44, lin. 3: Post « Ipsa autem proprietas privata », addatur: « cuiusvis naturae sint res quibus refertur » (24 Patres).

R. — Verba textus recepti per se ipsa omnes illos casus comprehendunt.

13 — Pag. 44, lin. 6: Post « accidit », addatur: « Hoc momentum suum maximum habet praesertim in regionibus illis qui in via progressionis sunt in eo quod attinet ad nimia lucra (speculation) e fundis terris cultivabilibus oriundis necnon et circa loca quae ad aedificationem habitationum destinantur » (5 Patres).

R. — Sunt tantum exemplificationes subintelligibiles. Verba textus anterioris ablata fuerunt ne descenderetur ad particularia.

14 — Pag. 44, lin. 7: Ad textum priorem in fine redeundum est: « quaestus studium ... incrementis » (24 Patres). [94]

R. — Idem ac pro Modo antecedente.

[94] 15 — Pag. 44, lin. 7: Addatur (post lin. 7): « Curent homines temporis nostri, ut sensim sine sensu, magnanimitate, solidarietate, et patientia christiana ducente et moderante, luctuosa illa inter ipsos differentia et divisio in proprietarios et proletarios, ut dicunt, in altiori et efficaciori sensu boni communis totius humanitatis dispareat omnesque ad bona sibi in communitate humana et sufficientia liberum habeant accessum. Nemo enim ab homine privari debet iis, quae ei dono Dei obveniunt » (2 Patres).

R. — Iam plura dicuntur de inaequalitatibus removendis vel minuendis, etiam de iure omnium habendi bona sibi sufficientia.

16 — Pag. 44, lin. 15: Substituatur « ulla » cum « omni » (1 Pater).

R. — Admittitur.

17 — Pag. 44, lin. 17: Legatur: « ... ut fere omnis facultas sponte... agendi » (1 Pater).

R. — Admittitur.

18 — Pag. 44, lin. 22: Addatur: « Immo, debita et sufficienti praeparatione praemissa, ut distribuantur fundi ... » (2 Patres).

Ratio: Immatura et praecipitosa distributio maiora adhuc damna causare potest, ut docet historia.

R. — Non admittitur, quia de praeparatione praemittenda agitur in linn. 23-27.

19 — Pag. 44, lin. 22: Post « distribuantur », inserantur verba « salva tamen iustitia erga proprietarios » vel aliud simile (1 Pater).

R. — In finali sententia huius numeri est sermo de compensatione aequa.

20 — Pag. 44, lin. 22: « Quae de politica oeconomica dicuntur circa latifundi divisionem, gravem ingerunt suspicionem textum fluxum continuum perspexisse necnon rerum oeconomicarum perennem mutationem relate ad agrorum proprietatem.

Huiusmodi divisio, nempe, ut quaestuosae arti adaequari possit, saltem postulat amplam potius terrae partem et plurium associationem.

[95] Nonnisi igitur declararentur hac de re principia, ceteris vero scientificis studiis technicisque definitionibus simpliciter relictis » (28 Patres).

R. — Distributio non suadetur ut unicum medium. Ubi autem fieri debet, facultas coordinationis cooperativae expresse in textu (lin. 24) requiritur.

21 — Pag. 44, linn. 22 sq.: Recte in paragrapho sexta verba proferuntur reprobantia latifundia, sed nihil dicitur de amplissimis latifundis quae per auctoritatis publicae usurpationem efformantur in nationibus regiminis communistici, nempe de ita dictis « kolkhoz » (1 Pater). [95]

R. — Implicite dicitur pag. 43, linn. 41-42.

22 — Pag. 44, lin. 23: Dicatur « ... quo in casu a potestate publica suppeditanda sunt ... » (1 Pater).

R. — Non delimitetur subiectum.

23 — Pag. 44, lin. 23: Post « valeant », addatur: « salvis tamen iustitia et aequitate » (2 Patres).

R. — De consectariis iustitiae et aequitatis mentio fit in fine, ubi de compensatione aequa agitur.

24 — Pag. 44, linn. 25-27: Phrasis « quodsi ... aestimanda est ». *a*) Incipiat loco « Quodsi » cum vero « Quoties ». *b*) Fiat proprium incisum.[1]

R. — Ad *a*) Admittitur.
Ad *b*) Additio iam facta est loco dicto (pag. 43, lin. 42).

25 — Pag. 44, lin. 26: « ex iustitia » loco « ex aequitate » (1 Pater).

R. — « iustitia » est vox nimis arcta in hoc casu; propter hoc voce « aequitate ».

AD NUM. 76 (nunc 72).

1 — Pag. 44, lin. 32: Loco « in his activitatibus » dicatur: « in oeconomicis structuris reformandis ... » (1 Pater).

R. — Hic de tota activitate oeconomica agitur. Aliquid de reformationibus necessariis iam in fine n. 67 dictum est.

2 — Pag. 44, lin. 34. Loco « rectum bonorum ordinem servent », dicatur: « Rectum condant ordinem bonorum, non tantum in beneficiis erga individuos, sed et amplius in oeconomicis constructionibus reformandis, sic Evangelium Domini adimplentes » (2 Patres). [96]

R. — Vide Modum antecedentem quoad reformationes structurales. Sed lin. 34 deletur « bonorum ».

3 — Pag. 44, lin. 36, post « spiritu Beatitudinum » additur « *notabiliter paupertatis* », sic obsequendo desiderio expresso per Modum 2, ad n. 68.

[97] CAPUT IV

DE VITA COMMUNITATIS POLITICAE

Exitus suffragationum
(die 17 novembris 1965)

Suffr. I, nn. 77-78

Votantes	2.261
Placet	2.188
Non placet	70
Vota nulla	3

Suffr. II, nn. 79-80

Votantes	2.217
Placet	2.145
Non placet	66
Vota nulla	6

Suffr. III, de integro capite

Votantes	2.241
Placet	1.970
Non placet	54
Placet iuxta modum	210
Vota nulla	7

Integrum ergo Caput IV - Pars II, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali adprobatum est.

Omnes Modi, a Patribus introducti, examinati sunt a Subcommissione IX, ac Commissionis plenariae mixtae examini subiecti, quae sequentia responsa statuit.

AD NUM. 77 (nunc 73).

1 — *Modus generalis*: Omnia de hoc capite (nn. 77-80) ad pauca et summa principia restringantur, ne civiles potestates de provinciae suae occupatione *Concilium accuset.*

R. — Modus non accipitur. Esset contra Normas substantialiter mutare quod a Patribus probatum fuit.

2 — In initio capitis recolentur principia revelata vel cum revelatione connexa. [98]

R. — Non necessarium. Longior additio contra Normas pugnat.

3 — Desideratur mentio vel declaratio de iure nationum ad independentiam et libertatem ab aliis nationibus.

R. — Providebitur infra. Cf. n. 78, Modus 13. In hoc numero agitur tantum de descriptione phaenomenologica situationis vitae politicae in mundo huius temporis.

4 — Pag. 54, linn. 1-4: Quattuor Patres proponunt ita scribendum: « Nostris temporibus profundae advertuntur transformationes etiam in compage et institutionibus populorum, quae evolutionem *eorum* (A) *historicam* (B), culturalem, oeconomicam ac socialem consequuntur; inter quas ... »: 1) propter stylum ad vitandam repetitionem vocis « populorum; 2) datur etiam « evolutio historica », quae ad facta *historica* praesertim alligatur, dum e contra *evolutio culturalis,* etc., ab eventibus culturalibus, oeconomicis ac socialibus potissimum pendet.

R. — 1) Admittitur. Scribatur: « ... institutionibus populorum, quae *ipsorum* evolutionem culturalem ... ». 2) Additio non videtur necessaria, nam agitur de transformationibus, quae praecise ex actuali evolutione culturali, oeconomica et sociali proveniunt.

5 — Pag. 54, lin. 3: Loco « evolutionis » dicatur « progressus ». Ratio est quia « evolutio » sapit materialismum.

R. — Stet textus. Ratio allata non est valida.

6 — Pag. 54, lin. 4: Dicatur: « ... istae transformationes magnum influxum exercent in vitam communitatis politicae, praesertim (scilicet) quod attinet ad relationum civium ... ». Sic datur nexus logicus cum priori parte.

R. — Placet. Linn. 4-7 clarius hoc modo redigantur: « ... consequuntur; quae transformationes magnum influxum in communitatis politicae vitam exercent, praesertim quod attinet ad omnium iura et officia in libertatis civilis exercitio ac in bono communi attingendo et ad civium relationes inter se et cum publica auctoritate ordinandas ».

7 — Pag. 54, linn. 4-5: Unus Pater proponit ut loco verborum « inter quas ... illae nempe, quae ... » dicatur « inter quas enumerantur illae politicae, quae ... », nam verbum « quaestiones » minus facile cum verbo « transformationes » concordare videtur. [99]

R. — Iam provisum. Cf. Modus 6.

[99] 8 — Pag. 54, lin. 5: Quattuor Patres proponunt ut loco « potestate » dicatur « auctoritate » ad procurandam in toto capite uniformitatem dictionum.

R. — Admittitur. Consequenter hoc valet etiam pro num. 79, pag. 56, lin. 7.

9 — Pag. 54, lin. 5: Loco « publica » dicatur « civili », nam vox « publica » aequivoca est (etiam auctoritas Ecclesiae est *publica*).

R. — Maneat textus. Ex contextu non adest periculum aequivocationis. In pag. 57, lin. 40, dicitur revera « auctoritas *civilis* », sed consulto, nam parallelismus adest cum « auctoritate *ecclesiastica* ».

10 — Pag. 54, lin. 8: Unus Pater proponit ut, ante verba: « Ex vividiore ... », haec phrasis inseratur: « Evolutio normalis seu naturalis cuiusque nationis comprehendit ut non amplius ab alia natione dominetur atque sui iuris fiat ». Ratio: Ecclesia non potest silere de hoc iure elementari cuiusque nationis. A Concilio ne saltem minus dicatur quam quod continetur in Declaratione Iurium Hominis a Coetu Nationum Unitarum.

R. — Respondebitur infra. Cf. n. 78, Modus 12. Hic est brevis descriptio phaenomenologica situationis vitae politicae in mundo.

11 — Pag. 54, lin. 10: Quattuor Patres rogant ut dicatur « *humanae* personae iura », sicut facit Declaratio « De Libertate Religiosa » necnon haec ipsa Constitutio v. gr. ad num. 67, lin. 2. Est expressio technica et magis determinat subiectum iuris.

R. — Stet textus. Expressio « personae iura » latius patet, nam et *iura personarum moralium* includit.

12 — Pag. 54, lin. 10: Decem Patres proponunt « protegantur *et exerceantur* ... », nam oportet ut iura etiam *exerceantur*.

R. — Non accipitur; nam *ordo politico-iuridicus* tendit ad protegenda iura; exercitium ipsorum ad *cives* ut tales libere pertinet.

13 — Pag. 54, lin. 10: Unus Pater proponit dicendum « melius *inserantur* et protegantur ... ».

R. — Non meliorat textum.

[100] 14 — Pag. 54, linn. 10-12: Unus Pater proponit « ... ut sunt, *salvo bono et ordine communi,* iura ... ». Alius Pater: « ... ut sunt iura, *salvo semper bono communi,* libere sese ... ». Tertius desiderat: « ... libere sese *ad legitimos fines* coadunandi ... ». Quidam alius, post verba « religionem profitendi », vult additionem: « *Quae omnia et possunt et debent salvari, quin unitas essentialis, mo-*

ralis, politica et religiosa detrimentum patiatur ». Ratio est quod praefata iura non sunt absoluta, sed bono communi subordinata. [100]

R. — Additiones propositae non accipiuntur. In hoc num. agitur tantum de descriptione quadam, et non de iudicio valoris. Non statuuntur principia. Non dantur normae. Praeterea textus prout iacet iam adprobatus est.

15 — Pag. 54, linn. 10-12: Omittantur omnia verba « ut sunt iura ... » usque ad « religionem profitendi », nam superflua et incongrua sunt.

R. — Non admittitur. Talis omissio esset contra Normas.

16 — Pag. 54, lin. 12: Verba « ac religionem profitendi » omittantur, nam tale ius alterius generis est et nunquam opponitur bono communi.

R. — Non accipitur. Hic agitur de iuribus personae in vita publica protegendis, inter quae absque dubio est ius religionem profitendi.

17 — Pag. 54, lin. 12: Quattuor Patres proponunt ut dicatur « religionem *privatim publiceque* profitendi », tredecim alii vero desiderant « religionem *etiam publice* profitendi », nam clarissime dicendum est cives hoc iure ubique gaudere. Expressio « religionem *privatim publiceque* profitendi » est ipsius Declarationis « De Libertate Religiosa », num. 15.

R. — Admittitur « privatim publiceque ». Expressio ipsa in pluribus Constitutionibus civilibus hodiernis invenitur.

18 — Pag. 54, linn. 12-14: Verba « Ita civibus ... », etc., hoc modo in recto redigantur: « *Protectio enim humanae personae iurium* conditio necessaria *est* ut cives, sive singuli sive consociati, in rei publicae vita et moderamine actuose participare *possint* ». Redactio prior, in obliquo, debilis erat. Textus propositus videtur clarior, positivus.

R. — Accipitur. Ita scribatur: « *Tutamen enim personae iurium* conditio necessaria *est* ut cives ... », etc.

19 — Pag. 54, lin. 15: In fine addantur haec verba: « ... praesertim cum ubique crescat munus auctoritatis publicae ». Extensio muneris auctoritatis publicae in luce ponenda est. [101]

R. — Hoc non videtur necessarium.

20 — Pag. 54, linn. 15-22: Sec. unum Patrem aliqua fantasiosa et minus vera dicuntur. Vitetur optimismus, qui risum provocabit.

R. — Textus adprobatus est.

[101] 21 — Pag. 54, lin. 15: Quattuor Patres proponunt: « Una cum progressu *culturali* (A), oeconomico *ac* sociali (B)... ». (A) Anteponatur vox « culturalis », ut ordo tractationum huius secundae Partis schematis servetur; (B) Istae voces separentur, nam de alio et alio progressu agitur.

R. — Admittitur.

22 — Pag. 54, linn. 18-19: Quattuor Patres rogant ut omittantur verba, quae de minoritatibus agunt, nempe: « ... *studium servandi iura simul et officia minorum alicuius nationis partium augetur necnon...* ». Dicunt isti Patres minoritates ethnicas saepissime potius *bonum particulare* respicere quam *bonum commune* communitatis politicae. Verba praefata ansam praebere possent ut tales minoritates ethnicae adhuc magis proprium *bonum particulare* quaerant et adhuc minus bonum totius communitatis inspiciant.

R. — Non accipitur ac eo quod longior suppressio contra Normas est.

23 — Pag. 54, linn. 18-19: Unus Pater proponit: « ... studium servandi *una cum unitate fundamentali politico-sociali* iura simul et... »; alius vult: « ... iura simul et officia ..., *si tamen vera sint et bono communi non noceant* ». Quidam alius proponit additionem: « ... iura simul et officia ..., *salva unitate essentiali communitatis nationalis* ». Dum e contra 17 Patres post verbum « augetur » (lin. 19) addere volunt: « ... *intra ambitum communitatis politicae et salvo bono communi* ».

R. — Additiones propositae non videntur accipiendae. Non possumus descendere ad particularia, quae etiam implicite in « officia » includuntur. Ad maiorem claritatem vero phrasis hoc modo redigatur: « In multorum conscientia studium augetur *ut* iura ( ) minorum alicuius nationis partium serv*entur, earum officiis erga communitatem politicam non neglectis, insuper* reverentia in dies increscit erga ... », etc.

[102] 24 — Pag. 54, lin. 20: Loco « homines » dicatur potius « cives », nam membra communitatis politicae, de qua hoc in capite agitur, technice « cives » vocantur.

R. — Vox « homo » latior est quam « cives ». Consulto electa est.

25 — Pag. 54, lin. 20: Duo Patres volunt additionem post verbum « profitentes ». Unus sic: « Quae iura et officia, quoad eorum praxim, habeant protectionem iuridicam in ambitu unitatis constitutionalis ordinis politici ». Alius vero sic: « ... quae quidem

apte tutari possunt sine detrimento unitatis moralis et socialis Communitatum; simul latior ... ». Ratio haberi debet praesertim unionis ordinatae totius Communitatis politicae, quae supremum bonum est. [102]

R. — Additiones propositae non accipiuntur. (Cf. Modus 13), propter ipsas rationes iam superius adductas: Non necessariae et iudicium valoris.

26 — Pag. 54, lin. 17: Loco « publica » dicatur « civili ». Cf. Mod. 9.

R. — Maneat textus. Cf. Modus 9.

27 — Pag. 54, lin. 22: Unus Pater rogat ut quaedam verba addantur hoc modo: « ... frui possent, *sine detrimento unitatis essentialis communitatis moralis et politicae* ». Non dat rationem.

R. — Stet textus sine additione proposita. Agitur *de descriptione* de generalibus, ubi non est opportunum ad particularia descendere.

28 — Pag. 54, linn. 23-27: Unus Pater rogat ut haec paragraphus deleatur, quia sapit interventionem directam Ecclesiae in rebus politicis et contradicit num. 80 alin. secundae.

R. — Textus adprobatus est. Praeterea obiectiones fundamento carent. Stet textus.

29 — Pag. 54, lin. 23: Quattuor Patres loco « Reprobandae autem sunt ... » proponunt: « Sunt autem, proh dolor!, quaedam formae politicae ... », nam in hoc numero *agitur tantummodo de descriptione status rerum existentis, dum iudicium de eisdem postea fit.*

R. — Sequenti modo scribatur: « Reprobantur autem quaecumque formae politicae ... », etc.

30 — Pag. 54, lin. 23: Loco « quaecumque formae politicae ... » unus Pater proponit: « ... *illae* formae *oppressionis politicae* ... » ad claritatem textus.

R. — Stet textus, qui sufficienter clarus est.

31 — Pag. 54, linn. 23-24: Duo Patres rogant omissionem incisi « ... in aliquibus regionibus vigentes ... ». [103]

R. — Maneat textus. Iam sufficienter provisum in Modo 28 ope omissionis iudicii valoris.

32 — Pag. 54, linn. 24-27: Quattuor Patres proponunt ut hoc modo scribatur: « ... libertatem civilem *vel* (A) religiosam praepe*diant,* ... multiplic*ent* ..., detorque*ant* (B) ». (A) Ponatur disiunctiva « vel », nam non omnino semper libertas civilis *simul cum* libertate religiosa praepeditur. Aliquando una tollitur, alia vero

[103] relinquitur. (B) Sensus phraseos est subiunctivus, non vero *indicativus.*

R. — (A) Placet. (B) Non accipitur, nam descriptionem, non vero monitionem facimus.

33 — Pag. 54, lin. 24: Duo Patres proponunt « ... quae *iustam* libertatem ... », alius vero: « ... quae *debitam* libertatem ... », secus grave periculum intellegendi textum sensu non recto adest.

R. — Additiones non accipiuntur. Contextus sufficienter clarus est.

34 — Pag. 54, lin. 24: Unus Pater proponit additionem: « ... vigentes, *imprimis in regionibus cum regiminibus dictatoriis vel totalitariis communisticis,* quae libertatem ... ». Ratio allata: Textus clarior fit.

R. — Non admittitur. Non descendendum est ad particularia exempla, in hac brevissima descriptione. Praeterea de formis dictatoriis vel totalitariis fit sermo statim in n. 79, pag. 56, linn. 28-30.

35 — Pag. 54, lin. 29: Decem Patres additionem proponunt hoc modo: « ... et benevolentiae *ac servitii boni communis* sensum fovere ... », nam *servitium* requiritur ad vitam politicam vere humanam instaurandam.

R. — Accipitur.

36 — Pag. 54, lin. 31: Undecim Patres loco « atque » proponunt « necnon » ob stylum.

R. — Admittitur.

[104] 37 — Pag. 54, lin. 31: Unus Pater loco « publicae » proponit « civilis ». Cf. Modus 9.

R. — Maneat textus. Cf. Modus 9.

AD NUM. 78 (nunc 74).

1 — Pag. 54, lin. 34. Unus Pater loco « communitatem socialem » vult « communitatem civilem ».

R. — Admittitur.

2 — Unus Pater desiderat ut aliquid explicite dicatur de *Ecclesiis particularibus praesertim ritus orientalis* quae omni iure privantur et sub dictione communistica opprimuntur.

Ratio: Fideles harum regionum hoc expectant a Concilio.

R. — De atheismo iam provisum est in Cap. I. Praeterea in hoc Capite non esset locus ad tale quid dicendum.

3 — Pag. 55, lin. 9. Unus Pater addere vult: « et maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistit ». [104]

Ratio: Talis descriptio boni communis proponitur et in *Pacem in terris* et in schemate *De libertate religiosa* n. 6. Magis in dies bonum commune in personae servatis iuribus et officiis consistere putatur.

R. — Non admittitur: non necessaria et insuper haec additio de se non pertinet ad descriptionem boni communis, quae invenitur in Encyclicis *Pacem in terris.* Praeterea iura et officia personae necessario includuntur in descriptione proposita.

4 — Pag. 55, lin. 11: Unus Pater proponit ut post v. « declinare possunt » addatur: « dummodo nec attentent nec in discrimen vertant fundamenta communitatis politicae ».

Ratio: Nostris temporibus sunt multa consilia perversa, quae ad demoliendum ordinem socialem et politicum tendunt.

R. — Non admittitur; providetur in sequentibus lineis.

5 — Pag. 55, lin. 13. Unus Pater addere vult v. « omnium civium » « *etiam minoritatis* ».

Ratio: Ne obliviscantur iura et officia minoritatis.

R. — Non admittitur, quia verbo « omnium » comprehenditur minoritas.

6 — Pag. 55, lin. 16. Tres Patres addere volunt post v. « nititur », « at etiam, si opus est, coercitionis iure, cives obligatione adstringat ad cooperandum, consociatis viribus, in bonum commune ». [105]

Ratio: Textus videtur reducere auctoritatem ad quandam vim directivam totumque valorem obligationis ad liberum consensum civium iuxta eorum responsabilitatem.

R. — Non admittitur, quia textus non excludit potestatem coercitivam.

7 — Pag. 55, lin. 16: Unus Pater vult addere post v. « nititur » « potestas autem Dei minister est, vindex etiam in iram ei qui malum agit » (*Rom.* 13, 4; *1 Pt.* 2, 14).

Ratio: Auctoritas politica vim coactivam importat, etiam secundum Scripturam.

R. — Non admittitur in textu; sed in Nota (3), citatio *Rom.* 13, 1 extenditur usque ad v. 5.

8 — Pag. 55, lin. 16: Unus Pater vult addere post v. « nititur »: « Insuper hodiernis conditionibus periculum adesse, quod ex arte

[105] gubernandi nonnumquam fit mere artificium technicum administrandi homines. Publica potestas ergo potestatem suam tantum in mensura iuris sibi dati adhibeat ».

Ratio: Ut rectus usus potestatis melius in lucem ponatur.

R. — Non admittitur, quia satis provisum est.

9 — Pag. 55, lin. 17: Duo Patres loco « auctoritatem publicam » volunt « auctoritatem politicam ».

Ratio: Videtur esse quidam error, quia in unum ponit communitatem et auctoritatem quas vocat « publicam », cf. infra lin. 21 ubi habetur « auctoritatis politicae ».

R. — Maneat textus.

10 — Pag. 55, lin. 19. Unus Pater addere vult post v. « designatio » « et modus moderatorum designandi singulis populis relinquatur », non datur ratio. Alius ut addatur: « vel condicionibus historicis vel libere ... ».

Ratio: Ut quae hic dicuntur concordent cum iis quae in lineis 32-36 affirmantur.

R. — Provisum est in textu.

11 — Pag. 55, lin. 19: Tres Patres loco « civium » dicatur « hominum ».

[106] Ratio: Ut vitentur principia Rousseau quasi cives possent libere mutare regimen politicum et auctoritates.

R. — Non admittitur; ratio patet.

12 — Pag. 55, lin. 20. Unus Pater petit ut post v. « voluntati » addatur « forte ».

Ratio: Regimen democraticum et repraesentativum non est unicum ut bene dicitur in lineis 32-34.

R. — Non admittitur, quia determinatio regiminis pertinet etiam ad cives.

13 — Pag. 55, lin. 20. Duo Patres volunt hanc additionem: « Ideo Concilium in memoriam revocat et affirmat omnes homines cuiuscumque populi vel gentis pari et nato iure gaudere communitatem politicam et auctoritatem propriam sibi efformare ad bonum commune propriae stirpis, gentis vel populi melius et convenientius procurandum. Exoptat proinde Concilium ut unicuique ius hoc restituatur et firmetur et nemo iure hoc privetur vel, debita maturitate obtenta, in eius usu impediatur. Dominatus enim unius in alium cum dignitate, libertate et maturitate hominis non componitur ».

Ratio: Ut mentio fiat earum nationum et populorum qui pro sua independentia politica pugnant, ut pacifice hoc ius obtinere valeant. Erit novus titulus gratitudinis eorum populorum versus nostrum Concilium. [106]

R. — Licet idea sit pulchra, Modus non admittitur, quia nimis longa et potius pertinet ad aliquod commentarium. Totum caput iam multum de libertate loquitur.

14 — Pag. 55, lin. 24. Unus Pater petit ut tollantur v. « et quidem dynamice conceptum ».

Ratio: Non bene intelliguntur haec verba. Sensum evolutionisticum habere possunt. Ansam communistis praebere possunt et sunt inutilia.

R. — Non admittitur. De bono communi dynamice concepto agitur in cap. IV Encycl. *Pacem in terris.*

15 — Pag. 55, lin. 25. Unus Pater vult ut deleatur v. « tunc ».

Ratio: Ne singuli cives incipiant de his rebus iudicare respectu praestationis oboedientiae.

R. — Non admittitur.

16 — Pag. 55, lin. 26. Unus Pater vult additionem « qui (enim) resistit potestati, Dei ordinationi resistit » *Rom.* 13, 2. [107]

Ratio: Mirum esset quod haec gravis doctrina de officio conscientiae videatur quasi simplex conclusio ratiocinationis, cum adsint textus expliciti in Novo Testamento.

R. — Citatio *Rom.* 13, 2 iam in Nota (3) invenitur. Ad huic Modo et etiam aliis satisfaciendum additur: « Exinde vero patet responsabilitas, dignitas et momentum eorum qui praesunt ».

17 — Pag. 55, lin. 28. Unus Pater vult ut addatur post v. « ipsi » « etiam minoritas civium ».

Ne obliviscantur iura et officia minoritatis civium.

R. — Non admittitur, quia verbum « ipsi » minoritatem continet.

18 — Pag. 5, lin. 29. 16 Patres volunt ut dicatur loco v. « iniustas aggressiones » « abusum huius auctoritatis ».

Ratio: Ita sensus clarior fit.

R. — Admittitur.

19 — Pag. 55, linn. 29-30. Unus Pater petit quomodo lineae istae « fas vero ... delineat » conciliari possint cum lineis 5 sq. numeri 79, pag. 57: « contra iniuriam, et oppressionem, unius arbitrarium dominatum et intolerantiam ... ».

R. — Non admittitur, quia, si attente examinetur, nulla oppositio invenitur.

[107] 20 — Pag. 55, lin. 30. Unus Pater loco « evangelica » desiderat « caritas christiana ».

Ratio: Expressio « lex evangelica » fratribus seiunctis, praesertim lutheranis, est scandalosa. Ideo vitanda est. Habetur « lex Christi », sed Evangelium non est lex.

R. — Maneat textus.

21 — Pag. 55, lin. 35. Unus Pater petit ut addatur post v. « autem » « responsabilitate personae propria attenta ... ».

Ratio: Contra doctrinam materialisticam quae responsabilitatem personalem despicit.

R. — Non est necessarium.

[108] AD NUM. 79 (nunc 75).

1 — Pag. 55, lin. 39. Loco « sine ullo discrimine » dicatur: « sine ulla discriminatione » (Unus Pater).

Ratio: Analogice valet in hoc casu illud quod adducitur in Relatione ad num. 70 G (pag. 49).

Lin. 39. Post verbum « ullo » addatur « iniusto » (unus Pater).

R. — « sine ulla discriminatione » admittitur.

2 — Pag. 55, lin. 40. Ubi dicitur: « Cum humana natura plene congruit ut ... libere et actuose participandi tum ad ... tum ad ... Memores ergo omnes cives sint iuris simul et officii suffragio utendi ad bonum commune promovendum », dicatur: « ... et actuose participandi in vita publica. Quae participatio extendi potest tum ad ... tum ad ... *Cum ergo suffragium ferendum proponitur,* omnes cives memores sint iuris et officii illo utendi ad bonum commune promovendum » (26 Patres).

Ratio: Participatio in vita publica est principium generale. Schema aliqua exempla praebet, sed exempla non statuuntur in principium.

R. — Non admittitur Modus, quia hic non agitur de exemplis, sed de ambitu in quo cives participare debent.

3 — Pag. 55, lin. 43. Post « lectionem » addatur: « Ubi hae structurae verificantur, memores ... » (23 Patres).

Ratio: Officium suffragio utendi supponit veram libertatem.

R. — Providetur: « *suo libero* suffragio utendi ».

4 — Pag. 56, lin. 1. Post « suffragio utendi » addatur « et agendi in quantum possunt ad promovendum bonum commune » (1 Pater). [108]

Ratio: Actio politica non est reducenda ad solum suffragium.

R. — Provisum est in n. 78.

5 — Pag. 56, lin. 3 *a*). Loco « se » dicatur « vires suas » (15 Patres).

Ratio: Ne moderatores nimis diu officio suo adhaereant ultra vires suas. [109]

Lin. 3 *b*). Addatur: « servitium communi rei publicae bono » (unus Pater).

Ratio: Partes politicae saepe solum suae classi serviunt.

R. — Maneat textus.

a) Est nimis particularis.

b) Bonum reipublicae est bonum commune.

6 — Pag. 56, lin. 7. Post « *munerum* » addatur « *et institutorum* » (18 Patres).

Ratio: Hac enim institutorum divisione, munerum divisio tutius obtinetur.

R. — Admittitur.

7 — Pag. 56, lin. 7. Deleantur verba « conveniens divisio munerum potestatis publicae atque simul » (unus Pater).

Ratio: Technici in scientiis politicis iam non loquuntur hac de re verbis quibus utebantur eorum decessores.

R. — Vide responsum ad M. 6.

8 — Pag. 56, linn. 7-8. Post verba « potestates publicae » addatur « sine tamen detrimento eius efficaciae » (3 Patres).

Ratio: Non oportet ansam dare dissolutioni principii auctoritatis.

R. — Non videtur necessarium.

9 — Pag. 56, lin. 14. Post verba « infra-nationalia » addatur « indebite » (unus Pater).

Ratio: Ut bonum custodiatur.

R. — Hoc supponitur in textu.

10 — Pag. 56, lin. 14. Deleantur verba « aut instituta infra-nationalia » (unus Pater).

Ratio: Ardens est disputatio de hac re in populo.

[109] R. — Admittitur suppressio expressionis « infra-nationalia », et phrasis lin. 14 hoc modo scribatur: « ... *corpora aut instituta intermedia* ... ».

[110] 11 — Pag. 56, lin. 16. Post verba « promovere satagant » addatur « ita ut principium subsidiarietatis sancte salvetur » (unus Pater).

Ratio: Principium subsidiarietatis debet exhiberi a nostro schemate.

R. — Non admittitur. Textus passim ita providet.

12 — Pag. 56, linn. 16-19. Deleantur verba « cives vero, sive singuli sive consociati ... officii onus imminuant » (2 Patres).

Ratio: Verba nimis ambigua sunt et occasionem praebent diversis interpretationibus.

R. — Textus stet uti approbatus.

13 — Pag. 56, lin. 17. Loco « caveant ne nimiam potestatem auctoritati tribuant » dicatur: « tantam potestatem auctoritati tribuant quantam requirit cura boni communis » (unus Pater).

Ratio: Mirum videri potest quod Concilium stet potius pro libertate civium quam pro auctoritate.

R. — Non admittitur. Pro auctoritate provisum est in n. 78.

14 — Pag. 56, lin. 17. Omittantur verba « caveant ne nimiam potestatem auctoritati tribuant » (unus Pater).

R. — Non admittitur.

15 — Pag. 56, lin. 23. Post verbum «iuventur » addatur « numquam autem auctoritates immemores sint principii subsidiarii officii » (unus Pater).

R. — Non videtur necessarium.

16 — Pag. 56, lin. 23. Loco « Inter socializationem ... relationes intercedere » scribatur: « Socializatio, cum sit insimul causa et effectus extensionis publicae auctoritatis magis magisque requirit ut cives positive et personaliter se gerant, secundum diversas regiones et populorum evolutionem » (11 Patres).

Ratio: Locutio est obscura. Verba « socializatio » et « personalizatio » claram significationem non habent.

R. — Vide M. 18.

17 — Pag. 56, linn. 23-28. Scribatur « Inter ea quae competunt auctoritati publicae, coetibus intermediis et spontaneae responsabilitati singulorum ... Sed ubi ambitus responsabilitatis spontaneae

coetuum vel singulorum propter bonum commune... restituantur » (3 Patres). [111]

Ratio: Sic vitantur verba « socializatio » et « personalizatio ». Forsitan nemo extra ambitum linguae gallicae ea intelliget quae volunt dicere.

R. — Vide M. 18.

18 — Pag. 56, linn. 23-25. Sic legatur: « Inter invalescentem actionem potestatis publicae, quae indicium et causa est socializationis et personae humanae intimas rationes autonomiamque aliae atque aliae relationes intercedere... » (8 Patres).

R. — Admittitur hoc modo: Secundum autem diversas regiones et populorum evolutionem *diverso modo intellegi* possunt relationes inter socializationem (7) et *personae autonomiam ac progressum.*

19 — Pag. 56, lin. 26. Loco « evolutionem » dicatur « conditionem » (unus Pater). Ne Concilium videatur evolutionismo favere.

R. — Non admittitur.

20 — Pag. 56, linn. 26-28. Phrasis scribatur « sed ubi exercitium iurium propter bonum commune ad tempus restringitur, libertas, circumstantiis mutatis, quam primum restituatur » (17 Patres).

Ratio: Propter latinitatem et claritatem.

R. — Admittitur.

21 — Pag. 56, lin. 28. Loco « At inhumanum est... in dictatorias vel totalitarias formas incidat », dicatur: « in formas praesertim totalitarias incidat quae » (27 Patres).

Ratio: Dictatura est forma extraordinaria quae in principio mala non est. Concilium non debet loqui cum ambiguitate. Dictatura aliquando ut bonum acceptari potest et etiam praevideri ab ipso ordine iuridico et constitutionali.

Loco « auctoritas politica in dictatorias vel totalitarias formas incidat » dicatur: « auctoritas politica in illas formas incidat » (unus Pater).

Ratio: Concilium debet se abstinere a quibusdam determinationibus.

« At inhumanum... socialemque coetum » deleatur (1 Pater).

Ratio: Formae dictatoriae vel totalitariae sunt inhumanae si et quando iura personae socialiumque coetuum laedant. Salus populi potest exigere nationem dictatoriam vel totalitariam. Vitanda est confusio locutionum in re politica.

Omittantur verba « dictatorias vel totalitarias » (unus Pater).

[112] R. — Ut Commissio aliquo modo Patribus satisfacere possit, ita legatur: « At inhumanum est quod auctoritas politica incidat in formas totalitarias vel in formas dictatorias quae iura ... ».

22 — Pag. 56, lin. 30. Post « laedant » fiat nova alinea et deleatur verbum « vero » (13 Patres).

Ratio: Quia pietas erga patriam est nova aliqua idea.

R. — Admittitur.

23 — Pag. 56, lin. 33. Loco « semper simul animum attendant » ponatur « semper prius animam attendant » (5 Patres).

Ratio: Ut officiorum hierarchia recte exprimatur.

R. — Non admittitur. Hic non est quaestio de hierarchia officiorum.

24 — Pag. 56, lin. 33. In fine paragraphi addantur verba: « semper vero vitent nationalismum exaggeratum qui populos invicem opponit, odia fovet, debiliores opprimit et pacis inter homines sit inimicus » (vel similiter) (unus Pater).

R. — Non admittitur. Satis provisum est in textu.

25 — Pag. 56. Ultima paragraphus sic incipiatur: « Christifideles conscii boni caritatis et unitatis quod in communitate politica excolitur, sed et periculorum quae, teste Ioanne in Apocalypsi, in ea inveniuntur, specialem et propriam ... » (4 Patres).

Ratio: Ut rationes vocationis Christianorum propriae manifestius appareant.

R. — Non admittitur. Iam provisum est in Parte I.

26 — Pag. 56, linn. 34-35. Deleantur verba « specialem et propriam vocationem sentiant ... » (3 Patres).

Ratio: Textus uti iacet exaggerat.

R. — Non admittitur. Est doctrina Decreti « De Apostolatu laicorum ».

27 — Pag. 56, linn. 34-42. Tota paragraphus « Christifideles ... revereantur » in aptiorem locum mutetur, nempe in num. 80, pag. 57 post lin. 35 (unus Pater).

R. — Non admittitur. In textu agitur de officiis fidelium. In n. 80 agitur de Ecclesia ut institutione.

28 — Pag. 56, lin. 35. Textus sic sonet: « exemplo praefulgere debent, praesertim mutuam unionem fovendo ... » (unus Pater).

[113] Ratio: Commendetur catholicis necessitas fovendi mutuam unionem in navitate politica.

R. — Non admittitur.

29 — Pag. 56, lin. 40. Ita legatur: « ... legitimas, at inter se discrepantes opiniones, deserviente, tamen ad promotionem pacificae conviventiae socialis agnoscant » (3 Patres). [113]

Ratio: Ut determinentur quae sint legitimae dissidentes opiniones politicae.

R. — Textus maneat. Modus est nimis particularis.

30 — Pag. 56, lin. 42. Loco « Partibus autem politicis ea promovere incumbit » dicatur: « Partes autem politicae, aliisque socialibus coetibus, immo et singulis indistinctim civibus, ea promovere incumbit » (3 Patres).

Ratio: Munus non est exclusive concessum iure naturali partibus politicis.

R. — Maneat textus. Hic agitur praecise de partibus politicis.

31 — Pag. 56, lin. 42. « earum iudicio » deleatur (2 Patres).

Ratio: Bonum publicum non pendet tantum a iudicio auctoritatis civilis vel partium politicarum.

R. — Aliquo modo satisfacere Patribus Commissio conatur scribendo: « Partes autem politicae ea promovere *debent* ... ».

32 — Pag. 56, linn. 42-44. Verba « Partibus politicis ... proponere licet » deleantur (unus Pater).

Ratio: Melius tacendum de hac re difficili. Technici in scientiis politicis magna cautela et pauca de hac re loquuntur.

R. — Non admittitur. Textus cum cautela loquitur de partibus politicis quibus incumbit, ubi adsunt, boni communis promotio.

33 — Pag. 56, lin. 44. Post « licet » fiat nova alinea (12 Patres).

Ratio: Incipit nova idea.

R. — Admittitur.

34 — Pag. 57, lin. 2. Addantur haec verba « omnes cives *in primis per consociationes christianas* » (unus Pater).

Ratio: Potestas consociationis maior est.

R. — Non admittitur. Est nimis particularis.

35 — Pag. 57, lin. 3: Post « possunt » addatur « tam mulieres quam viri » (unus Pater). [114]

Ratio: Promotio politica feminarum non est tacenda.

R. — Mulieres sunt cives. Additio non videtur necessaria.

36 — Pag. 57, lin. 5. Post « satagant » addatur « solum in partibus politicis cum fundamentis libertatis, humanitatis vel christianis » (unus Pater).

[114] Ratio: In partibus politicis sine illis fundamentis possibilitas collaborationis non exsistit.

R. — Non admittitur. Hic agitur de educatione politica.

37 — Pag. 57, lin. 6. *a*) Post « unius » addatur « *hominis* vel *partis Politicae* » (4 Patres).

Ratio: Etiam pars politica dominatum arbitrarium exercere potest.

Lin. 6. *b*) Post « unius » addatur « vel plurium » (unus Pater).

Lin. 6. *c*) Deleantur verba « unius arbitrarium dominatum et intolerantia » (unus Pater).

R. — *a*) Admittitur, addendo « hominis vel partis politicae ».

b) et *c*) iam provisum sub *a*).

38 — Pag. 57, lin. 8. Addatur « Nec associationes civium, quae quaestus causa ortae sunt, sese immisceant in gubernium, multo minus gubernium a bono communi prosequendo detineant » (unus Pater).

Ratio: Istae associationes magnum influxum etiam in res politicas exercere intendunt.

R. — Additio convenire non videtur.

AD NUM. 80 (nunc 76).

1 — Unus Pater monet cavendum esse ne indifferentismus religiosus adprobetur in hoc numero.

R. — Nullum periculum adest.

2 — Pag. 57, lin. 10. Dicatur « ubi societas *ideologice* pluralistica ... ». Quaesitum unius Patris, qui nullam rationem affert sui desiderii.

R. — Additio non videtur necessaria. Sufficienter clarum ex contextu.

[115] 3 — Pag. 57, linn. 11-12. Quatuor Patres proponunt ut ita legatur: « ... et Ecclesiam habeatur. Inter ea *autem,* quae christifideles ... ». Ad claritatem textus.

R. — Mutatio non est necessaria. Textus clarus est.

4 — Duo Patres rogant ut deleantur verba: « ... simul signum est et tutamentum transcendentiae personae humanae ». Ratio in eo est quod communitas politica, non secus ac Ecclesia, transcendentiam personae humanae agnoscere debet.

R. — Non accipitur, nam hic agitur de Ecclesia ut signo et tutamento.

5 — Pag. 57, linn. 15-29. Ista paragraphus nova ordinatione indiget (unus Pater), et quidem hoc modo: Linn. 18-22 (« corpus separatum » in sequentiam idearum) fit nova alinea; Linn. 23-29 etiam alia alinea. [115]

R. — In parte admittitur: Linn. 18-29 constituant novam paragraphum.

6 — Pag. 57, lin. 18. Unus Pater observat « una ab alia » erroneum esse, nam cum de duabus agitur, « alter » adhibendum est. Dicatur « altera ab altera » (vel « ab invicem »). Praeterea sequentem petitionem facit: Tota latinitas schematis sedulo perpoliatur, quaesumus.

R. — Scribatur « ab invicem ».

7 — Pag. 57, linn. 18-19. Ita dicatur: « Communitas politica et Ecclesia in proprio campo una ab alia sunt *independentes et* autonomae ». Ratio in eo est ut in clara luce ponatur omnimoda independentia Ecclesiae (a quacumque ingerentia) in propria missione et campo sui laboris.

R. — Placet et admittitur.

8 — Pag. 57, linn. 18-19. Unus Pater rogat ut dicatur: « Ecclesia et communitas politica in proprio *ordine* una *et* alia sunt *supremae* », nam vox « autonomae » nimium tribuit auctoritati politicae. Alius Pater vult: « Ecclesia et communitas politica sunt perfectae suo ordine ». Hoc desideratur quia nullo in loco sermo est de Ecclesia ut societate perfecta.

R. — Ratio allata pro priori propositione caret fundamento. Quoad alteram propositionem, attendendum est hoc Caput praesertim de communitate politica agere, et non directe de Ecclesia. Non possumus omnia dicere, nec facimus Tractatum de Iure Publico Ecclesiastico.

9. — Pag. 57, lin. 22. Unus Pater petit ut loco verborum « ... attentis ... adiunctis » sequentia ponantur: « quae cooperatio exigit tum plenam Ecclesiae libertatem in munere suo exercendo, tum tolerantiam potestatis publicae, necnon fidelitatem eius quoad pacta servanda ». [116]

Ratio: In eo est quod hoc modo loquendi arceri potest falsa interpretatio textus a parte regiminis communistici in variis regionibus.

R. — Non accipitur quia nimis particularis; et longior additio esset praeterea contra Normas.

[116] 10 — Pag. 57, linn. 24-25. Melius dicetur: « ... Ecclesia *conferre vult* ... », nam non convenit, in hoc documento praesertim, ut Ecclesia suas laudes proclamet.

R. — Mutatio non est necessaria. Quod dicitur, verum est.

11 — Pag. 57, lin. 29. Proponit unus Pater ut ita redigatur: « ... civium libertatem *iustamque societatis ordinationem* veretur ... », ad hoc ut, simul cum libertate, harmonice exhibeatur effectus *socialis* illuminationis Ecclesiae.

R. — Admittitur quoad rem et sic scribatur: « ... civium libertatem *et responsabilitatem* reveretur ... ».

12 — Pag. 57, linn. 39-40. Quinque Patres rogant ut deleantur verba « Spem vero suam ... » usque ad « ... non reponit ».

Ratio: Quia inutilia et etiam offensiva.

R. — Non admittitur. Talis substantialis mutatio textus iam adprobati est contra Normas.

13 — Pag. 57, linn. 39-43. Duo Patres petunt ut tollantur verba: « ... immo quorundam ... » usque ad « ... exigere ordinationem », nam vix hodie talia privilegia exsistunt, quibus Ecclesia prudenter possit renuntiare.

R. — Non admittitur. Cf. Modus praecedens.

14 — Pag. 58, lin. 1. Quattuor Patres enixe rogant ut quaedam verba maximi momenti ibi addantur hoc modo: « ... ubique ei fas sit cum vera libertate fidem *et socialem suam doctrinam* praedicare ... ».

Ratio est quia dantur regiones, ubi, quamvis populatio ex maxima parte catholica sit, fides sine difficultate, socialis vero Ecclesiae doctrina in toto suo complexu aliquando sat difficul-
[117] ter vel immo impossibile est ut praedicetur, quin vexationibus ex parte auctoritatum civilium exponatur.

R. — Admittitur. Ita scribatur: « ... cum vera libertate fidem praedicare, *socialem suam doctrinam docere,* munus suum inter homines ... ».

15 — Pag. 58, linn. 3-4. Quattuor Patres proponunt ut deleantur verba: « ... personae iura fundamentalia aut ... ».

Ratio: Animarum salus vitam tam personalem quam communitariam respicit.

R. — Non admittitur. Ecclesiae omnino competit iudicium suum morale de iuribus fundamentalibus personae ferre. Praefata verba necessaria sunt.

16 — Pag. 58, linn. 3-4. 22 Patres proponunt ut loco « quando *personae* iura fundamentalia » scribatur « quando iura fundamentalia *hominum* » vel simpliciter « quando iura fundamentalia » (sic unus Pater), nam Ecclesia non tantum iura singularum personarum, sed etiam coetuum (v. g. familiae) tueri debet. [117]

R. — Mutatio non videtur necessaria, nam inter iura *personae* includuntur etiam iura coetuum, uti familiae, etc.

17 — Pag. 58, linn. 7-8. Novem Patres rogant ut hae duae lineae vel deleantur, vel modo optativo, et non assertivo, scribantur. Quod hic dicitur, Ecclesia nec semper fecit nec hodie semper facit. Abstinendum est a propria commendatione et a pulchris votis. Duo alii Patres vero proponunt ut sententia ita mutetur: « Ecclesia ... elevare *vult, sic* pacem ... ». Ratio: Intentionem, non vero iudicium valoris, Ecclesia proferre debet. Praeterea textus Const. dogm. *Lumen gentium* non ad omnes homines dirigitur, sed solummodo ad Christianos. Insuper in hoc documento non convenit ut Ecclesia seipsam laudet.

R. — Praefatae lineae sic legantur: « *Fideliter Evangelio adhaerens et suam missionem in mundo exercens,* Ecclesia, *cuius est,* quidquid verum, bonum et pulchrum *in communitate humana invenitur,* fove*re ac* eleva*re* (9), pacem inter homines ad Dei gloriam robor*at* (10) ».

CAPUT V [118]

DE PACE FOVENDA ET DE COMMUNITATE GENTIUM PROMOVENDA

Exitus suffragationum de Capite V

Suffr. nn. 81-86

Praesentes votantes	2.242
Placet	2.081
Non placet	144
Vota nulla	17

Suffr. nn. 87-90

Praesentes votantes	2.170
Placet	2.122

[118] Non placet	43
Vota nulla	5

Suffr. nn. 91-94

Praesentes votantes	2.200
Placet	2.126
Non placet	65
Vota nulla	9

Suffr. de integro Capite V (et Conclusione)

Praesentes votantes	2.227
Placet	1.656
Non placet	45
Placet iuxta modum	523
Vota nulla	3

Integrum ergo Caput V cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti ordinati et discussi sunt a Subcommissione X. Commissio autem plenaria has solutiones proposuit.

Modi generales ad totum caput

a) Unus Pater proponit ut toti capiti V substituatur allocutio S. Pont. Pauli VI in aula Nationum Unitarum.

[119] *b*) Alius observat, quod caput non pervenit ad maturitatem necessariam, propterea proponit ut committatur ulterior elaboratio Synodo Episcopali.

c) Unus Pater petit ut redeatur ad divisionem anteriorem sectionum.

d) Duo Patres observant, quod caput gravi culpa laborat eo quod omittit admonere mundum et nationes christianas de inimicis et periculis tam graviter imminentibus.

R. — Cum textus capitis V secundum normas Concilii maioritatem necessariam obtinuerit, nec deleri, nec transferri, nec eius divisio substantialiter mutari potest. Sic respondetur ad *a*) *b*) *c*); ad *d*) textus non ignorat causas profundas dissensionum et malorum socialium et remedia efficacia ad illas exstirpandas indicare intendit.

AD NUM. 81 (nunc 77). [119]

1 — Pag. 62, lin. 4, scribatur « in unum *paulatim* concrescens atque ubivis suae unitatis *melius* conscia » vel alius « in unum prorsus congregata atque ubivis suae unitatis conscia » (2 Patres).

R. — Admittitur hoc modo: « in unum *paulatim* concrescens ... atque ubivis suae unitatis *melius* iam conscia ».

2 — Pag. 62, lin. 7, loco « veritatem » dicatur « voluntatem » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia sensus textus est plenior.

3 — Pag. 62, linn. 10-11. Pacifici, de quibus in *Mt.* 5, 9 intelligendi sunt filii Dei sensu proprie supernaturali (1 Pater).

R. — Non est vera obiectio.

4 — Pag. 62, lin. 14, loco « auxiliante Christo auctore pacis » ponatur: « *Deo iuvante,* auctore pacis *et amatore cuius pax donum certe, sed et primo voluntas est* » (2 Patres).

R. — Non admittitur; textus propositus non est satis clarus.

5 — Pag. 62, lin. 16 addatur: « *insuper et mundo testimonium praebeant in divina defensione confidere* » (2 Patres).

R. — Non admittitur ut non aggravetur textus. Hic datur divisio capitis.

AD NUM. 82 (nunc 78). [120]

1 — Pag. 62, lin. 17: Post « ... belli », addatur: « *Haud certe numquam minus* » (2 Patres).

R. — Reiicitur, quia hic agitur de plena ratione pacis.

2 — Pag. 62, lin. 18, loco: « solum ... aequilibrium » dicatur: « *aliquoddam ... sic dictum* aequilibrium » (2 Patres).

Ratio: Secus per verbum « solum » aequilibrium indicatur ut verum elementum pacis; et vox « aequilibrium » sine qualificatione sapit humanam praesumptionem.

R. — Non videtur necessarium.

3 — Pag. 62, lin. 25-26, loco: « pax ... aedificandum » dicatur: « *pax perenniter acquisita sed perpetuo aedificanda* » (20 Patres).

Ratio: Melioris latinitatis et maioris claritatis gratia.

R. — Admittitur hoc modo: « *Nunquam pax pro semper acquisita sed perpetuo aedificanda* ».

[120] 4 — Pag. 62, lin. 28, post « dominationem » addatur: « *caritatis incrementum* et legitimae auctoritatis *simul atque omnium civium* invigilantiam » (2 Patres).

Ratio: Magis positive dicitur et responsabilitas ad omnes cives extenditur.

R. — Reiicitur, quia structuram textus nimis mutat.

4 bis — Pag. 62, lin. 32 post « verbum homines » addatur « *et populos* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

5 — Pag. 62, lin. 33, deleatur: « mutua amicitia innixa » (19 Patres).

Ratio: Inutilis repetitio minus dicens quam verba immediate praecedentia.

R. — Admittitur.

6 — Pag. 63, lin. 1, loco « pax fructus altioris » dicatur: « pax *etiam* fructus » (23 Patres).

Ratio: « Etiam » ad pag. 62, linn. 19-20 refert; « altioris » non videtur ad ullum terminum comparationis referri posse.

R. — Admittitur inquantum dicitur « fructus *etiam* amoris ».

[121] 7 — Pag. 63, lin. 2, proponitur longa additio de responsabilitate illorum qui regimina oppressiva imponunt et sic bella consequentia causant (1 Pater).

Ratio: Necesse videtur dicere qui sint vere propugnatores pacis et qui inimici.

R. — Abstinendum est a polemicis.

8 — Pag. 63, lin. 3: deleatur « figura et » (20 Patres).

Ratio: Pax inter gentes non potest esse figura pacis supernaturalis Christi quae interior est.

R. — Pax terrestris de facto est figura (analogice) pacis Christi.

9 — Pag. 63, lin. 4, loco: « Deo et Patre », ponatur « Deo Patre » (21 Patres).

Ratio: Locutio « et » est superflua.

R. — Admittitur.

10 — Pag. 63, lin. 4: post verbum « promanantis » inseratur: « *Ipse Christus, pax nostra, cuius praedicatio incipit ab illis verbis*: « *Beati pacifici* », *inimicis suis non resistit. Discipulo dixit*: « *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt* », *et* « *legiones angelorum* » *Patri non petit. Ipse etiam per crucem suam*... (ut linea 5) (10 Patres).

Ratio: Secus taceretur in textu praeceptum (vel consilium) et exemplum Christi, cum tamen multa de hoc verba et exempla in Evangelio sint: talis praetermissio sane in scandalum christianorum non catholicorum verteretur. [121]

R. — Reiicitur, quia textus longior plura continet de quibus discuti deberet fusius.

11 — Pag. 63, lin. 7: Loco « carne » ponatur « morte » (19 Patres).

Ratio: Sic textus est clarior et simplicior.

R. — Reiicitur, quia expressio in textu acceptata est a traditione et plenior est.

12 — Pag. 63, lin. 7: Post « odium » addatur: « radicem pariter ac fructum belli » (1 Pater).

Ratio: Ut expresse dicatur bellum sine odio non posse duci.

R. — Praecisio non videtur necessaria.

13 — Pag. 63, lin. 9: Loco « Quapropter » dicatur « *Hac caritate moti,* quamvis ... » (25 Patres). [122]

Ratio: Expressio magis satisfacit quam clausula « quapropter ».

R. — Videatur Modus 17.

14 — Pag. 63, linn. 9-12: Vel omittantur vel clarificentur (1 Pater).

Ratio: Non apparet quid hic intenditur et in specie quae sint « media » de quibus hic sermo fit.

R. — Videatur Modus 17.

15 — Pag. 63, linn. 9-12: Deleantur et ponantur post lin. 15: « *pacem vero periclitantem dependere satagant mediis non violentis,* quae etiam debilioribus praesto sunt, *necnon, quatenus necessarium est, aliis quoque legitimae defensionis formis* » (23 Patres).

Ratio: Locus aptior videtur postquam sermo fuerit de promotione pacis (linn. 13-15). Textus a Commissione propositus videtur implicite hortari ad despectionem aliarum formarum legitimae defensionis et omnino silet de imprudentia possibili in renuntiatione actioni violentae.

R. — Videatur Modus 17.

16 — Pag. 63, linn. 9-15: Hae paragraphi inter se mutentur ita ut linn. 13-15 veniant prius et modificetur sequens sententia, i. e. linn. 9-12 ita: « *Eodem spiritu moti,* non possumus ... ad alia media defensionis recurrunt quae *ceteroquin* etiam debilioribus ... » (4 Patres).

[122] Ratio: Melius servaretur ordo logicus.

R. — Admittitur in coniunctione cum Modo 17. Videatur sub hoc numero.

17 — Pag. 63, linn. 9-10: Post « nequeant » addatur: « *dummodo verae defensionis sint, id est conservationis aut praeservationis, non vero annihilationis vel exterminationis* » (1 Pater).

Ratio: Verbum « defensio » aequivocum est.

R. — De toto hoc passu sic fiat: Admittitur in toto Modus 16 ita ut incipiatur a lin. 13; sed ei anteponitur verbum « *quapropter* »; et lin. 9, incipiat et prosequatur ut postponitur in Modo 16; in fine post « praesto sunt » dicatur iuxta Modum 21.

[123] 18 — Pag. 63, linn. 9-12: Ponatur referentia ad *Mt.* 5, 39 (1 Pater).

R. — Non est hic locus citandi Evangelium.

19 — Pag. 63, linn. 10-12: Scribatur: « in iuribus *suis* vindicandis *tantum media inviolenta adhibere volunt* » (1 Pater).

Ratio: Aufertur sic ambiguitas textus propositi.

R. — Videatur Modus 16.

20 — Pag. 63, linn. 11-12: Post « quae » sic mutetur: « *melioribus fortioribusque et* etiam debilioribus *pauperibusque omnibus* praesto sunt » (1 Pater).

Ratio: Ista media non solum ratione necessitatis sed ratione perfectionis valorem suum habent.

R. — Videatur Modus 16.

21 — Pag. 63, lin. 12: Post « praesto sunt » addatur: « *dummodo hoc sine laesione iurium et obligationum aliorum vel communitatis fieri possit* » (19 Patres).

Ratio: Quia adsunt casus in quibus talis renuntiatio iuris aliena laedere potest.

R. — Admittitur, videas Modum 16.

22 — Pag. 63, linn. 13-15: Deleantur (1 Pater).

Ratio: Ne videamur appellare aliquas organisationes quae sub praetextu inserviendi paci de facto causis politicis praesto sunt.

R. — Contra normas.

23 — Pag. 63, lin. 14: Post « pacificis » ponatur: « *sine ulla discriminatione* » (1 Pater).

Ratio: Sic textus omnino clarior est.

R. — Videtur additio superflua.

24 — Pag. 63, lin. 14: Loco « sincere pacificis » dicatur « *vere* pacificis » (1 Pater). [123]

Ratio: Est quaestio non de subiectiva sinceritate sed de obiectiva veritate.

R. — Accipitur.

25 — Pag. 63, lin. 16: Loco « belli » dicatur « *conflictus* » (1 Pater). [124]

Ratio: Conflictus semper erunt dum bellum eradicandum est.

R. — Terminus « bellum » melius ad rem videtur.

26 — Pag. 63, lin. 17, dicatur « caritate *moti* » loco « coniuncti » (1 Pater).

Ratio: Nulla datur.

R. — « Coniuncti » videtur melius.

MODI GENERALES PRIMAE SECTIONIS

1 — Deleantur paragraphi 83, 84, 85 (1 Pater).

R. — Hoc fieri non potest: esset contra normas.

2 — Textus ultimo redactus redigatur adeo ut fiat brevior, non tam excessive concretus; sufficit ut generaliora principia enuntientur (1 Pater).

R. — Hoc fieret contra normas.

1 — Redeundum est ad textum praecedentem (1 Pater).

R. — Contra normas.

2 — Pag. 63, linn. 23-24: Post verbum « damna » addatur « *tum materialia, tum moralia* » (5 Patres); post « persequitur » addatur « *odia servans morumque perturbationes adducens* » (5 Patres).

R. — Accipitur prima additio et per hoc superflua est secunda quae aggravaret textum.

3 — Pag. 63, linn. 25-27: Unus Pater proponit ut deleantur. 21 Patres autem proponunt Modum: loco « adducit... superat » ponatur: « *adducere minatur,* quae ingentem illam anteactorum temporum superet ».

R. — Accipitur, scribendo: « quae illam anteact*orum* tempor*um longe* super*et* ».

4 — Pag. 63, lin. 31: Post « habetur » addatur:

a) « *Itaque novis mediis, non armatis vero, immo et spiritualibus, longius latiusque resistere potest et debet. Sic pax mundi ubique terrarum melius et securius aedificatur* » (2 Patres).

[124] *b*) Alius Pater e contra proponit hunc textum: « *Quod quidem*
[125] *gravissimum officium secumfert obligationem parandi arma proportionata armis aggressoris possibilis* » (1 Pater).

R. — Ad *a*) Hic agitur solummodo de conditione mundi actualis et non de remediis.

Ad *b*) De legitima defensione infra sermo est.

5 — Pag. 63, linn. 34-36: *a*) Unus Pater proponit ut loco « Ipsa... proclamat » scribatur: « Ipsa generis humani conscientia haec principia *magis ac magis* proclamat »; *b*) 33 Patres proponunt ut lin. 35, loco « clarissime firmiterque » scribatur « *firmiter* », quia in historia videtur quod quantum ad haec conscientia saepe obscurata fuit.

R. — Accipiuntur hoc modo: « Ipsa generis humani conscientia haec principia firmiter *magis magisque* proclamat ».

6 — Pag. 63, lin. 36: Loco « quae iisdem deliberate » scribatur « delibera*tae* iisdem adversantur », quia agitur de moralitate obiectiva. (1 Pater).

R. — Textus non adversatur moralitati obiectivae; remanet.

7 — Pag. 63, linn. 37 ss.: Deleantur verba « nec caeca ... valet », quia miles ordinarius in plerisque casibus nequit iudicare de qualitate morali iussionis concretae (1 Pater).

R. — Quando agitur de sceleribus oboedientia non excusat.

8 — Pag. 63, linn. 39 ss.: Loco « ante omnia ... quae » dicatur: « ante omnia ... universa gens ac natio vel *ethnicae minoritates* exterminantur quae » (1 Pater).

R. — Admittitur, sed ponatur in singulari sic « *minoritas ethnica* ».

9 — Pag. 63, lin. 39: Post « ratione quadam et methodo » addatur « *aut solo effectu* », quia intentio minus mala actiones perversas iustificare non valet (2 Patres).

R. — Modus introducit novam quaestionem, quae hic discuti non debet.

10 — Pag. 63, linn. 40 ss.: Scribatur simplicius: « ... *quae tamquam crimina horrenda vehementer condemnanda sunt* » (3 Patres).

R. — Admittitur.

[126] 11 — Pag. 64, lin. 2: Post « resistere timescunt » addatur: « *quod iam necessarium erit tempore pacis, praevisa satis praeparatione talis exterminationis* » (2 Patres).

R. — Textus satis completus est, haec praecisatio videtur esse superflua; nec omnino recta; genocidium non necessario cum bello connectitur. [126]

12 — Pag. 63, lin. 10: Post verba « refrenandam conducant » addatur: « *Semper memores vero sint ista applicare difficillimum et iam impossibile esse, quia lex belli per se ad victoriam solam quibuscumque mediis inhumanissimis quoque tendit* » (2 Patres).

R. — Textus attendit ad ea quae iuris sunt.

13 — Pag. 64, linn. 10-14: De obiectione conscientiae: 45 Patres, cum diversis rationibus quaerunt ut hae lineae deleantur. Rationes eorum si colliguntur: 1) Quaestio perdifficilis est, nimis breviter tangitur; 2) res est controversa, propterea non expedit de hoc loqui; 3) res est nimis particularis; 4) non est Concilii providere de individuis; 5) non patet ex iure naturae; 6) in casu defensionis patriae res adhuc magis dubia fit; 7) in hac materia iudicium non pertinet ad singulos; 8) doctrina est contraria communiori sententiae et sine probatione ponitur; 9) oboedientiam civium destruit; 10) consequentiae funestissimae.

R. — Textus harum linearum secundum votum nonnullorum Patrum redactum fuit ac post exitum positivum suffragii nec deleri nec in sensum contrarium mutari potest.

14 — *Ibid.*: 20 Patres petunt ut indicetur in nomine principiorum obiectivorum moralitatis catholicae obiectionem conscientiae vindicari non posse, vel saltem, ut unus Pater notat, armorum recusationem in casu necessitatis defensionis esse, vel esse posse, obiective erroneam.

R. — Quando dicit « aequum videtur » textus nullum iudicium in ordine moralitatis obiectivae profert de obiectione conscientiae. De bello autem defensivo vel alio, in hoc casu distinctio non est facienda.

15 — *Ibid.*: Unus Pater petit ut insistatur in officio quo omnes cives adstringuntur oboediendi legibus ad bonum commune tuendum, etiam cum sacrificio propriae opinionis.

R. — Obligatio obiectiva huius obedientiae in textu non negatur.

16 — 22 Patres petunt ut linn. 10-14 ponantur post verba: « merito habentur » in lin. 23, et quidem in hac forma: « Illi vero qui personali ... recusant, *coercitioni obnoxii esse non debent, dummodo* aliam ... acceptant ». [127]

[127] Ratio: *a*) In Declaratione de libertate religiosa materia semper exponitur in forma negativa: libertas seu immunitas a coercitione, quod prudentius videtur;

b) de ordinatione conditionum vitae obiectorum conscientiae in documento conciliari non est explicitis verbis tractandum;

c) ut aliqui Patres specialiter notant, schema non potest aliquid dicere in favorem obiectionis conscientiae quin haec dicta in reprobationem militum dici videantur, si nulla laus muneris militaris fiat.

R. — Rationes *b*) et *c*) accipiuntur. Sed Commissio maluit solvere difficultatem motam minorem mutationem textus adhibendo. Coniunctio immediata rerum dictarum de militibus et de obiectoribus conscientiae inconveniens videtur, utpote militibus offensiva, contra intentionem Modi. Cf. R. ad 25.

17 — 22 Patres petunt ut loco « formam servitii communitatis hominum » dicatur « *aequivalentem formam serviendi defendendae communitati hominum* ».

R. — Hic modus dicendi non aptior et nimis restrictivus videtur. Proponitur ergo ut dicatur: « ... aliam formam communitati hominum servi*endi* ... ».

18 — Unus Pater quaerit ut loco « aequum » dicatur « *opportunum* ».

R. — Textus maneat. De aliqua aequitate humana potius quam de opportunitate hic agitur.

19 — Unus Pater deplorat debilitationem textus praesentis in comparatione cum textu antecedente et proponit ut dicatur: « insuper aequum videtur ut leges dignam conditionis ordinationem eorum qui *propter reverentiam erga vitam humanam vel ex sincero fastidio vim exercendi militare servitium* recusant, dum tamen aliam formam servitii communitatis hominum acceptant ». Rationes ex antiquissima traditione Ecclesiae sumuntur.

R. — Rationes sane considerandae sunt. Attamen situatio profunde mutata est et quaestio obiectionis conscientiae unice ex his perantiquis fontibus solvi non potest. Nonnulli Patres petierunt antea ut de motivis hic allatis mentio non fiat in textu.

[128] 20 — Duo Patres proponunt ut in lin. 10 loco verbi « videtur » scribatur: « est ».

R. — Melius videtur rem tam affirmative non statuere.

Nota: Textus recognitus a Commissione sic se habet: « Insuper aequum videtur ut leges *humaniter* provideant *pro casu*

illorum qui *ex motivo conscientiae* arma adhibere recusant, dum tamen aliam formam serv*iendi communitati* hominum acceptant ». [128]

21 — Pag. 64, linn. 15-27 deleantur.

Ratio: Per hanc sectionem vis totius capitis inefficax evadit (1 Pater).

R. — Hoc esset contra normas. Hic non agitur de vi textus sed de aequilibrio doctrinae.

22 — Pag. 64, linn. 15 ss.: Post « utique bellum ... eradicatum » sic mutetur textus: « *Tamdiu autem periculum belli aderit, quamdiu auctoritas supranationalis vel mundialis competens, congruis viribus munita defuerit exhaustisque, sicut dicuntur, omnibus pacificae tractationis subsidiis, ius sic dictum legitimae defensionis, si iam quo sensu fruatur et adaequatio rei et vocis possibiliter existat, gubernia separatim e communitate gentium sibimet erogaverint* » (2 Patres).

R. — Textus propositus non bene intelligitur. Ius legitimae defensionis non est ex se « sic dictum » ius, sed verum ius in circumstantiis requisitis ut defensio legitima sit.

23 — Pag. 64, lin. 18: Loco « guberniis » scribatur « *populis* ».

Ratio: Ius defensionis competit proprie populis et non guberniis (29 Patres).

R. — Maneat textus; gubernia repraesentant populum.

24 — Pag. 64, lin. 21: Post verba « graviter gerentes », transferatur textus linn. 21-23 ad lin. 26.

Ratio: Linn. 23-26 magis ad civitatum rectores quam ad exercituum duces pertinent (1 Pater).

R. — Accipitur, sed transferuntur etiam linn. 26-27. Vide redactionem completam textus post resp. ad 31.

25 — Pag. 64, lin. 22: 34 Patres requirunt ut loco « suae gentis » scribatur « *populorum* ». *Ibid.*: Unus Pater petit ut post verba « in exercitu versantur » includatur « *patriae amore necnon suae vitae impendendae vocatione ducti* ».

Ratio: Ad evitandum ne mere mercenarii laudari videantur. [129]
Ibid.: duo Patres quaerunt ut loco « merito » dicatur « *bona fide* ».

R. — Primus Modus accipitur. Secundus vero recipitur in hac forma: « Qui *vero, patriae servitio addicti,* in exercitu versantur ... ». Tertius autem Modus nunc aliter sonaret; proponitur ut dicatur:

[129] « tanquam ... ministros sese habeant ... ». Et ut etiam animadversionibus Modi 16 satisfiat, hoc membrum phraseos adiungatur: « *et, dum hoc munere recte funguntur, vere ad pacem stabiliendam conferunt* ».

26 — Pag. 64, lin. 21: Post « salutem » addatur « *non ruinam vero* » (2 Patres).

R. — Additio superflua videtur; idea iam includitur in verbo « salutem ».

27 — Unus Pater petit ut altera pars lin. 26, scil. « nec bello ... etc. » necnon lin. 27 post verbum « poterit », lin. 19, ponantur.

Ratio: Cohaerentia textus.

R. — Melius est aliquam parvam mutationem textus facere, dicendo: « *Partes adversas* » loco « proeliantes ».

28 — 38 Patres volunt ut pag. 64, linn. 23-27 sic mutentur: « At res militares gerere ut populi *contra iniustas aggressiones* defendantur, a voluntate ... abest. Nec *omnem artem bellicarum* militarem vel politicum ... facit, nec bello infeliciter *aliquando* inito ... etc. ».

Ratio: Ut evitetur obscuritas locutionis « artes bellicas exercendi capacitas ».

Item tres Patres sequentem textum proponunt: « At *aliud est* res militares gerere ut populi *iuste* defendantur, *aliud* alias nationes *subiugare velle*. Nec *potentia bellica* omnem *eiusdem* militarem vel politicum usum legitimum facit ».

R. — Ad primum Modum, providetur Modo sequenti. Ad secundum, accipitur.

29 — Unus Pater petit ut lin. 24 dicatur: « ... a voluntate alias nationes subiugandi prorsus *abesse debet* ».

Ratio: Ut exprimatur tum factum subiectivum cum obiectivum.

R. — Modus loquendi textus sufficiens videtur.

[130] 30 — Duo Patres proponunt ut post « abest », lin. 24, addatur: « *ad vim supranationalem aut mundialem quidem constituendam promptius prodesse debet* ».

Ratio: Ut textus magis positive loquatur.

R. — Haec idea infra in n. 86 proponitur.

31 — Unus Pater proponit ut dicatur: « At res militares gerere ... prorsus abest, nec omnes artium bellicarum ..., nec bello infeliciter aliquando *exorto,* eo ipso ... licita *reddit* ».

R. — Accipitur prima pars Modi, scil. « exorto » loco « inito », in hac

forma: « nec, bello infeliciter iam *exorto,* omnia inter *partes adversas* licita fiunt ». [130]

32 — Pag. 64, lin. 27: Post « licita fiunt », addatur: « *E contrario praesumptio iuris, hic quidem publici internationalis, confirmata autem per organisationem internationalem nunc vigentem est: nullus iudex in propria causa* » (2 Patres).

Item alius Pater proponit ut addatur: « *At bellum cum sit gravissimum damnum, etiam defensivum, gravissime tenentur nationes auctoritatem internationalem supremam instituere eique oboedire ut bellum, etiam defensivum, tollatur* ».

Item tres Patres volunt ut in eodem loco textus sequens addatur: « *Attamen, si armis resistere licet cuilibet aggressioni armis susceptae, iam nequit propugnari ut agnoscatur ius negatum aut violatum. Malum est quodlibet aggressivum bellum, etiam limitatum; insuper in seipso gerit periculum ne extendatur ad amplas regiones, vel interdum ad mundum universum, atque cito bellum totale deveniat quod homines hodierni ferre recusant* ».

Alius Pater quaerit ut adiungatur principium generale quoad usum armorum secundum textum etiam priori anteriorem: « *Usus armorum, quorum effectus omnino aestimari nequeunt ac propterea ab homine rationabiliter temperari non possunt vel ipsam speciem humanam in sua constitutione physica aut biologica irreparabiliter laedunt, excedit omnem iustam proportionem ac proinde moraliter cohonestari nequit* ».

R. — Ad primum et secundum Modum: Idea, aliis verbis, in n. 86 proponitur; insuper auctoritas suprema internationalis est adhuc in fieri. Ad tertium Modum: hoc ex principiis hic et in numero sequenti deduci posse videtur; textus autem longis additionibus ulterius onerari non potest. Ad quartum Modum: de hoc aliquo modo providetur in numero sequenti, in praesenti autem loco hoc incisum textum oneraret.

AD NUM. 84 (nunc 80). [131]

1 — Deleatur n. 84 et redeatur ad textum anteriorem (in n. 98).

R. — Hoc esset contra normas.

2 — Pag. 64, linn. 28-39, hae sententiae modificentur tum secundum tenorem textus originalis lingua italica exarati, qui conformis est sensui linn. 17-19 n. 83 tum secundum dicta S. P.

[131] Pauli VI, tum secundum statum hodiernum armorum scientificorum.

Ratio: In mundo hodierno bellum omnino necessarium est atque aptum ad violata quorundam populorum sarcienda; sententiae contradicunt linn. 17-19 n. 83; quaedam arma scientifica scopum praecisum et determinatum destructionis habent. Absonum est Concilium asserere quod falsum est (174 Patres).

R. — Intentio Modi pro posse accipitur intra limites normarum. Cum autem propositiones concretae desint in hoc Modo, textus ex aliis Modis propositis huic intentioni satisfacere nititur. Ad rationes allatas autem: 1) Sententia Encycl. *Pacem in terris* non contradicit principio legitimae defensionis; aliud dicit. Insuper textus latinus est textus officialis. Omnia ergo ex contextu intelligi possunt, cum veritas rerum dictarum in numero praecedenti non tollatur in sequenti et cum nunc agatur de actionibus belli totalis quae evidenter limites legitimae defensionis longe excedunt. 2) Alia sententia incriminata, quae accipit verba S. P. Pii XII, nullo modo dicit quod *omnia* arma scientifica destructiones « indiscriminatas » efficiunt; dicit quod sunt aliqua talia arma quae ingentes indiscriminatasque destructiones *afficere possunt,* quod patenter verum est; insuper commemorandum est quod textus non respicit ad media technica belli qua talia, sed *ad actiones humanas* quae committi possunt, talibus mediis adhibitis.

3 — Ibid. unus Pater vult ut modificetur paragraphus ita ut ius legitimum se defendendi armis etiam scientificis rite teneatur.

R. — Vide resp. ad Modum praeced.

4 — Ibid. alius pater dicit quod praecisius distinguendum est inter quaestionem belli totalis et iuris defensionis licito vel illicito usu armorum scientificorum.

R. — Hic non agitur tantum de deploratione belli totalis, sed de reprobatione expressa aliquarum actionum bellicarum quas bellum totale possibiles effecit. De reliquis, vide resp. ad 2.

[132] 5 — Ibid. alius Pater petit ut adiungatur illud principium generale quoad usum armorum, de quo iam in Modo ultimo numeri praecedentis agebatur (4 Modus n. 32 in n. 83).

R. — De hoc providetur per verbum « indiscriminatim » et novam redactionem secundae sententiae praesentis numeri. Explicitatio totius incisi textum inutiliter oneraret. Vide doctrinam recentium Romanorum Pontificum.

6 — Pag. 64, lin. 29, deleatur sententia: « Bellica enim ... licitum est ». [132]

Ratio: Idem melius dicitur postea, pag. 65, linn. 3-6 (1 Pater). Item, deleantur verba « quod nulla ratione licitum est ».

Ratio: Verba praecedentia nimis vaga sunt; quaeri licet an in extremis, aliis servatis iustae defensionis regulis, talis actio omni in casu illicita sit (22 Patres).

R. — Accipitur et sententia modificatur ex sequentibus Modis. De quaestione autem mota in fine rationis praecedentis, textus anterior non intendebat explicite aliquid statuere (cf. Relatio huius numeri pag. 81, nota *c*), nec praesens intendit; vide etiam infra, resp. ad II. Modus insuper non sufficienter attendere videtur ad vocem « indiscriminatasque » cf. R. ad Modum 5.

7 — Pag. 64, lin. 31, scribatur: « destructiones *quae limites legitimae defensionis longe excedunt quas potius pura ac* simplex ... etc. » (39 Patres).

R. — Accipitur hoc modo: « ... ingentes indiscriminatasque inferre possunt destructiones *quae proinde limites legitimae defensionis longe excedunt* ».

8 — Pag. 64, linn. 37-39, deleatur tota propositio (27 Patres).

Ratio: Sententia falsa, sicuti iacet; contradicit n. 83, linn. 17-19.

R. — Votum Patrum a Commissione admittitur, in coniunctione cum voto Modi 2, ita ut haec sententia tantummodo in aliqua nota expresse inveniatur. Attamen rationes in praesenti Modo allatae non possunt admitti; vide resp. ad 2.

9 — Ibid. 36 Patres petunt ut propositio transferatur ad initium n. 86. Item tres Patres proponunt ut transferatur ad n. 86, pag. 66, lin. 34, post verba « ... promovenda sunt » et ut post « sarcienda » addatur: « *controversiae quae forte inter populos existant vel oriantur methodis pacificis semper perficiendis, iuridicis et politicis, dirimendae sunt* ».

Ratio: Ut vitentur difficultates interpretationis. Item duo Patres proponunt ut transferatur pag. 64, lin. 41, post verbum « instituamus », et ut loco « quae vi atomica gloriatur » dicatur « *quae admirabili scientiarum incremento* gloriatur ». [133]

R. — Vide resp. ad 8. Commissio aestimavit solutionem citationis factae in nota meliorem esse. Ad 3 Modum: vide responsum ad sequentem Modum, inquantum de modificatione verborum citatorum agitur.

[133] 10 — Ibid. dicatur « quare *praesertim* aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione bellum *totale* aptum esse ad ... etc. » (1 Pater). Item, inseratur verbum « *huiusmodi* » post verbum « bellum » (1 Pater). Item, scribatur « *semper magis* alienum *fit* a ratione... etc. ».

R. — Sententia iam amplius non invenitur in ipso textu. Mutationes propositae correspondebant plus minusve intentioni textus. Attamen maximae opportunitatis videtur, ut si citatio fiat, *verba ad verba* fiat, ne apud lectores Concilium in periculum suspicionis incidat quasi alterationem proponat verborum S. Pontificis.

11 — Ibid. post « ... iura sarcienda » addatur: « *intacto manente iure defensionis, inquantum legitimum est* » (1 Pater). Duo Patres petunt ut addatur: « *Quo citius se convertere debet humanum genus, cuius membra responsabilia sumus, ad rationem recuperandam si vivere velit* ».

R. — Additiones sunt inutiles, cum sententia iam non amplius inveniatur in textu.

12 — Ibid. hoc modo loquendum etiam est de moralitate necessariae defensionis in connexione cum armis atomicis; casus de actione mere et necessarie defensiva considerandus est (1 Pater). Item quaestio proponitur: Quid autem de mera et necessaria defensione? Cur textus non clare de hoc casu loquitur, et quidem loco citato et in connexione cum armis atomicis? (20 Patres).

R. — In contextu aliquo modo providetur quaesitis. Insuper: de moralitate defensionis *in genere,* vide n. 83; *in specie*: textus non intendit nisi condemnationem ingentium indiscriminatorumque destructionum aliquibus actionibus bellicis patratorum. Particuliora relinquuntur discussioni theologorum.

13 — Pag. 64, lin. 42, post verbum « consiliis » addatur: « *immo et huius Concilii* » (2 Patres).

R. — Haec additio parum opportuna videtur.

[134] 14 — Pag. 65, linn. 3-6 deleantur.

Ratio: affirmatio nimis radicalis (1 Pater). Item, possunt omitti (1 Pater).

R. — Textus iam a maioritate approbatus maximique momenti, deleri non potest.

15 — Ibid. mutentur verba « est crimen contra Deum ... damnandum est », et dicatur: « Omnis actio bellica quae indiscriminatim

et *per se* tendit ... amplarum regionum *ut valde inhonesta reprobanda est* ». [134]

Ratio: Textus, nimis fortiter, plus dicit quam enuntiaverunt recentiores S. Pontifices. Insuper in documentis Concilii Vaticani II usus verborum « damnatio », « damnat », etc. *consulto* reservatus est pro erroribus et haeresibus *exclusive* (1 Pater). Alius Pater petit ut loco « crimen contra Deum ... etc. » scribatur « crimen contra *novam legem Christi* et ipsum hominem quod firmiter *reprobandum est* ».

Ratio: Bellum totale ab ipso Deo in Vetere Testamento imperatur; ergo textus Deum inculparet.

R. — Ad primum Modum: Substitutio verbi « damnandum » interpretaretur ut mutatio substantialis sensus; in praesenti textu verbum « damnandum » adhibetur qualiter intelligitur ab hominibus ad quos textus dirigitur. In hac acceptione verbum « damnandum » huius declarationis semper receptum fuit in anterioribus redactionibus. Modus admitti non potest. Ad secundum: neque potest admitti. Vide quid dicatur a traditione catholica de quibusdam actionibus imperatis a Deo in Vetere Testamento, e. g. in casu Osee prophetae; vide etiam responsum ad primum Modum pro usu verbi « reprobandum » in hac declaratione.

16 — Unus Pater petit ut illae lineae reformentur ut non tam absolute damnetur casus legitimae defensionis, quod non esset iustum et aequum.

R. — Casus defensionis *vere* legitimae ullo modo includitur in hac condemnatione, nec ullo modo actiones pertinentes ad *legitimam* defensionem. Ad hoc clarificandum nova redactio secundae sententiae huius numeri facta est.

17 — Unus Pater aestimat vocem « fere » impraecisam esse, ac non concordare cum declaratione formali; declaratio proinde reformetur.

R. — Accipitur, hoc modo: « Omnis actio bellica quae in urbium integrarum *vel* amplarum regionum cum earum incolis destructionem indiscriminatim tendit est crimen ... etc. ». [135]

18 — Ibid. lin. 4, verbum « indiscriminatim », cum maximi momenti sit, sublineari oportet in textu definitivo (22 Patres).

R. — Idea bona est. Attamen: *a*) momentum verbi « indiscriminatim » ex lineis anterioribus (2 sententia) patet, *b*) non est consuetudo in textu definitivo.

[135] 19 — Pag. 65, linn. 7-14, auferantur omnia.
Ratio: Periculum offensionis (1 Pater).

R. — Contra normas. Ratio allata neque fundata neque sufficiens videtur.

20 — Pag. 65, lin. 7, loco « societatibus » scribatur « *eis* ».
Ratio: vox « societas » non habet communiter sensum quem textus hic intendit (24 Patres).

R. — Admittitur, in hac forma: « *illis, qui*... etc. ».

21 — Pag. 65, lin. 11, post verba « unquam eveniat » addatur: « *secundum sollemne votum Pauli VI, nunquam denuo bellum,* episcopi ... etc. » (1 Pater).

R. — Textus allocutionis S. Pontif. Pauli VI iam in actis Concilii invenitur.

22 — Pag. 65, lin. 14, post « perpendant », addatur: « *et decisiones consequenter indagant* » (2 Patres).

R. — Additio videtur inutilem explicitationem facere rerum quae iam in textu includuntur.

AD NUM. 85 (nunc 81).

1 — De armis scientificis ita fiat sermo, ut omnibus indiscriminatim interdicantur, ne cum aliquae nationes illa praeparent et habeant, ceterae exarmatae maneant et ideo non aptae sint ad seipsas defendendas. Porro quaeri potest pertinetne ad Concilium has quaestiones pertractare? (1 Pater).

R. — Textus non intendit arma scientifica indiscriminatim interdicere, sed cursum ad arma apparanda prout nunc habetur reprobare, quod recte videtur ad Concilium pertinere.

[136] 2 — Firmis his in n. dictis, addatur quod Concilium agnoscit situationem complexam et concretam in qua sese inveniunt auctoritates publicae, nec intendit imponere, graviter onerata eorum conscientia, obligationem destructionis *unilateralis* armorum atomicorum. Alius Pater petit ut modificetur paragraphus ne textus nationes quae iure studiis nuclearibus se incumbunt armaque scientifica iure possident, indiscriminatim damnare videatur (2 Patres).

R. — Textus nullo modo intendit obligationem imponere destructionis *unilateralis* armorum atomicorum. Ad hoc melius patefaciendum aliqua modificatio textus n. 86 introducta est, in ulti-

ma sententia primae alineae. Textus loquitur de cursu ad arma apparanda tamquam *communi* plaga nationum. Nec ullo modo loquitur de investigationibus scientificis ut damnabilibus. De situatione concreta et complexa in seq. n. agitur. [136]

3 — Pag. 65, linn. 20-39, delendae sunt, atque earum loco omnes gentes exhortandae sunt ut sincera colloquia ineant ad conventum pangendum quo arma nuclearia diminuantur et regantur.

Ratio: Attribuitur quibusdam nationibus occidentalibus « strategia » quam revera non tenent; continent asserta erronea quae inimicis libertatis proderunt; doctrina Concilii non debet praebere ansam qua gubernia atheistica abutantur; schema possessionem armorum scientificorum modo mere negativo et indiscriminato damnare non debet (24 Patres).

R. — Deletio ac substitutio fierent contra normas; cum insuper propositio concreta desit secundum alios Modos modificatio textus providetur, ad satisfaciendum rationibus hic allatis, prout legitimis ac validis.

4 — *Ibid.*: Haec dicta recognoscantur ne Sancta Ecclesia ullam nationem impugnare videatur, sive ditiorem, sive revolutionarem, sive ex Occidente sive ex Oriente. Purgentur ne suggerere videantur indagationes scientificas, sive in vi atomica et nucleari, sive in telis aëreis construendis, necessario esse inhonestas.

Ratio: Hoc modo attribuitur quibusdam nationibus « strategia » quam revera non habent; schema possessionem armorum scientificorum modo mere negativo et indiscriminato damnare non debet, sed potius aliquam optionem dare; haec exhortatio ita proferenda ut pariter ad omnes nationes dirigatur (160 Patres).

R. — Intentio Modi accipitur. Cum autem nulla propositio concreta fiat, ex aliis Modis propositis rationibus hic allatis pro posse satisfacere intenditur.

5 — Pag. 65, lin. 23, additur: « *habent nationes ius sese defendendi et paratas esse se defendendi* ». [137]

R. — Hoc iam dictum est in n. 83. Quae dicta fuerunt in illo n. manent vera pro numeris sequentibus.

6 — Ibid., addatur: « *quae opinio tamen valde disputatur et scientificis ac sapientibus contestatur* ».

Ratio: Ut Concilium non videatur facere suam opinionem ibi expressam (2 Patres).

[137] R. — Additio inutilis; textus praedictam opinionem nullo modo Concilio attribuit.

7 — Pag. 65, lin. 24, dicatur: « persuasum habent *homines* ... » loco « Christiani ».

Ratio: Ne offendamus homines bonae voluntatis (2 Patres).

R. — Accipitur.

8 — Pag. 65, lin. 24, post « quidquid sit de illa strategia » inseratur: « *quae tamen si ex intentione oritur bellum etiam defensivum indiscriminatim gerendi, pro certo illicita est* ».

Ratio: Ne videatur Concilium pravas intentiones exculpare (1 Pater).

R. — Patet iam sufficienter in textu quod Concilium non intendit pravis intentionibus indulgere.

9 — Pag. 65, lin. 26, loco verbi « tuendam », ponere « *servandam* ».

Ratio: Pro aliquo tempore transitorio omnino via apta esse potest ad pacem tuendam (24 Patres).

R. — Accipitur. De ratione autem dubitatur, saltem de verbo « omnino ». Sed dicatur: « ... non *securam* esse viam ad pacem *firmiter servandam* ».

10 — Pag. 65, lin. 28, loco verbi « aggravantur » ponatur « *aggravari possunt* ».

Ratio: Rectius videtur expressum (1 Pater).

R. — Accipitur, in hac forma: *aggravari minantur.*

11 — Ibid., loco « potius paulatim aggravantur » ponatur « *multo magis* aggravantur ».

Ratio: Quo maiora instrumenta mortis eo graviora et proxima pericula (2 Patres).

R. — Sufficit textus.

[138] 12 — Pag. 65, lin. 29, verba « id quod pacem vocant acquirendi ... » mutentur in « ... ponendi obstacula ad bellum ... ».

Ratio: « id quod pacem vocant » sensum despectivum aliquatenus habet. Vitetur (1 Pater).

R. — Haec pars textus mutatur ex aliis Modis propositis.

13 — Pag. 65, linn. 24-26: Tres Patres dicunt quod patet ex historia nationum « aequilibrium », de quo in textu, saepe ad pacem contulisse; exinde petunt ut totum alinea reficiatur; potius redeatur ad textum anteriorem.

R. — Hoc non denegatur in textu, sed ad hoc melius innuendum prout verum videri possit, Modus aptus (scil. 9) acceptus est. Sed

hoc non sufficiens videtur ut totum alinea reficiatur. Redire ad textum anteriorem esset contra normas. [138]

14 — Pag. 65, linn. 28-29: Aliter dicatur: textus ergo loquatur sub forma tantum possibilitatis (20 Patres).

R. — Provisum est in n. 9.

15 — Pag. 65, linn. 28-33 deleantur (42 Patres) vel mitigentur (8 ex illis 42 Patribus).

Ratio: Aptae sunt quae offendunt quasdam nationes, nec necessariae, nec undequaque verae. Eliminentur verba « ditiores et potentiores » et dicatur « *aliae et aliae* » (3 Patres).

R. — Provisum est, mitigando redactionem secundum primum Modum propositum in 17.

16 — Ibid.: Modificentur, ut coram mundo abstineatur a iudiciis quae nullo modo probantur nec probari possunt.

Ratio: Concilii enim est principia et consilia semper et ubique valida denuntiare (150 Patres).

R. — Pro posse, respiciendo ad normas, modificatio facta est in textu recognito, secundum propositionem positivam primi Modi 17.

17 — Ibid.: Loco huius incisi, post « aggravantur » scribatur: « *Dum in armis semper novis perabundantes nationum divitiae erogantur tot populis indigentibus adiutrix opera sufficiens iam non praebetur. Potius quam dissentiones inter populos vere ac funditus sanentur, iisdem aliae mundi partes inficiuntur. Novae viae* ... etc. ».

Ratio: Textus minus offensivus (4 Patres).

Item dicatur: *Ditiores et potentiores nationes nimis de defensione praeoccupatae sunt, cum pax magis pendeat de meliore distributione divitiarum de qua utique praeoccupatae sunt, sed (forsitan) cum aliqua timiditate, quam de armorum accumulatione* » (1 Pater). [139]

Item alius Pater proponit: « *Rebus sic stantibus coetus internationales adlaborent, ut tandem omnes nationes consentiant in communi nisu quo unaquaeque natio superabundantes divitias, quas ad apparanda arma funestissima erogare non dubitavit, populis indigentibus adiutrici opera impendet* », omittendo phrasim: « Potius quam ... inficiunt ».

R. — Ad *a*) Accipitur, in hac forma: « *Dum in arma semper nova apparanda perabundantes divitiae erogantur, tot miseriis hodiernis mundi universi remedium sufficiens praeberi non potest* ...

[139] etc. » (ne fiat mentio de « populis indigentibus », quae mentio nunc despectiva videretur).

Ad *b*) et *c*), alio modo providetur.

18 — Pag. 65, lin. 31, proponitur insertio alicuius textus (in lingua anglica) ad sublineandum factum quod etiam in nationibus progredientibus multae divitiae erogantur ad arma apparanda, et etiam quod in aliquibus casibus situatio peior fit quam in nationibus iam progressis.

Ratio: Vitandum est ne, tacendo de hoc, schema videatur approbare nationes progredientes quae suo modo « cursum ad arma apparanda » participant (18 Patres).

R. — Non accipitur: In textu modificato hoc offensivum fieret aliquibus nationibus.

19 — Pag. 65, lin. 37, deleatur « ac pauperes intolerabiliter laedere ».

Ratio: Duplicatio cum linea 30 eiusdem paginae; minuit vim condemnationis quia cursus ad arma est malum in se, expensis non consideratis (2 Patres).

R. — Melius videtur hanc deletionem non accipere, cum textus anterior mutatus fuerit. Laesio pauperum non unice ex nimiis opibus in cursu ad arma apparanda expensis oritur.

20 — Pag. 66, lin. 3, loco « nescimus » ponatur « *valde nimis scimus* ».

Ratio: Exempla nos docere debuerunt (2 Patres).

Ibid.: Finis mutetur: « ... renuerimus, *mala imminentia maiora erunt quam quis excogitari possit* » (1 Pater).

Post verbum « liberemus » vel post verbum « nescimus », addatur: « *quod de facto non fieri potest nisi bellica instrumenta* [140] *per idemque tempus minuantur, ut tandem ad congruentem ab armis discessum omnes ex condicto deveniant, mutua efficacique cautione adhibita* ».

Ratio: Haec verba e *Pacem in terris* excerpta resumunt quae constanter a SS. Pontificibus edocta sunt et sola possunt impedire quin unilateralem ab armis discessum ad politicos scopos interpretentur.

R. — Ad *a*) emphasis inutilis.

Ad *b*) clausula textus melior videtur.

Ad *c*) hoc ad n. sequentem pertinere videtur et ibi providebitur in fine primae alineae linn. 13-16, pag. 66, in hac forma: *Cum* pax *e* mutua gentium confidentia *nasci oporteat* potius quam ab armorum terrore nationibus imponi, omnibus adlaborandum

est ut *cursus ad arma apparanda finem tandem habeat,* ut diminutio armorum re incipiat, *non unilateraliter quidem sed pari passu ex condicto* progrediatur, *veris efficacibusque cautionibus munita* ». Citatio Encycl. *Pacem in terris* in nota ponitur. [140]

AD NUM. 86 (nunc 82).

1 — Pag. 66, lin. 5, ita incipiat: « *Aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur abiendum* (pauci: *alienum*) *est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda. Enitendum potius nobis est* ut viribus ... ».

Ratio: Phrasis haec desumpta ex Enc. *Pacem in terris* hoc loco multo aptius et sine periculo falsi intellectus et abusus ponitur (31 Patres).

R. — Vide N. 84 ad 8.

2 — Pag. 66, lin. 6, loco « consentientibus nationibus » dicatur « consentientibus *omnibus* nationibus ».

Ratio: si non omnes nationes consentient impossibile est vitare bella (1 Pater).

R. — Consensus omnium haberi non potest; quasi-unanimitas sufficit ad propositum.

3 — Pag. 66, lin. 7, loco « quod sane requirit » dicatur « quod *probabiliter requirit* ».

Ratio: Probabile est auctoritatem universalem meliorem viam esse ad bellum vitandum, sed probatum non est.

R. — Est sensus doctrinae Summorum Pontificum, verbumque « sane » ad hoc adhibetur.

4 — Pag. 66, lin. 17, loco « cogamur » dicatur « *inveniamur* ». [141]

Ratio: est quaestio humanae voluntatis, non caecae necessitatis (2 Patres).

R. — Idea accipitur et textus mutatur: « *Interea non parvipendenda sunt* ... ».

5 — Pag. 66, lin. 8: « auctoritas universalis »: adiungatur, ut illa auctoritas iuste agat et *non unilateraliter,* quod est magni momenti. Omnes sciunt quod praepotentiae etiam in coetibus internationalibus habentur (1 Pater).

R. — Explicite loquitur textus de necessitate observandi iustitiam, quae contraria est unilaterali praepotentiae.

[141] 6 — Pag. 66, lin. 19, loco « qui licet » dicatur « *qui, inter quotidie ingentes suorum supremorum munerum onerosas curas* ».
Ratio: Prius istud est officium publicum (3 Patres).

R. — Textus clarior esse videtur. Idea autem accipitur et exprimitur: *a*) per suppressionem verborum « licet cotidie » linn. 19-20, *b*) per translationem incisi lin. 21 post verbum « onerati » in lin. 19, verbo « *autem* » adhibito.

7 — Pag. 66, lin. 23, post « Deum autem enixe rogare oportet », addatur: « *eosque quam efficacius iuvare, ut illis vis detur* ».
Ratio: Actio enim orationem comitetur (1 Pater).

R. — De cooperatione humana satis constat.

8 — Pag. 66, lin. 25, loco « exiget » dicatur « *exigit* » (1 Pater).

R. — Textus maneat ut res hic non tam imperative dicantur.

9 — Pag. 66, lin. 39, deleatur « nimii ».
Ratio: vox « nimii » immerito debilitat textum, quia hostilitas, contemptus et diffidentiae sensus simpliciter est reprobandus (1 Pater).

R. — Accipitur.

10 — Pag. 66, lin. 43, post verbum « praesertim » addatur « *puerorum et* ».
Ratio: quia persaepe media communicationis, cinema, ephemerides pueros pessime in hac re instruunt. Nimis indulgent rebus bellicis et violentis (2 Patres).

R. — Hoc iam subintelligitur: « iuvenes », idest sine exclusione puerorum.

[142] 11 — Pag. 67, lin. 2, post « novos » addatur « *sincerosque pacificosque* ».
Ratio: quia communistae loquuntur de pace sine fine, sed bella volunt et promovent (1 Pater).

R. — Textus maneat ne vis expressiva adhuc minuatur.

13 — Pag. 67, linn. 8-10, scribatur: « *quae, quamvis scientia mirabili praedita, in gravi discrimine versatur ne omnes suos valores vitamque ipsam destruant* ».
Ratio: ut evitetur illa locutio sensum christianum omnino offendentem « horrendam mortis pacem » (1 Pater).

R. — Sensus textus facilis intellectu est: non agitur de morte christiana, sed de morte secundum opinionem publicam et communem hominum.

14 — Pag. 67, lin. 10, loco « horrendam mortis » « pacem mortis horrendae ». [142]

Ratio: Pax enim mortis nunquam horrenda esse debet christiano. Pax horrenda non est, mors horrenda est (3 Patres).

R. — Vide responsionem supra.

15 — Pag. 67, lin. 10, loco « in qua ... experiatur » dicatur « *in qua non aliud quam mortem experiatur* ».

Ratio: pax mortis, ut conceptus christianus, nullo modo horrenda est (1 Pater).

R. — Ratio allata certissime vera est; sed videas responsionem ad Modum 13.

16 — Pag. 67, linn. 9-10: phrasis « in qua ... experiatur » omittatur vel dicatur: « *in qua humanum genus in destructionem quasi universalem se insano gestu detrudat* ».

Ratio: Textus uti iacet nimis rhetorice sonat, nec modo christiano de morte loquitur (5 Patres).

R. — Vide etiam responsionem ad Modum 13.

17 — Pag. 67, linn. 11-14, loco « firmissime ... dies salutis » dicatur: « *confidit quod Deus velit benedicere sincera conamina familiae humanae ad fructum pacis undique adlaborantis* ».

Ratio: mentio facienda etiam de conaminibus hominum; textus citatus minus ad rem. Hoc textu finis paragraphi fit sat debilis (1 Pater).

R. — Mutatio cordis maximum ac perdifficile conamen est in conditione humana.

18 — Pag. 66, linn. 14-15, scribatur: « *in mutua gentium confidentia innixa* ». [143]

Ratio: Propter latinitatem (1 Pater).

R. — Textus hic, claritatis causa, nunc paululum aliter sonat.

AD NUM. 87 (nunc 83).

1 — Addendus est textus: « *Ecclesia catholica magni facit iustas aspirationes nationum ad earum legitimam independentiam, nullo modo favens sic dictis imperialismis qui suis propriis interesse alios populos subdunt, atque aestimat moderatum principium nationalitatis unum esse e mediis aptis ad pacem ac aequilibrium inter populos stabiliendum et conservandum* » (1 Pater).

R. — Non est locus hic tractandi de aliqua quaestione tam complicata. Iura vero minoritatum pertinent ad aliud caput.

[143] 2 — Pag. 67, lin. 19, loco « necnon ex retardatis remediis necessario apponendis » scribatur « necnon ex *necessariis remediis* retardatis » (1 Pater).

R. — Admittitur.

3 — Pag. 67, lin. 20, post « oriuntur » addatur « *vel ex cupiditate proprias ideologias aliis nationibus imponendi* » (1 Pater).

R. — Iam alio loco dicitur.

4 — Pag. 67, linn. 22-24 expungatur et scribatur « aliisque egoisticis passionibus. *Quapropter ad haec mala vincenda vel praevenienda, et ad effrenatas violentias coercendas omnino necessarium est ut melius et firmius cooperentur* ».

Ratio: quia deest cohaerentia (1 Pater).

R. — Non videtur necessaria mutatio.

5 — Pag. 67, lin. 22, post « egoisticis passionibus » addatur: « *mera existentia quoque armorum in tentationem inducit eisdem utendi et abutendi* » (2 Patres).

R. — Quoad usum armorum videatur sectio praecedens.

6 — Pag. 67, lin. 29 post « promoveant » addatur « *atque etiam instituatur educatio sensus civilis mundialis* » (2 Patres).

R. — Est contra rationem huius numeri.

[144] 7 — Pag. 67, lin. 29 post ultimum verbum paragraphi addatur: « *ut populorum necessitudines ad normas veritatis, iustitiae, charitatis et libertatis componi queant* » (1 Pater).

R. — Iste textus in alio loco habetur.

AD NUM. 88 (nunc 84).

1 — Pag. 67, lin. 34 post verba « constituere ordinem » addatur « *etiam publica quadam generali auctoritate moderatum* » (1 Pater).

R. — Cum verbis generalioribus idem exprimitur, est additio superflua.

2 — Pag. 67, linn. 35-36 deleantur verba « praesertim ... adhuc patiuntur » alius autem requirit ut addatur post « praesertim relate », « *ad nationes ubi personae humanae iura fundamentalia impune neglecta atque conculcata sunt et* » (1 Pater).

R. — De iuribus fundamentalibus humanis agitur in I Parte schematis.

3 — Pag. 68, lin. 11, post verba « quacumque forma praecavenda » addatur: « *itaque numerosae consociationes internationales, ex initiativa libera civium ortae, pro iustitiae progressu et pacis promotione, in variis campis fructuose operant.* In omnibus ... » (2 Patres). [144]

R. — Reiicitur, quia in hoc numero agitur de cooperatione gubernio-rum, seu Statuum.

4 — Pag. 68, linn. 13-14 requiritur ut scribatur « intensiora fiant ad *pacem firmandam et* ad ingentem miseriam sublevandam » alius proponit ut addatur post miseriam sublevandam « *convertendo gradualiter copias ex armis reiectis in unaquaque natione, ad vitam pauperum promovendam* » (2 Patres).

R. — *a*) additio videtur esse superflua;
b) de usu armorum videatur sectio I.

AD NUM. 89 (nunc 85).

1 — Pag. 68, lin. 23, loco « autem requiritur » ponatur « autem *quandoque* requiritur ».
Ratio: propositio non valet de nationibus progressis (23 Patres).

2 — Pag. 68, lin. 26 dicatur loco « regulae » « *consuetudines* » et loco « in mundo » dicatur « *inter nationes* » (31 Patres). [145]

R. — Quoad 1 accipitur, quoad 2 reiicitur quia commercium mundiale plus est quam commercium inter nationes.

3 — Pag. 68, lin. 30: Addatur haec sententia: « *Concilium ex imo corde agnoscit atque commendat ingens auxilium a quibusdam nationibus iam praestitum in favorem sive illarum quae propter bellum depopulatae sunt vel ad egestatem redactae* ».
Ratio: Ut veritati et aequitatis testimonium praebeatur (56 Patres).

R. — Hoc aliis verbis et melius exprimitur in n. 88 quando dicitur: « gaudet Ecclesia de spiritu verae fraternitatis ... ».

4 — Pag. 68, lin. 30: Post verbum « honestate » addatur « *gratitudine* » (4 Patres).

R. — Agitur de obligatione iustitiae et non solummodo de aliquo dono.

5 — Pag. 68, linn. 30 ss.: Aliquid addatur de creatrice initiativa privata quae progressum movet et innuatur quod aequalitas perfecta relate ad divitias sit chimerica visio (2 Patres).

R. — Etsi idea est bona, non videtur tamen opportuna additio.

[145] 6 — Pag. 68, linn. 31-34: A) Unus Pater requirit ut scribatur: « Ad verum ordinem ... instaurandum *curandum est ne auxilia praestita dominentur a nimiis lucrorum studiis,* ambition*ibus* nationa*libus,* appeti*tu* dominationis politicae, calculi*s* ordinis militaristici necnon *a* machinationi*bus* ad ideologias propagandas et imponendas ». B) Alius autem requirit ut linn. 31-38 expungantur, quia plura contradictoria dicunt.

R. — A) Reiicitur quia Modus mutat sensum textus.
B) Contra normas.

7 — Pag. 68, lin. 38: Post « gerendum » addatur « *spiritu iustitiae distributivae* promptos se praebeant » (1 Pater).

R. — Nimiae distinctiones evitandae sunt.

AD NUM. 90 (nunc 86).

1 — Numerus 90 reducatur, ad litteram *d*), pag. 69, lin. 28.
Ratio: Quia reliqua nimis casuistice sonant (2 Patres).

R. — Est contra normas.

[146] 2 — Pag. 68, lin. 39: Textus sic incipiat: « *Pro hac cooperatione hae normae opportunae videntur*: *a*) ... » (1 Pater).

R. — Admittitur hoc modo: « *Pro hac cooperatione sequentes normae opportunae videntur*: *a*) ... ».

3 — Pag. 69, lin. 7: Addatur post « gravissimum »: « *fraternitatis et humanae solidarietatis* » (1 Pater).

R. — Sunt expressiones ambiguae; hic agitur de officio iustitiae.

4 — Pag. 69, lin. 15: Addatur « *incrementum productionis bonorum* » (1 Pater).

R. — Textus schematis largius patet, propterea Modus superfluus est.

5 — Pag. 69, lin. 18: Post verba « principio subsidiarietatis » addatur « *in omnibus* » (1 Pater).

R. — Additio superflua est hoc loco.

6 — Pag. 69, lin. 19: Deleantur verba « commerciales et nummarias » quia nimis particularia respiciunt et confusionem causant (1 Pater).

R. — Accipitur.

7 — Pag. 69, lin. 31: Post verba « spirituali indoli » addantur « *ac profectui* » (1 Pater).

R. — Accipitur.

AD NUM. 91 (nunc 87). [146]

1 — Generalis circa 91-94: vel auferatur vel abbrevietur (1 Pater).
Ratio: De hoc persaepe actum est; schema insuper dirigitur non ad christianos sed ad omnes homines.
R. — Est contra normas.

2 — Circa 91: Dolendum quod nil dicitur de polygamia quae constituit causam indebiti incrementi incolarum (1 Pater).
R. — Non videtur opportunum neque constat.

3 — Pag. 70, lin. 5: Addatur: « *Quin obliviscamur remedii urgentissime praestandi per promptum succursum ad conditiones vitae elevandas* » (1 Pater).
Ratio: Fames et absentia laboris pro parte favent natalitati nimis elevatae.
R. — Videtur quod esset durum elevare conditionem vitae populorum [147]
cum proposito reducendi incrementum demographicum.

4 — Pag. 70, lin. 8: Loco « familiarem » dicatur « *ad familias respicientem* » (1 Pater).
Ratio: Verbum « familiaris » non habet sensum hic intentum.
R. — Accipitur.

5 — Pag. 70, lin. 9: Post « nationis » addatur: « *Ubi necesse est migratio populorum in alias nationes, haec ne impediatur ratione coloris vel stirpis* » (1 Pater).
Ratio: Aliquando populatio ruralis est tanta ut transitus intra limites territorii non sit possibilis.
R. — De migratione loquitur textus in alia parte.

6 — Pag. 70, linn. 11-12: *a*) Dicatur « christiani » loco « catholici » (1 Pater).
b) Post « evolvant » addatur « *in dialogo cum peritis acatholicis* » (3 Patres).
c) « *in dialogo cum peritis bene cordatis acatholicis saecularibus* » (6 Patres).
Ratio: Problema ad omnes christianos pertinet, insuper experientia docet utilitatem dialogi ad positionem Ecclesiae clarius perspiciendam et probandam.
R. — Textus agitur explicite de catholicis.

7 — Pag. 70, lin. 15 (et etiam lin. 20): Dicatur « auctoritatis *civilis* » loco « auctoritatis publicae » (1 Pater).
Ratio: Auctoritas ecclesiastica est etiam publica.
R. — Reiicitur, ratio non valet in contextu.

[147] 8 — Pag. 70, lin. 16: Roboretur textus et dicatur: « omnes *vehementer urget* ut caveant *omnino* a solutionibus » (1 Pater).

Ratio: Adest hic obligatio gravis quae ut talis proponenda est.

R. — Textus hoc iam sufficienter dicit.

9 — Pag. 70, lin. 17: *a*) Loco « quae legis moralis ... habent » dicatur: « quae leg*i* moral*i* *contrariantur* » (21 Patres).

Ratio: Formula schematis omnino aequivoca est.

R. — Accipitur, sed adhibetur verbum *contradicunt*.

10 — Pag. 70, lin. 17: *b*) Loco eiusdem clausulae dicatur: quae *iura conscientiae parentum frangunt* » (1 Pater).

[148] Ratio: Est clarius et magis cohaerens cum immediate sequentibus.

R. — Vide Modum 9.

11 — Pag. 70, linn. 17-20: Auferantur hae lineae (3 Patres).

Ratio: Subiectivismum sapiunt et favebunt de facto contraconceptionismo.

R. — Agitur de iure parentum relate ad auctoritatem publicam; rectitudo hic implicita intelligitur in sensu obiectivo.

12 — Pag. 70, linn. 19 s.: *a*) Omittantur omnia post « pendet » (1 Pater).

b) Dicatur « ac *ultimo* publicae auctoritatis iudicio committi *nequeunt* » (1 Pater).

Ratio: Non videtur opportunum tam absolute loqui cum nesciamus quid exigere possit situatio demographica in posterum et cum videatur denegari competentia ulla auctoritati civili hoc in campo.

R. — Reiiciuntur quia in textu partes status in politica demographica sufficienter describuntur.

13 — Pag. 70, lin. 21: addatur post « supponat »: « *et haud levem moralem disciplinam imponat* » (1 Pater).

Ratio: Ne videatur Concilium praetermittere consequentiam exercitii recti responsabilitatis.

R. — Additio non est necessaria.

14 — Pag. 70, lin. 23: omittitur « Attentis adiunctis rerum et temporum » (1 Pater).

Ratio: Ne videatur consideratio adiunctorum a lege Dei in matrimonio servanda abducere.

R. — Reiicitur, quia haec praecisio est necessaria.

15 — Pag. 70, linn. 24-25: post « sociales » addatur « *oeconomicae* » (1 Pater). [148]

Ratio: Quia certe conditio oeconomica hac in re magnam partem habet.

R. — Non est addendum, de conditionibus oeconomicis prius sermo fuit.

16 — Pag. 70, linn. 26-30:

a) Recastigatur textus ne subiectivis interpretationibus forsan occasionem praebeat (1 Pater).

b) Alius Pater, eadem ratione motus, suggerit ut lin. 29 ponatur « *obiectiva* » ante « certitudo » (1 Pater). [149]

c) Alius Pater suggerit ut lin. 29 loco « sufficiens » dicatur « *maxima*», cum talis esse debeat certitudo moralis (1 Pater).

d) Alius Pater suggerit ibidem ut substituatur praesentibus verbis «et de quorum ... certitudo » « et de quorum moralitate *Ecclesia cautionem dedit* ». Deinde prosequatur immediate: « homines, si res id postulat ... ». Sic datur criterium aliquod certitudinis (1 Pater).

e) Alius Pater suggerit sequentes additiones in textu: « ... quibus coniuges *iuvari possint in ordinando numero prolis,* quarum firmitas bene probata est *et congruentia cum ordine morali certitudo habeatur,* homines *sapienter* certiores fiant » (1 Pater). Quia agitur de re satis delicata quae ita exprimi debet ut falsae interpretationes arceantur.

f) Quatuor Patres omissionem petunt quia iam omnes de hoc certi fiunt et talis hortatio Concilio indigna est.

R. — *a*) Contra normas.

b) Accipitur et sic fit responsio ad *c*) et *d*).

e) Accipitur, sed ad claritatem paululum aliter scribitur.

f) Reiicitur quia ratio allata non videtur esse conveniens.

AD NUM. 92 (nunc 88).

1 — Pag. 70, lin. 33 post verbum « hominum » addatur « *et populorum* », atque post verbum « fraternitatem » addantur « *populi enim sicut et homines naturae dignitate inter se pares sunt, quorum simul iura mutua agnosci et officia persolvi opus est* » (1 Pater).

R. — Utrumque includitur iam in textu.

[149] 2 — Pag. 70, lin. 40 post verbum « miseria » addatur « *et in gravi periculo damni moralis versantur* » (1 Pater).

R. — In hoc contextu additio non videtur esse opportuna quia pauperes iniuste in comparatione divitum gravarentur.

3 — Pag. 71, lin. 3 loco « de substantia » dicatur « de *necessario* » (1 Pater).

R. — Verbum secundum votum Patrum introductum fuit et ex usu traditionali desumptum est.

[150] 4 — Pag. 71, lin. 8, post « seiunctis » addatur « *et cum aliis hominibus bonae voluntatis* » (3 Patres).

Alius vero: « cumque non christianis », quia non sunt nimis multi homines bonae voluntatis ad fraternitatem fovendam (2 Patres).

R. — In hoc puncto explicite agitur de munere christianorum proprio, de cooperatione cum non christianis alibi sermo fit.

5 — Pag. 71, lin. 8 deleantur verba « nullo modo prohibet sed potius » (1 Pater).

R. — Reiicitur, quia textus debilitaretur.

AD NUM. 93 (nunc 89).

1 — Pag. 71, lin. 16 loco « legis divinae et naturalis » dicatur « legis divinae *sive positivae sive* naturalis » (1 Pater).

R. — Non sunt multiplicandae distinctiones.

2 — Pag. 71, linn. 27-28 dicatur « in educatione tam religiosa quam civili » (1 Pater).

R. — Accipitur.

3 — Pag. 71, lin. 29 loco « ceteros » ponatur « *omnes* » (22 Patres).

R. — Textus paululum mutatus est.

AD NUM. 94 (nunc 90).

1 — Pag. 72, lin. 2 post « consociationes catholicae » addantur verba « *sive aliae ab hominibus bonae voluntatis compositae* » (2 Patres).

R. — Hic agitur explicite de organisationibus catholicis promovendis.

2 — Pag. 72, lin. 4 corrigatur latinitas quoad « ac ... ac » (2 Patres).

R. — Respicitur.

3 — Pag. 72, lin. 13 loco « veram pacem » ponatur « *universalem* pacem » (2 Patres). [150]

R. — Verba « Veram pacem » melius concordant cum toto textu schematis.

4 — Pag. 72, linn. 14-19: A) requiritur ut totum hoc comma expungatur. Ratio: Existit iam Caritas internationalis (2 Patres); B) aut tota phrasis omittatur, aut lin. 17 post « ut » addatur « *praevio consilio cum ecclesiis et communitatibus ecclesialibus non catholicis inito de modo communiter procedendi* » (2 Patres); C) lin. 18 post verba « catholicorum communitatem » addantur « *immo christianorum necnon primo hominum* » (1 Pater). D) lin. 19 in fine addatur: « *quae iustitia primo postulat sicut activam contributionem divitiarum immensarum huius mundi usum non ad mortem sed ad vitam et ad vitam abundantius habendam, ut ad perpetuam atque praesentem simul perveniamus prosperitatem et pacem* » (2 Patres). [151]

R. — A) Fuit votum multorum Patrum, ac textus acceptus est.

B) Necesse est ut catholici prius habeant organisationem propriam ut deinde cum aliis efficaciter cooperare possint.

C) Vide resp. supra.

D) Modus proponit textum perlongum qui iam adiungi non potest.

EXPENSIO MODORUM AD CONCLUSIONEM [152]

AD NUM. 95-97

Modus generalis: Unus Pater rogat ut hi numeri abbrevientur et simplificentur quia modo exhortativo et rhetorico procedunt.

R. — Hoc esset contra normas. Textus enim receptus est.

AD NUM. 95 (nunc 91).

Pag. 87, linn. 12-14: Observant plures Patres affirmationem « imperfectionis » schematis vel non dignam esse Concilio, vel ambiguam. Duo Patres animadvertunt aliquam contradictionem adesse inter hanc affirmationem et aliam in pag. 63, lin. 35 (« firmiterque »). Unus proponit ut hae linae tollantur; alii proponunt ut loco « im-

[152] perfectionem » dicatur: « non exhaustiva est propositio » (1 Pater), vel « laborare potest » (1 Pater), vel « *non certe perfecta est* » (4 Patres).

R. — Modus quoad substantiam admittitur. Sic textus legatur: « ... prae se fert: *immo, licet doctrinam iam in Ecclesia receptam proferat, cum non raro de rebus incessanti evolutioni subiectis agatur, adhuc persequenda et amplianda erit.* Confidimus *vero* ... ».

Pag. 87, linn. 14-18: Observat unus Pater aliquam contradictionem adesse inter ea quae dicuntur hic de « moderamine Pastorum », et ea quae affirmantur in pag. 53, linn. 1-10 (« ne censeant pastores suos semper peritos esse »).

R. — Hae duae affirmationes non sunt contradictoriae, sed mutuo sese complent.

AD NUM. 96 (nunc 92).

Pag. 87, lin. 21: Postulat unus Pater ut post verbum « nationis », addatur vox « religioni »; ratio per se patet.

R. — Non videtur hic congruam esse additionem istam.

Pag. 87, linn. 22-23: Proponunt quatuor Patres ut loco « ... symbolum evadit illius fraternitatis quae sincerum dialogum permittit et
[153] roborat », scribatur: « ... coadunandi, sincerum *inter homines* dialogum permittit et roborat », omittendo verba « symbolum evadit illius fraternitatis », quia haec formula accipi non potest.

R. — Loco « symbolum » dicatur « signum » (cf. Concilium Vaticanum I).

Pag. 88, linn. 14-16: Postulant plures vel ut tollantur hae lineae, « quia sapiunt indifferentismum religiosum » (2 Patres), vel non in forma interrogativa enuncientur (2 Patres); unus proponit: « *Et ideo* hac eadem ... cooperari *possumus et debemus* ».

R. — Has lineas tollere esset contra normas. Accipitur ultimus Modus, scribatur: « *Et ideo,* hac eadem ... cooperari *possumus et debemus* ».

AD NUM. 97 (nunc 93).

Modus generalis: Proponunt quatuor Patres textum recognitum, sequenti modo: Christiani, memores verbi Domini « in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 3, 35), *sciunt se vocari ad hominibus huius tempo-*

ris semper generosius et efficacius inserviendum, intime cum eis coniuncti in spe et angore, in gaudio et luctu, per omnes vicissitudines mundi nostri tantis immutationibus et inaequilibriis laborantis, tot interrogantibus aperti. Itaque, Evangelio fideliter adhaerentes eiusque viribus fruentes, ingens opus in his terris cum omnibus qui iustitiam colunt adimplendum susceperint, de quo Ei, qui omnes iudicabit ultimo die, rationem reddere debent. ( ) Christum fratrem in omnibus hominibus agnoscentes et efficaciter tam verbo quam opere diligentes, *atque familiae humanae unitatem cum vinculo verae pacis foventes,* testimonium Veritatis perhibebunt et cum aliis mysterium amoris Patris caelestis communicabunt. Hac via (et reliqua)... [153]

Ratio: 1) In conclusione schematis aliquid inveniri debet imaginis huius mundi qualis ex parte introductiva evadet. 2) In hoc numero uti iacet non apparet « dimensio communitaria » officium caritatis erga « familiam humanam ». 3) Lineis 19-20: verba « nihil ardentius optare possunt » videntur nimis « idealistica ».

R. — Repetitio verborum Prooemii non videtur necessaria. Idea communitaria iam satis apparet in toto schemate et insuper innuitur in linn. 21-24. Denique additio proposita in lin. 28 non congruit cum contextu (cf. relatio ad n. 97, C et n. 96, H), et aliquam aequivocationem continet.

Pag. 88, linn. 19-20: Rogat unus Pater ut addatur: « ... hominibus mundi *sui* temporis semper generosius et efficacius *secundum spiritum* Christi inserviant » (Concilium christianos alloquitur pro *suo* tempore; servitium suum non potest esse nisi secundum spiritum Christi). [154]

R. — Non admittitur prima propositio, quia vox « huius » invenitur in ipso titulo schematis. Non admittitur secunda propositio quia esset repetitio: eadem enim idea exprimitur in sequentibus verbis.

Pag. 88, lin. 30: Proponit unus Pater ut post verbum « communicemus », addatur « omnes enim homines fratres sumus quia filii Dei ».

R. — Hoc iam provisum est in n. 96, pag. 88, linn. 13-14, et in n. 97, pag. 88, linn. 27-29.

Pag. 88, linn. 34-38: Observant septem Patres quod citatio *Eph.* 3, 20-21, iam concludit schema de Ministerio et vita presbyterorum. Proponunt ut, eius loco, citetur *Apoc.* 22, 20 (« Veni Domine Iesu! Gratia Domini Iesu cum omnibus vobis »).

[154] R. — Videtur hic servandam esse citationem *Eph.* 3, 20-21, quia textui schematis huius magis congruit.

Moderator: Faveat nunc exc.mus D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, relator, relationem generalem nobis legere super expensione modorum in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Relatio generalis

[*Cf. pag. 464-469*].

Moderator: Exc.mo D. relatori, necnon omnibus membris commissionis, gratias iterum atque iterum agere volumus de labore tam improbo, tam amplo, tam celeriter confecto. Gratias plurimas! Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitus duarum suffragationum, quae mane factae sunt.

Suffragatio 522:

Patres praesentes votantes	2.298
Dixerunt *placet*	2.291
non placet	5
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio 523:

Patres praesentes votantes	2.301
Dixerunt *placet*	2.262
non placet	38
Suffragium nullum	1

Reliqui exitus communicabuntur proxima congregatione generali.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit sabbato, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLXVII
4 decembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXVII

4 decembris 1965

Unus ex Caeremoniariis: Hodie Missam S. Ioannis Baptistae celebrat exc.mus D. Irenaeus Dud, vic. ap. Wavensis in Sudan.

Omnes cantus in fasciculo peculiari. Cantabunt alumni congregationis S. Mariae Montis Oliveti.

Evangelium inthronizat exc.mus D. Ludovicus Dadaglio, Nuntius Apostolicus in Venezuela.

Feria secunda proximae hebdomadae, Missa erit in ritu byzantino Ruthenorum.

Exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, *Ss. Concilii subsecretarius*: Patres venerabiles, haec Missa in honorem S. Ioannis Baptistae offertur pro eis qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, congregationem generalem 167 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis-Frisingensis.

Patres venerabiles, hesterna congregatione generali, praenuntiavi feria II proxima distributum iri res gratissimas. Aliquis intellexit « res gravissimas », et timuit ne instarent magna pericula! Sed secretarius generalis, quantum potest, semper « felicia » praenuntiat!

Et veniamus ad rem. Summus Pontifex, in proxima sessione publica, nempe die 7 decembris, donabit unicuique Patri anulum aureum [*plausus*], ad significandam arctiorem caritatem, qua omnes, qui in Christo sumus pastores, cum eo coniungimur [*plausus*]. Sed distributio huius anuli, cum fieri non possit commode in sessione publica — nam multa peragenda sunt et ceterum celebratio Sacri non potest distractionibus subici —, fiet in proxima congregatione generali.

Dabitur etiam diploma participationis Concilii [*plausus*]. Diploma refert nomen uniuscuiusque Patris; quapropter distributio cum multa attentione facienda est, et certe omnes Patres suis locis stabunt cum distributio fiet, nam secus impossibile erit invenire singulos.

Haec est prima res gratissima, et praecipua, quia venit a Patre nostro, cui obsequium et reverentiam nos semper profitemur [*plausus*].

De aliis postea dicam, nam sunt multa intervalla in hac congregatione generali, et in intervallis iucundum quid semper audire iuvat, non cantus, sed aliquid simile.

Patres venerabiles, clarissimi Observatores magna attentione erga Patres voluerunt ad eos mittere nuntium reverentiae et gratitudinis, et me vehementer et instanter rogaverunt ut ipse illud legerem nomine eorum. Hoc facio libenter, et ipse diligens eorum voluntatis observator. Lego igitur nuntium clarissimorum DD. Observatorum ... [*cf. vol. IV, pars I, pag. 56*].

Patres venerabiles, incipiamus suffragationes circa Modos schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Est suffragatio 528. Videatis pag. 91 voluminis I. Quaeritur ... [*cf. pag. 316*]. *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, em.mus ac rev.mus D. card. Wyszyński, primas Poloniae, haec rogat legi in hac sacra congregatione:

« Pervigilio millesimi anniversarii Baptismatis Poloniae, quod fuit die 14 mensis aprilis 966, proxime adventante anno sollemniter celebrandi, antistites Poloni Ecclesiam et totum Populum in Patria sua precibus Ecclesiae Universalis devotissime commendant.

Insimul, in signum fraternae unitatis, benignam petunt acceptationem praesentis doni — fidelis copiae Sacrae Imaginis Thaumaturgae Beatae Mariae Virginis Claromontanae seu Częstochoviensis, Reginae Poloniae [*plausus*], sub cuius materno patrocinio Magna Novena, ad Sacrum Poloniae Millennium praeparandum, per novem annos peragebatur necnon publicae supplicationes ac pietatis exercitationes, ad felicem Concilii Oecumenici Vaticani Secundi exitum deproperandum, habitae sunt.

In caritate fraterna

✠ STEFAN Cardinalis WYSZYNSKI
Primas Poloniae. »

[*Plausus*]

Moderator: Legatur nunc textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Videatis pag. 93, voluminis I ... [*cf. pag. 318*]. Est suffragatio 529. *Placet* an *non placet?*

Audiatis, Patres, exitus suffragationum, qui nondum lecti sunt, circa schema decreti *de presbyterorum ministerio et vita*.

Suffragatio 524:

Praesentes suffragantes	2.278
Dixerunt *placet*	2.261
non placet	15
Nulla	2

Suffragatio 525:

Praesentes votantes Patres	2.271
Dixerunt *placet*	2.243
non placet	27
Suffragium nullum	1

Suffragatio 526:

Patres praesentes votantes	2.268
Dixerunt *placet*	2.254
non placet	11
Nulla	3

Suffragatio 527, quae est super integro schemate:

Suffragati sunt Patres	2.257
Dixerunt *placet*	2.243
non placet	11
Nulla	3

Ergo integrum schema a congregatione generali approbatum est [*plausus*]; exitus iam delatus est Summo Pontifici, qui statuit de hoc decreto suffragationem habendam esse in proxima sessione publica, quemadmodum pro aliis duobus documentis, nempe pro declaratione *de libertate religiosa* et pro decreto *de activitate missionali Ecclesiae.* Ergo pro his documentis iam habemus decisionem Summi Pontificis, nempe deferantur sessioni publicae diei septimae proximae.

Vobis iam distributi sunt vel distribuentur fasciculi qui continent et declarationem *de libertate religiosa* et decretum *de activitate missionali Ecclesiae.* Et proxima feria secunda distribuetur etiam schema decreti, discutiendum in sessione publica, *de presbyterorum ministerio et vita,* et, si probabitur a congregatione generali, distribuetur etiam ... — et si Summus Pontifex ita decernet — distribuetur etiam fasciculus continens schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Quapropter ante sessionem publicam, omnia documenta habentur quae suffragationi subicienda sunt.

Moderator: Communicetur nunc textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: ... quae est 530. Videatis pag. 96 ... [*cf. pag. 321*]. *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, horis pomeridianis, nempe hora quinta post meridiem, in Basilica Ostiensi, ut praenuntiatum est,[1] habebitur sacra celebratio ad Christianorum Unitatem fovendam, quae est reservata Patribus Conciliaribus et DD. Observatoribus. Habitus est habitus pianus, sine lacerna, quae lacerna dicitur italice « ferraiuolo ». Ergo, sine lacerna!

Libelli, qui continent preces dicendas vel lectiones faciendas, distribuentur hodie, in hac congregatione generali.

Patres qui habitant in diversoriis vel in domibus religiosis, ubi plures sunt, ducentur in Basilicam Ostiensem autocinetis, quibus communiter ducuntur in hanc aulam; alii sibi providebunt. Ingressus ad Basilicam pro em.mis ac rev.mis DD. cardinalibus erit in « Piazzale Ostiense », *ingresso laterale;* pro Patribus conciliaribus et pro Observatoribus, in porticu Basilicae, ubi revera est ingressus principalis Basilicae, versus flumen Tiberim.

Sacra celebratio, quam participabit Summus Pontifex, incipiet hora 17, nempe 5 post meridiem.

Feria II proxima, horis pomeridianis, habebitur in Auditorio Pio, coram Summo Pontifice et in honorem Patrum conciliarium, executio Oratorii « Gloriosi Principes Petrus et Paulus », rev.mi D. Dominici Bartolucci, nempe magistri Cappellae Sixtinae. Ad ingrediendum Auditorium, requiritur tessera, quae una cum libello Oratorii potest a Patribus haberi in hac congregatione generali in aliquo officiolo, quod est ante cappellam « Pietatis », in extrema parte huius Basilicae, latere dextro pro eo qui ingreditur.

Sed, videatis, Patres: tessera est pure personalis. Itaque qui non sunt Patres conciliares, etiam si deferant hanc tesseram, non admittentur: est pure personalis. Et tesseram, igitur, accipiant tantummodo illi Patres, qui cupiunt audire hanc executionem musicam. Qui, ob unam vel aliam rationem, non possunt, dent locum aliis. Est pure personalis.

Ergo potest accipi haec tessera una cum libello ante cappellam « Pietatis », non in officio mechanographico, quod hodie est tantopere occupatum, sed ante cappellam « Pietatis », durante hac Congregatione.

Sed caveatis, Patres, ne hanc tesseram accipiatis durantibus suffra-

[1] Cf. pag. 98.

gationibus, quia magna perturbatio erit; in extrema parte, quando iam plura sunt facta, potestis accedere.

Moderator: Communicetur textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Optime! Est suffragatio 531, quam potestis videre pag. 99 [*cf. pag. 324*]. Quaeritur *Placet* an *non placet?*

Alia res gratissima, Patres venerabiles, quae dabitur vobis feria II proxima, est numisma argenteum, quod offerunt Patribus Conciliaribus Syndicus atque Consilium Communale Urbis Romae [*plausus*], una cum invitatione ad coetum qui habebitur in honorem Patrum conciliarium die 7, horis pomeridianis. Sive invitatio, sive numisma distribuentur in congregatione proxima feriae secundae.

Numisma refert in una parte, ut mihi videtur, angelum quasi benedicentem et, in altera parte, habet hanc inscriptionem: *Concilio Ecumenico Vaticano Secondo 1962-1965. Ai Padri Conciliari. Roma*. Et, in eadem facie, habetur insculptum nomen uniuscuiusque Patris [*plausus*]. Quapropter etiam hoc numisma est pure personale et singulis distribuendum est magna cum attentione.

Hanc ob rationem, statuentibus em.mis DD. moderatoribus, omnes suffragationes respicientes hoc schema nostrum hodiernum fient hodie: sunt duodecim, tempus habemus, etiam quia, ante horam 12, non possumus egredi ex hac aula: est clausura, cum area ante S. Petrum libera manere debeat pro ea visitatione, quam dixi sabbato elapso. Et, feria II, manebit tantum suffragatio super integro schemate, et totum tempus insumetur in his distributionibus gratissimis, ut patet, et in aliis aliisque distributionibus gratis semper, sed minus gratis quam haec.

Moderator: Communicetur textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Est suffragatio 532. Videatis pag. 104. Quaesitum V est [*cf. pag. 329*]. Quaeritur *Placet* an *non placet?*

Moderator: Communicetur nunc textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Suffragatio 533, pag. 109 [*cf. pag. 334*], quae est super cap. I Partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis. Placet* an *non placet?*

Cap. I inscribitur: « De dignitate matrimonii et familiae fovenda ». *Placet* an *non placet?*

Moderator: Legatur textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Videatis pag. 112. Suffragatio est super Modis respicientibus cap. II Partis II: « De culturae progressu rite promovendo ».

Patres venerabiles, lego etiam titulum, quia aliquis Pater hoc petiit. Ceterum quae sunt ad claritatem semper facienda sunt.

Quaeritur igitur, videatis pag. 112 [*cf. pag. 337*]. *Placet* an *non placet?*

Patres venerabiles, em.mus ac rev.mus D. card. Concha, arch. Bogotensis, rogat haec legi Patribus Sacri Concilii:

« Cardinalis archiepiscopus Bogotensis em.mis cardinalibus, archiepiscopis ac episcopis notum facere placet, approbante Sanctissimo Domino Nostro Paulo Papa VI, Congressum eucharisticum internationalem in urbe Bogota, quae est caput Columbianae Reipublicae, celebratum iri anno 1968.

Cardinalis archiepiscopus Bogotensis venerabiles Patres conciliares comiter invitat ut praedictum Congressum eucharisticum internationalem praesentia sua celebrare dignentur » [*plausus*].

Moderator: Legatur textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Est suffragatio 535. Videatis pag. 115 [*cf. pag. 340*]. Agitur de Modis quoad cap. III Partis II: « De vita oeconomica-sociali ». *Placet* an *non placet?*

Moderator: Legatur nunc textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Suffragatio 536. Videatis pag. 117. Respicit cap. IV « De vita communitatis politicae » [*cf. pag. 342*]. *Placeat* an *non placet?*

Patres venerabiles, tessera pro concerto symphonico est tantummodo pro Patribus conciliaribus, non pro peritis.

Moderator: Legatur textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Est suffragatio 537. Videatis pag. 120 [*cf. pag. 345*]. Respicit cap. V. « De pace fovenda et de communitate gentium promovenda ». *Placet* an *non placet?*

Audiatis, Patres, exitum primae suffragationis hodiernae:

Praesentes votantes	2.230
Dixerunt *placet*	2.153

non placet	72
placet iuxta modum (sed nullum)	1
Suffragia nulla	4

Moderator: Legatur nunc textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Est suffragatio 538. Videatis pag. 121. Respicit conclusionem [*cf. pag. 345*]. *Placet* an *non placet?*

Moderator: Communicetur nunc textus sequentis suffragationis.

Secretarius generalis: Est suffragatio 539 et ultima in congregatione hodierna. Videatis pag. 122 [*cf. pag. 346*]. Est quoad titulum huius schematis. Ad bene intelligendam hanc suffragationem vel sensum huius suffragationis, videatis etiam pag. 6 [*cf. pag. 235*], ubi habetur nota « Ad titulum ». Ergo proponitur suffragatio. *Placet* an *non placet?*

En exitum *suffragationis 529*:

Praesentes votantes Patres	2.238
Dixerunt *placet*	2.103
non placet	131
placet iuxta modum (sed nullum)	3
Vota nulla	1

Quae proposita est, Patres venerabiles, est ultima suffragatio sive hodiernae congregationis generalis, sive totius schematis, nempe partialiter sumpti — Modorum schematis, uti patet. Detis responsionem et exspectetis aliquantisper donec reliquae distributiones fiant. Postea, quando clausura cessaverit, discedemus.

Patres venerabiles, communico exitum *suffragationis 530*:

Patres praesentes votantes	2.236
Dixerunt *placet*	2.166
non placet	68
placet iuxta modum	1
et suffragium nullum dedit	1

Patres venerabiles, patientiam habetote aliquantisper adhuc!

Patres venerabiles, audiatis exitum *suffragationis 531*:

Patres praesentes et suffragantes	2.230
Dixerunt placet	2.165
non placet	62
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio 532:

Ex Patribus praesentibus suffragantibus	2.228
Dixerunt *placet*	2.149
non placet	75
Suffragia nulla	4

Congregatio finem habebit post decem minuta.

Moderator: Congregatio generalis proxima erit feria II sequenti, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

SACRA CELEBRATIO
AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM

In Basilica S. Pauli de Urbe
4 decembris 1965

SACRA CELEBRATIO
AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM

In Basilica S. Pauli de Urbe
4 decembris 1965

1

Celebrationis initium [1]

1) Cantus ad ingressum:

Cantores: ℟. Dominus illuminatio mea et salus mea.

Omnes: repetunt.

Cantores: Ps. 26: Dominus protector vitae meae * a quo trepidabo?

Omnes: Dominus ...

2) Oremus Deum Patrem omnipotentem ut peccata nostra non respiciens verumque poenitentiae zelum innovans in nobis, Spiritum Sanctum Paraclytum benigne infundat in cordibus nostris, qui nobis gaudia largiatur aeterna.

Omnes in silentio orant.

Oratio: Adesto, Domine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem largire poscentibus: ut iis, qui te auctore et gubernatore gloriantur, et congregata restaures, et restaurata conserves. Per Christum Dominum nostrum.

3) Lectiones:

a) *1 Paralip.* 29, 10-18;
Canticum: Now thank we all our God ...

b) *Rom.* 15, 1-6.
Alleluia cum Ps. 122.

c) *Mt.* 5, 1-12.

---

[1] Cf. *Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum. Sacra celebratio ad christianorum unitatem fovendam,* Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

2

Homilia Summi Pontificis *

Messieurs, Chers Observateurs, ou plutôt laissez-Nous vous appeler du nom qui a repris vie en ces quatre années de Concile Œcuménique: Frères, Frères et amis dans le Christ!

Voici que le Concile s'achève et que nous allons nous quitter: Nous voudrions, en ce moment de l'adieu, Nous faire l'interprète des Vénérables Pères Conciliaires qui sont venus Nous entourer ici ce soir pour prier avec vous et prendre congé de vous.

Chacun de vous va reprendre le chemin du retour à sa propre résidence, et nous allons nous retrouver seuls. Permettez que nous vous confions cette intime impression: votre départ produit autour de nous une solitude qu'avant le Concile nous ne connaissions pas et qui maintenant nous attriste; nous voudrions vous voir toujours avec nous!

Ceci Nous oblige à vous redire Nos remerciements pour votre présence à Notre Concile œcuménique. Nous l'avons grandement appréciée, cette présence; Nous en avons senti l'influence; Nous en avons admiré la noblesse, la piété, la patience, l'affabilité. Et c'est pourquoi Nous conserverons un souvenir reconnaissant de votre venue; et en repensant à la courtoisie de ces rapport humains et chrétiens, Nous saurons mieux apprécier à sa juste valeur la signification historique du fait de votre présence, en découvrir le contenu religieux, et scruter le mystère des divins desseins qu'elle semble à la fois cacher et indiquer.

Et ainsi, votre départ ne mettra pas fin, pour Nous, aux relations spirituelles et cordiales auxquelles votre assistance au Concile a donné naissance; il ne ferme pas, pour Nous, un dialogue silencieusement commencé, mais Nous oblige, au contraire, à étudier comment Nous pourrions fructueusement le poursuivre. L'amitié demeure. Et ce qui demeure aussi, comme premier fruit de la rencontre conciliaire, c'est la conviction que le grand problème de la réintégration dans l'unité de l'Eglise visible de tous ceux qui ont le bonheur et la responsabilité de s'appeler chrétiens doit être étudié à fond; et que l'heure en est venue. Cela, beaucoup d'entre nous le savaient déjà; maintenant le nombre a grandi de ceux qui pensent ainsi, et c'est un grand avantage.

Si nous voulons dresser un bilan sommaire des fruits qui ont mûri, à l'occasion et à cause du Concile, en ce qui concerne la question de

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 60-64.

l'unité, nous pouvons d'abord enregistrer le fait d'une conscience accrue de l'existence du problème lui-même: problème qui nous concerne et nous oblige tous. Nous pouvons ajouter un autre fruit, plus précieux encore: l'espoir que le problème — non aujourd'hui, certes, mais demain — pourra être résolu; lentement, graduellement, loyalement, généreusement. C'est là une grande chose!

Et c'est le signe que d'autres fruits encore ont mûri: nous avons appris à vous connaître un peu mieux, et non pas seulement comme les représentants de vos confessions respectives: à travers vos personnes, nous sommes entrés en contact avec des communautés chrétiennes, qui vivent, prient et agissent au nom du Christ; avec des systèmes de doctrines et de mentalités religieuses; disons-le sans crainte: avec des trésors chrétiens de haute valeur.

Loin de susciter en nous un sentiment de jalousie, cela augmente plutôt en nous le sens de la fraternité et le désir de rétablir entre nous la parfaite communion voulue par le Christ. Et cela nous amène à découvrir encore d'autres résultats positifs sur la voie de notre paix: nous avons reconnu certains manquements et certains sentiments communs qui n'étaient pas bons; de ceux-là, nous avons demandé pardon à Dieu et à vous-mêmes; et de ceux-ci, nous avons découvert la racine non chrétienne et nous nous sommes proposé, pour notre part, de les transformer en sentiments dignes de l'école du Christ; on renonce à la polémique à base de préjugés et offensante, et on ne met plus en jeu un vaniteux prestige; on cherche plutôt à avoir présentes à l'esprit les exhortations répétées de l'Apôtre sur la tombe duquel nous nous trouvons ce soir: « Qu'il n'y ait pas entre vous de contestations, de jalousies, d'animosités, de rivalités, de médisances, d'insinuations, de manifestations d'orgueil, de désordres ».[1] Nous voulons reprendre des rapports humains, sereins, bienveillants, confiants.

Et vous connaissez les pas que Nous avons tenté de faire dans cette direction. Qu'il suffise d'évoquer les rencontres qu'au cours de ces années des représentants du Saint-Siège et Nous-même avons eu l'honneur et la joie d'avoir avec tant de personnages de vos communautés. Significative entre toutes fut l'inoubliable entrevue que la Providence Nous ménagea avec Sa Sainteté le Patriarche Athénagoras à Jérusalem, au début de l'année dernière; elle fut suivie d'autres émouvantes visites, de représentants de diverses confessions chrétiennes qui, depuis des siècles, n'avaient plus aucun contact avec l'Eglise catholique et spécia-

[1] *2 Cor.* 12, 20.

lement avec le Siège Apostolique. Nous considérons ces rencontres fraternelles comme un fait historique de grande importance et Nous voulons y voir le prélude de plus consolants développements.

Mais ce n'est pas tout: vous savez, Frères, que notre Concile œcuménique lui-même s'est mis en mouvement vers vous de bien des manières: de la considération que les Pères Conciliaires n'ont cessé de manifester pour votre présence qui leur a été si chère, jusqu'à l'effort unanime pour éviter toute expression qui ne fût pas pleine d'égards envers vous; de la joie spirituelle de voir votre groupe d'élite associé aux cérémonies religieuses du Concile, jusqu'à la formulation d'expressions doctrinales et disciplinaires aptes à écarter les obstacles et à ouvrir des sentiers aussi larges et aplanis que possible, pour une meilleure mise en valeur du patrimoine religieux chrétien que vous conservez et développez: l'Eglise catholique romaine, vous le voyez, a témoigné sa bonne volonté de vous comprendre et de se faire comprendre; elle n'a pas prononcé d'anathèmes, mais des invitations; elle n'a pas posé de limites à son attente, pas plus qu'elle n'en pose à son offre fraternelle de continuer un dialogue qui l'engage. Elle aurait aimé, avec le Pape Jean XXIII, à qui revient le mérite de cette conversation redevenue confiante et fraternelle, célébrer avec vous, avec quelques-uns d'entre vous, la rencontre décisive et finale; mais elle se rend compte que c'est là une hâte trop humaine, et que pour arriver au but d'une pleine et authentique communion, il reste encore beaucoup de chemin à faire, beaucoup de prières à élever vers le Père des lumières,[2] beaucoup de veilles à supporter. Du moins pouvons-nous, au terme du Concile, enregistrer une conquête: nous avons recommencé à nous aimer; et fasse le Seigneur qu'au moins à cela le monde reconnaisse que nous sommes vraiment ses disciples, parce que nous avons rétabli entre nous une dilection réciproque.[3]

Vous allez repartir. N'oubliez pas cette charité avec laquelle l'Eglise catholique romaine continuera à penser à vous et à vous suivre. Ne la croyez pas insensible et orgueilleuse si elle sent le devoir de conserver jalousement le « dépôt »[4] qu'elle porte avec elle depuis les origines; et ne l'accusez pas d'avoir déformé ou trahi ce dépôt, si, au cours de sa méditation séculaire, scrupuleuse et pleine d'amour, elle y a découvert des trésors de vérité et de vie auxquels ce serait une infidélité de renoncer. Songez que c'est justement de Paul, l'Apôtre de son œcuménicité, qu'elle a reçu sa première formation au magistère dogmatique; et vous

---

[2] *Iac.* 1, 17.
[3] Cf. *Io.* 13, 35.
[4] Cf. *Tim.* 6, 20.

savez avec quelle inexorable fermeté.[5] Et pensez que la vérité nous domine et nous libère tous, et aussi que la vérité est proche, proche de l'amour.

On Nous a raconté, il y a bien des années, un épisode gracieux et symbolique de la vie d'un des grands penseurs orientaux des temps modernes; et Nous le rapportons comme Notre mémoire l'a conservé. Il s'agit, Nous semble-t-il, de Soloviev. Il était un jour l'hôte d'un monastère et avait prolongé jusqu'à une heure tardive sa conversation spirituelle avec un pieux moine. Voulant, à la fin, faire retour à sa cellule, il sortit dans le couloir, sur lequel donnaient les portes, toutes pareilles, et toutes également fermées, des cellules. Dans l'obscurité, il n'arrivait pas à identifier la porte de la cellule qui lui avait été assignée; impossible, d'autre part, dans cette obscurité, de revenir à celle du moine qu'il venait de quitter, et il ne voulait pas non plus déranger quelqu'un durant le rigoureux silence monastique de la nuit. Et ainsi le philosophe se résigna à passer la nuit en se promenant lentement, absorbé dans ses pensées, le long du corridor du monastère devenu soudain mystérieux et inhospitalier. La nuit fut longue et pesante; mais à la fin elle passa, et les premières lueurs de l'aube permirent finalement au philosophe fatigué d'identifier sans peine la porte de sa cellule, devant laquelle il avait passé tant et tant de fois sans la reconnaître. Et il commentait: il en est souvent ainsi de ceux qui cherchent la vérité; ils passent tout près d'elle au cours de leurs veilles, sans la trouver, jusqu'à ce qu'un rayon du soleil de la divine sagesse vienne leur rendre aussi facile qu'heureuse la consolante découverte. La vérité est proche. Puisse, Frères aimés, ce rayon de la divine lumière nous en faire à tous reconnaître la porte bénie!

Tel est notre souhait. Et maintenant, sur la tombe de Paul, prions ensemble.

3

Celebrationis conclusio

1) Preces Litanicae.

Recitantur lingua anglica, omnibus respondentibus: *Kyrie Eleison.* Dein oratio, ad quam omnes respondent: Amen.

2) Oratio Dominicalis.

Beatissimus Pater: Oratione ipsius Salvatoris edocti atque moniti,

---

[5] Cf. *Gal.* 1, 6 ss.

Patrem omnipotentem suppliciter exoremus.

Omnes dicunt, propria lingua: *Pater Noster.*

3) Invocatio Finalis.

Beatissimus Pater: Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei Patris et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

Omnes: Amen.

Omnes canunt canticum: *Magnificat.*

CONGREGATIO GENERALIS CLXVIII

6 decembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXVIII

6 decembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*: Exeant omnes! Velint omnes cum festinatione exire! Bonum est hic esse, attamen oportet exire!

Patres venerabiles, em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, moderabitur hanc congregationem generalem, quae est 168 et ultima huius Sacri Concilii [*plausus*].

Audiatis, Patres, exitus reliquarum suffragationum quoad schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Suffragatio 533:

Praesentes votantes	2.209
Dixerunt *placet*	2.047
non placet	155
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	6

Suffragatio 534:

Patres praesentes qui suffragati sunt	2.226
Dixerunt *placet*	2.137
non placet	81
Suffragia nulla	8

Suffragatio 535:

Patres praesentes votantes	2.212
Dixerunt *placet*	2.110
non placet	98
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	3

Suffragatio 536:

Patres praesentes votantes		2.214
Dixerunt	*placet*	2.086
	non placet	121
Suffragia nulla		7

Suffragatio 537:

Patres praesentes votantes		2.201
Dixerunt	*placet*	1.710
	non placet	483
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		6

Suffragatio 538:

Patres praesentes votantes		2.174
Dixerunt	*placet*	2.039
	non placet	128
Suffragia nulla		7

Suffragatio 539 et ultima quoad partes schematis:

Suffragati sunt		2.174
Dixerunt	*placet*	1.873
	non placet	293
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		7

Quapropter proceditur ad suffragandum totum schema cum modis insertis. Sed videatis, Patres, in pag. 35 vol. I, nempe in textu omissum est unum verbum, quod acceptatum erat a commissione, ergo conferatis antea pag. 234, duabus ultimis lineis [*cf. pag. 450*]: « Respondetur: linn. 3 ad 5 omittuntur, quia iam in n. 22. Additur in lin. 1: *divino* ».

Atqui, in pag. 35 [*cf. pag. 264*], hoc attributum « divinum » deest. Videatis lin. 20, ubi legitur (lego paucis lineis ante): « Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit atque a peccato redemit, his quaestionibus plenissimum responsum praebet, idque per revelationem in Christo Filio suo *divino* qui homo factus est ».

Videatis praeterea pag. 49. In nota 14: « Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.* 22 (1930) », ita complendum est: « pag. 559-561 ». Reliqua manent ut sunt.

His emendationibus, proponitur nunc textus suffragandus, quem lego per principium et finem tantum. Videatis pag. 5 vol. I [*cf. pag. 234*].

Schema Constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis*:

« Gaudium et spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere humanum invenitur, quod in corde eorum non resonet. Ipsorum enim communitas ex hominibus coalescit, qui, in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa cum genere humano eiusque historia se revera intime coniunctam experitur ».

Et reliqua, usque ad pag. 85, in his novissimis verbis: « Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculorum. Amen. »

Patres venerabiles, hic textus, qui per partes lectus est sed integer lectus haberi debet, *placet*ne vobis an *non placet?* Est suffragatio 540.

In hac congregatione, Patres, vobis distribuentur hi fasciculi — iam aliqui, ut video, distribuuntur. Distribuitur textus approbatus in sessione VII constitutionis dogmaticae *de divina revelatione;* pariter textus, item in sessione VIII approbatus, decreti *de apostolatu laicorum;* deinde datur vobis textus decreti *de presbyterorum ministerio et vita,* de quo agetur in sessione publica diei 7 decembris 1965.

Crastina erit sessio IX, et deinde ultima sessio erit sessio X, uti iam praenuntiavi.

Distribuentur etiam fasciculus, qui continet *Ordinem concelebrationis et methodum servandam in publica sessione Concilii Oecumenici Vaticani II, die 7 decembris anno 1965;* et Bulla indictionis Iubilaei extraordinarii, quam legam propediem.

Hodie, Patres venerabiles, est festum S. Nicolai, est Sancta Claus; ergo, quamvis nulla de his cogitatio subierit, dantur vobis dona, et quidem numisma argenteum Urbis Romae, et potissimum anulus aureus cum diplomate participationis Concilii datus a Summo Pontifice [*plausus*].

Quando incipiet distributio sive numismatis sive anuli, quae est

ultima distributio — est maximi momenti, ideo ultimo loco fieri debet —, monebo Patres ut stent suis locis, quia distributio omni diligentia et praecisione fieri debet.

Aliqui petierunt quomodo faciendum sit, si quis Pater absit et delegaverit unum ex Patribus praesentibus ad comparanda sibi et distributiones omnes et dona et alia huiusmodi. Faciemus ita, Patres venerabiles: hoc mane accipient dona tantum qui sunt praesentes, sed horis pomeridianis in nostris officiis a Sancta Martha, heic prope, erunt praesto tres quatuorve assignatores, qui dabunt diplomata, numismata et anulum competentem eis qui praebent delegationem ad hoc faciendum, et subscribant se nomine illius Patris rem accipere. Hoc fiet horis pomeridianis. Quinimmo, si quis error irrepserit in scribendis diplomatibus vel in aliis huiusmodi, possunt Patres hos errores significare horis pomeridianis dictis assignatoribus; ne conquerantur in hac aula, quia inutile est.

Officia huiusmodi patebunt ab hora 4 ad horam 8 huius vesperis.

Lego vobis, Patres, interea, diploma quo traditur donum Pontificis:

PAULUS VI

PONTIFEX MAXIMUS

CARDINALIBUS, PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS
EPISCOPIS ALIORUMQUE LOCORUM ORDINARIIS
QUI CONCILIO OECUMENICO VATICANO SECUNDO INTERFUERUNT

VOBIS A ROMA QUASIQUE A DOMO NOSTRA DISCESSURIS, QUO EX QUALIBET TERRARUM ORBIS REGIONE CONFLUXERATIS, UT, IN CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM SECUNDUM CONGREGATI, NOBISCUM DELIBERARETIS DE CHRISTI ECCLESIA AD NITIDIOREM SPLENDOREM ET AD ALACRIOREM SEDULITATEM RENOVANDA, QUONIAM PROPENSISSIMAE BENEVOLENTIAE NOSTRAE INDICIUM ET FAUSTISSIMI EVENTUS MNEMOSYNUM DEFERRE CUPIMUS, AUREUM ANULUM EPISCOPORUM INSIGNE, DONO VOBIS DAMUS, QUO VELUTI SENSU SIGNIFICETUR, VOS, QUAMVIS A NOBIS POSTHAC TERRARUM SPATIO DISIUNGAMINI, NOBISCUM TAMEN ARCTISSIMO CARITATIS VINCULO SEMPER FORE CONIUNCTOS. SED, VOBIS AD PASTORALIS SOLLERTIAE VESTRAE CAMPUM REVERSURIS, CUM VOBISMETIPSIS, VENERABILES FRATRES, TUM OVIBUS CUIQUE VESTRUM CONCREDITIS ALIUD DONUM, APOSTOLICAM BENEDICTIONEM IMPERTIMUS, DEUM EX ANIMO PRECANTES, UT, VOBIS REGENTIBUS, PRAEEUNTIBUS, INCITANTIBUS, CELEBRATI CONCILII PRAESCRIPTA ET HORTAMENTA, CUM ECCLESIAE UNIVERSAE ANIMORUMQUE UTILITATE SUMMA, A FIDELIBUS VESTRIS EFFICIANTUR ET SERVENTUR.
EX AEDIBUS VATICANIS, ANTE DIEM VI IDUS DECEMBRIS (i. e. die 7 decembris, crastina) ANNO MDCCCCLXV. [*PLAUSUS*]

Patres venerabiles, lego vobis Bullam indictionis Iubilaei extraordinarii:

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM *

MIRIFICUS EVENTUS, cui modo finis est factus, ad quemque animos et mentes cum tota catholicorum familia, tum vero etiam universa hominum coniunctio incensiore cotidie studio per hos quattuor annos adhibuerunt, Concilium Oecumenicum Vaticanum II dicimus, a Nobis factum itidem permagnum expostulare videtur, quod non solum in hominum mentibus diuturnam imprimat memoriam amplissimi illius Consessus, in praesenti in futuroque rerum Ecclesiae cursu praecipui, sed, quod pluris interest, christifidelium animos ad sacratissimae Synodi praecepta tenenda componat.

Iamvero hoc Nobis in pectore volutantibus visum est, ut iam nuntiavimus, nihil magis ad rem conducere posse quam Iubilaei extraordinarii celebrationem. Hac enim via opinamur optime fieri, ut hinc — quod aequissimum est — summo Deo grates publice agantur de donis uberrimis Ecclesiae suae allatis, sive cum trepidanter laeteque Concilium appararetur, sive cum per quadriennium maxima cum alacritate et utilitate eius momenta agerentur; hinc ut divina subsidia in hoc praesertim tempus implorentur, cum exsultantium et exspectantium animorum quasi fremitus Nos sperare sinit, plurima fore commoda ab huius aetatis hominibus inde percipienda.

Iubilaeum deinde, ut equidem sentimus, praeclaram opportunitatem christifidelibus bonae voluntatis praebere potest, sese ad christianam virtutem recipiendi, ut renovatio illa exspectatissima in singulorum vita, in domestica, in publica, in sociali, effecta detur, ad quam unam dimissum nuper Concilium spectavit.

Neque sine causa magna emolumenta de Iubilaeo Nobis spondemus; cum, si memoriam rerum gestarum Ecclesiae repetamus, profecto doceamur, numquam sine magno fructu salutare huiusmodi institutum instauratum esse. Quod, ut sescenta aliorum testimonia praetereamus, plane monent haec verba Decessoris Nostri ven. mem. Pii XII, Sacrum Iubilaeum in annum millesimum nongentesimum quinquagesimum indicentis: *Si enim homines hanc Ecclesiae vocem exaudierint, si a terrenis fluxisque rebus ad aeterna se converterint perpetuoque man-*

---

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 945 ss.

sura, tum procul dubio optatissima illa habebitur renovatio animorum, ex qua non tantum privati, sed publici etiam mores christianis praeceptis christianoque afflatu conformabuntur.[1]

Has ob causas, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Iubilaeum extraordinarium in omnibus ac singulis catholici orbis dioecesibus, a die primo mensis Ianuarii proximi anni millesimi nongentesimi sexagesimi sexti inchoandum et ad diem festum sacrae Pentecostes, hoc est ad diem undetricesimum mensis Maii eiusdem anni finiendum, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animorum salutem et catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has Litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Quo praecipuo supernae salutis tempore nuntiato, atque caelestium gratiarum aperto fonte, Nostrum esse ducimus statim in medio ponere, quid potissimum, hac egregia occasione oblata, quaeramus.

Primum omnium, non secus atque Decessores Nostri in eiusdem generis condicionibus, a christifidelibus omnibus expetimus miram eam animorum mutationem, quae haberi nequaquam potest, nisi in intimis hominis sensibus: in cultu nempe virtutis paenitentiae, cui quidem accedat sacrae confessionis Sacramentum, quo fideles, quasi in salutari quodam balneo, se in pretiosissimo Christi sanguine mergant; neque haberi potest, nisi christiani homines, se nobilitandi gratia, quam maxime cum divino mortalium Redemptore coniungantur, qui sive redintegrato incruente Crucis Sacrificio, nostrae salutis causa, sive facta nobis sui Eucharistici Corporis facultate ita animos nostros extollit et perficit, ut ad verum germanumque divinae vitae consortium perveniamus. Quare in spe sumus fore ut promulgatum Iubilaeum christianorum optimos ad altiora quaeque impellat, bonos vero ad acriorem alacritatem commoveat ad cotidianae vitae officia servanda, secundum Dei praecepta. Atque utinam inter hoc piaculare tempus fiat, ut qui vel a fonte ac principio gratiae longe absint, vel maxime qui fidem in Deum inconsulte seu obliti sint, seu repudiaverint, ii singulari condicione, quae nunc defertur, utantur, atque ita cum Deo pacem reconcilient!

Quin etiam optamus vehementer, ut Christi sectatores, satis non habentes mores tenere inculpatos, vitae sanctitatem, quoad per humanas vires liceat, appetant ac veluti sitiant: qua nimirum tum ad christianarum virtutum, ac praecipue caritatis, certam exercitationem, tum ad

---

[1] Litt. Ap. *Iubilaeum maximum,* 26 maii 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 257.

firmissimam voluntatem imitandi Christum Crucifixum, tum ad studium cupiditatemque regni Dei amplificandi maiorem in modum inflammentur. Quibus ex rebus simul fieri non poterit, quin Ecclesia, ad pristinam vim suam revocata, summas capiat utilitates, ac nativus eius tamquam impetus animorum Deo quaerendorum magis magisque exacuatur, ab excultiore conscientia profectus; simul consequi non poterit, quin amplissimi illi fructus longe lateque in Ecclesia maturescant, quorum percipiendorum causa in Oecumenica Synodo tot tantique labores insumpti sunt. Quas spirituales utilitates Nosmetipsi quasi summatim in primis Litteris Encyclicis Nostris delineavimus, hoc animo praecipientes, ut *ex Concilio gloriam Deus, gaudium Ecclesia, mundus salutiferum exemplum acciperet.*[2]

Quoniam vero, quod modo clausimus Concilium, iure merito ab Ecclesia appellationem traxit, utpote in quo Christi Sponsa datum sibi a Deo mandatum animorum hominum servandorum diligentius cognoverit, nunc par esse arbitramur indictum Iubilaeum ad hunc finem tamquam sibi proprium pertinere: ut scilicet in omnibus christifidelibus, cum e sacra Hierarchia tum e laicorum ordine, increbrescat sensus Ecclesiae, huiusque rei magis illustrata magisque actuosa conscientia excutiatur. Quapropter omnino oportet, inter sacrum tempus, quod sequitur, Ecclesia illud insistens iter, quod per Concilium esse tenendum diximus, non intermittat: *in seipsam introspicere penitus; suum meditari mysterium; se docendi et incitandi causa, altius perscrutari doctrinam de sua origine, de sua natura, de suo persequendo mandato, de suo fine; quae doctrina, licet iam sibi sit nota, atque superiore hoc saeculo sit enucleata et vulgata numquam tamen satis neque excussa neque intellecta dici potest.*[3]

Nunc vero rati nulla alia ratione posse aptius salutaria haec consilia ad effectum adduci, haud perperam expetere videmur, ut sacrum Iubilaeum, in unaquaque dioecesi peragendum, suam sedem ac veluti domum habeat aedem cathedralem, atque in uno Episcopo, concreditarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur.

Etenim cathedrale dioecesis templum, quod haud raro artis pietatisque studium maiorum nostrorum splendide declarat, operibusque exornatur mirabili artificio factis, ea in primis insignitur dignitate ut, quemadmodum pervetusto eius significatur nomine, in eo Episcopi cathedra consistat, quae est unitatis, ordinis, potestatis, veracisque magisterii cum

---

[2] Cf. Litt. Enc. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 621-22.
[3] Litt. Enc. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 611.

beato Petro coniuncti tamquam cardo. Quin et hoc accedit, quod cathedralis aedes, ob exstructae molis maiestatem, spiritualis illius templi index est, quod intus in animis aedificatur ac divinae gratiae magnificentia nitet; ex ea Pauli Apostoli sententia: *vos enim estis templum Dei vivi.*[4] Deinde templum cathedrale expressa imago est ducenda aspectabilis Christi Ecclesiae, quae in terrarum orbe et precatur, et canit, et adorat; est nimirum imago putanda Mystici eius Corporis, cuius membra in una conglutinantur caritatis compage, supernorum donorum roratione nutrita; nam, ut die festo Dedicationis scriptum apud ritum Ambrosianum legimus: *haec est mater omnium, filiorum numero facta sublimior: quae per Spiritum Sanctum quotidie Deo filios procreat: cuius palmitibus mundus omnis impletus est: quae propagines suas ligno baiulante suspensas erigit ad regna caelorum. Haec est civitas illa sublimis iugo montis erecta, perspicua cunctis, et omnibus clara.*[5]

Fere igitur naturae convenienter, tempore proximi Iubilaei, christifideles aut piis caerimoniis operam daturi, aut sacris vacaturi contionibus, aut peculiares eas poenae remissiones, peccatis debitae, lucraturi, quae usitatiore vocabulo indulgentiae nuncupantur, in princeps dioecesis templum vel singuli vel per turmas confluent.

Siquidem vero necesse esse diximus, celebrandum Iubilaeum circa Episcopum, quasi circa fulcimentum suum, totum verti, adhortamur idcirco, ut Ecclesiae filii ipsi circumfundantur.

Quam ob rem, cum Episcopi, hoc concluso Concilio, ad suas sedes sancto inflammati ardore reversi erunt, ducti consilio fideles exacuendi ad Concilii praescripta efficienda, eos, in singulis dioecesibus, sacerdotes et christianus populus universus circumstent, ut iisdem animum profiteantur gratum ob diligentem operosamque industriam, quam in celebrando Concilio posuerunt; ut observantiam pietatemque, filiorum propriam, iterum testentur; ut praesertim suam adiutricem operam polliceantur, quae in deprecationibus, in vitae actione atque in voluntaria sui castigatione consistat. Scilicet clerus, Religiosi, sacrae virgines omnesque laicorum hominum coetus, inter se arte coniuncti, alacri studio ad sapientem paternamque suorum Pastorum moderationem sese conferant, qui, ut significantem sententiam mutuemur ex Oecumenico Concilio Vaticano II, oportet *Ecclesias sibi concreditas ita sanctificent, ut in eisdem universae Christi Ecclesiae sensus plene effulgeat.*[6]

---

[4] *2 Cor.* 6, 16.
[5] *Missale Ambrosianum,* in Praefatione diei festi Dedicationis ecclesiae.
[6] Decr. *Christus Dominus,* n. 15.

Episcopus autem, dum in cathedrali aede omnibus hisce coetibus christianae sibi concreditae familiae auctoritate sua praeest, apostolatus obeundi normas impertit, eosque ad caritatem exercendam precesque fundendas incendit, tunc re vera efficit, ut per sollemniores sacrorum officiorum externas celebrationes, in principe dioecesis templo interna mentium voluntatumque concordia et consensio gregis cum Pastore suo apertissime ostendantur.

Curet igitur in primis Episcopus, ut illis salutis diebus in cathedrali aede habeantur, tum peculiares sacrarum contionum series, quibus Concilii decreta explicentur; tum sacrae Missiones, quas vocant; tum pro clero populoque christiano piae animi exercitationes, praesertim Quadragenarii ieiunii tempore, animis ad festum Paschatis praecolendis; ita nimirum ut in omnibus summa cupiditas sui renovandi innascatur.

Ad Nos autem quod attinet, cum id etiam ad fructum huius Iubilaei conferre posse existimemus, Nostra apostolica auctoritate concedimus sacris Confessariis, ad audiendas sacramentales confessiones legitime approbatis, quae sequuntur, facultates, quibus solummodo per idem tempus, in foro conscientiae et in sacramentali confessione uti possint. Quapropter iidem poterunt: 1) absolvere a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis quoscumque paenitentes, qui scienter doctrinas haereticas, schismaticas vel atheisticas quomodocumque externe professi fuerint, dummodo unusquisque paenitens, sincere dolens, coram confessario errores detestetur et data forte scandala se resarturum promittat; iniuncta congrua et salutari paenitentia, et addito consilio ad Sacramenta frequenter accedendi; 2) absolvere a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui libros apostatarum, haereticorum aut schismaticorum, pro apostasia, haeresi aut schismate propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, scienter sine debita venia legerint, vel apud se retinuerint; iniuncta congrua ac salutari paenitentia, et addita admonitione circa librorum cautam retentionem vel destructionem; 3) absolvere a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectae massonicae aliisque eiusdem generis consociationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; dummodo a sua secta vel consociatione omnino se separent, et scandala vel damna, pro viribus, se sarturos et praecauturos esse promittant; iniuncta, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari; 4) solvere, commutando, consideratis causis, in alia paenitentiae vel pietatis opera, ab omnibus votis privatis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, dummodo solutio ne laedat ius aliis quaesitum.

Concedimus praeterea ut, piaculari hoc tempore, omnes utriusque

sexus christifideles, qui rite Paenitentiae Sacramento expiati et sacra Synaxi refecti ad mentem Nostram precati fuerint, *Indulgentiam plenariam* lucrari valeant: 1) quotiescumque, *aut* saltem tribus institutionibus de Concilii Oecumenici Vaticani II decretis, vel contionibus per sacras, quas vocant, Missiones habendis interfuerint; *aut* Eucharistico Sacrificio quadam cum sollemnitate ab Episcopo in cathedrali templo celebrato pie interfuerint; 2) semel vero tantum, si, inter sacrum idem tempus, cathedrale templum pie inviserint, ibique, qualibet legitima formula adhibita, fidei professionem iteraverint.

Id insuper libenti animo damus, ut singuli Episcopi, opportuniore eiusdem temporis die, occasione praecipuae celebrationis, semel impertiri valeant Benedictionem Papalem, addita *Indulgentia plenaria,* a christifidelibus lucranda, qui, ita animo affecti ut supra diximus, eandem Benedictionem pia mente acceperint.

Ut autem haec Constitutio ad omnium notitiam facilius perveniat, volumus eius exemplis, etiamsi typis editis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adiungatur, quae ipsi praesenti haberetur, si foret exhibita vel ostensa. Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VII mensis Decembris, anno MDCCCLXV, Pontificatus Nostri tertio.

EGO PAULUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

[*Dum haec legitur Constitutio Apostolica Patribus distribuuntur numismata Urbis Romae; cf. pag. 617*].

Secretarius generalis: Patres venerabiles, in anulo, qui dabitur, insculptae sunt imagines Christi Servatoris, una cum Sanctis Petro et Paulo Apostolis; et ita est confectus ut unicuique digito aptari possit.

Propono vobis, Patres, ut in sessione publica habenda crastina publice dentur gratiae Summo Pontifici pro dono oblato. [*plausus*]

Patres venerabiles, antequam hunc ambonem relinquam — alias communicationes dabo postea —, sinatis ut vobis omnibus mea vota proferam uti possum.

Patres venerabiles,

Finis adventat Synodi Sacratae,
Finis et nostri properat laboris:
Nunc iuvat Vobis renovare grates
Et pia vota.
Christus, o nobis faveat benignus,
Adsit e caelo pia Virgo Mater,
Nosque Pastores repleant amoris
Igne superni!

[*Plausus*]

Secretarius generalis: Patres venerabiles, communico exitum suffragationis:

Patres praesentes suffragantes		2.373
Dixerunt	*placet*	2.111
	non placet	251
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		10

Ergo schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* in congregatione generali probatum est, et proponetur Summo Pontifici pro eo deferendo in sessione publica [*plausus*].

Patres venerabiles, Summus Pontifex coram admittet episcopos ex Italia, hoc vespere, hora 6,30.

Patres venerabiles, incipit distributio anuli et diplomatis.

Audiatis, Patres venerabiles! Summus Pontifex statuit schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* esse deferendum in sessione publica crastina habenda.

Patres venerabiles, non vobis loquor hac vice, sed omnibus iis qui cum Patribus conciliaribus sunt, ut annuntiem quod Summus Pontifex crastina, die 7 decembris, coram se admittet, hora sexta cum dodrante, nempe cum tribus quadrantibus — sexta cum tribus quadrantibus —, rev.mos parochos invitatos ad Concilium, « nella Sala del Trono ».

Hora autem 7, post meridiem uti patet, clar.mos Dominos Auditores laicos, « nella Sala dei Papi ».

Hora 7,15 rev.mos secretarios necnon autocinetorum ductores em.morum ac exc.morum Patrum conciliarium, hos omnes « nella Sala Clementina ».

Denique, hora 7,30 post meridiem, ill.mos ac rev.mos peritos Concilii, « nella Sala del Concistoro » [*plausus*].

Patres venerabiles, crastina, dispensatio habita est a ieiunio et abstinentia, quae praescripta esset in pervigilio festi Immaculatae. Haec dispensatio facta est intuitu solemnitatis nostri Sacri Concilii.

Dispensatio ab abstinentia et ieiunio est tantum pro Urbe Roma.

Patres venerabiles, rev.mi Domini assignatores, erga quos tanta tenemur gratitudine pro labore impigre peracto in hoc Concilio [*plausus*], coram admittentur a Summo Pontifice crastina, hora 7,15 post meridiem in Sala Clementina, loco sibi assignato.

Patres venerabiles, audiatis hunc nuntium, quem rogat fieri em.mus ac rev.mus D. card. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Ulyssiponensis:

« Recurrente, anno 1967, quinquagesimo anniversario Apparitionum Beatae Virginis Mariae in loco *Fatima,* hac occasione celebrabitur Ulyssipone (Lisbona) Congressus Mariologicus, diebus a 2 ad 8 augusti, et Congressus Marianus Internationalis Fatimae, diebus a 9 ad 13 eiusdem mensis.

« Quapropter, em.mus ac rev.mus D. card. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Ulyssiponensis, una cum tota hierarchia Catholica Lusitana, humanissime invitat omnes em.mos principes, rev.mos DD. archiepiscopos et episcopos, ut ad Congressum veniant, vel ad Fatimam veneraturi Beatissimam Virginem Mariam, quam Paulus Papa VI dignatus est peculiariter honorare, mittens em.mum card. Cento laturum donum Rosae Aureae.

Manuel card. GONÇALVES CEREJEIRA
Patriarcha Ulyssiponensis. »

Exc.mi Patres conciliares, vel etiam em.mi, qui non receperunt diploma quia a Secretaria Status adhuc conscriptum non est, possunt illud recipere in nostris officiis vel horis vespertinis hodiernis, uti dixi, vel etiam horis vespertinis crastinae, nempe ab hora quarta usque ad horam septimam post meridiem crastina. Ergo ne petant hoc diploma a nostra secretaria, quia ubi non sunt nos creare non possumus!

Moderator:

Venerabiles Patres, antequam finis imponatur huic ultimae congregationi generali, liceat mihi nomine Moderatorum ultima quaedam verba proferre.

Imprimis, gratias agamus Deo Patri Omnipotenti, et Filio eius Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui Sancto quem tam instanter ante congressus nostros invocavimus pro felici exitu Concilii nostri Vaticani Secundi.

Gratitudinem nostram proferamus, ante omnes, Summo Pontifici nostro Paulo, feliciter regnanti, qui Concilium ... [*plausus*], qui Concilium a Papa Ioanne inceptum tanta cum sollertia et paterna sollicitudine direxit et ad conclusiones doctrinales et pastorales perduxit in bonum totius Ecclesiae.

Moderatores, nomine omnium Patrum, gratias exprimunt singulis membris Consilii Praesidentiae, qui una cum venerabili Decano suo tanta cum aequitate invigilaverunt ut omnia rite procederent secundum Ordinem Concilii celebrandi [*plausus*].

Gratum quoque animum exhibemus exc.mo secretario nostro generali, et cum ... [*plausus*] ... et cum ipso optimis et semper promptis secretariis adiunctis [*plausus*]. Omnes admirati sumus eximias dotes, ut ita dicam, « administrativas » archiepiscopi Felici, sicut etiam claritatem eius praestantissimam, patientiam indefectibilem, sensum humoristicum, mirabilem artem latine dicendi, alacrem et nunquam periclitantem promptitudinem ad omnibus serviendum [*plausus*].

Gratias quoque dicimus omnibus Patribus Concilii, tam illis qui in aula locuti sunt ad utilitatem omnium quam illis qui in scriptis observationes mandaverunt. Moderatores veniam petunt si quandoque debuerunt finem imponere oratoribus nimis eloquentibus, et rogant indulgentiam vestram atque absolutionem, ratione habita suae contritionis saltem imperfectae et firmi propositi non iterum peccandi! [*Risus*]

Gratias dicimus omnibus relatoribus et membris commissionum conciliarium, qui tam ardue laboraverunt, Modos perpenderunt et textus perfecerunt, ita ut tandem aliquando ad unanimem fere consensum quasi semper pervenerint Patres. [*Plausus*]

Gratias dicimus pariter carissimis peritis nostris, qui incessabili labore, cum tanta abnegatione, eruditione et constanti animo, quandoque etiam cum damno propriae salutis, nobis tam sollerter adiuverunt in opere commissionum. Nomina eorum non possumus hic proferre, sed in mente et corde nostro remanebunt, et in historia Concilii semper manebit memoria eorum. [*Plausus*]

Gratias dicimus carissimis Observatoribus, qui nobiscum in fraterna communione animi adfuerunt omnibus diebus Concilii, cum tanta attentione ac benevolentia. Magno cum gaudio accepimus eorum nuntium fraternum, ad nos missum et in aula lectum; et magna cum spe et fiducia preces nostras cum eis ad Dominum effudimus ad sepulchrum sancti Pauli, ubi Concilium suum primum et mirabile exordium habuit. [*Plausus*]

Gratias dicimus pariter omnibus Auditoribus sive laicis sive religiosis, quorum praesentia dilucide ostendit Ecclesiam esse populum Dei, et pro semper ut symbolum remanebit istius voluntatis episcoporum omnium fecundum dialogum prosequendi cum omnibus christifidelibus. [*Plausus*]

Gratias dicimus pariter officialibus omnibus, qui collaboratione constanti et quotidiana curam egerunt de practica atque externa dispositione rerum. Et inter illos oblivisci non possumus assignatores loci, qui incessanter et indefectibiliter nobis praesto fuerunt [*plausus*]; etiam cantores, qui cultui divino inservierunt, et etiam quandoque animos Patrum recreaverunt; etiam praepositos tum ad distributionem textuum tum ad custodiam Basilicae tum ad refocillandas vires Patrum, quandoque deficientes, raro in infirmeria, saepe vero in thermopoliis. [*Plausus*]

Gratias quam maxime exprimere quoque volumus illis omnibus qui die noctuque adlaboraverunt in typographia vaticana [*plausus*], et quorum conatus et celeritas admirationem nostram abunde merentur.

Gratias tandem dicimus omnibus illis qui se dederunt ad relationes officiales quotidianas conficiendas atque edendas, et qui modo suo dialogum cum mundo inierunt quotidie in praxi vitae.

Tandem, Moderatores vobis omnibus exoptant felicem exitum in nationibus vestris, ubi Concilium Vaticanum Secundum, Deo iuvante et Maria intercedente, suas practicas et vitales conclusiones inveniet pro renovatione totius Ecclesiae Dei. Gratias. [*Plausus*]

Textus scripto traditus:

Venerabiles Patres, antequam finis imponatur huic ultimae congregationi generali, liceat mihi nomine moderatorum quaedam verba proferre.

Imprimis gratias agamus Deo, Patri Omnipotenti, et Filio eius Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui Sancto quem ante congressus nostros instanter invocavimus, pro felici exitu Concilii nostri Vaticani Secundi.

Deinde gratitudinem nostram proferimus, ante omnes, Summo Pontifici nostro Paulo, feliciter regnanti, qui Concilium a Papa Ioanne inceptum cum tam paterna atque sollerti sollicitudine direxit, et ad conclusiones doctrinales et pastorales perduxit in bonum totius Ecclesiae.

Moderatores, nomine omnium Patrum, gratias exprimunt singulis membris Consilii Praesidentiae, qui una cum venerabili suo Decano cum miranda aequitate invigilaverunt ut omnia rite procederent secundum ordinem Concilii celebrandi.

Gratum quoque animum exhibemus excellentissimo Secretario nostro generali, cumque ipso optimis et semper promptis Secretariis ei adiunctis. Omnes admirati sumus eximias dotes, ut ita dicam, « administrativas » Archiepiscopi Felici, patientiam eius indeficientem, sensum humoristicum, claritatem in loquendo praestantissimam artemque latine dicendi numquam periclitantem, denique alacrem promptitudinem ad omnibus serviendum.

Gratias etiam dicimus omnibus Patribus Concilii, tam illis qui ad utilitatem omnium in aula locuti sunt quam illis qui scriptas observationes mandaverunt. Moderatores veniam petunt si quandoque debuerunt interrumpere orationes nimis eloquentes, et rogant indulgentiam vestram atque absolutionem, ratione habita suae contritionis saltem imperfectae et firmi propositi non iterum peccandi.

Gratias agimus omnibus relatoribus et membris Commissionum conciliarium, qui tam strenue laboraverunt, Modos perpenderunt et textus perfecerunt, ita ut Patres quasi semper ad unanimem fere consensum tandem aliquando pervenire valerent.

Gratias dicimus pariter eruditissimis peritis nostris, qui constanti animo et incessabili labore, cum maxima abnegatione, immo quandoque cum damno propriae salutis, nobis tam sollerter adiuverunt in opere Commissionum. Nomina eorum non possumus hic enumerare, sed in cordibus nostris inscripta sunt. Cum historia Concilii indissolubiliter coniunguntur.

Gratias dicimus carissimis Observatoribus, qui nobiscum in intima communione animi adfuerunt omnibus diebus Concilii, continuo attenti ac benevoli. Magno cum gaudio accepimus eorum nuntium fraternum, ad nos missum et in aula lectum; magna cum spe et fiducia preces nostras cum eis Domino effudimus ad sepulchrum sancti Pauli, ubi hoc Concilium habuit mirabile suum exordium.

Gratias deinde dicimus omnibus auditoribus sive laicis sive religiosis, quorum praesentia dilucide ostendit Ecclesiam esse populum Dei, symbolumque praebuit voluntatis episcoporum dialogum prosequendi fecundum cum omnibus christifidelibus.

Gratias dicimus officialibus omnibus, qui collaboratione quotidiana curam egerunt de practica atque externa dispositione rerum. Inter illos oblivisci non possumus assignatorum loci, qui indefatigabiles nobis praesto fuerunt; etiam cantorum, qui cultui divino inservierunt, et animos patrum interdum recreaverunt; etiam praepositorum cum ad custodiam Basilicae tum ad distributionem textuum tum etiam ad refocillandas vires patrum, sive in thermopoliis sive in infirmeria.

Gratias quoque exprimere volumus quam maximas omnibus qui die noctuque adlaboraverunt in Typographia Vaticana, quorumque celeritas laudem nostram meretur.

Gratias denique dicimus omnibus qui se dederunt ad conscribendas atque edendas relationes quotidianas rerum gestarum. Modo suo dialogum nostrum cum mundo diem ex die repercusserunt.

Vobis omnibus tandem exoptant moderatores felicem exitum conatus communis in nationibus vestris, in quibus Concilium Vaticanum Secundum, Deo iuvante et Maria intercedente, suas conclusiones inveniet vitales ad renovationem totius Ecclesiae Dei.

L. J. card. SUENENS

Secretarius generalis:

Et nostris em.mis moderatoribus
Anni plurimi plaususque multus a nobis!

[*Plausus*]

Exspectetis, Patres, ut vobis distribuatur fasciculus continens schema decreti *de Ecclesia in mundo huius temporis,* qui iam promptus est.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

SESSIO PUBLICA IX

die 7 decembris 1965

SESSIO PUBLICA IX

die 7 decembris 1965

1

Sessionis initium

Chorus et omnes praesentes cantant antiphonam *Tu es Petrus,* alternatim cum versiculis Ps. 131 *Memento, Domine, David.* Dum cantus protrahitur, Summus Pontifex, sacris vestibus sumptis, cum baculo et mitra, ingreditur Basilicam Vaticanam, comitantibus em.mis cardinalibus et concelebrantibus.

Cum ad altare aulae conciliaris pervenerint, concelebrantes, facta debita reverentia, sedes sibi assignatas petunt. Summus Pontifex, depositis mitra et baculo, genuflectit super faldistorium et aliquantulum orat.

Tunc exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, Codicem Evangeliorum tradit Summo Pontifici, qui secretario generali praecedente et em.mis cardd. diaconis Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona comitantibus, illum super parato throno statuit. Interea chorus et Patres alternatim cantant *Gloria, laus*: chorus quidem cum melodia polyphonica 5 vocibus, auctore Bartolucci, Patres vero modo gregoriano.

Deinde Summus Pontifex ad sedem eminentem ante Altare papale erectam se confert, et ei praestatur oboedientia a Patribus conciliaribus, duobus tantum, nomine ceterorum, ex unoquoque ordine, dum chorus cantat *Hoc est praeceptum meum,* 5 vocibus, auctore Morales.

Card. primus diaconus assistens, em.mus D. Alfredus Ottaviani, elata voce dicit: *Orate,* et omnes genua flectunt.

Post breve temporis spatium, Summus Pontifex surgit ac tono feriali legit orationem *Adsumus, Domine,* una cum Patribus.

Oratione expleta, card. protodiaconus, elata voce, dicit: *Erigite vos,* et surgunt omnes, dum chorus cantat antiphonam *Exaudi nos, Domine,* quinque vocibus, auctore Bartolucci.

Summus Pontifex, dicta oratione *Mentes nostras,* praecinit hymnum *Veni, Creator Spiritus,* quem chorus prosequitur alternatim cum omnibus praesentibus: chorus quidem cantu polyphonico 6 vocibus, auctore Bartolucci, praesentes vero modo gregoriano. Expleto hymno, Summus Pontifex cantat versiculos et orationes.

Receptis documentis a Summo Pontifice, exc.mus D. secretarius generalis ad ambonem accedit atque illa legit.

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio de Libertate Religiosa.

[*cf. pag. 663 ss.*].

Patres venerabiles, haec declaratio, quae per partes lecta est, at pro integra lecta habenda est, *placet*ne vobis an non *placet?* Respondeatis.

Sequitur intervallum. Dum Patres suffragium suum per schedulas exprimunt, chorus cappellae Sixtinae exsequitur cantum *Ave Maria,* 5 vocibus, auctore Perosi.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacratissimi Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de activitate missionali Ecclesiae.

[*cf. pag. 673 ss.*].

Patres venerabiles, hoc decretum *de activitate missionali Ecclesiae,* quod pro integro lectum habendum est, *placet*ne vobis an *non placet?* Est suffragatio 542.

Sequitur intervallum. Dum Patres suffragium per schedulas dant, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur: *Iustorum animae,* 5 vocibus, auctore Orlando di Lasso.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de presbyterorum ministerio et vita.

[*cf. pag. 704 ss.*].

Patres venerabiles, hoc decretum *de presbyterorum ministerio et vita,* quod pro integro lectum habeatis, *placet* vobis an *non placet?* Est suffragatio 543.

Sequitur intervallum. Dum Patres suffragium per schedulas dant, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur: *Alma Redemptoris Mater,* 4 vocibus, auctore Bartolucci.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis.

[*cf. pag. 733 ss.*].

Patres venerabiles, haec constitutio pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quae perinde ac tota lecta habenda est, *placet*ne vobis an *non placet?* Respondeatis, quaeso. Est suffragatio 544 et ultima huius Ss. Concilii. [*Plausus*]

Patres venerabiles, Summus Pontifex, qui nos paterno est semper prosecutus amore, suae benevolentiae ac magnificentiae hisce ultimis diebus Concilii erga nos documenta multiplicavit. Hodie nobis insigne donum ab eo factum est: anulus aureus.

Donavit anulum Summus Pontifex significans qua arctissima caritate cum eo et inter nos vinciri debeamus. Profecto, Patres venerabiles, hoc Concilium definiri potest *magna caritatis epiphania.* Hac quidem caritate nos impleamur; caritas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Omnes exardeamus caritate imprimis erga nostrum Patrem amantissimum, qui, ut Vicarius Christi, est petra Ecclesiae, unde, uti Cyprianus ait — et scriptum legimus in hac magna Basilica, quae nostram caritatem nostrosque labores vidit —, Unitas Sacerdotii exoritur. [*Plausus*]

Patres venerabiles, hac caritate inflammemur donec omnes cum nostris christifidelibus, cum populo sancto Dei consummati inveniamur in gloria caelesti Ecclesiae aeternae! [*Plausus*]

Beatissime Pater, dum grates enixe ex imo pectore promimus, haec sunt nostra filiorum omina, vota, preces. [*Plausus*]

Patres venerabiles, benedictione, quam Summus Pontifex impertiet in fine huius celebrationis, intendit benedicere omnia obiecta pietatis quae Patres et adstantes secum deferunt.

Audiatis, Patres! Communi desiderio permoti obstacula removendi quae vias obstruunt ad dialogum qui, gratia Dei auspice, ad reconciliationem ducit, Paulus Papa VI et patriarcha Constantinopolitanus Athenagoras de sequenti convenerunt declaratione [*plausus*], quam nunc leget exc.mus P. D. Ioannes Willebrands, ep. tit. Maurianensis, a secretis secretariatus ad unitatem christianorum fovendam.

PAULI PAPAE VI ET ATHENAGORAE PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI DECLARATIO COMMUNIS *

1. Pénétrés de reconnaissance envers Dieu pour la faveur que, dans sa miséricorde, il leur a faite de se rencontrer fraternellement aux lieux sacrés où, par la mort et la résurrection du Seigneur Jésus, a été consommé le mystère de notre salut et, par l'effusion du Saint-Esprit, a été donné naissance à l'Eglise, le pape Paul VI et le patriarche Athénagoras Ier n'ont pas perdu de vue le dessein qu'ils ont conçu dès lors, chacun pour sa part, de ne rien omettre désormais des gestes qu'inspire la charité et qui puissent faciliter le développement des rapports fraternels ainsi amorcés entre l'Eglise Catholique Romaine et l'Eglise Orthodoxe de Constantinople. Ils sont persuadés de répondre ainsi à l'appel de la grâce divine qui porte aujourd'hui l'Eglise Catholique Romaine et l'Eglise Orthodoxe ainsi que tous les chrétiens à surmonter leurs différends afin d'être à nouveau « un » comme le Seigneur Jésus l'a demandé pour eux à son Père.

2. Parmi les obstacles qui se trouvent sur le chemin du développement de ces rapports fraternels de confiance et d'estime, figure le souvenir des décisions, actes et incidents pénibles, qui ont abouti en 1054, à la sentence d'excommunication portée contre le patriarche Michel Cérulaire et deux autres personnalités par les légats du siège romain, conduits par le cardinal Humbert, légats qui furent eux-mêmes ensuite l'objet d'une sentence analogue de la part du patriarche et du synode constantinopolitain.

3. On ne peut faire que ces événements n'aient pas été ce qu'ils ont été dans cette période particulièrement troublée de l'histoire. Mais aujourd'hui qu'un jugement plus serein et plus équitable a été porté sur eux, il importe de reconnaître les excès dont ils ont été entachés et qui ont amené ultérieurement des conséquences dépassant, autant que nous pouvons en juger, les intentions et les prévisions de leurs auteurs dont les censures portaient sur les personnes visées et non sur les Eglises et n'entendaient pas rompre la communion ecclésiastique entre les sièges de Rome et de Constantinople.

4. C'est pourquoi le pape Paul VI et le patriarche Athénagoras Ier en son synode, certains d'exprimer le désir commun de justice et le

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 20-21.

sentiment unanime de charité de leurs fidèles et se rappelant le précepte du Seigneur: « Quand tu présentes ton offrande à l'autel, si là tu te souviens d'un grief que ton frère a contre toi, laisse là ton offrande devant l'autel et va d'abord te réconcilier avec ton frère »,[1] déclarent d'un commun accord:

a) regretter les paroles offensantes, les reproches sans fondement, et les gestes condamnables qui, de part et d'autre, ont marqué ou accompagné les tristes événements de cette époque;

b) regretter également et enlever de la mémoire et du milieu de l'Eglise les sentences d'excommunication qui les ont suivis, et dont le souvenir opère jusqu'à nos jours comme un obstacle au rapprochement dans la charité, et les vouer à l'oubli;

c) déplorer, enfin, les fâcheux précédents et les événements ultérieurs qui, sous l'influence de divers facteurs, parmi lesquels l'incompréhension et la méfiance mutuelles, ont finalement conduit à la rupture effective de la communion ecclésiastique.

5. Ce geste de justice et de pardon réciproque, le pape Paul VI et le patriarche Athénagoras Ier avec son synode sont conscients qu'il ne peut suffire à mettre fin aux différends, anciens ou plus récents, qui subsistent entre l'Eglise Catholique Romaine et l'Eglise Orthodoxe et qui, par l'action de l'Esprit-Saint, seront surmontés grâce à la purification des cœurs, au regret des torts historiques ainsi qu'à une volonté efficace de parvenir à une intelligence et une expression commune de la foi apostolique et de ses exigences.

En accomplissant ce geste, cependant, ils espèrent qu'il sera agréé de Dieu, prompt à nous pardonner lorsque nous nous pardonnons les uns les autres, et apprécié par le monde chrétien tout entier, mais surtout par l'ensemble de l'Eglise Catholique Romaine et l'Eglise Orthodoxe comme l'expression d'une sincère volonté réciproque de réconciliation et comme une invitation à poursuivre, dans un esprit de confiance, d'estime et de charité mutuelles, le dialogue qui les amènera, Dieu aidant, à vivre de nouveau, pour le plus grand bien des âmes et l'avènement du règne de Dieu, dans la pleine communion de foi, de concorde fraternelle et de vie sacramentelle qui exista entre elles au cours du premier millénaire de la vie de l'Eglise.

Dum exc.mus D. Ioannes Willebrands osculum pacis et reconciliationis dat legatis S. B. Athenagorae I, patriarchae Constantinopolitani, ab e.mo D. Meliton, metropolita Heliopolitano ductis, chorus et omnes praesentes cantant *Ubi caritas et amor.*

---

[1] *Mt.* 5, 23-24.

N.B. Eadem *Declaratio*, eadem hora, legebatur intra liturgiam S. Ioannis Chrysostomi, in basilica patriarchali Constantinopolitana, quae communiter « Phanar » nominatur, praesentibus S. B. patriarcha Athenagora I et septem legatis Summi Pontificis Pauli PP. VI, ab em.mo D. Laurentio card. Shehan, arch. Baltimorensi, ductis.

2
Missa

Postea Summus Pontifex de sede descendit et, casula indutus, venit ad Altare Confessionis ibique alternatim cum concelebrantibus omnique populo, preces ad gradus altaris incipit. Ritus concelebrationis continuatur modo indicato in *Ordine concelebrationis*.

Rev.mus D. Petrus Mattioli, auditor S. R. Rotae, ad legile, epistolam legit.

Primus e concelebrantibus, em.mus D. Stephanus I card. Sidarouss, Evangelium legit.

Lectione Evangelii expleta, Summus Pontifex, comitantibus primo et secundo concelebrantibus, em.mis scil. D.D. Stephano I card. Sidarouss et Emmanuele card. Gonçalves Cerejeira, de sede ante Altare papale erecta, homiliam habet:

HOMILIA SUMMI PONTIFICIS *

Venerabiles Fratres,

Hodie Concilium Oecumenicum Vaticanum secundum concludimus, illudque maxime adhuc firmum validumque concludimus. Quod et hic conspectus vester frequentissimus demonstrat, et ordinata huius Consessus compago testatur, et legitimus Concilii laborum exitus confirmat, et mentium voluntatumque conspiratio veluti proclamat. Quodsi quaestiones non paucae, inter Concilii celebrationem positae, adhuc exspectant donec congruenter dissolvantur, id profecto significat Concilium labores suos, non in virium suarum defatigatione concludere, sed in ea potius vivacitate, quam universalis haec Synodus excitavit, quaeque, post dimissum Concilium, Deo iuvante, ad easdem quaestiones dissolvendas se totam convertet. Concilium hoc nostrum posteris eiusmodi Ecclesiae imaginem tradet, qualem haec aula repraesentat, sacris videlicet

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 51-59.

referta Pastoribus, qui eandem fidem profitentur, eandemque caritatem spirant; qui societate precationum, disciplinae, alacritatis inter se coniuncti sunt; qui — quod mirum sane est — unum hoc expetunt omnes, ut, non secus atque Christus, Magister et Dominus noster, se pro vita Ecclesiae et mundi salute devoveant. At Concilium posteris non tantum imaginem Ecclesiae tradit, sed etiam patrimonium eius doctrinae eiusque praeceptorum, hoc est depositum a Christo ipsi commissum; hoc gentes per saeculorum decursum semper meditatae sunt, in suum quasi sucum et sanguinem verterunt, moribusque suis quodammodo expresserunt; hoc nunc, pluribus partibus illustratum, in sua integritate statutum atque ordinatum est. Hoc, cum vivum sit ob divinam veritatis et gratiae virtutem, ex qua constat, idcirco idoneum est putandum quod hominem quemlibet vivificet, qui pie illud accipiat, eoque vitam suam alat.

Quid re vera hoc Concilium fuerit, quidve ipsum effecerit, nostrae huius extremae meditationis argumentum esset. Sed nimium id attentionis et temporis postularet; neque hac suprema sollemnique hora audemus res tanti ponderis brevi comprehendere. Malumus propterea gravia haec temporis momenta eiusmodi cogitationi tribuere, quae simul nostros animos ad humilitatem inclinet, simul ad summa optata nostra extollat. A nobismetipsis nempe quaerere malumus: quodnam fuerit religiosum nostri Concilii momentum: quo vocabulo significare mens est nostras cum Dei necessitudines, quae profecto declarant quare Ecclesia exsistat, quid credat, quid speret, quid amet, quid sit, quid faciat.

Possumusne fateri nos laudem Deo comparavisse, eius cognitionem et amorem quaesivisse, in contentione eum contemplandi profecisse, in sollicitudine eum celebrandi, in arte eum hominibus nuntiandi, qui ad nos tamquam ad Pastores viarumque Dei Magistros respiciunt?

Ita re vera esse, Nos sincere opinamur, hanc etiam ob causam, quod ex hoc primo ac praecipuo consilio secutum est propositum illud, in quo tota veluti ratio celebrandi Concilii sita fuit. Adhuc resonant in hac Petriana Basilica verba, quae in auspicali huius Concilii allocutione prolata fuerunt a Decessore Nostro fel. rec. Ioanne XXIII, quem iure optimo auctorem huius Oecumenicae Synodi agnoscere possumus. Tunc ille Pontifex ita locutus est: « Quod Concilii Oecumenici maxime interest hoc est, ut sacrum doctrinae christianae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur ... Verum sane est, Christum Dominum hanc pronuntiasse sententiam: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius*. Quae vox primum declarat, quo potissimum vires et cogitationes nostras dirigi oporteat ».[1]

---

[1] *A.A.S.*, 54 (1962), p. 790.

Atque proposito illi eventus reapse respondit. Quod eventum ut pro rei veritate aestimemus, probe recolendum est, qua aetate illud contigerit. Scilicet aetate contigit, qua, ut apud omnes constat, homines ad huius mundi dominatum potius quam ad Dei regnum sunt conversi; aetate dicimus, qua Dei oblivio in consuetudinem venit, quasi eam suadeant ipsi progredientium scientiarum processus; aetate, qua actus praecipuus personae humanae, de seipsa de suaque libertate clariorem conscientiam adeptae, eo contendit ut plenam libertatem sibi vindicet, nulli legi obnoxiam, quae rerum naturalium ordinem transcendat; aetate, qua *laicismi* placita videntur ex hodiernis doctrinarum incrementis iure proficisci, eademque quasi norma sapientissima habentur, secundum quam humana societas sit ordinanda; aetate praeterea, qua humana ratio eo venit, ut ea exprimat, quae perabsurda sint omnemque spem auferant; aetate denique, qua maximae ethnicarum gentium religiones perturbationibus atque mutationibus obnoxiae sunt, quas antea numquam sunt expertae. Hac igitur aetate nostrum Concilium celebratum est ad Dei laudem, in nomine Christi, afflante Spiritu Sancto, *qui omnia scrutatur,* quique etiamnunc Ecclesiam intus animat, *ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis,*[2] scilicet efficiens, ut Ecclesia hominis vitam ac mundum penitus omnique ex parte cognoscat. Ope huius Concilii, doctrina theocentrica ac theologica, uti aiunt, de humana natura ac de mundo ad se hominum mentes convertit, quasi eos provocans, qui illam a nostrae aetatis ratione alienam atque extraneam putent; atque talia sibi arrogat, quae mundus primum quidem absurda iudicet, sed postea, ut fore confidimus, humana, sapientia ac salutaria ultro agnoscet: scilicet Deum esse. Utique Deus est; reapse exsistit; vivit; persona est; est providus, infinita bonitate praeditus, et quidem bonus non solum in se, sed maximopere etiam erga nos; est noster Creator, nostra veritas, nostra felicitas; adeo ut homo, cum mentem et cor suum in Deo defigere nititur, contemplationi vacando, actum animi sui eliciat, qui omnium nobilissimus ac perfectissimus est habendus; actum dicimus, a quo nostris etiam temporibus innumeri humanae navitatis campi suae dignitatis gradum sumere possunt ac debent.

Dixerit aliquis Concilium minus versatum esse in pertractandis veritatibus divinis quam — idque praecipue — in consideranda Ecclesia, eius natura, eius compage, eius oecumenico munere, eius opera apostolica et missionali. Haec enim pervetus societas religiosa, hoc est Ecclesia, studuit de se ipsa cogitare, quo melius se cognosceret, melius se definiret atque ex his mentem ac praecepta sua componeret. Hoc est verum. Sed

---

[2] Cf. *1 Cor.* 2, 10-12.

haec sui ipsius recognitio non finis fuit, quem solum sibi proponeret, non fuit ostensio solius terreni cultus ingenii. Ecclesia enim, se ad se ipsam revocans, in intimas conscientiae suae latebras penetravit, non ut se oblectaret in eruditis pervestigationibus, quibus in psychologiam religiosam vel historiam rerum suarum inquireret, aut ut dedita opera iterum iura sua obtineret vel leges suas describeret, sed ut, in se ipsa vivens atque, per Spiritum Sanctum, efficax verbum Christi melius intellegeret, utque altius scrutaretur mysterium, id est consilium ac praesentiam Dei circa se et intra se, et ut ignem fidei in se magis magisque aleret, quae est vis arcana, qua firmitas eius et sapientia innititur, ignemque amoris, quo impellitur ad laudes Dei sine intermissione canendas, siquidem, ut ait S. Augustinus, *cantare amantis est.*[3] Hoc ipsum ac quidem praecipuum propositum religiosum clare patefit e documentis Concilii, imprimis ex iis, quae agunt de divina Revelatione, de Liturgia, de Ecclesia, de Sacerdotibus, de Religiosis, de Laicis; quibus ostenditur quam limpida, egelida, dives sit spiritualis vena, quae, ob vivum Dei viventis contactum, ex Ecclesiae sinu erumpit et per hanc in aridas glebas huius terrae nostrae effunditur.

Sed non licet quiddam praetermittere, quod summi momenti est, cum religiosam vim huius Concilii pervestigamus: hoc enim ei potissimum fuit, ut mundum huius aetatis nostrae scrutaretur. Numquam fortasse Ecclesia sicut huius Synodi tempore in eam necessitatem se sensit adductam, ut societatem hominum, qui circa sunt, cognosceret, quasi adiret, recte aestimaret, in eam se inferret, ei serviret et Evangelii nuntium traderet, atque ut eam veluti appeteret, quodammodo prosequens eam, quae velociter et continenter mutatur. Hic habitus mentis, ortus ex eo quod Ecclesia superiore aetate, praeterito ac maxime hoc saeculo, abfuit et disiuncta est a profano ingenii cultu, hic habitus mentis, quem munus Ecclesiae salvificum ac primarium nullo non tempore ingerit, in Concilio efficaciter et continenter obtinuit. Quam ob rem quibusdam ea suspicio est iniecta, ut putarent in hominibus et actis Synodi plus aequo ac nimis indulgenter praeponderasse illam rationem, quae ex « relativismi » doctrina inhaeret mundo externo, rebus, quae fugaci cursu geruntur, novis modis, qui in humano cultu invalescunt, necessitatibus, quae oriuntur, cogitatis aliorum; idque cum detrimento fidelitatis, quae a maioribus acceptae doctrinae debetur et cum damno religiosae mentis ac voluntatis, quas Concilii proprias esse oportet. Non equidem arbitramur ei tribuendam esse talem perniciem, si eius vera et recondita consilia et germani actus spectantur.

---

[3] *Serm.* 336; *PL* 38, 1472.

Animadvertere potius cupimus, Concilii nostri religionem in primis fuisse caritatem; quam ob praecipuam declaratam voluntatem, Concilium a nemine notari poterit, quasi irreligiosum fuerit, vel a sacro Evangelio defecerit, si meminerimus ipsum Christum nos docere, fore ut in hoc cognoscant omnes, quia discipuli eius sumus, si dilectionem habuerimus ad invicem; [4] si pariter sinamus haec Apostolorum verba intus in animis nostris resonare: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo;* [5] et haec alia: *Qui ... non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* [6]

Verum enimvero Ecclesia, in Concilio collecta, suam considerationem summopere intendit — praeterquam in semetipsam, atque in necessitudinem, qua cum Deo coniungitur — in hominem etiam, in hominem, sicuti reapse hoc tempore se conspiciendum praebet: hominem, dicimus, qui vivit; hominem, qui sibimetipsi uni provehendo deditus est; hominem, qui non modo sese dignum existimat, ad quem unum, veluti ad quoddam centrum, omne studium conferatur, sed etiam affirmare non veretur, se esse cuiusvis rei principium atque rationem. Totus homo phaenomenicus — ut recentioris aetatis verbo utamur — suis innumeris animi habitibus indutus, quibus in conspectum venit, se Concilii Patribus obiecit, qui et ipsi homines, immo omnes Pastores atque fratres sunt, intenta cura atque amanti caritate praediti: homo, qui suas luctuosas fortunas animose conqueritur; homo, qui et praeterito et nostro hoc tempore alios infra se positos existimat, ideoque semper fluxus atque fucatus, sui cupidus et ferox est; homo sibi displicens, qui risus edit et lacrimas fundit; homo ad omnia versatilis, ad quaslibet partes agendas facilis; homo in unam scientiae pervestigationem acriter intentus; homo, qui uti talis cogitat, amat, in laboribus desudat, semper ad aliquid animum advertit, sicut ille *filius accrescens;* [7] homo, qui sacra quadam cum religione est considerandus, ob suae infantiae innocentiam, ob suae inopiae arcanum, ob pietatem, quam suae aegritudines movent; homo hinc sui ipsius tantum studiosus, hinc societati favens; homo simul *laudator temporis acti,* simul posterum tempus praestolans, illudque felicius quam praeteritum somnians; homo ex altera parte criminibus obnoxius, ex altera sanctis moribus ornatus; et deinde deinceps. Humanitatis illud

---

[4] Cf. *Io.* 13, 35.
[5] *Iac.* 1, 27.
[6] *1 Io.* 4, 20.
[7] *Gen.* 49, 22.

laicum atque profanum studium, immani qua est magnitudine, tandem aliquando prodiit, idemque ad certamen, ut ita dicamus, Concilium lacessivit. Religio, id est cultus Dei, qui homo fieri voluit, atque religio — talis enim est aestimanda — id est cultus hominis, qui fieri vult Deus, inter se congressae sunt. Quid tamen accidit? Certamen, proelium, anathema? Id sane haberi potuerat, sed plane non accidit. Vetus illa de bono Samaritano narratio exemplum fuit atque norma, ad quam Concilii nostri spiritualis ratio directa est. Etenim, immensus quidam erga homines amor Concilium penitus pervasit. Perspectae et iterum consideratae hominum necessitates, quae eo molestiores fiunt, quo magis huius terrae filius crescit, totum nostrae huius Synodi studium detinuerunt. Hanc saltem laudem Concilio tribuite, vos, nostra hac aetate cultores humanitatis, qui veritates rerum naturam transcendentes renuitis, iidemque novum nostrum humanitatis studium agnoscite: nam nos etiam, immo nos prae ceteris, hominis sumus cultores.

Quid enim amplissimus hic Consessus in humana natura perspexit, quidve, lumen Deitatis consecutus, cognoscere studuit? Os eius, duas quod semper facies praefert, penitus perspicere voluit, hominis scilicet infirmitatem itemque dignitatem, tum eius summum malum, quo veluti morbo insanabili neque dubio ipse laborat, tum eius quod manet bonum, arcana quidem venustate singularique praestantia distinctum. Verum id est aperte fatendum, nostrum hoc Concilium, cum suum fecerit de homine iudicium, magis in serena hac eius fronte quam in tristi contuenda esse versatum; in quo quidem res omnes in optimam sane partem scienter esse interpretatum. Multum enim studii atque admirationis in nostrae aetatis homines Concilium contulit. Errores profecto sunt reiecti, quemadmodum caritas ipsa perinde atque veritas postulabant, sed homines, salvo semper observantiae et amoris praecepto, tantum de errore sunt admoniti. Ita nimirum factum est, ut pro morborum cognitione, quae animos frangeret, salutaria in medium proferrentur remedia plena solacii; ut Concilium, non infaustis usum ominibus, sed nuntiis spei ac fiduciae verbis, huiusce memoriae homines alloqueretur. Nam quae iis sunt bona, ea non solum debito cultu, sed multo etiam honore affecit, omniaque eius coepta confirmavit atque studia, ad integritatem quandam redacta, vehementer probavit.

Videatis igitur — ut aliquot supponamus exempla — quomodo innumeri, qui hodie passim usurpentur, sermones ita in sacrum sint inducti ordinem rituum, ut humana ad Deum verba rursumque divina ad homines verba redderent; quomodo hominis, uti hominis, ea sit comprobata naturalis ad plurima assequenda iura proclivitas atque etiam sors illa, quae ipsius exsuperet naturam; quomodo ea, quae summis ipse votis

concupiscat, ut vivat nempe et sua dignitate et honesta libertate et doctrinae copia et renovato rerum socialium statu et iustitia et pace perfruatur, haec omnia dicimus quasi emendata ad uberiorem sint incitata profectum; quomodo universi demum homines ad Evangelii lumen in se recipiendum, voce quae pastores deceat sacrosque operarios, sint vocati. Nimis breviter nunc Nos de plurimis iisque amplissimis quaestionibus loquimur, ad germanam hominis prosperitatem attinentibus, de quibus in Concilio actum est; nec Concilio propositum fuit omnes hodiernae vitae urgentiores quaestiones dissolvere; quarum nonnullae ad diligentiores investigationes reiciuntur, quas Ecclesia in posterum instituet; plures aliae vero nimis presse ac generatim pertractatae sunt, ac propterea subtiliores explicationes variasque effectiones admittunt.

Nunc vero animadvertere iuvat, Ecclesiam per suum magisterium, quamvis nullum doctrinae caput sententiis dogmaticis extraordinariis definire voluerit, nihilominus circa plurimas quaestiones cum auctoritate doctrinam proposuisse suam, ad cuius normam homines hodie tenentur conscientiam suam suamque agendi rationem conformare. Ecclesia praeterea, ut ita dicamus, cum nostrorum temporum hominibus colloquium iniit; semperque auctoritatem virtutemque suam retinens, ipsam tamen loquendi rationem adhibuit facilem et amicam, quae caritatis pastoralis propria est. Voluit enim ab hominibus audiri atque intellegi. Quapropter, non ad solam hominis intellegentiam verba sua convertit, sed dicendi genere usa est, quod hodie communiter usurpatur in serendis colloquiis, quae quidem ex vitae usu, quo nituntur, et ex sinceris humanitatis sensibus, quibus afficiuntur, maiorem vim capiunt ad alliciendum et ad persuadendum. Ecclesia scilicet collocuta est cum nostrae aetatis hominibus, uti sunt.

Aliud est etiam, quod consideratione dignum putamus: huiusmodi divitem doctrinae copiam eo unice spectare, ut homini serviat, in omnibus eius vitae adiunctis, in omni eius infirmitate, et in omni eius necessitate. Ecclesia quodammodo se professa est humani generis ancillam, et quidem eo tempore, quo ipsius magisterium ipsiusque pastorale regimen, ob sollemnes Concilii Oecumenici celebrationes, clariore lumine validioreque robore praedita se praestiterunt: immo vero ministerii exercendi propositum reapse praecipuum obtinuit locum.

Quae omnia de Concilio diximus, quaeque dicere insuper possimus ad humanum ipsius momentum quod attinet, numquid inter Concilium celebrandum, Ecclesiae mentem deflexerunt ad hodiernae mentis culturam, quae tota in homine consistit? Dicendum est, Ecclesiam non a recto itinere decessisse, sed hoc in illam partem direxisse. At qui probe perpendant hoc praecipuum studium, quo Concilium bona humana et tem-

poralia consideravit, facere iidem non poterunt, quin agnoscant huiusmodi studium pastorali illi sollicitudini tribuendum esse, quam Concilium tamquam propriam laborum suorum notam sequi voluit; itemque agnoscere debebunt, hoc idem studium numquam a vero religionis studio disiungi, sive ob caritatem, qua penitus afficitur (et ubi est caritas ibi Deus est!), sive ob arctam connexionem, a Concilio semper confirmatam et provectam, quam humana ac temporalia bona cum bonis vere spiritualibus, religiosis et aeternis habent. Ecclesia ad hominem et ad mundum se inclinat, sed simul etiam ad Dei regnum extollitur. Homines nostrorum temporum, quorum mentis habitus eos impellit ut rerum praestantiam ex earum commodis metiantur, magnum Concilii Oecumenici pondus atque momentum agnoscere debent, saltem hanc ob causam, quod ipsum ad hominum utilitatem unice spectavit. Nemo igitur umquam affirmet inutilem catholicam religionem esse, quae, cum suae actionis formam maxime consciam atque efficacem exprimit, hoc est cum Concilium Oecumenicum celebrat, plane simul declarat se pro homine esse eiusque utilitatibus favere. Quae cum ita sint, fatendum revera est, catholicam religionem et humanam vitam inter se amico foedere iungi, et utramque simul conspirare ad unum quoddam humanum bonum: religionem scilicet catholicam pro humano genere esse, humanique generis esse quodammodo vitam. Vita quidem dicenda est ob doctrinam excelsam eamque omni ex parte perfectam, quam ipsa de homine tradit (nonne homo, sibi relictus, sibimetipsi arcana res est?); quam sane doctrinam idcirco tradit, quia illam e scientia, quam de Deo habet, haurit. Etenim ut nos hominem, hominem verum, hominem integrum penitus noscamus, Deum ipsum antea cognoscamus necesse est. Ad hoc probandum satis nunc sit haec recolere Sanctae Catharinae Senensis flammantia verba: « In tua natura, aeterne Deus, naturam meam cognoscam ». Tum catholica religio vita est, quia hominis naturam eiusque supremum finem ostendit, plenioremque ei sensum attribuit; vita denique est, quia veluti suprema lex vitae est habenda, et quia vitae ipsi talem arcanam vim inicit, ut eam vere divinam efficiat.

Quodsi, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, omnes, qui hic praesentes adestis, meminimus in vultu cuiusvis hominis, maxime si lacrimis ac doloribus effectus est translucidus, agnoscendum esse vultum Christi,[8] Filii hominis; ac si in vultu Christi agnoscendus est vultus Patris caelestis, secundum illud: *Qui videt me, videt et Patrem,*[9] modus noster res humanas aestimandi mutatur in Christianismum, qui in Deum ut in

[8] Cf. *Mt.* 25, 40.
[9] *Io.* 14, 9.

medium totus dirigitur; ita ut rem hoc etiam modo enuntiare possimus: scilicet opus esse cognoscere hominem, ut cognoscatur Deus.

Nonne igitur huius Concilii, quod in hominem praecipue ac studiose mentem intendit, est mundo huius aetatis nostrae proponere liberationem et consolationem, quibus, veluti per gradus possit ascendere? Nonne denique nos Concilium docet ratione simplici, nova, sollemni amare hominem, ut amemus Deum? Amare hominem, dicimus, non ut instrumentum, sed ut primum veluti finem, quo ad supremum finem, humanas res transcendentem, perveniamus. Itaque hoc Concilium totum vertitur in sua vi religiosa qua comprehenditur ac terminatur, cum aliud non sit quam invitamentum quoddam, vehemens et amicum, quo humanum genus vocatur ad inveniendum, ope fraterni amoris, illum Deum, *a quo averti cadere, in quem converti resurgere, in quo manere consistere ..., in quem redire reviviscere, in quo habitare vivere est.*[10]

Hac profecto spe tenemur in exitu huius Concilii Oecumenici Vaticani Secundi et in exordio renovationis humanae ac religiosae, quam ut consideraret ac proveheret, illud sibi proposuit; hoc ut nobismetipsis contingat, Venerabiles Fratres ac Patres Concilii, fore confidimus; idem obventurum esse speramus universo humano generi, quod magis amare et cui melius servire hic docti sumus.

Dum denique, ut haec feliciter eveniant, iterum invocamus deprecatores nostros Sanctos Ioannem Baptistam et Ioseph, Patronos Oecumenicae Synodi, Sanctos Apostolos Petrum et Paulum, fundamenta ac praesidia Sanctae Ecclesiae, et una cum his Sanctum Ambrosium Episcopum, cuius festum diem hodie celebramus, per eum veluti coniungentes Ecclesiam Orientalem et Occidentalem, pariter et ex animo imploramus auxilium Beatae Mariae Virginis, Matris Christi, quae a Nobis etiam Mater Ecclesiae est appellata, atque una voce, unanimi Deo gratias agimus et gloriam eius praedicamus, qui est Deus vivus et verus, Deus unus et summus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Amen. [*Plausus*].

Deinde Summus Pontifex symbolum intonat et continuatur ritus concelebrationis.

Expleta recitatione antiphonae ad offertorium, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur *O sanctissima anima,* 5 vocibus, auctore Perosi.

Post communionem Summi Pontificis, dum concelebrantes se communicant et insimul Summus Pontifex Auditores laicos Concilii communicat, chorus una cum omnibus adstantibus recitat antiphonam ad

---

[10] S. AUGUST., *Sol.* I, 1, 3; *PL* 32, 870.

communionem, deinde idem chorus alternatim cum Patribus cantat *Adoro te devote*: chorus cum melodia polyphonica 5 vocibus, auctore Bartolucci, Patres vero modo gregoriano.

Sollemni benedictione, a Summo Pontifice impertita, Missa finitur.

3

Decretum

DE LIBERTATE RELIGIOSA

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM SOCIALEM ET CIVILEM IN RE RELIGIOSA

1. DIGNITATIS HUMANAE personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt,[1] atque numerus eorum crescit qui exigunt, ut in agendo homines proprio suo consilio et libertate responsabili fruantur et utantur, non coercitione commoti, sed officii conscientia ducti. Itemque postulant iuridicam delimitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis et personae et associationum nimis circumscribantur. Quae libertatis exigentia in societate humana ea maxime respicit quae sunt animi humani bona, imprimis quidem ea quae liberum in societate religionis exercitium spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, sibique proponens declarare quantum sint veritati et iustitiae conformes, haec Vaticana Synodus sacram Ecclesiae traditionem doctrinamque scrutatur, ex quibus nova semper cum veteribus congruentia profert.

Primum itaque profitetur Sacra Synodus Deum Ipsum viam generi humano notam fecisse per quam, Ipsi inserviendo, homines in Christo salvi et beati fieri possint. Hanc unicam veram Religionem subsistere credimus in catholica et apostolica Ecclesia, cui Dominus Iesus munus concredidit eam ad universos homines diffundendi, dicens Apostolis: « Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20). Homines vero cuncti tenentur veritatem, praesertim in iis quae Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt, quaerere eamque cognitam amplecti ac servare.

Pariter vero profitetur Sacra Synodus officia haec hominum conscientiam tangere ac vincire, nec aliter veritatem sese imponere nisi vi ipsius veritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur. Porro, quum libertas religiosa, quam homines in exsequendo officio Deum colendi exigunt, immunitatem a coercitione in societate civili respiciat, integram relinquit traditionalem doctrinam catholicam de morali hominum ac societatum officio erga veram religionem et unicam Christi Ecclesiam. Insuper, de hac libertate religiosa agens, Sacra Synodus recentiorum Summorum Pontificum doctrinam de inviolabilibus humanae personae iuribus necnon de iuridica ordinatione societatis evolvere intendit.

I. Libertatis religiosae ratio generalis

2. Haec Vaticana Synodus declarat personam humanam ius habere ad libertatem religiosam. Huiusmodi libertas in eo consistit, quod omnes homines debent immunes esse a coercitione ex parte sive singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam agat privatim et publice, vel solus vel aliis consociatus, intra debitos limites. Insuper declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et verbo Dei revelato et ipsa ratione cognoscitur.[2] Hoc ius personae humanae ad libertatem religiosam in iuridica societatis ordinatione ita est agnoscendum, ut ius civile evadat.

Secundum dignitatem suam homines cuncti, quia personae sunt, ratione scilicet et libera voluntate praediti ideoque personali responsabilitate aucti, sua ipsorum natura impelluntur necnon morali tenentur obligatione ad veritatem quaerendam, illam imprimis quae religionem spectat. Tenentur quoque veritati cognitae adhaerere atque totam vitam suam iuxta exigentias veritatis ordinare. Huic autem obligationi satisfacere homines, modo suae propriae naturae consentaneo, non possunt nisi libertate psychologica simul atque immunitate a coercitione externa fruantur. Non ergo in subiectiva personae dispositione, sed in ipsa eius natura ius ad libertatem religiosam fundatur. Quamobrem ius ad hanc immunitatem perseverat etiam in iis qui obligationi quaerendi veritatem eique adhaerendi non satisfaciunt; eiusque exercitium impediri nequit dummodo iustus ordo publicus servetur.

3. Quae clarius adhuc patent consideranti supremam humanae vitae normam esse ipsam legem divinam, aeternam, obiectivam atque universalem, qua Deus consilio sapientiae et dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat. Huius suae legis Deus hominem participem reddit, ita ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque agnoscere possit.[3] Quapropter unusquisque officium ideoque et ius habet veritatem in re religiosa quaerendi ut sibi, mediis adhibitis idoneis, recta et vera conscientiae iudicia prudenter efformet.

Veritas autem inquirenda est modo dignitati humanae personae eiusque naturae sociali proprio, libera scilicet inquisitione, ope magisterii seu institutionis, communicationis atque dialogi, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate inquirenda adiuvent; veritati autem cognitae firmiter adhaerendum est assensu personali.

Dictamina vero legis divinae homo percipit et agnoscit mediante conscientia sua; quam tenetur fideliter sequi in universa sua activitate, ut ad Deum, finem suum, perveniat. Non est ergo cogendus, ut contra suam conscientiam agat. Sed neque impediendus est, quominus iuxta suam conscientiam operetur, praesertim in re religiosa. Exercitium namque religionis, ex

ipsa eius indole, consistit imprimis in actibus internis voluntariis et liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat: huiusmodi actus a potestate mere humana nec imperari nec prohiberi possunt.[4] Ipsa autem socialis hominis natura exigit, ut homo internos religionis actus externe exprimat, cum aliis in re religiosa communicet, suam religionem modo communitario profiteatur.

Iniuria ergo humanae personae et ipsi ordini hominibus a Deo statuto fit, si homini denegetur liberum in societate religionis exercitium, iusto ordine publico servato.

Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt. Potestas igitur civilis, cuius finis proprius est bonum commune temporale curare, religiosam quidem civium vitam agnoscere eique favere debet, sed limites suos excedere dicenda est, si actus religiosos dirigere vel impedire praesumat.

4. Libertas seu immunitas a coercitione in re religiosa, quae singulis personis competit, etiam ipsis in communi agentibus agnoscenda est. Communitates enim religiosae a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus, dummodo iustae exigentiae ordinis publici non violentur, iure debetur immunitas, ut secundum proprias normas sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediantur in suis propriis ministris seligendis, educandis, nominandis atque transferendis, in communicando cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbis terrarum partibus degunt, in aedificiis religiosis erigendis, necnon in bonis congruis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda. In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur. Talis modus agendi ut abusus iuris proprii et laesio iuris aliorum considerari debet.

Praeterea ad libertatem religiosam spectat, quod communitates religiosae non prohibeantur libere ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana. Tandem in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

5. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesti-

cam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae, iuxta suam propriam religiosam persuasionem. Itaque a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera sive directe sive indirecte imponenda. Praeterea iura parentum violantur, si liberi ad frequentandas lectiones scholares cogantur quae parentum persuasioni religiosae non correspondeant, vel si unica imponatur educationis ratio, ex qua formatio religiosa omnino excludatur.

6. Cum societatis commune bonum, quod est summa earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius atque expeditius consequi, maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat,[5] cura iuris ad libertatem religiosam tum ad cives tum ad coetus sociales tum ad potestates civiles tum ad Ecclesiam aliasque communitates religiosas spectat, modo unicuique proprio, pro eorum erga bonum commune officio.

Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere ad cuiusvis potestatis civilis officium essentialiter pertinet.[6] Debet igitur potestas civilis per iustas leges et per alia media apta efficaciter suscipere tutelam libertatis religiosae omnium civium, ac propitias suppeditare condiciones ad vitam religiosam fovendam, ut cives revera religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant et ipsa societas fruatur bonis iustitiae et pacis quae proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[7]

Si attentis populorum circumstantiis peculiaribus uni communitati religiosae specialis civilis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuitur, necesse est ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

Denique a potestate civili providendum est, ne civium aequalitas iuridica, quae ipsa ad commune societatis bonum pertinet, unquam sive aperte sive occulte laedatur propter rationes religiosas, neve inter eos discriminatio fiat.

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia media civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu.

7. Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est.

In usu omnium libertatum observandum est principium morale responsabilitatis personalis et socialis: in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales lege morali obligantur rationem habere et iurium aliorum et suorum erga alios officiorum et boni omnium communis. Cum omnibus secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

Praeterea cum societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus qui haberi possint sub praetextu libertatis religiosae, praecipue ad potestatem civilem pertinet huiusmodi protectionem praestare; quod tamen fieri debet non modo arbitrario aut uni parti inique favendo, sed secundum normas iuridicas, ordini morali obiectivo conformes, quae postulantur ab efficaci iurium tutela pro omnibus civibus eorumque pacifica compositione, et a sufficienti cura istius honestae pacis publicae quae est ordinata conviventia in vera iustitia, et a debita custodia publicae moralitatis. Haec omnia partem boni communis fundamentalem constituunt et sub ratione ordinis publici veniunt. Ceterum servanda est integrae libertatis consuetudo in societate, secundum quam libertas debet quam maxime homini agnosci, nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.

8. Nostrae aetatis homines varia ratione premuntur et in periculum veniunt ne proprio libero consilio destituantur. Ex altera autem parte non pauci ita propensi videntur, ut specie libertatis omnem subiectionem reiiciant ac debitam oboedientiam parvi faciant.

Quapropter haec Vaticana Synodus omnes hortatur, praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui ordini morali obsequentes legitimae auctoritati oboediant et genuinae libertatis amatores sint; homines nempe, qui proprio consilio res in luce veritatis diiudicent, activitates suas cum sensu responsabilitatis disponant, et quaecumque sunt vera atque iusta prosequi nitantur, operam suam libenter cum ceteris consociando.

Religiosa igitur libertas etiam ad hoc inservire et ordinari debet, ut homines in suis ipsorum officiis adimplendis in vita sociali maiore cum responsablitate agant.

II. Libertas religiosa sub luce Revelationis

9. Quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus, fundamentum habent in dignitate personae, cuius exigentiae rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam. Immo haec doctrina de libertate radices habet in divina Revelatione, quapropter eo magis a Christianis sancte servanda est. Quamvis enim Revelatio non expresse affirmet ius ad immunitatem ab externa coercitione in re religiosa, tamen humanae personae dignitatem in tota eius amplitudine patefacit, observantiam Christi erga hominis libertatem in exsequendo officio credendi verbo Dei demonstrat, atque de spiritu nos edocet, quem discipuli talis Magistri debent in omnibus agnoscere et sequi. Quibus omnibus principia generalia illustrantur super quae fundatur doctrina huius Declarationis de libertate religiosa. Praesertim libertas religiosa in societate plene est cum libertate actus fidei christianae congrua.

10. Caput est ex praecipuis doctrinae catholicae, in verbo Dei contentum et a Patribus constanter praedicatum,[8] hominem debere Deo voluntarie respon-

dere credendo; invitum proinde neminem esse cogendum ad amplectendam fidem.[9] Etenim actus fidei ipsa sua natura voluntarius est, cum homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus,[10] Deo Sese revelanti adhaerere non possit, nisi Patre eum trahente [11] rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Indoli ergo fidei plene consonum est ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum excludatur. Ac proinde ratio libertatis religiosae haud parum confert ad illum rerum statum fovendum, in quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam, illam sponte amplecti atque eam in tota vitae ratione actuose confiteri.

11. Deus quidem homines ad inserviendum Sibi in spiritu et veritate vocat, unde ipsi in conscientia vinciuntur, non vero coercentur. Rationem enim habet dignitatis personae humanae ab Ipso conditae, quae proprio consilio duci et libertate frui debet. Hoc autem summe apparuit in Christo Iesu, in quo Deus Seipsum ac vias suas perfecte manifestavit. Etenim Christus, qui Magister et Dominus est noster,[12] idemque mitis et humilis corde,[13] discipulos patienter allexit et invitavit.[14] Miraculis utique praedicationem suam suffulsit et confirmavit, ut fidem auditorum excitaret atque comprobaret, non ut in eos coercitionem exerceret.[15] Incredulitatem audientium certe exprobravit, sed vindictam Deo in diem Iudicii relinquendo.[16] Mittens Apostolos in mundum dixit eis: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Ipse vero, agnoscens zizaniam cum tritico seminatam, iussit sinere utraque crescere usque ad messem quae fiet in consummatione saeculi.[17] Nolens esse Messias politicus et vi dominans,[18] maluit se dicere Filium Hominis qui venit « ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45). Sese praebuit ut perfectum Servum Dei,[19] qui « harundinem quassatam non confringet et linum fumigans non extinguet » (*Mt.* 12, 20). Potestatem civilem eiusque iura agnovit, iubens censum dari Caesari, clare autem monuit servanda esse iura superiora Dei: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21). Tandem in opere redemptionis in cruce complendo, quo salutem et veram libertatem hominibus acquireret, revelationem suam perfecit. Testimonium enim perhibuit veritati,[20] eam tamen contradicentibus vi imponere noluit. Regnum enim eius non percutiendo vindicatur,[21] sed stabilitur testificando et audiendo veritatem, crescit autem amore, quo Christus exaltatus in cruce homines ad Seipsum trahit.[22]

Apostoli, Christi verbo et exemplo edocti, eamdem viam secuti sunt. Ab ipsis Ecclesiae exordiis discipuli Christi adlaborarunt, ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed imprimis virtute verbi Dei.[23] Fortiter omnibus nuntiabant propositum Salvatoris Dei, « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4); simul autem verebantur debiles etiamsi in errore versabantur, sic ostendentes quomodo « unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo » (*Rom.* 14, 12) [24] et in tantum

teneatur conscientiae suae oboedire. Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus loqui « verbum Dei cum fiducia » (*Act.* 4, 31).[25] Firma enim fide tenebant ipsum Evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti.[26] Omnibus ergo spretis « armis carnalibus »,[27] exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas[28] atque homines ad fidem et obsequium Christi reducendos.[29] Sicut Magister ita et Apostoli auctoritatem legitimam civilem agnoverunt: « Non est enim potestas nisi a Deo » docet Apostolus, qui exinde iubet: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; ... qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit » (*Rom.* 13, 1-2).[30] Simul autem non timuerunt contradicere potestati publicae se sanctae Dei voluntati opponenti: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (*Act.* 5, 29).[31] Hanc viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem.

12. Ecclesia igitur, evangelicae veritatis fidelis, viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae tamquam dignitati hominis et Dei revelationi consonam agnoscit eamque fovet. Doctrinam a Magistro et ab Apostolis acceptam, decursu temporum, custodivit et tradidit. Etsi in vita Populi Dei, per vicissitudines historiae humanae peregrinantis, interdum exstitit modus agendi spiritui evangelico minus conformis, immo contrarius, semper tamen mansit Ecclesiae doctrina neminem esse ad fidem cogendum.

Evangelicum fermentum in mentibus hominum sic diu est operatum atque multum contulit, ut homines temporum decursu latius agnoscerent dignitatem personae suae et maturesceret persuasio in re religiosa ipsam immunem servandam esse in civitate a quacumque humana coercitione.

13. Inter ea quae ad bonum Ecclesiae, immo ad bonum ipsius terrenae civitatis spectant et ubique semperque servanda sunt atque ab omni iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, ut Ecclesia tanta perfruatur agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat.[32] Haec enim libertas sacra est, qua Unigenitus Dei Filius ditavit Ecclesiam acquisitam sanguine suo. Ecclesiae sane adeo propria est, ut qui eam impugnant, iidem contra Dei voluntatem agant. Libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et potestates publicas totumque ordinem civilem.

In societate humana et coram quavis potestate publica Ecclesia sibi vindicat libertatem, utpote auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui ex divino mandato incumbit officium eundi in mundum universum et Evangelium praedicandi omni creaturae.[33] Libertatem pariter sibi vindicat Ecclesia prout est etiam societas hominum qui iure gaudent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta.[34]

Iamvero si viget ratio libertatis religiosae non solum verbis proclamata neque solum legibus sancita, sed etiam cum sinceritate in praxim deducta,

tunc demum Ecclesia stabilem obtinet et iuris et facti condicionem ad necessariam in missione divina exsequenda independentiam, quam auctoritates ecclesiasticae in societate presse pressiusque vindicarunt.[35] Simulque Christifideles, sicut et ceteri homines, iure civili gaudent ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda. Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est tanquam ius agnoscenda et in ordinatione iuridica sancienda.

14. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1).

Enixe igitur rogat Ecclesia, ut a filiis suis primum omnium fiant « obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles autem in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam.[36] Christi enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut Veritatem quae Christus est enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7), lumen vitae cum omni fiducia [37] et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant.

Etenim discipulus erga Christum Magistrum gravi adstringitur officio, veritatem ab Eo receptam plenius in dies cognoscendi, annuntiandi fideliter, strenueque defendendi, exclusis mediis spiritui evangelico contrariis. Simul tamen caritas Christi urget eum, ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore vel ignorantia circa fidem versantur.[38] Respiciendum igitur est tum ad officia erga Christum Verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae personae iura, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem sponte accipiendam et profitendam invitatur.

15. Constat igitur praesentis aetatis homines optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri, immo libertatem religiosam in plerisque Constitutionibus iam ut ius civile declarari et documentis internationalibus sollemniter agnosci.[39]

At non desunt regimina in quibus, etsi in eorum Constitutione libertas cultus religiosi agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus Catholicos hortatur, exorat autem homines universos, ut perattente considerent quantopere liber-

tas religiosa necessaria sit in praesenti potissimum familiae humanae condicione.

Manifestum est enim cunctas gentes magis in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri rationibus, augeri denique conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur atque observentur suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societate ducendam.

Faxit Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata libertatis religiosae ratione in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimem illam ac perennem « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21).

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 279; *ibid.,* p. 265; PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 14.

[2] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 260-261; PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dce. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 19; PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 160; LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *Acta Leonis XIII,* 8 (1888), pp. 237-238.

[3] Cf. S. THOMAS, *Summa theologica,* I-II, q. 91, a. 1; q. 93, a. 1-3.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 270; PAULUS VI, *Nuntius radiophonicus,* 22 dec. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 181-182; S. THOMAS, *Summa theologica,* I-II, q. 91, a. 4 c.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417; IDEM, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 273.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 273-274; PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200.

[7] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 161.

[8] Cf. LACTANTIUS, *Divinarum Institutionum,* Lib. V, 19: CSEL 19, pp. 463-464, 465; *PL* 6, 614 et 616 (cap. 20); S. AMBROSIUS, *Epistola ad Valentinianum Imp.,* Ep. 21: *PL* 16, 1005; S. AUGUSTINUS, *Contra litteras Petiliani,* Lib. II, cap. 83: CSEL 52, p. 112; *PL* 43, 315; cf. C. 23, q. 5, c. 33 (ed. Friedberg, col. 939); IDEM, Ep. 23: *PL* 33, 98; IDEM, Ep. 34: *PL* 33, 132; IDEM, Ep. 35: *PL* 33, 135; S. GREGORIUS MAGNUS, *Epistola ad Virgilium et Theodorum Episcopos Massiliae Galliarum,* Registrum Epistolarum, I, 45: *MGH Ep.* 1, p. 72; *PL* 77, 510-511 (lib. I, ep. 47); IDEM, *Epistola ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum,* Registrum Epistolarum, III, 52: *MGH* Ep. 1, p. 210; *PL* 77, 649 (lib. III, ep. 53); cf. D. 45, c. 1 (ed. Friedberg, col. 160); CONC. TOLET. IV, c. 57:

MANSI 10, 633; cf. D. 45, c. 5 (ed. Friedberg, col. 161-162); CLEMENS III: X., V, 6, 9: ed. Friedberg, col. 774; INNOCENTIUS III, *Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum,* X., III, 42, 3: ed. Friedberg, col. 646.

[9] Cf. *C.I.C.,* c. 1351; PIUS XII, *Allocutio* ad Praelatos auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394; IDEM, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* (1943), p. 243.

[10] Cf. *Eph.* 1, 5.

[11] Cf. *Io.* 6, 44.

[12] Cf. *Io.* 13, 13.

[13] Cf. *Mt.* 11, 29.

[14] Cf. *Mt.* 11, 28-30; *Io.* 6, 67-68.

[15] Cf. *Mt.* 9, 28-29; *Mc.* 9, 23-24; 6, 5-6; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 642-643.

[16] Cf. *Mt.* 11, 20-24; *Rom.* 12, 19-20; *2 Thess.* 1, 8.

[17] Cf. *Mt.* 13, 30 et 40-42.

[18] Cf. *Mt.* 4, 8-10; *Io.* 6, 15.

[19] Cf. *Is.* 42, 1-4.

[20] Cf. *Io.* 18, 37.

[21] Cf. *Mt.* 26, 51-53; *Io.* 18, 36.

[22] Cf. *Io.* 12, 32.

[23] Cf. *1 Cor.* 2, 3-5; *1 Thess.* 2, 3-5.

[24] Cf. *Rom.* 14, 1-23; *1 Cor.* 8, 9-13; 10, 23-33.

[25] Cf. *Eph.* 6, 19-20.

[26] Cf. *Rom.* 1, 16.

[27] Cf. *2 Cor.* 10, 4; *1 Thess.* 5, 8-9.

[28] Cf. *Eph.* 6, 11-17.

[29] Cf. *2 Cor.* 10, 3-5.

[30] Cf. *1 Pt.* 2, 13-17.

[31] Cf. *Act.* 4, 19-20.

[32] Cf. LEO XIII, Litterae *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 269; IDEM, Litterae *Ex litteris,* 7 aprilis 1887: *A.S.S.,* 19 (1886), p. 465.

[33] Cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 18-20; PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 445-446.

[34] Cf. PIUS XI, Litterae *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 196.

[35] Cf. PIUS XII, Allocutio *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 802.

[36] Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 23 martii 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-278.

[37] Cf. *Act.* 4, 29.

[38] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 299-300.

[39] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295-296.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita

potestate, illa, cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die VII mensis decembris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 804.

4

Decretum

DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE

1. AD GENTES divinitus missa ut sit « universale salutis sacramentum »[1] Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris oboediens (cf. *Mc.* 16, 15), Evangelium omnibus hominibus nuntiare contendit. Ipsi enim Apostoli, in quibus Ecclesia est condita, vestigia Christi sequentes, « praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias ».[2] Eorum successorum officium est hoc opus perenne reddere, ut « sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1) et Regnum Dei ubique terrarum annuntietur et instauretur.

In praesenti autem rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Ecclesia, sal terrae et lux mundi (cf. *Mt.* 5, 13-14), urgentius vocatur ad omnem creaturam salvandam et renovandam, ut omnia in Christo instaurentur, et in Ipso homines unam familiam unumque populum Dei constituant.

Quare haec Sancta Synodus, dum ob praeclara opera per generosam totius Ecclesiae industriam peracta Deo gratias agit, missionalis activitatis principia delineare, et vires omnium fidelium colligere cupit, ut populus Dei, per angustam viam crucis procedens, regnum Christi, Domini et conspectoris saeculorum (cf. *Eccli.* 36, 19), ubique diffundat eique advenienti vias paret.

CAPUT I

DE PRINCIPIIS DOCTRINALIBUS

2. Ecclesia peregrinans natura sua missionaria est, cum ipsa ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti originem ducat secundum Propositum Dei Patris.[1]

Hoc autem Propositum ex « fontali amore » seu caritate Dei Patris profluit, qui, cum sit Principium sine Principio, ex quo Filius gignitur et Spiritus Sanctus per Filium procedit, ex nimia et misericordi benignitate sua libere creans et insuper gratiose vocans nos ad Secum communicandum in vita et

gloria, bonitatem divinam liberaliter diffudit ac diffundere non desinit, ita ut qui conditor est omnium, tandem fiat « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28), gloriam suam simul et beatitudinem nostram procurando. Placuit autem Deo homines non tantum singulatim, quavis mutua connexione seclusa, ad vitae Suae participationem vocare, sed eos in populum constituere, in quo filii sui, qui erant dispersi, in unum congregarentur (cf. *Io.* 11, 52).

3. Hoc universale Dei propositum pro salute generis humani perficitur non solum modo quasi secreto in mente hominum vel per incepta, etiam religiosa, quibus ipsi multipliciter Deum quaerunt, si forte attrectent eum aut inveniant quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (cf. *Act.* 17, 27): haec enim incepta indigent illuminari et sanari, etsi, ex benigno consilio providentis Dei, aliquando pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica possint haberi.[2] Deus autem ad pacem seu communionem Secum stabiliendam fraternamque societatem inter homines, eosque peccatores, componendam, in historiam hominum novo et definitivo modo intrare decrevit mittendo Filium suum in carne nostra, ut homines per Illum eriperet de potestate tenebrarum ac Satanae (cf. *Col.* 1, 13; *Act.* 10, 38) et in Eo mundum Sibi reconciliaret (cf. *2 Cor.* 5, 19). Illum ergo, per quem fecit et saecula,[3] constituit haeredem universorum, ut in Illo omnia instauraret (cf. *Eph.* 1, 10).

Christus enim Iesus missus est in mundum verus mediator Dei et hominum. Cum Deus sit, in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* 2, 9); secundum humanam autem naturam, novus Adam, renovatae humanitatis caput constituitur, plenus gratiae et veritatis (*Io.* 1, 1). Itaque per vias verae Incarnationis processit Filius Dei ut homines divinae naturae participes faceret, propter nos egenus factus cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (*2 Cor.* 8, 9). Filius Hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis, id est pro omnibus (cf. *Mc.* 10, 45). Sancti Patres constanter proclamant non esse sanatum quod assumptum a Christo non fuerit.[4] Assumpsit vero integram humanam naturam qualis apud nos miseros et pauperes invenitur, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 4, 15; 9, 28). De seipso enim dixit Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36); « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum » (*Lc.* 4, 18), et rursus: « Venit Filius Hominis quaerere et salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10).

Quod autem semel a Domino praedicatum est vel in Ipso pro salute generis humani actum, usque ad ultimum terrae (*Act.* 1, 8) proclamandum et disseminandum est, incipiendo ab Hierosolyma (cf. *Lc.* 24, 47), ita ut quod semel pro omnibus patratum fuit ad salutem, in universis, decursu temporum effectum suum consequatur.

4. Ad hoc autem perficiendum misit Christus Spiritum Sanctum a Patre, qui salutiferum opus suum intus operaretur Ecclesiamque ad propriam dilatationem moveret. Procul dubio Spiritus Sanctus iam in mundo operabatur

antequam Christus glorificaretur.[5] Die tamen Pentecostes in discipulos supervenit, ut cum eis maneret in aeternum (cf. 14, 16), Ecclesia coram multitudine publice manifestata est, diffusio Evangelii inter gentes per praedicationem exordium sumpsit, et tandem praesignata est unio populorum in fidei catholicitate, per Novi Foederis Ecclesiam, quae omnibus linguis loquitur, in caritate omnes linguas intelligit et amplectitur, et sic dispersionem Babelicam superat.[6] A Pentecoste enim inceperunt « actus Apostolorum », sicut superveniente Spiritu Sancto in Virginem Mariam conceptus fuerat Christus et eodem Spiritu Sancto in Ipsum orantem descendente Christus actus fuerat ad opus ministerii sui.[7] Ipse autem Dominus Iesus, priusquam vitam suam libere pro mundo poneret, ita apostolicum ministerium disposuit et Spiritum Sanctum mittendum promisit, ut ambo consociarentur in opere salutis ubique et semper ad effectum adducendo.[8] Spiritus Sanctus Ecclesiam totam per omnia tempora « in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit »,[9] ecclesiastica instituta quasi anima eorum vivificando [10] et eundem missionis animum, quo ipse Christus actus fuerat, in cordibus fidelium instillando. Aliquando etiam actionem apostolicam visibiliter praevenit,[11] sicut eam variis modis indesinenter comitatur et dirigit.[12]

5. Dominus Iesus, inde ab initio « vocavit ad Se quos voluit Ipse et fecit ut essent duodecim cum Illo et ut mitteret eos praedicare » (*Mc.* 3, 13; cf. *Mt.* 10, 1-42). Sic Apostoli fuerunt novi Israel germina simulque sacrae hierarchiae origo. Deinde, cum semel, morte et resurrectione sua, complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum, Dominus omnem potestatem adeptus in caelo et in terra (cf. *Mt.* 28, 18), priusquam assumeretur in caelum (cf. *Act.* 1, 11), Ecclesiam suam ut sacramentum salutis fundavit, apostolosque in universum mundum misit sicut et ipse missus fuerat a Patre (cf. *Io.* 20, 21), mandans eis: « Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19 s.). « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 16, 15 s.). Inde Ecclesiae officium incumbit propagandi fidem salutemque Christi, tum virtute expressi mandati, quod ab Apostolis haereditavit Ordo Episcoporum cui assistunt Presbyteri, una cum Successore Petri Ecclesiaeque Summo Pastore, tum virtute vitae quam membris suis influit Christus; « ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 4, 16). Missio ergo Ecclesiae adimpletur operatione qua, mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti gratia caritateque mota, omnibus hominibus vel gentibus pleno actu praesens fit, ut eos, exemplo vitae et praedicatione, sacramentis ceterisque gratiae mediis ad fidem, libertatem et pacem Christi adducat, ita ut eis via libera ac firma patefiat ad plene participandum mysterium Christi.

Cum haec missio continuet et per decursum historiae explicet missionem ipsius Christi, qui evangelizare pauperibus missus est, eadem via, instigante Spiritu Christi, Ecclesia procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, oboedientiae, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem, ex qua per resurrectionem suam victor processit. Nam sic in spe ambulaverunt omnes Apostoli, qui tribulationibus multis et passionibus adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24). Saepe etiam semen fuit sanguis christianorum.[13]

6. Hoc munus, ab Ordine Episcoporum, cui praeest Successor Petri, orante et cooperante tota Ecclesia, adimplendum, unum idemque exsistit, ubique et in omni condicione, licet non eodem pro rerum condicione modo exerceatur. Differentiae proinde, quae in hac Ecclesiae activitate agnoscendae sunt, non sumuntur ex intima natura ipsius missionis, sed ex condicionibus in quibus missio haec exercetur.

Dependent vero hae condiciones sive ab Ecclesia, sive etiam a populis, a coetibus vel ab hominibus ad quos missio dirigitur. Ecclesia enim, quamvis de se totalitatem seu plenitudinem mediorum salutis comprehendat, nec semper nec statim secundum omnia agit nec agere potest, sed initia et gradus in actione sua experitur, qua propositum Dei ad effectum adducere conatur; immo quandoque, post feliciter inchoatam progressionem, regressum iterum deplorare cogitur, vel saltem in quodam semiplenitudinis et insufficientiae statu moratur. Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim tantum tangit ac penetrat, et sic eos in catholicam plenitudinem assumit. Cum qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent.

Incepta peculiaria quibus Evangelii praecones ab Ecclesia missi, euntes in mundum universum, munus Evangelium praedicandi et Ecclesiam ipsam implantandi inter populos vel coetus nondum in Christum credentes exsequuntur, communiter « missiones » nuncupantur, quae per activitatem missionalem perficiuntur, et plerumque exercentur in certis territoriis a Sancta Sede agnitis. Finis proprius activitatis huius missionalis est evangelizatio et plantatio Ecclesiae in populis vel coetibus in quibus nondum radicata est.[14] Ita ex semine verbi Dei, Ecclesiae autochtonae particulares ubique in mundo sufficienter conditae crescant, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, quae hierarchia propria cum populo fideli unita et mediis quasi affinibus christianae vitae plene ducendae sufficienter instructae suam partem in utilitatem totius Ecclesiae afferant. Medium principale huius implantationis est praedicatio Evangelii Iesu Christi, ad quod annuntiandum Dominus discipulos suos misit in mundum universum, ut homines per verbum Dei renati (cf. *1 Pt.* 1, 23) Ecclesiae per Baptismum aggregentur, quae ut Verbi incarnati corpus ex verbo Dei et pane eucharistico nutritur et vivit (cf. *Act.* 2, 43).

In hac missionali activitate Ecclesiae, diversae condiciones aliquando permixtae occurrunt: inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis. Quibus tamen expletis, actio missionalis Ecclesiae non desinit,

sed Ecclesiis particularibus iam constitutis officium incumbit eam continuandi, et praedicandi Evangelium singulis, qui adhuc foris sunt.

Coetus insuper, inter quos Ecclesia versatur, ob varias causas non raro funditus mutantur, ita ut condiciones omnino novae oriri possint. Ecclesia tunc debet perpendere, num hae condiciones activitatem eius missionalem denuo requirant. Insuper, rerum adiuncta aliquando talia sunt ut possibilitas pro tempore desit praeconium evangelicum directe ac statim proponendi: tunc quidem missionarii possunt ac debent patienter, prudenter ac simul magna cum fiducia, saltem caritatis et beneficientiae testimonium Christi praebere et sic vias Domino praeparare et ipsum aliquo modo praesentem reddere.

Sic patet activitatem missionalem intime ex ipsa natura Ecclesiae profluere, cuius fidem salvificam propagat, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem Hierarchiae affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet. Ita differt activitas missionalis inter gentes tam ab activitate pastorali erga fideles exercenda, quam ab inceptis suscipiendis ad unitatem christianorum redintegrandam. Attamen duo haec cum missionali navitate Ecclesiae arctissime coniunguntur:[15] nam divisio christianorum sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae detrimentum affert[16] et aditum ad fidem multis praecludit. Sic ex necessitate missionis omnes baptizati ad hoc vocantur, ut in uno grege coadunentur et ita coram gentibus de Christo, Domino suo, unanimiter testimonium reddere possint. Quod si unam fidem nondum plene testificari queant, mutua saltem aestimatione ac dilectione animentur oportet.

7. Ratio huius missionalis activitatis ex voluntate Dei sumitur, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim est Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 4-5), « et non est in alio aliquo salus » (*Act.* 4, 12). Oportet igitur ut ad Eum, per praedicationem Ecclesiae agnitum, omnes convertantur, et Ipsi et Ecclesiae, quae Corpus Eius est, per Baptismum incorporentur. Christus enim ipse « necessitatem fidei et baptismi expressis verbis inculcando (cf. *Mc.* 16, 16; *Io.* 3, 5), necessitatem Ecclesiae, in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, simul confirmavit. Quare illi homines salvari non possent, qui Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, tamen vel in eam intrare, vel in eadem perseverare noluerint ».[17] Etsi ergo Deus viis sibi notis homines Evangelium sine eorum culpa ignorantes ad fidem adducere possit, sine qua impossibile est Ipsi placere (*Hebr.* 11, 6), Ecclesiae tamen necessitas incumbit (cf. *1 Cor.* 9, 16), simulque ius sacrum, evangelizandi, ac proinde missionalis activitas vim suam et necessitatem hodie sicut et semper integram servat.

Per eam Corpus Christi mysticum ad suum proprium incrementum vires indesinenter colligit et ordinat (cf. *Eph.* 4, 11-16). Ad eam persequendam impelluntur membra Ecclesiae caritate, qua Deum diligunt et qua cum omni-

bus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis tam praesentis quam futurae vitae.

Per hanc activitatem missionalem denique Deus plene glorificatur, dum homines salutare Eius opus, quod in Christo perfecit, conscie et plene accipiunt. Sic per eam completur Dei propositum, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum,[18] ut universum genus humanum unum Populum efformet Dei, in unum corpus coalescat Christi, in unum coaedificetur templum Spiritus Sancti: quod sane, cum fraternam concordiam refert, intimo universorum hominum voto respondet. Sic tandem consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, revera adimpletur, cum omnes qui humanam participant naturam, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt: « Pater noster ».[19]

8. Etiam cum ipsa natura humana eiusque adspirationibus activitas missionalis intimam habet connexionem. Christum enim manifestando, eo ipso Ecclesia hominibus genuinam eorum condicionis atque integrae vocationis veritatem revelat, cum Christus principium sit et exemplar huius humanitatis renovatae, fraterno amore, sinceritate et pacifico spiritu imbutae, ad quam omnes adspirant. Christus, et Ecclesia quae de Ipso per evangelicam praedicationem dat testimonium, omnem peculiaritatem stirpis vel nationis transcendunt, ideoque nemini et nullibi ut extranei reputari possunt.[20] Ipse Christus est veritas atque via, quas evangelica praedicatio omnibus patefacit, dum ad aures omnium eiusdem Christi verba perfert: « Paenitemini et credite Evangelio » (*Mc.* 1, 15). Cum autem, qui non credit, iam iudicatus sit (cf. *Io.* 3, 18), verba Christi verba sunt simul iudicii et gratiae, mortis et vitae. Etenim solum vetustati mortem inferendo ad novitatem vitae accedere possumus: quod primo de personis valet, sed etiam de diversis bonis mundi huius, quae simul hominis peccato et Dei benedictione signantur: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei » (*Rom.* 3, 23). Nemo per seipsum et suis viribus a peccato liberatur et supra seipsum elevatur, nemo penitus a sua infirmitate vel solitudine vel servitute solvitur,[21] omnes vero indigent Christo exemplari, magistro, liberatore, salvatore, vivificatore. Revera Evangelium in historia hominum, etiam temporali, fermentum libertatis ac progressus fuit seseque iugiter praebet fermentum fraternitatis, unitatis et pacis. Non ergo sine causa Christus a fidelibus celebratur ut « Expectatio gentium et Salvator earum ».[22]

9. Itaque tempus activitatis missionalis est inter priorem adventum Domini et alterum, in quo Ecclesia a quatuor ventis sicut messis colligetur in regnum Dei.[23] Antequam enim Dominus veniet, in omnes gentes oportet praedicari evangelium (cf. *Mc.* 13, 10).

Activitas missionalis nihil aliud est et nihil minus quam propositi Dei manifestatio seu Epiphania et adimplementum in mundo et in eius historia, in qua Deus, per missionem, historiam salutis manifeste perficit. Per verbum praedicationis et per celebrationem sacramentorum, quorum centrum et cul-

men est sanctissima Eucharistia, Christum salutis auctorem praesentem reddit. Quidquid autem veritatis et gratiae iam apud gentes quasi secreta Dei praesentia inveniebatur, a contagiis malignis liberat et Auctori suo Christo restituit, qui imperium diaboli evertit et multimodam scelerum malitiam arcet. Itaque quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non perit, sed sanatur, elevatur et consummatur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis.[24] Sic activitas missionalis ad plenitudinem eschatologicam tendit:[25] per eam enim, usque ad mensuram et tempus quae Pater posuit in sua potestate (cf. *Act.* 1, 7), dilatatur Populus Dei, cui prophetice dictum est: « Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende! Ne parcas! » (*Is.* 54, 2),[26] augetur Corpus mysticum usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13), templumque spirituale, ubi Deus adoratur in spiritu et veritate (cf. *Io.* 4, 23), crescit et superaedificatur super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (*Eph.* 2, 20).

NOTAE

PROOEMIUM.

[1] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* n. 48.

[2] S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 44, 23 (*PL* 36, 508; CCHR. 38, 150).

CAPUT I.

[1] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* n. 1.

[2] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 18, 1: « Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, et qui semper aderat generi humano... » (*PG* 7, 932); id. IV, 6, 7: « Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult et quemadmodum vult Pater » (ib. 990); cf. IV, 20, 6 et 7 (ib. 1037); Demonstratio n. 34 (*Patr. Or.*, XII, 773; *Sources Chrét.*, 62, Paris 1958, p. 87); CLEMENS ALEX., *Protrept.*, 112, 1 (GCS Clemens I 79); *Strom.* VI, 6, 44, 1 (GCS Clemens II 453); 13, 106, 3 et 4 (ibid. 485). Pro doctrina ipsa cf. PIUS XII, *Nuntium radiophon.* 31 dec. 1952; Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 16.

[3] Cf. *Hebr.* 1, 2; *Io.* 1, 3 et 10; *1 Cor.* 8, 6; *Col.* 1, 16.

[4] Cf. S. ATHANASIUS, *Ep. ad Epictetum,* 7 (*PG* 26, 1060); S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 4, 9 (*PG* 33, 465); MARIUS VICTORINUS, *Adv. Arium,* 3, 3 (*PL* 8, 1101); S. BASILIUS, *Epist. 261,* 2 (*PG* 32, 969); S. GREGORIUS NAZ., *Epist. 101* (*PG* 37, 181); S. GREG. NYSS., *Antirrheticus, Adv. Apollin.,* 17 (*PG* 45, 1156); S. AMBROSIUS, *Epist. 48,* 5 (*PL* 16, 1153); S. AUGUSTINUS, *In Ioan. Ev.* tr. XXIII, 6 (*PL* 35, 1585; CChr 36, 236); insuper hoc modo manifestat Spiritum Sanctum nos non redemisse, eo quod incarnatus non est: *De Agone Christ.,* 22, 24 (*PL* 40, 302); S. CYRILLUS ALEX., *Adv. Nestor. I,* 1 (*PG* 76, 20); S. FULGENTIUS, *Epist. 17,* 3, 5 (*PL* 65, 454); *Ad Trasimundum, III,* 21 (*PL* 65, 284: de tristitia et timore).

[5] Spiritus est qui locutus est per prophetas: *Symb. Constantinopol.* (DENZ.-SCHÖN., 150); S. LEO MAGNUS, *Sermo 76* (*PL* 54, 405-406): « Cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus Sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam et patriarchae, et prophetae, et sacerdotes, omnesque

sancti qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati... quamvis non eadem fuerit mensura donorum ». Etiam *Sermo 77,* 1 (*PL* 54, 412); LEO XIII, Enc. *Divinum illud* (*A.S.S.,* 1897, 650-651). Etiam S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, quamvis insistat in novitate missionis Spiritus Sancti in die Pentecostes: *In Eph.* c. 4, Hom. 10, 1 (*PG* 62, 75).

[6] De Babel et Pentecoste saepe loquuntur SS. Patres: ORIGENES, *in Genesim,* c. 1 (*PG* 12, 112); S. GREGORIUS NAZ., *Oratio 41,* 16 (*PG* 36, 449); S. IOANNES CHRYSOST., *Hom. 2 in Pentec.,* 2 (*PG* 50, 467); *In Act. Apost.* (*PG* 60, 44); S. AUGUSTINUS, *Enn. in Ps. 54,* 11 (*PL* 36, 636; CCHR 39, 664 s.); *Sermo 271* (*PL* 38, 1245); S. CYRILLUS ALEX., *Glaphyra in Genesim II* (*PG* 69, 79); S. GREGORIUS MAGN., *Hom. in Evang.,* Lib. II, Hom. 30, 4 (*PL* 76, 1222); S. BEDA, *In Hexaem.,* lib. III (*PL* 91, 125). Vide insuper imaginem in atrio Basilicae S. Marci Venetiis.

Ecclesia omnes linguas loquitur, et sic omnes colligit in Fidei catholicitate: S. AUGUSTINUS, *Sermones 266, 267, 268, 269* (*PL* 38, 1225-1237); *Sermo 175,* 3 (*PL* 38, 946); S. IOANNES CHRYSOST., *In Ep. I ad Cor.,* Hom. 35 (*PG* 61, 296); S. CYRILLUS ALEX., *Fragm. in Act.* (*PG* 74, 758); S. FULGENTIUS, *Sermo 8,* 2-3 (*PL* 65, 743-744).

De Pentecoste ut consecratione Apostolorum ad missionem, cf. J. A. CRAMER, *Catena in Acta SS. Apostolorum,* Oxford, 1838, p. 24 s.

[7] Cf. *Lc.* 3, 22; 4, 1; *Act.* 10, 38.

[8] Cf. *Io.* c. 14-17; PAULUS VI, Alloc. in Concilio habita die 14 sept. 1964 (*A.A.S.,* 1964, 807).

[9] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 4.

[10] S. AUGUSTINUS, *Sermo 267,* 4 (*PL* 38, 1231): « Hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia quod agit anima in omnibus membris unius corporis ». Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 7 (cum nota 8).

[11] Cf. *Act.* 10, 44-47; 11, 15; 15, 8.

[12] Cf. *Act.* 4, 8; 5, 32; 8, 26 29 39; 9, 31; 10; 11, 24 28; 13, 2 4 9; 16, 6-7; 20, 22-23; 21, 11 etc.

[13] TERTULLIANUS, *Apologeticum,* 50, 13 (*PL* 1, 534; CCHR 1, 171).

[14] Iam S. THOMAS AQ. loquitur de munere apostolico plantandi Ecclesiam: cf. *Sent.* Lib. I, dist. 16, q. 1, a. 2 ad 2 et ad 4; a. 3 sol.; *Summa Theol.,* I^{a}, q. 43, a. 7 ad 6; I^{a} II^{ae}, q. 106, a. 4 ad 4. Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud,* 30 nov. 1919 (*A.A.S.,* 1919, 445 et 453); PIUS XI, *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926 (*A.A.S.,* 1926, 74); PIUS XII, 30 apr. 1939 ad Directores OO.PP.MM.; ID., 24 iun. 1944, ad Directores OO.PP.MM. (*A.A.S.,* 1944, 210; rursus in *A.A.S.,* 1950, 727, et 1951, 508); ID., 29 iun. 1948 ad clerum indigenum (*A.A.S.,* 1948, 374); ID., *Evangelii Praecones,* 2 iun. 1951 (*A.A.S.,* 1951, 507); ID., *Fidei Donum,* 15 ian. 1957 (*A.A.S.,* 1957, 236); IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum,* 28 nov. 1959 (*A.A.S.,* 1959, 835); PAULUS VI, *Hom.* 18 oct. 1964 (*A.A.S.,* 1964, 911).

Tam S. Pontifices quam Patres et Scholastici saepe loquuntur de *dilatatione* Ecclesiae: S. THOMAS AQ., *Comm. in Matt.,* 16, 28; LEO XIII, Enc. *Sancta Dei Civitas* (*A.S.S.,* 1880, 241); BENEDICTUS XV, Enc. *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 442); PIUS XI, Enc. *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 65).

[15] In hac notione activitatis missionalis, sicuti patet, secundum rem etiam illae partes Americae Latinae includuntur, in quibus nec hierarchia propria nec ma-

turitas christianae vitae nec praedicatio Evangelii sufficiens adsunt. Utrum autem territoria haec a Sancta Sede de facto ut missionaria agnoscantur, a Concilio non pendet. Quapropter quoad connexionem inter notionem activitatis missionalis et territoria certa consulto dicitur hanc activitatem « plerumque » exerceri in certis territoriis a S. Sede agnitis.

[16] Decr. *Unitatis redintegratio,* 1.

[17] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 14.

[18] Cf. *Io.* 7, 18; 8, 30 et 44; 8, 50; 17, 1.

[19] De hac synthetica idea vide doctrinam S. Irenaei de Recapitulatione. Cf. etiam HIPPOLYTUS, *De Antichristo,* 3: « Omnes volens omnesque salvare desiderans, omnes Dei filios praestare volens sanctosque omnes in unum hominem perfectum vocans... » (*PG* 10, 732; GCS Hippolyt. I 2 p. 6); *Benedictiones Iacob,* 7 (T.U., 38-1 p. 18, lin. 4 ss.); ORIGENES, *In Ioann.* Tom. I, n. 16: « Tum enim cognoscendi Deum una erit actio eorum qui ad Deum pervenerint, duce eo Verbo quod est apud Deum; ut sic sint in cognitione Patris formati omnes accurate filii, ut nunc solus Filius novit Patrem » (*PG* 14, 19; GCS Orig. IV. 20); S. AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte,* I, 41: « Diligamus quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit: Pater meus, sed omnes uni Deo: Pater noster » (*PL* 34, 1250); S. CYRILLUS ALEX., *In Ioann.* I: « Sumus enim omnes in Christo et communis humanitatis persona in ipsum reviviscit. Nam et novissimus Adam idcirco nuncupatus est... Habitavit enim in nobis, qui per naturam Filius est ac Deus; ideoque in eius Spiritu clamamus: Abba Pater! Habitat autem Verbum in omnibus in uno templo, scilicet quod propter nos et ex nobis assumpsit, ut omnes in seipso habens, omnes in uno corpore, sicuti Paulus ait, reconciliaret Patri » (*PG* 73, 161-164).

[20] BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 445): « Nam ut Ecclesia Dei catholica est nullamque apud gentem vel nationem extranea... ». Cf. IOANNES XXIII, Enc. *Mater et Magistra*: « a iure divino ad universas pertinet gentes... Ecclesia, cum in populi alicuius quasi venas vim suam inseruerit, idcirco neque est neque se existimat institutum quoddam, eidem populo extrinsecus impositum... Atque ideo quidquid bonum honestumque sibi esse videatur, idem confirmant atque perficiunt » (sc. hi qui in Christo renati sunt) (*A.A.S.,* 1961, 444).

[21] Cf. IRENAEUS, *Adv. Haer.,* III, 15, n. 3 (*PG* 7, 919): « Veritatis fuerunt praedicatores et apostoli libertatis ».

[22] Ant. O diei 23 decembris.

[23] Cf. *Mt.* 24, 31; Didaché 10, 5 (FUNK I, p. 32).

[24] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 17. S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* 19, 17 (*PL* 41, 646). Instr. S.C.P.F. (*Collectanea* I, n. 135 p. 42).

[25] Secundum Origenem, Evangelium praedicari debet ante consummationem mundi huius: *Hom. in Luc.,* XXI (GCS, Orig. IX 136, 21 sq.); *In Matth. comm. ser.,* 39 (XI 75, 25 sq.); *Hom. in Ierem.* III, 2 (VIII 308, 29 s.); S. THOMAS, *Summ. Theol.* I^{a} II^{ae}, q. 106, a. 4, ad 4.

[26] HILARIUS PICT., *In Ps.* 14 (*PL* 9, 301); EUSEBIUS CAESARIENSIS, *In Isaiam* 54, 2-3 (*PG* 24, 462-463); CYRILLUS ALEX., *In Isaiam* V, cap. 54, 1-3 (*PG* 70, 1193).

CAPUT II
DE IPSO OPERE MISSIONALI

10. Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam et communicandam opus missionale adhuc ingens sibi faciendum intelligit. Vicies enim milies centena milia hominum, quorum numerus in dies augetur, qui stabilibus vitae culturalis nexibus, antiquis religionis traditionibus, firmis socialium necessitudinum vinculis in magnos et determinatos coetus coalescunt, nuntium evangelicum nondum aut vix audierunt; quorum alii unam ex magnis religionibus sequuntur, alii vero notitiae ipsius Dei extranei manent, alii eius existentiam expresse negant, immo quandoque oppugnant. Ecclesia, ut omnibus mysterium salutis vitamque a Deo allatam offerre possit, sese omnibus his coetibus inserere debet eodem motu, quo ipse Christus incarnatione sua se obstrinxit certis socialibus et culturalibus condicionibus hominum cum quibus conversatus est.

Art. 1
DE TESTIMONIO CHRISTIANO

11. Ecclesia his coetibus humanis praesens sit oportet per suos filios, qui inter eos conversantur vel ad eos mittuntur. Omnes enim christifideles, ubicumque vivunt, exemplo vitae et testimonio verbi novum hominem, quem per baptismum induerunt, et virtutem Spiritus Sancti, a quo per confirmationem roborati sunt, ita manifestare tenentur, ut ceteri bona eorum opera considerantes glorificent Patrem (cf. *Mt.* 5, 16) et genuinum vitae humanae sensum et communionis hominum universale vinculum plenius percipiant.

Ut ipsi hoc testimonium Christi fructuose dare possint, cum illis hominibus aestimatione et caritate iungantur, se ut membra coetus hominum inter quos vivunt agnoscant, et in vita culturali et sociali partem habeant per varia humanae vitae commercia et negotia; familiares sint cum eorum traditionibus nationalibus et religiosis; laete et reverenter detegant semina Verbi in eis latentia; simul vero ad transformationem profundam attendant, quae inter gentes fit, et adlaborent ne homines nostrae aetatis scientiae et technologiae mundi moderni nimis intenti a rebus divinis alienentur, quinimmo ut ad impensius desiderium veritatis et caritatis divinitus revelatae expergefiant. Sicut ipse Christus cor hominum scrutatus est eosque colloquio vere humano ad lucem divinam perduxit, ita eius discipuli, Spiritu Christi profunde perfusi, cognoscant homines inter quos vivunt, et cum eis conversentur, ut ipsi dialogo sincero et patienti discant, quas divitias Deus munificus Gentibus dispensaverit; simul vero istas divitias luce evangelica collustrare, liberare, et in Dei Salvatoris dominium reducere conentur.

12. Praesentia christifidelium in coetibus humanis illa caritate animetur, qua nos dilexit Deus, qui vult ut et nos nos invicem eadem caritate diligamus (cf. *1 Io.* 4, 11). Caritas christiana revera ad omnes extenditur sine discrimine stirpis, condicionis socialis seu religionis; nullum exspectat lucrum seu gratitudinem. Sicut enim Deus dilexit nos amore gratuito, ita et fideles caritate sua ipsi homini solliciti sint diligendo cum eodem motu quo Deus hominem quaesivit. Sicut ergo Christus circuibat omnes civitates et castella curans omnem languorem et infirmitatem in signum adventus Regni Dei (cf. *Mt.* 9, 35 ss.; *Act.* 10, 38), ita et Ecclesia per filios suos iungitur cum hominibus cuiuscumque condicionis, maxime vero cum pauperibus et afflictis, atque libenter pro eis impenditur (cf. *2 Cor.* 12, 15). Participat enim eorum gaudia et dolores, novit vitae adspirationes et aenigmata, eis in anxietatibus mortis compatitur. Pacem quaerentibus respondere cupit fraterno dialogo, afferens eis pacem et lucem ex Evangelio.

Laborent christifideles et cum ceteris omnibus collaborent in rebus oeconomicis et socialibus recte ordinandis. Speciali cura sese devoveant educationi puerorum et adolescentium per scholas diversi generis, quae considerandae sunt non tantum tamquam medium eximium ad formandam et provehendum iuventutem christianam, sed simul ut servitium summi valoris hominibus, maxime vero Nationibus progredientibus, ad elevandam dignitatem humanam et ad conditiones humaniores praeparandas. Insuper partem assumant in conatibus eorum populorum qui, famem, ignorantiam et morbos debellando, meliores vitae condiciones condere et pacem in mundo firmare satagunt. In hac activitate fideles sociam operam suam prudenter praestare exoptent inceptis quae ab Institutis privatis et publicis, a guberniis, ab organis internationalibus, a diversis communitatibus christianis necnon a religionibus non-christianis promoventur.

Ecclesia vero nullo modo vult se in moderamen terrenae civitatis ingerere. Nullam aliam auctoritatem sibi vindicat nisi ut, Deo adiuvante, caritate et fideli servitio hominibus ministret (cf. *Mt.* 20, 26; 23, 11).[1]

In sua vita et operatione intime cum hominibus coniuncti, Christi discipuli eis verum testimonium Christi se oblaturos, et in eorum salutem se operaturos sperant, etiam ubi Christum plene annuntiare nequeunt. Non enim quaerunt progressum et prosperitatem mere materialem hominum, sed eorum dignitatem et fraternam unionem promovent, docentes veritates religiosas et morales, quas Christus luce sua illustravit, sicque gradatim aditum pleniorem ad Deum aperiunt. Ita homines iuvantur in assequenda salute per caritatem erga Deum et proximum, et elucere incipit mysterium Christi, in quo novus homo apparuit, qui secundum Deum creatus est (cf. *Eph.* 4, 24), et in quo caritas Dei revelatur.

Art. 2

De Praedicatione Evangelii et de Congregando Populo Dei

13. Ubicumque Deus aperit ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (cf. *Col.* 4, 3), omnibus hominibus (cf. *Mc.* 16, 15) fiducialiter et constanter (cf. *Act.* 4, 13, 29, 31; 9, 27, 28; 13, 46; 14, 3; 19, 8; 26, 26; 28, 31; *1 Thess.* 2, 2; *2 Cor.* 3, 12; 7, 4; *Phil.* 1, 20; *Eph.* 3, 12; 6, 19, 20) annuntietur (cf. *1 Cor.* 9, 15; *Rom.* 10, 14) Deus vivus et, quem ad omnium salutem misit, Iesus Christus (cf. *1 Thess.* 1, 9-10; *1 Cor.* 1, 18-21; *Gal.* 1, 31; *Act.* 14, 15-17; 17, 22-31), ut non-christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente (cf. *Act.* 16, 14), credentes ad Dominum libere convertantur, Eique sincere adhaereant qui, cum sit « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), omnes eorum exspectationes spirituales explet, immo infinite superat.

Quae conversio sane initialis intelligenda est, sufficiens tamen ut homo percipiat se, avulsum a peccato, introduci in mysterium amoris Dei, qui eum vocat ad personale commercium cum Seipso in Christo ineundum. Etenim, gratia Dei operante, neo-conversus spirituale iter aggreditur quo, fide iam communicans mysterio Mortis et Resurrectionis, transit a vetere homine ad novum hominem in Christo perfectum (cf. *Col.* 3, 5-10; *Eph.* 4, 20-24). Hic transitus, secum trahens progressivam sensus et morum immutationem, cum suis socialibus consectariis manifestus fieri et tempore catechumenatus paulatim evolvi debet. Cum Dominus cui creditur, signum sit contradictionis (cf. *Lc.* 2, 34; *Mt.* 10, 34-39), homo conversus rupturas et separationes non raro experitur, sed etiam gaudia quae non ad mensuram dat Deus (cf. *1 Thess.* 1, 6). Ecclesia severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur, sicut et fortiter vindicat ius ne ullus iniquis vexationibus a fide deterreatur.[2]

Iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem, motiva conversionis investigentur et, si necesse est, purificentur.

14. Qui fidem in Christum a Deo per Ecclesiam acceperunt,[3] liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum; qui non est mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio et tirocinium debite protractum, quibus discipuli cum Christo suo Magistro coniunguntur. Catechumeni ergo apte initientur mysterio salutis et exercitio morum evangelicorum sacrisque ritibus, successivis temporibus celebrandis,[4] introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis Populi Dei.

Deinde per initiationis christianae sacramenta liberati a potestate tenebrarum (cf. *Col.* 1, 13),[5] Christo commortui, consepulti et conresuscitati (cf. *Rom.* 6, 4-11; *Col.* 2, 12-13; *1 Pt.* 3, 21-22; *Mc.* 16, 16), Spiritum accipiunt (cf. *1 Thess.* 3, 5-7; *Act.* 8, 14-17) adoptionis filiorum et memoriale mortis et resurrectionis Domini cum cuncto Populo Dei celebrant.

Desiderandum est ut liturgia temporis quadragesimalis et paschalis ita

restauretur ut animos catechumenorum componat ad celebrationem paschalis mysterii in cuius sollemnibus peragendis per baptismum Christo regenerantur.

Initiatio autem illa christiana in catechumenatu non a solis catechistis vel sacerdotibus, sed a tota communitate fidelium, speciali autem modo a patrinis, est procuranda, ita ut catechumeni inde ab initio sentiant se pertinere ad populum Dei. Cumque vita Ecclesiae sit apostolica, catechumeni item discant testimonio vitae et fidei professione ad evangelizationem et Ecclesiae aedificationem actuose cooperari.

Status tandem iuridicus catechumenorum in novo Codice clare ponatur. Iam enim cum Ecclesia coniuncti sunt,[6] iam de domo sunt Christi[7] et non raro iam vitam agunt fidei, spei et caritatis.

Art. 3

De Communitate Christiana efformanda

15. Spiritus Sanctus, qui omnes homines per semina Verbi praedicationemque Evangelii ad Christum vocat et in cordibus obsequium fidei suscitat, cum credentes in Christum in baptismalis fontis sinu ad novam vitam generat, eos congregat in unum Populum Dei qui est « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*1 Pt.* 2, 9).[8]

Missionarii ergo, cooperatores Dei (cf. *1 Cor.* 3, 9), tales suscitent fidelium congregationes quae, digne ambulantes vocatione qua vocatae sunt (cf. *Eph.* 4, 1) munera a Deo sibi concredita exerceant sacerdotale, propheticum et regale. Hoc modo communitas christiana signum fit praesentiae Dei in mundo: ipsa enim sacrificio eucharistico incessanter cum Christo ad Patrem transit,[9] verbo Dei sedulo enutrita[10] testimonium Christi praebet,[11] in caritate denique ambulat spirituque apostolico fervet.[12]

Communitas christiana inde ab initio ita efformari debet ut suis necessitatibus, quantum fieri potest, ipsa providere queat.

Haec fidelium congregatio, divitiis culturae propriae gentis praedita, in populo profunde radicetur: efflorescant familiae spiritu evangelico imbutae[13] atque scholis idoneis iuventur; associationes et coetus erigantur per quos laicorum apostolatus totam societatem spiritu evangelico permeare valeat. Splendescat denique caritas inter catholicos diversi ritus.[14]

Spiritus etiam oecumenicus nutriatur inter neophytos, qui probe aestiment fratres in Christum credentes esse Christi discipulos, baptismate regeneratos, perplurium bonorum Populi Dei consortes. Quantum sinunt condiciones religiosae, actio oecumenica ita promoveatur ut, seclusa omni tam indifferentismi et confusionismi quam insanae aemulationis specie, communi, pro quanto datur, professione fidei in Deum et in Iesum Christum coram Gentibus, atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum fratribus a se seiunctis ad normas Decreti de Oecumenismo. Collaborent praesertim propter Christum, suum

Dominum communem: Eius Nomen eos colligat! Haec collaboratio instituatur non solum inter privatas personas, sed etiam, de iudicio Ordinarii loci, inter Ecclesias vel communitates ecclesiales earumque opera.

Christifideles ex Gentibus cunctis in Ecclesia congregati, « neque regimine, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti »,[15] ideoque in honesta consuetudine vitae gentis suae Deo et Christo vivant; ut boni cives amorem Patriae vere et efficaciter colant, alienae tamen stirpis contemptum et nationalismum exacerbatum vitent omnino, amorem hominum universalem promoveant.

Ad omnia haec obtinenda maximum momentum habent et speciali cura digni sunt laici, christifideles nempe qui, Christo per baptismum incorporati, in saeculo vivunt. Ipsorum enim proprium est, Spiritu Christi imbuti, fermenti instar res temporales ab intra animare et ordinare ut secundum Christum iugiter fiant.[16]

Attamen non sufficit ut populus christianus praesens sit et constitutus in aliqua gente, nec sufficit ut apostolatum exempli exerceat; ad hoc constituitur, ad hoc praesens est, ut concivibus non-christianis Christum verbo et opere annuntiet eosque iuvet ad plenam Christi receptionem.

Iamvero, ad Ecclesiae plantationem et ad incrementum communitatis christianae necessaria sunt varia ministeria, quae vocatione divina ex ipsa fidelium congregatione suscitata, ab omnibus diligenti cura sunt fovenda atque colenda; inter quae habentur munera sacerdotum, diaconorum et catechistarum, atque actio catholica. Item Religiosi et Religiosae ad Regnum Christi in animis radicandum et corroborandum illudque ulterius dilatandum sive oratione, sive actuosa opera indispensabile praestant officium.

16. Gaudio magno Ecclesia gratias agit pro inaestimabili vocationis sacerdotalis dono, quod inter Gentes ad Christum recenter conversas tot iuvenibus Deus elargitus est. Firmiores enim radices Ecclesia in unoquoque coetu humano figit, cum variae communitates fidelium ex suis membris proprios habent salutis ministros in ordine Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum, fratribus suis inservientes, ita ut novellae Ecclesiae structuram dioecesanam cum proprio clero paulatim acquirant.

Quae de sacerdotali vocatione et formatione ab hoc Concilio statuta sunt, sancte serventur ubi Ecclesia primo plantatur, et apud novellas ecclesias. Maximi facienda sunt quae dicuntur de institutione spirituali cum doctrinali et pastorali arcte connectenda, de vita secundum formam evangelii gerenda sine consideratione commodi proprii vel familialis, de intimo sensu mysterii Ecclesiae excolendo. Inde mirabiliter discent totos se ipsos in servitium Corporis Christi et ad opus evangelii dedicare, proprio episcopo tanquam fidos cooperatores adhaerere et sociam confratribus operam praestare.[17]

Ad quem generalem finem assequendum, tota alumnorum formatio ordinetur sub luce mysterii salutis uti in Scripturis exhibetur. Hoc mysterium Christi et salutis humanae in Liturgia praesens inveniant et vivant.[18]

Quae exigentiae communes sacerdotalis institutionis, etiam pastoralis et practicae, ad normam Concilii,[19] componantur cum studio obviam eundi peculiari cogitandi agendique modo propriae gentis. Alumnorum mentes ergo aperiantur et exacuantur ut bene cognoscant et iudicare valeant suae gentis culturam; in disciplinis philosophicis et theologicis perspiciant rationes quae traditiones ac religionem patriam inter et religionem christianam intercedunt.[20] Item institutio sacerdotalis necessitates pastorales regionis respiciat: alumni discant historiam, finem et methodum actionis missionalis Ecclesiae, et speciales condiciones sociales, oeconomicas, culturales proprii populi. In spiritu oecumenismi educentur, et ad dialogum fraternum cum non-christianis rite praeparentur.[21] Haec omnia postulant, ut studia ad sacerdotium peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente.[22] Cura tandem habeatur de formatione in administratione ordinata ecclesiastica, immo etiam oeconomica.

Insuper idonei sacerdotes seligantur qui, post praxim aliquam pastoralem, in studiorum Universitatibus, etiam exteris, maxime in Urbe, aliisque Institutis scientificis studia superiora perficiant, ita ut Ecclesiis novellis ex clero locali praesto sint ad magis ardua munera ecclesiastica implenda, congrua scientia et peritia praediti.

Ubi Conferentiis Episcoporum opportunum apparuerit, ordo diaconatus ut status vitae permanens restauretur ad normam constitutionis « de Ecclesia ».[23] Iuvat enim viros, qui ministerio vere diaconali fungantur, vel verbum divinum tanquam catechistae praedicantes, vel nomine parochi et episcopi dissitas communitates christianas moderantes, vel caritatem exercentes in operibus socialibus seu caritativis, per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam corroborari et altari arctius coniungi, ut ministerium suum per gratiam sacramentalem diaconatus efficacius expleant.

17. Item laude dignum est agmen illud, de opere missionum ad Gentes tam optime meritum, catechistarum scilicet, tam virorum quam mulierum, qui spiritu apostolico imbuti, magnis laboribus singulare et omnino necessarium adiumentum conferunt ad dilatationem fidei et Ecclesiae.

Nostris diebus, cum ad tot multitudines evangelizandas et ad ministerium pastorale exercendum pauci sint clerici, catechistarum officium maximum momentum habet. Eorum ergo institutio ita perfici debet et culturali progressui accommodari, ut tanquam validi cooperatores ordinis sacerdotalis quam optime exsequi possint munus suum novis et amplioribus oneribus ingravescens.

Multiplicentur ergo scholae dioecesanae et regionales in quibus futuri catechistae cum doctrinam catholicam, praesertim in re biblica et liturgica, tum etiam methodum catecheticam praximque pastoralem excolant, seque ad mores hominum christianorum [24] forment, pietatem sanctitatemque vitae colere indesinenter satagentes. Insuper conventus vel cursus habeantur quibus catechistae in disciplinis et artibus suo ministerio utilibus certis temporibus renoventur et eorum vita spiritualis nutriatur et roboretur. Praeterea, iis qui totos

huic operi se devovent, status vitae decens et securitas socialis procuretur per iustam remunerationem.[25]

In voto est ut formationi et sustentationi catechistarum modo congruo provideatur subsidiis S. Dicasterii de Propaganda Fide specialibus. Si necessarium et aptum apparebit, Opus pro Catechistis fundetur.

Insuper Ecclesiae grato animo agnoscent generosam operam catechistarum auxiliarium, quorum adiutorio indigebunt. Ipsi in suis communitatibus precibus praesunt et doctrinam tradunt. De eorum formatione doctrinali et spirituali rite curandum est. Praeterea optandum est ut, ubi opportunum videbitur, catechistis debite formatis missio canonica in actione liturgica publice celebranda conferatur, ut apud populum maiore auctoritate fidei deserviant.

18. Inde a periodo plantationis Ecclesiae vita religiosa sedulo promoveatur, quae non solum pretiosa omninoque necessaria auxilia activitati missionali affert, sed per intimiorem consecrationem Deo in Ecclesia factam lucide quoque manifestat et significat intimam vocationis christianae naturam.[26]

Instituta religiosa, plantationi Ecclesiae adlaborantia, mysticis divitiis, quibus traditio religiosa Ecclesiae insignitur, penitus imbuta, eas pro cuiusque gentis ingenio et indole exprimere et tradere conentur. Attente considerent quomodo traditiones asceticae et contemplativae, quarum semina iam ante Evangelii praedicationem nonnunquam antiquis culturis a Deo indita sunt, in vitam religiosam christianam assumi possint.

In novellis Ecclesiis variae formae religiosae excolendae sunt, ut diversos aspectus missionis Christi et vitae Ecclesiae exhibeant, ac variis operibus pastoralibus se devoveant, suaque membra ad ea exercenda rite praeparent. Attamen Episcopi in Conferentia videant ne Congregationes, eundem finem apostolicum prosequentes, multiplicentur cum detrimento vitae religiosae et apostolatus.

Speciali mentione digna sunt varia ad vitam contemplativam radicandam incepta, quibus alii, essentialia Institutionis monasticae elementa retinentes, ditissimam traditionem sui Ordinis implantare satagunt, alii vero ad antiqui monachismi simpliciores formas redeunt: omnes tamen genuinam aptationem ad conditiones locales quaerere studeant. Cum enim vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat, oportet apud novellas Ecclesias ubique instauretur.

NOTAE

[1] Cf. Alloc. PAULI VI die 21 nov. 1964 in Concilio habita (*A.A.S.*, 1964, 1013).

[2] Cf. Decl. *De Libertate Religiosa,* 2, 4, 10; Const. *De Ecclesia in mundo huius temporis.*

[3] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 17.

[4] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* 64-65.

[5] De qua liberatione a servitute daemonis et tenebrarum, in Evangelio cf. *Mt.*

12, 28; *Io.* 8, 44; 12, 31 (cf. *1 Io.* 3, 8; *Eph.* 2, 1-2). In Liturgia Baptismi cf. Rit. Rom.

[6] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 14.

[7] Cf. S. AUGUSTINUS, *Tract. in Ioann.* 11, 4 (*PL* 35, 1476).

[8] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 9.

[9] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 10, 11, 34.

[10] Cf. Const. Dogm. *De Divina Revelatione,* 21.

[11] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 12, 35.

[12] Cf. *Ib.,* 23, 36.

[13] Cf. *Ib.,* 11, 35, 41.

[14] Cf. Decr. *De Ecclesiis Orientalibus,* 30.

[15] *Epist. ad Diognetum,* 5 (*PG* 2, 1173); cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 38.

[16] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 32; Decr. *De Apostolatu laicorum.*

[17] Cf. Decr. *De Institutione Sacerdotali,* 4, 8, 9.

[18] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* 17.

[19] Cf. Decr. *De Institutione Sacerdotali,* 1.

[20] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.,* 1959, 843-844).

[21] Cf. Decr. *De Oecumenismo,* 4.

[22] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.,* 1959, 842).

[23] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 29.

[24] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.,* 1959, 855).

[25] Agitur de sic dictis « catéchistes à plein temps », « full time catechists ».

[26] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 31, 44.

CAPUT III

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

19. Opus plantationis Ecclesiae in determinato hominum coetu certam attingit metam, cum congregatio fidelium, in sociali vita iam radicata culturaeque loci aliquatenus conformata, quadam stabilitate et firmitate fruitur: propria nempe, etsi insufficienti, instructa copia localium sacerdotum, religiosorum et laicorum, iis ministeriis et institutis ditatur quae ad vitam populi Dei sub ductu Episcopi proprii ducendam ac dilatandam necessaria sunt.

In huiusmodi Ecclesiis novellis, vita Populi Dei maturescere debet per omnes campos vitae christianae ad normas huius Concilii renovandae: congregationes fidelium magis in dies conscie vivae efficiuntur communitates fidei, liturgiae et caritatis; laici per civilem et apostolicam operositatem ordinem caritatis et iustitiae in civitate instaurare nituntur; instrumenta communicationis socialis opportune et prudenter adhibentur; familiae per vitam vere christianam seminaria evadunt apostolatus laicorum necnon vocationum sacerdotalium et religiosarum. Fides denique per catechesim aptatam edocetur, in Liturgia ingenio populi consona celebratur, et per legislationem canonicam congruam inducitur in honesta instituta et consuetudines locales.

Episcopi vero, una cum suo quisque presbyterio, sensu Christi et Ecclesiae magis magisque imbuti, cum universali Ecclesia sentiant atque vivant.

Intima permaneat ecclesiarum novellarum communio cum tota Ecclesia, cuius traditionis elementa culturae propriae adiungant ad augendam, mutuo quodam virium effluvio, vitam Corporis Mystici.[1] Hinc colantur elementa theologica, psychologica et humana quae ad hunc sensum communionis cum Ecclesia universali fovendum afferre valeant.

Hae vero Ecclesiae, saepissime in pauperioribus orbis partibus sitae, gravissima plerumque sacerdotum penuria et subsidiorum materialium inopia adhuc laborant. Quare summopere indigent ut continuata totius Ecclesiae actio missionalis ea subministret adminicula quae Ecclesiae localis incremento vitaeque christianae maturitati praeprimis inserviant. Quae actio missionalis opem etiam ferat iis Ecclesiis, diu fundatis, quae in quodam statu regressionis vel debilitatis versantur.

Attamen istae Ecclesiae commune pastorale studium aptaque opera instaurent, quibus vocationes ad clerum dioecesanum et ad Instituta religiosa numero augeantur, securius diiudicentur et efficacius excolantur,[2] ita ut paulatim sibimetipsis providere et aliis auxilium afferre valeant.

20. Cum Ecclesia particularis universalem Ecclesiam quam perfectissime repraesentare teneatur, probe noscat se ad eos quoque qui in Christum non credentes cum ipsa in eodem territorio commorentur, esse missam ut testimonio vitae singulorum fidelium et totius communitatis, signum sit Christum eis indicans.

Requiritur insuper ministerium verbi, ut Evangelium ad omnes perveniat. Episcopus imprimis fidei praeco sit oportet, qui novos discipulos ad Christum adducat.[3] Quod eximium munus ut rite adimpleat, penitus percipiat tum condiciones sui gregis tum intimas suorum concivium de Deo opiniones, sedulo quoque habita ratione illarum mutationum, quas urbanizationes uti dicunt, migrationes et indifferentismus religiosus introduxerint.

Presbyteri locales in novellis Ecclesiis opus evangelizationis ardenter aggrediantur, communem operam instituendo cum missionariis exteris, quibuscum unum efforment presbyterium, adunatum sub auctoritate Episcopi, non solum ad fideles pascendos et ad divinum cultum celebrandum, sed etiam ad Evangelium praedicandum iis qui foris sunt. Promptos se praebeant et, occasione data, alacri animo Episcopo suo sese offerant ad opus missionarium in dissitis et derelictis regionibus propriae dioeceseos vel in aliis dioecesibus incipiendum.

Eodem zelo fervescant religiosi et religiosae itemque laici erga suos concives, praesertim pauperiores.

Curent Conferentiae Episcopales ut statis temporibus cursus renovationis biblicae, theologicae, spiritualis et pastoralis instituantur eo consilio, ut inter rerum varietates et mutationes clerus pleniorem cognitionem scientiae theologicae et methodorum pastoralium acquirat.

De cetero, sancte serventur ea quae ab hoc Concilio, praesertim in Decreto de ministerio et vita presbyterorum sancita sunt.

Ut hoc opus missionale Ecclesiae particularis perfici possit, requiruntur

ministri idonei, tempestive parandi modo condicionibus uniuscuiusque Ecclesiae congruenti. Cum autem homines magis magisque in coetus coalescant, maxime convenit Conferentias episcopales communia consilia inire de dialogo cum his coetibus instituendo. Si autem in quibusdam regionibus coetus hominum inveniuntur, qui a fide catholica amplectenda eo arceantur, quod formae peculiari quam Ecclesia ibi induerit, sese accommodare nequeant, in voto est ut tali condicioni speciali modo [4] provideatur, donec omnes christiani in unam communitatem congregari possint. Missionarios vero, si quos Apostolica Sedes ad hunc finem praesto habuerit, singuli Episcopi in suas dioeceses vocent vel libenter recipiant eorumque incepta efficaciter promoveant.

Ut hic zelus missionarius apud domesticos patriae florescat, valde convenit ut Ecclesiae novellae quam primum Missioni universali Ecclesiae opere participent, mittendo et ipsae missionarios qui Evangelium ubique terrarum annuntient, etsi penuria cleri laborent. Communio enim cum Ecclesia universali quodammodo consummabitur cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt.

21. Ecclesia non vere fundata est, non plene vivit, nec perfectum Christi signum est inter homines, nisi cum hierarchia laicatus veri nominis exstet et laboret. Evangelium enim non potest profunde infigi in ingeniis, vita et labore alicuius populi sine actuosa praesentia laicorum. Ideo iam in fundatione Ecclesiae ad laicatum maturum Christianum constituendum maxime attendendum est.

Laici enim fideles plene pertinent simul ad Populum Dei et ad societatem civilem: Ad gentem suam pertinent in qua nati sunt, in cuius thesauris culturalibus per educationem participare coeperunt, cuius vitae per multiformia vincula socialia iunguntur, in cuius progressu proprio nisu in suis professionibus cooperantur, cuius problemata ipsi tamquam propria sentiunt et solvere conantur; pertinent etiam ad Christum, quia regenerati sunt in Ecclesia per fidem et baptismum ut, novitate vitae et operis, Christi sint (cf. *1 Cor.* 15, 23), ut in Christo omnia Deo subiciantur, et tandem sit Deus omnia in omnibus (cf. *1 Cor.* 15, 28).

Praecipuum officium eorum, virorum et mulierum, est testimonium Christi, quod vita et verbo in familia, in suo coetu sociali, et in ambitu suae professionis reddere tenentur. Appareat enim in eis oportet novus homo qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (cf. *Eph.* 4, 24). Debent vero hanc novitatem vitae exprimere in ambitu societatis et culturae patriae, secundum traditiones suae nationis. Ipsi cognoscere hanc culturam, eam sanare et servare, secundum condiciones recentes evolvere, et tandem in Christo perficere debent, ut fides Christi et vita Ecclesiae societati, in qua vivunt, iam non sit extranea, sed eam permeare et transformare incipiat. Iungantur concivibus suis sincera caritate, ut in eorum conversatione appareat novum vinculum unitatis et solidarietatis universalis, quae ex mysterio Christi hauritur. Disseminent etiam fidem Christi inter eos, quibus vitae et professionis vinculis nectuntur; quae obligatio eo magis urget, quod plurimi homi-

nes nonnisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum agnoscere possunt. Immo, ubi fieri potest, laici parati sint, in magis immediata cooperatione cum hierarchia, specialem missionem implere ad Evangelium annuntiandum et doctrinam Christianam communicandam, ut nascenti Ecclesiae vigorem adiciant.

Ministri vero Ecclesiae operosum apostolatum laicorum magni habeant. Laicos forment ut tamquam membra Christi responsabilitatis suae pro omnibus hominibus conscii fiant; eos in mysterio Christi profunde instruant, in practicas methodos introducant ac eis in difficultatibus adsint, ad mentem Constitutionis *Lumen Gentium* et Decreti *Apostolicam Actuositatem*.

Servatis ergo Pastorum et laicorum muneribus et responsabilitatibus propriis, tota Ecclesia novella unum testimonium Christi vivum et firmum reddat, ut lucidum signum fiat salutis, quae in Christo nobis advenit.

22. Semen quod est verbum Dei, germinans ex terra bona, rore divino irrigata, succum trahit, illum transformat sibique assimilat ut denique fructum multum afferat. Equidem ad instar oeconomiae Incarnationis, Ecclesiae novellae in Christo radicatae Apostolorumque fundamento superaedificatae, in admirabile commercium assumunt omnes divitias nationum quae Christo datae sunt in haereditatem (cf. *Ps.* 2, 8). Ipsae e suorum populorum consuetudinibus et traditionibus, sapientia et doctrina, artibus et disciplinis, ea omnia mutuantur quae ad gloriam Creatoris confitendam, ad gratiam Salvatoris illustrandam et ad vitam christianam rite ordinandam conferre possunt.[5]

Ad hoc propositum assequendum necesse est, ut in unoquoque magno territorio socio-culturali, uti aiunt, ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente Traditione universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Sacris Litteris consignata et ab Ecclesiae Patribus et Magisterio explicata, novae investigationi subiiciantur. Sic clarius percipietur quibus viis fides, ratione habita philosophiae vel sapientiae populorum, quaerere possit intellectum, et quibus modis consuetudines, vitae sensus et socialis ordo, cum moribus, revelatione divina significatis, componi queant. Inde patebunt viae ad profundiorem aptationem in toto ambitu vitae christianae. Hoc agendi modo omnis syncretismi et falsi particularismi species secludetur, vita christiana ingenio indolique cuiusque culturae accommodabitur,[6] traditiones particulares cum propriis cuiusque familiae gentium dotibus luce Evangelii illustratis, in unitatem catholicam assumentur. Novae denique Ecclesiae particulares, suis traditionibus exornatae, locum suum habebunt in ecclesiastica communione, integro manente Primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet.[7]

Optandum est ergo immo omnino convenit, ut Conferentiae Episcopales intra limites uniuscuiusque magni territorii socio-culturalis inter se ita coadunentur ut concordi animo communibusque consiliis hoc aptationis propositum prosequi valeant.

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 838).

[2] Cf. Decr. *De ministerio et vita sacerdotali,* 11; Decr. *De institutione sacerdotali,* 2.

[3] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 25.

[4] Cf. Decr. *De ministerio et vita presbyterorum,* 10, ubi ad peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus faciliora reddenda, praevidetur constitutio Praelaturarum personalium, in quantum ratio apostolatus recte exercendi id postulaverit.

[5] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 13.

[6] Cf. Alloc. PAULI VI in Canon. Ss. Mart. Ugandens. (*A.A.S.*, 1964, 908).

[7] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 13.

CAPUT IV

DE MISSIONARIIS

23. Quamvis cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit,[1] Christus Dominus semper e numero discipulorum vocat quos vult ipse, ut sint cum illo et ut mittat eos gentibus praedicare (cf. *Mc.* 3, 13 s.). Quare per Spiritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitatem dividit (*1 Cor.* 12, 11), vocationem missionariam in cordibus singulorum inspirat simulque in Ecclesia suscitat Instituta,[2] quae munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens tamquam proprium officium suscipiant.

Speciali enim vocatione signantur, qui congrua naturali indole praediti, dotibus et ingenio idonei, parati sunt ad opus missionale suscipiendum,[3] sive autochthoni sive exteri: sacerdotes, religiosi, laici. A legitima auctoritate missi, fide et oboedientia ad eos, qui longe sunt a Christo, exeunt, segregati in opus ad quod assumpti sunt (cf. *Act.* 13, 2) tamquam ministri Evangelii, « ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16).

24. At vero Deo vocanti homo respondere debet tali modo, ut carni et sanguini non acquiescens (cf. *Gal.* 1, 16) totum sese devinciat operi Evangelii. Hoc autem responsum dari nequit nisi Spiritu Sancto incitante et roborante. Missus enim intrat in vitam et missionem Eius, qui « seipsum exinanivit formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 7). Ideo paratus esse debet ad vitam stare vocationi suae, renuntiare sibi et omnibus quae hucusque sua habuit, et « omnibus omnia sese facere » (*1 Cor.* 9, 22).

Annuntians Evangelium in gentibus, cum fiducia notum faciat mysterium Christi, pro quo legatione fungitur, ita ut in Ipso audeat, prout oportet, loqui (cf. *Eph.* 6, 19 s.; *Act.* 4, 31), scandalum crucis non erubescens. Vestigia premens Magistri sui, mitis et humilis corde, manifestet iugum Eius suave esse et onus leve (*Mt.* 11, 29 s.). Vita revera evangelica,[4] in multa patientia,

in longanimitate, in suavitate, in caritate non ficta (cf. *2 Cor.* 6, 4 s.) testimonium reddat Domino suo, si necesse est, usque ad sanguinis effusionem. Virtutem et fortitudinem a Deo impetrabit, ut cognoscat in multo experimento tribulationis et altissimae paupertatis abundantiam esse gaudii (cf. *2 Cor.* 8, 2). Persuasum habeat oboedientiam esse virtutem peculiarem ministri Christi, qui oboedientia Sua redemit genus humanum.

Evangelii praecones, ne gratiam quae in eis est, neglegant, renoventur spiritu mentis de die in diem (cf. *1 Tim.* 4, 14; *Eph.* 4, 23; *2 Cor.* 4, 16). Ordinarii vero et Superiores statutis temporbius missionarios coadunent, ut spe vocationis roborentur et in ministerio apostolico innoventur, etiam institutis ad hoc aptis domibus.

25. Ad tam praeclarum opus, futurus missionarius speciali formatione spirituali et morali praeparandus est.[5] Debet enim esse promptus ad initia capienda, constans ad opera perficienda, perseverans in difficultatibus, patienti et forti animo ferens solitudinem, defatigationem, infructuosum laborem. Mente aperta et corde dilatato hominibus occurret; officia sibi commissa libenter suscipiet; alienis etiam populorum moribus et variantibus condicionibus generose se aptabit; concordi animo et mutua caritate sociam operam dabit fratribus et omnibus qui eidem operi sese dedicant, ita ut simul cum fidelibus, communitatem apostolicam imitantes, cor unum sint et anima una (cf. *Act.* 2, 42; 4, 32).

Hae animi habitudines iam tempore formationis sedulo exerceantur, excolantur et vita spirituali eleventur et nutriantur. Fide viva et spe indeficienti imbutus, missionarius sit vir orationis; ardeat spiritu virtutis et dilectionis et sobrietatis (cf. *2 Tim.* 1, 7); discat in quibus sit sufficiens esse (cf. *Phil.* 4, 11); spiritu sacrificii mortem Iesu in seipso circumferat, ut vita Iesu operetur in eis ad quos mittitur (cf. *2 Cor.* 4, 10 ss.); zelo animarum libenter omnia impendat et superimpendatur ipse pro animabus (cf. *2 Cor.* 12, 15 s.), adeo ut « quotidiano officii sui exercitio in Dei proximique amore crescat ».[6] Ita voluntati Patris oboediens cum Christo, missionem Eius sub auctoritate hierarchica Ecclesiae continuabit, et mysterio salutis cooperabitur.

26. Qui vero ad varias gentes mittentur, ut boni ministri Christi, enutriti sint « verbis fidei et bonae doctrinae » (*1 Tim.* 4, 6), quae praeprimis ex Sacris Scripturis haurient, perscrutantes Mysterium Christi, cuius praecones et testes erunt.

Quare omnes missionarii — sacerdotes, fratres, sorores, laici — pro sua quisque condicione praeparandi et efformandi sunt, ne exigentiis futuri operis impares inveniantur.[7] Ab ipsis iam initiis, formatio doctrinalis eorum ita instituatur, ut et universalitatem Ecclesiae et diversitatem gentium comprehendat. Quod de omnibus disciplinis valet, per quas ad ministerium obeundum parantur, necnon de aliis scientiis, quibus utiliter edocentur, ut communem habeant populorum, culturarum, religionum cognitionem, non tantum ad praeteritum, sed et ad praesens tempus spectantem. Quicumque nempe alium populum aditurus est, magni aestimet eius patrimonium et

linguas et mores. Futuro missionario apprime necessarium est studiis missiologicis incumbere, id est cognoscere doctrinam et normas Ecclesiae circa activitatem missionalem, scire quas vias nuntii Evangelii decursu saeculorum percurrerint, necnon praesentem missionum condicionem simul ac methodos, quae nunc temporis efficaciores censentur.[8]

Etsi vero haec integra institutio pastorali sollicitudine imbuenda sit, peculiaris tamen et ordinata formatio apostolica praebeatur, tam doctrina quam practicis exercitationibus.[9]

Fratres et sorores quamplurimi artem catecheticam bene edoceantur et praeparentur, ut magis adhuc in apostolatu collaborare possint.

Etiam qui ad tempus in activitate missionali partes assumunt, formationem conditioni suae adaequatam acquirant necesse est.

Haec vero formationis genera in terris ad quas mittentur ita compleantur, ut missionarii fusius cognoscant historiam, structuras sociales et consuetudines populorum, perspiciant ordinem moralem et praecepta religiosa necnon ideas intimas, quas ii secundum sacras sibi traditiones de Deo, de mundo et de homine efformaverint.[10] Linguas vero ediscant tali gradu, ut illis expedite et polite uti queant, et ita faciliorem ad hominum mentes et corda aditum inveniant.[11] Praeterea in peculiares necessitates pastorales rite introducantur.

Aliqui vero profundiore ratione praeparentur apud Instituta Missiologica vel alias Facultates aut Universitates, ut efficacius specialibus muneribus fungi[12] et ceteris missionariis eruditione sua adiutorio esse possint in exercendo opere missionario quod nostris praesertim temporibus tot difficultates et opportunitates praebet. Valde insuper optandum, ut Conferentiae Regionales Episcoporum talium peritorum copiam praesto habeant, eorumque scientia et experientia fructuose utantur in sui muneris necessitatibus. Nec desint qui perfecte sciant uti instrumentis technicis et communicationis socialis, quorum momentum omnes magni faciant.

27. Quae omnia, quamvis unicuique ad gentes misso omnino necessaria sint, ab individuis vix reapse attingi possunt. Cum etiam ipsum opus missionale, experientia teste, a singulis impleri nequeat, communis vocatio singulos ad Instituta congregavit, in quibus, collatis viribus, apte formentur et illud opus nomine Ecclesiae et ad nutum hierarchicae auctoritatis exsequerentur. Quae Instituta multis abhinc saeculis pondus diei et aestus portaverunt, sive integre labori missionali sese devoverunt sive ex parte. Saepe vasta territoria illis evangelizanda a Sancta Sede commissa sunt, in quibus Deo novum populum coadunaverunt, Ecclesiam localem propriis pastoribus adhaerentem. Ecclesiis suo sudore, immo et sanguine suo fundatis, zelo atque experientia in servitium erunt fraterna cooperatione vel curam animarum gerendo vel munera specialia ad bonum commune persolvendo.

Aliquando pro toto alicuius regionis ambitu urgentiores quosdam labores in se sument, e. g. evangelizationem coetuum vel populorum qui forsan nuntium evangelicum ob peculiares rationes nondum acceperunt vel ei hucusque restiterunt.[13]

Si opus est, illos qui activitati missionali ad tempus se devovent, experientia sua efformare et adiuvare praesto sint.

His de causis, et cum multae adhuc exstent gentes ad Christum adducendae, Instituta apprime necessaria manent.

NOTAE

[1] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 17.

[2] « Institutorum » nomine veniunt Ordines, Congregationes, Instituta et Associationes quae in Missionibus laborant.

[3] Cf. Pius XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.*, 1926, 69-71); Pius XII, *Saeculo exeunte* (*A.A.S.*, 1940, 256); *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 506).

[4] Cf. Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 449-450).

[5] Cf. Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 448-449); Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507). In formatione missionariorum sacerdotum etiam ratio habenda est eorum quae statuuntur in Decreto *De institutione sacerdotali* Concilii Vat. II.

[6] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 41.

[7] Cf. Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 140); Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507).

[8] Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 448); Decr. S.C.P.F., 20 maii 1923 (*A.A.S.*, 1923, 369-370); Pius XII, *Saeculo exeunte* (*A.A.S.*, 1940, 256); *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 843-844).

[9] Decr. *De Institutione sacerdotali,* 19-21; Const. Apost. *Sedes Sapientiae* cum Statutis generalibus.

[10] Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 523-524).

[11] Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 448); Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507).

[12] Cf. Pius XII, *Fidei donum* (*A.A.S.*, 1957, 234).

[13] Cf. *De ministerio et vita presbyterorum,* 10, ubi de Dioecesibus et Praelaturis personalibus et aliis huiusmodi sermo fit.

Caput V

DE ORDINATIONE ACTIVITATIS MISSIONALIS

28. Christifideles, cum donationes habeant differentes (cf. *Rom.* 12, 6), pro sua quisque opportunitate, facultate, charismate ac ministerio (cf. *1 Cor.* 3, 10), in Evangelio collaborare debent; omnes proinde, qui seminant et qui metunt (cf. *Io.* 4, 37), qui plantant et qui rigant, unum sint oportet (cf. *1 Cor.* 3, 8), ut « ad eundum finem libere et ordinatim conspirantes »,[1] unanimiter ad aedificationem Ecclesiae vires impendant.

Quamobrem Evangelii Praeconum labores et auxilia ceterorum Christifidelium ita dirigenda et colliganda sunt, ut « omnia secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40) in cunctis activitatis et cooperationis missionalis campis.

29. Cum enim cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi imprimis ad Corpus Episcoporum pertineat,[2] Synodus Episcoporum seu « stabile Episcoporum Consilium pro Ecclesia universa »,[3] inter generalis momenti negotia,[4] activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris,[5] specialem habeat rationem.

Pro omnibus Missionibus et pro tota activitate missionali unum tantum sit oportet Dicasterium competens, nempe « De Propaganda Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum et ipsum opus missionale et cooperatio missionaria, salvo tamen iure Ecclesiarum Orientalium.[6]

Licet multiplici modo Spiritus Sanctus suscitet spiritum missionalem in Ecclesia Dei, et non raro actionem eorum quorum est moderari vitam Ecclesiae praeveniat, tamen pro sua parte etiam hoc Dicasterium promoveat vocationem et spiritualitatem missionariam, zelum et orationem pro missionibus, necnon de istis nuntia genuina et adaequata producat. Ab eo suscitentur et secundum urgentiores necessitates regionum distribuantur missionarii. Ab eo disponatur ordinata operandi ratio, profluant normae directivae et principia pro Evangelizatione adaptata, dentur impulsus. Ab eo incitetur et coordinetur efficax collectio subsidiorum, quae distribuantur secundum rationes necessitatis vel utilitatis necnon extensionis dicionis, numeri fidelium et infidelium, operum et Institutorum, ministrorum et missionariorum.

Una cum Secretariatu ad unitatem Christianorum fovendam quaerat vias et media ad procurandam et ordinandam fraternam collaborationem necnon conviventiam cum incoeptis missionalibus aliarum communitatum christianarum, ut scandalum divisionis pro posse tollatur.

Itaque necesse est ut hoc Dicasterium sit tam instrumentum administrationis quam organum directionis dynamicae, quod utatur methodis scientificis et instrumentis huius temporis condicionibus adaptatis, ratione nempe habita hodiernae investigationis theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae.

In directione huius Dicasterii partem actuosam cum voto deliberativo habeant repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex toto orbe, auditis Conferentiis Episcopalibus, necnon moderatores Institutorum et Operum Pontificalium, modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, sub auctoritate Summi Pontificis supremam ordinationem totius operis missionalis exerceant.

Huic Dicasterio praesto sit permanens Coetus Consultorum peritorum, scientiae aut experientiae probatae, quorum inter alia erit cum de condicione variarum regionum locali et de modo cogitandi diversorum coetuum hominum, tum de methodis evangelizationis adhibendis opportunas notitias colligere et conclusiones scientifice fundatas pro opere et cooperatione missionali proponere.

Instituta religiosarum, opera regionalia pro Missionibus necnon organizationes laicorum, praesertim internationales, modo congruo repraesententur.

30. Ut in ipso opere missionali exercendo fines et effectus attingantur, omnibus operariis missionalibus sit « cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32).

Episcopi est, uti rectoris et centri unitatis in apostolatu dioecesano, activitatem missionalem promovere, moderari et coordinare, ita tamen ut spontanea navitas eorum qui in opere partem habent, servetur et foveatur. Omnes missionarii, etiam religiosi exempti, eiusdem potestati subsunt in variis operibus, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt.[7] Ad meliorem coordinationem, Episcopus constituat in quantum fieri potest Consilium pastorale, in quo clerici, religiosi et laici per delegatos selectos partem habeant. Curet insuper ne activitas apostolica ad solos iam conversos limitetur, sed aequa pars et operariorum et subsidiorum evangelizationi non-christianorum destinetur.

31. Conferentiae Episcopales communi consilio graviores quaestiones et problemata urgentia tractent, quin tamen differentias locales negligant.[8] Ne insufficiens personarum et subsidiorum copia dissipetur, neve incepta sine necessitate multiplicentur, commendatur ut opera bono omnium inservientia collatis viribus condant, uti e. g. seminaria, scholas superiores et technicas, centra pastoralia, catechetica, liturgica necnon instrumentorum communicationis socialis.

Eiusmodi cooperatio pro opportunitate etiam inter diversas conferentias episcopales instituatur.

32. Expedit quoque coordinare activitates quae ab Institutis vel Associationibus Ecclesiasticis exercentur. Quae omnia, cuiusvis sint generis, in universis quae ipsam activitatem missionalem spectant, obsecundent Ordinario loci. Quare multum proderit particulares inire conventiones, quibus relationes inter Ordinarium loci et Moderatorem Instituti regantur.

Quando Instituto cuidam commissum fuit territorium, Superiori Ecclesiastico et Instituto cordi erit omnia ad hunc finem dirigere ut nova communitas christiana in Ecclesiam localem crescat, quae opportuno tempore a proprio Pastore cum suo clero regatur.

Cessante territorii commissione nova oritur condicio. Tunc Conferentiae Episcoporum et Instituta, communi consilio statuant normas, quae relationes inter Ordinarios locorum et Instituta moderentur.[9] Sanctae Sedis autem erit principia generalia delineare iuxta quae conventiones regionales vel etiam particulares ineantur.

Quamquam Instituta parata erunt continuare opus inceptum, collaborando in ministerio ordinario curae animarum, tamen crescente clero locali, providendum erit ut Instituta, quantum eorum fini congruit, ipsi Dioecesi fidelia maneant, opera specialia vel aliquam regionem in ea generose assumendo.

33. Instituta vero, quae in eodem territorio activitati missionali incumbunt, vias et modos inveniant oportet, quibus opera coordinentur. Quare summae utilitatis sunt Conferentiae Religiosorum et Uniones Religiosarum, in quibus omnia eiusdem nationis vel regionis Instituta partes habeant. Hae

Conferentiae inquirant, quaenam communi conatu peragi possint, et arcta relatione cum Conferentiis Episcopalibus connectantur.

Quae omnia pari ratione ad collaborationem Institutorum missionalium in terris patriis extendere convenit, ita ut quaestiones et incepta communia facilius et minoribus cum expensis solvi queant, ut puta formatio doctrinalis futurorum missionariorum, necnon cursus pro missionariis, relationes ad publicas auctoritates vel ad organa internationalia et supranationalia.

34. Cum rectum et ordinatum exercitium actuositatis missionariae requirat ut operarii evangelici ad munera sua, praesertim ad dialogum cum religionibus et culturis non-christianis, scientifice praeparentur, et in ipsa executione efficaciter adiuventur, desideratur ut in favorem missionum inter se fraterne et generose collaborent quaelibet Instituta scientifica quae colunt missiologiam aliasque disciplinas vel artes missionibus utiles, uti ethnologiam et linguisticam, historiam et scientiam religionum, sociologiam, artes pastorales et similia.

NOTAE

[1] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 18.
[2] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 23.
[3] Cf. Motu proprio *Apostolica Sollicitudo,* 15 sept. 1965.
[4] Cf. PAULUS VI, Alloc. die 21 nov. 1964 in Concilio habita (*A.A.S.,* 1964).
[5] Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 39-40).
[6] Si quae missiones propter peculiares rationes aliis Dicasteriis pro tempore adhuc subsunt, expedit ut illa Dicasteria relationem habeant cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide, ut in omnibus Missionibus ordinandis ac dirigendis ratio et norma omnino constans atque uniformis haberi possit.
[7] Cf. Decr. *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* 35, 4.
[8] Cf. Decr. *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* 36-38.
[9] Cf. Decr. *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* 35, 5-6.

CAPUT VI

DE COOPERATIONE

35. Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium Populi Dei fundamentale, Sacra Synodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione habentes, partes suas assumant in opere missionali apud Gentes.

36. Ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporati et configurati, omnes fideles officio tenentur ad Eius Corporis expansionem et dilatationem cooperandi, ut quamprimum Illud ad plenitudinem adducant (*Eph.* 4, 13).

Quare omnes Ecclesiae filii vivam suae erga mundum responsabilitatis

conscientiam habeant, spiritum vere catholicum in seipsis foveant, suasque vires in opus evangelizationis impendant. Attamen, sciant omnes, primum ac potissimum suum debitum pro fidei diffusione esse, vitam christianam profunde vivere. Eorum enim fervor in Dei servitio et erga alios caritas novum spiritualem afflatum toti Ecclesiae afferent, quae apparebit ut signum levatum in nationes (cf. *Is.* 11, 12), « lux mundi » (*Mt.* 5, 14) et « sal terrae » (*Mt.* 5, 13). Hoc testimonium vitae facilius effectum suum obtinebit si una cum aliis coetibus christianis praestabitur, iuxta normas Decr. *De Oecumenismo,* 12.[1]

Ex hoc renovato spiritu preces et paenitentiae opera Deo sponte offerentur ut opus missionariorum sua foecundet gratia, vocationes missionariae ortum habebunt, opes quibus missiones indigent promanabunt.

Ut autem omnes et singuli christifideles praesentem Ecclesiae in mundo condicionem plane noverint, et vocem audiant multitudinum clamantium: « Adiuva nos » (cf. *Act.* 16, 9), notitiae missionales, modernis etiam instrumentis communicationis socialis adhibitis, tales praebeantur, ut activitatem missionalem suam sentientes, ad tam immensas et profundas hominum necessitates cor aperiant eisque subvenire valeant.

Necessaria quoque est coordinatio notitiarum et cooperatio cum organis nationalibus et internationalibus.

37. Cum autem Populus Dei in communitatibus, praesertim dioecesanis et paroecialibus vivat, et in ipsis quodammodo visibilis appareat, ad istas etiam pertinet Christum coram Gentibus testificari.

Gratia renovationis in communitatibus crescere nequit nisi unaquaeque spatia caritatis ad terminos terrae dilatet, similemque curam habeat de iis qui longe ac de illis qui propria membra sunt.

Sic tota communitas precatur, cooperatur et activitatem inter gentes exercet per filios suos quos Deus ad hoc praestantissimum munus eligit.

Perutile erit, dummodo ne negligatur opus Missionale universale, coniunctionem servare cum missionariis ex ipsa communitate ortis, vel cum paroecia aut dioecesi aliqua missionum, ut communio inter communitates visibilis fiat, et in mutuam cedat aedificationem.

38. Episcopi omnes, ut membra corporis Episcoporum Collegio Apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae (*Mc.* 16, 15) eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit. Inde oritur illa communio et cooperatio Ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum. Vi istius communionis singulae Ecclesiae sollicitudinem omnium aliarum ferunt, proprias necessitates sibi invicem aperiunt, res suas mutuo communicant, cum dilatatio Corporis Christi munus totius Collegii Episcoporum sit.[2]

In sua dioecesi, cum qua unum constituit, Episcopus opus missionale suscitans, promovens, dirigens, spiritum et ardorem missionalem Populi Dei praesentem et quasi visibilem reddit, ita ut tota dioecesis missionaria evadat.

Episcopi erit in suo populo, praesertim inter infirmos et aerumnis oppressos, animas suscitare quae orationes et paenitentiae opera Deo corde aperto pro mundi evangelizatione offerant; vocationes iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter fovere, grato animo ferens, si Deus quosdam eligat qui actuositati Ecclesiae missionali inserantur; Congregationes dioecesanas hortari et adiuvare ut propriam partem in missionibus assumant; opera Institutorum missionalium apud suos fideles promovere, sed praesertim Opera Pontificalia Missionalia. Istis enim Operibus iure primus locus tribui debet quippe quae media sunt tum ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, tum ad excitandam efficacem collectionem subsidiorum in bonum omnium Missionum pro cuiuscumque necessitate.[3]

Cum vero in dies crescat necessitas operariorum in vinea Domini, et sacerdotes dioecesani desiderent et ipsi partes semper maiores in mundi evangelizatione habere, Sancta Synodus exoptat ut Episcopi, gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus suis sacerdotibus, qui se ad opus missionale offerant, debita praeparatione peracta, ad dioeceses clero carentes mittant, ubi saltem ad tempus ministerium missionale in spiritu servitii exerceant.[4]

Ut autem Episcoporum activitas missionalis in bonum totius Ecclesiae efficacius exerceri possit, expedit ut Conferentiae Episcopales negotia moderentur quae ad ordinatam cooperationem propriae regionis spectant.

In suis Conferentiis agant Episcopi de sacerdotibus cleri dioecesani gentium evangelizationi devovendis; de certa stipe quam unaquaeque dioecesis propriis redditibus proportionatam quotannis pro opere missionum dare tenetur;[5] de modis et mediis quibus missiones directe subveniuntur dirigendis et ordinandis; de Institutis missionalibus et seminariis cleri dioecesani pro missionibus adiuvandis et, si opus est, fundandis; de arctioribus nexibus inter huiusmodi Instituta et dioeceses fovendis.

Ad Conferentias episcopales pariter pertinet opera instituere et promovere quibus illi qui laboris et studii causa ex terris missionum immigrant fraterne excipiantur et congruenti pastorali cura adiuventur. Per eos enim populi longinqui vicini quodammodo fiunt et communitatibus antiquitus christianis optima occasio offertur cum nationibus quae Evangelium nondum audierunt colloquendi et eis in proprio officio amoris et adiumenti genuinum Christi vultum ostendendi.[6]

39. Presbyteri personam Christi gerunt et cooperatores sunt ordinis episcopalis, in triplici sacro munere quod natura sua ad missionem Ecclesiae spectat.[7] Penitus ergo intelligant suam vitam etiam in servitium Missionum consecratam esse. Cum autem per proprium suum ministerium — quod praecipue in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — cum Christo Capite communicent et alios ad hanc communionem adducant, non possunt non sentire quantum adhuc ad plenitudinem Corporis desit, et quantum

proinde praestandum sit ut in dies crescat. Curam ergo pastoralem ita ordinabunt, ut dilatationi Evangelii apud non-christianos prosit.

Presbyteri in cura pastorali zelum pro mundi evangelizatione inter fideles excitabunt et conservabunt, per catechesim et praedicationem eos instruendo de munere Ecclesiae Christum Gentibus annuntiandi; familias christianas edocendo de necessitate et honore vocationes missionales inter proprios filios et filias colendi; in iuvenibus scholarum et catholicarum associationum fervorem missionalem fovendo ita ut ex illis futuri Evangelii Praecones oriantur. Fideles doceant pro missionibus orare et ab eisdem eleemosynas quaerere ne erubescant, quasi mendici pro Christo animarumque salute facti.[8]

Professores Seminariorum et Universitatum iuvenes veram condicionem mundi et Ecclesiae docebunt, ut necessitas impensioris evangelizationis non-christianorum eis appareat et eorum zelum nutriat. In tradendis vero disciplinis dogmaticis, biblicis, moralibus et historicis rationes missionales in illis contentas in lucem ponant, ut hoc modo conscientia missionaria in futuris sacerdotibus formetur.

40. Instituta religiosa, vitae contemplativae et activae, maximam hucusque partem in mundi evangelizatione habuerunt et habent. Eorum merita Sacrosancta Synodus libenter agnoscit et Deo gratias agit pro tot impensis in Dei gloriam et in servitium animarum praestitis, eademque hortatur ut indefesse in opere incepto prosequantur, cum sciant virtutem caritatis, quam ex vocatione perfectius colere tenentur, ad spiritum et laborem vere catholicum se impellere et obligare.[9]

Instituta vitae contemplativae per suas orationes, paenitentiae opera et tribulationes, maximum momentum habent in conversione animarum, cum Deus sit qui rogatus mittit operarios in messem suam (cf. *Mt.* 9, 38), animos non-christianorum ad audiendum Evangelium aperit (cf. *Act.* 16, 14), et verbum salutis in eorum cordibus foecundat (cf. *1 Cor.* 3, 7). Immo rogantur haec Instituta ut domos in locis missionum condant, sicut non pauca iam fecerunt, ut ibi, modo traditionibus genuine religiosis populorum accommodato, vitam degentes, praeclarum testimonium maiestatis et caritatis Dei, necnon et unionis in Christo, inter non-christianos reddant.

Instituta vero vitae activae, sive finem stricte missionalem prosequantur sive non, sincere coram Deo sese interrogent utrum actuositatem suam in expansionem Regni Dei inter Gentes extendere valeant; utrum quaedam ministeria aliis relinquere possint, ita ut suas vires pro missionibus impendant; utrum activitatem in missionibus incipere possint, aptando, si necesse fuerint, suas Constitutiones, ad mentem tamen Fundatoris; utrum sodales sui pro viribus in activitate missionali participent; utrum eorum consuetudo vitae sit testimonium Evangelii indoli et condicioni populi accommodatum.

Cum autem, Spiritu Sancto inspirante, in dies crescant in Ecclesia Instituta saecularia, eorum opera, sub auctoritate Episcopi, multiplici ratione in missionibus fructuosa esse potest, ut signum plenae deditionis ad evangelizationem mundi.

41. Laici ad opus evangelizationis Ecclesiae cooperantur et tamquam testes simul et viva instrumenta missionem eius salvificam participant,[10] praesertim si a Deo vocati ab Episcopis ad hoc opus assumuntur.

In terris iam christianis laici ad evangelizationis opus cooperantur, cognitionem et amorem erga missiones in seipsis et in aliis fovendo, vocationes in propria familia, in associationibus catholicis et in scholis excitando, subsidia cuiusque generis offerendo, ut donum fidei, quod gratis receperunt, aliis donari possit.

In terris autem missionum, laici, sive advenae sive autochtoni, in scholis doceant, res temporales gerant, in activitate paroeciali et dioecesana collaborent, varias formas apostolatus laicorum instituant atque promoveant, ut fideles novellarum Ecclesiarum quamprimum propriam partem in vita Ecclesiae assumere possint.[11]

Laici tandem cooperationem oeconomico-socialem populis in via evolutionis libenter praebeant; quae cooperatio eo magis laudanda est, quo magis ad ea instituta fundanda spectat, quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt, vel ad formationem eorum ordinantur, qui responsabilitatem publicae rei habent.

Peculiari laude digni sunt illi laici qui, in Universitatibus vel Institutis scientificis, suis investigationibus historicis vel scientifico-religiosis cognitionem populorum et religionum promovent, Evangelii Praecones adiuvando, et dialogum cum non-christianis praeparando.

Cum aliis christianis, cum non-christianis, speciatim cum membris consociationum internationalium fraterno animo collaborent, semper id prae oculis habentes, ut « aedificatio terrenae civitatis in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur ».[12]

Ad haec omnia munera obeunda, necessaria indigent laici praeparatione technica et spirituali, quae in Institutis ad hoc destinatis dari debet, ut eorum vita testimonium inter non-christianos pro Christo sit, secundum verbum Apostoli: « Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant » (*1 Cor.* 10, 32-33).

Conclusio

42. Patres Concilii una cum Romano Pontifice, officium Regnum Dei ubique diffundendi gravissime sentientes, omnes Evangelii praecones peramanter salutant, eos praesertim qui pro Christi nomine persecutionem patiuntur, socii eorum passionum effecti.[13]

Eodem amore quo Christus erga homines flagravit, et ipsi exardescunt. Conscii autem Deum esse qui efficit ut Regnum suum in terris adveniat, una cum omnibus christifidelibus preces effundunt, ut per intercessionem Virginis Mariae Reginae Apostolorum, gentes quamprimum ad agnitionem veritatis adducantur (*1 Tim.* 2, 4) et claritas Dei quae in facie Christi Iesu resplendet per Spiritum Sanctum omnibus illucescat (*2 Cor.* 4, 6).

NOTAE

[1] Cf. Decr. *De Oecumenismo,* 12.
[2] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 23-24.
[3] Cf. Benedictus XV, *Maximum Illud* (*A.A.S.,* 1919, 453-454); Pius XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 71-73); Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 525-526); Id., *Fidei Donum* (*A.A.S.,* 1957, 241).
[4] Cf. Pius XII, *Fidei Donum* (*A.A.S.,* 1957, 245-246).
[5] Decr. *De pastorali Episcoporum munere,* 6.
[6] Cf. Pius XII, *Fidei Donum* (*A.A.S.,* 1957, 245).
[7] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 28.
[8] Cf. Pius XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 72).
[9] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 44.
[10] Cf. *ibid.,* 33, 35.
[11] Cf. Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 510-514); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.,* 1959, 851-852).
[12] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 46.
[13] Cf. Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 527); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.,* 1959, 864).

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die VII mensis decembris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 804.

5

Decretum

DE PRESBYTERORUM MINISTERIO ET VITA

PROOEMIUM

1. Presbyterorum Ordinis in Ecclesia excellentiam iam pluries haec Sacrosancta Synodus in memoriam omnium revocavit.[1] Cum tamen huic Ordini in Ecclesiae Christi renovatione partes maximi momenti et in dies quidem difficiliores assignentur, perutile visum est fusius et profundius de Presbyteris tractare; ea quae hic dicuntur omnibus Presbyteris applicantur, speciatim iis

qui curae animarum inserviunt, congrua congruis referendo ad religiosos Presbyteros quod attinet. Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in Populum Dei, Corpus Christi et Templum Spiritus Sancti, hic in terris, indesinenter aedificatur. Quapropter, ut in adiunctis pastoralibus et humanis persaepe tam funditus mutatis eorum ministerium efficacius sustineatur atque eorundem vitae melius provideatur, Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur declarat ac decernit.

NOTAE

[1] Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 97 ss.; Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 5 ss.; Decr. *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965; Decr. *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965.

Caput I

PRESBYTERATUS IN MISSIONE ECCLESIAE

2. Dominus Iesus, « quem Pater sanctificavit et misit in mundum » (*Io.* 10, 36), unctionis Spiritus qua unctus est [1] totum Corpus suum mysticum particeps reddit: in eo enim omnes fideles sanctum et regale sacerdotium efficiuntur, spirituales offerunt hostias Deo per Iesum Christum, et virtutes annuntiant Eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum.[2] Nullum ergo datur membrum quod in missione totius Corporis partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet Iesum in corde suo,[3] et spiritu prophetiae testimonium de Iesu reddere.[4]

Idem vero Dominus, inter fideles, ut in unum coalescerent corpus, in quo « omnia membra non eundem actum habent » (*Rom.* 12, 4), quosdam instituit ministros, qui, in societate fidelium, sacra Ordinis potestate pollerent Sacrificium offerendi et peccata remittendi,[5] atque sacerdotali officio publice pro hominibus nomine Christi fungerentur. Itaque, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre,[6] Christus, per ipsos Apostolos, consecrationis missionisque suae participes effecit eorum successores, Episcopos,[7] quorum munus ministerii, subordinato gradu, Presbyteris traditum est,[8] ut in Ordine presbyteratus constituti, ad rite explendam missionem apostolicam a Christo concreditam, Ordinis episcopalis essent cooperatores.[9]

Officium Presbyterorum, utpote Ordini episcopali coniunctum, participat auctoritatem qua Christus Ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit. Quare sacerdotium Presbyterorum initiationis christianae Sacramenta quidem supponit, peculiari tamen illo Sacramento confertur, quo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti, speciali charactere signantur et sic Christo Sacerdoti configurantur, ita ut in persona Christi Capitis agere valeant.[10]

Munus Apostolorum cum pro sua parte participent, Presbyteris gratia datur a Deo ut sint ministri Christi Iesu in gentibus, sacro Evangelii munere fungentes, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto.[11] Per Evangelii enim apostolicum nuntium convocatur et congregatur Populus Dei, ita ut omnes ad hunc Populum pertinentes, sanctificati cum sint Spiritu Sancto, seipsos offerant « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » (*Rom.* 12, 1). Per Presbyterorum autem ministerium sacrificium spirituale fidelium consummatur in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod per manus eorum, nomine totius Ecclesiae, in Eucharistia incruente et sacramentaliter offertur, donec Ipse Dominus veniat.[12] Ad hoc tendit atque in hoc consummatur Presbyterorum ministerium. Eorum enim ministratio, quae ab evangelico nuntio incipit, e Sacrificio Christi suam vim et virtutem haurit, atque eo tendit ut « tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam se ipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus ».[13]

Finis igitur quem ministerio atque vita persequuntur Presbyteri est gloria Dei Patris in Christo procuranda. Quae gloria in eo est quod homines opus Dei in Christo perfectum conscie, libere atque grate accipiunt, illudque in tota vita sua manifestant. Presbyteri itaque, sive orationi et adorationi vacent, sive verbum praedicent, sive Eucharisticum Sacrificium offerant et cetera Sacramenta administrent, sive alia pro hominibus exerceant ministeria, conferunt cum ad gloriam Dei augendam tum ad homines in vita divina provehendos. Quae omnia, dum ex Paschate Christi manant, in glorioso Eiusdem Domini adventu consummabuntur, cum Ipse tradiderit Regnum Deo et Patri.[14]

3. Presbyteri, ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum ut offerant dona et sacrificia pro peccatis,[15] cum ceteris hominibus tamquam cum fratribus conversantur. Sic et Dominus Iesus, Filius Dei, homo ad homines a Patre missus, habitavit in nobis et voluit per omnia fratribus assimilari, absque tamen peccato.[16] Ipsum iam imitati sunt sancti Apostoli, et testatur beatus Paulus, Doctor gentium, « segregatus in Evangelium Dei » (*Rom.* 1, 1), omnia omnibus se factum esse ut omnes faceret salvos.[17] Presbyteri Novi Testamenti, vocatione quidem et ordinatione sua, quodam modo in sinu Populi Dei segregantur, non tamen ut separentur, sive ab eo, sive a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod Dominus eos assumit.[18] Ministri Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si ab eorum vita condicionibusque alieni remanerent.[19] Ipsum eorum ministerium speciali titulo exigit ne huic saeculo sese conforment; [20] simul tamen requirit ut in hoc saeculo inter homines vivant, et sicut boni pastores oves suas cognoscant, easque etiam quae non sunt ex hoc ovili adducere quaerant, ut et ipsae vocem Christi audiant et fiat unum ovile et unus Pastor.[21] Quod ut consequi valeant multum conferunt virtutes quae in humano consortio

merito aestimantur, ut sunt cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque, quas Apostolus Paulus commendat, dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).[22]

NOTAE

[1] Cf. *Mt.* 3, 16; *Lc.* 4, 18; *Act.* 4, 27; 10, 38.

[2] Cf. *1 Pt.* 2, 5 et 9.

[3] Cf. *1 Pt.* 3, 15.

[4] Cf. *Apoc.* 19, 10; CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 35: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 40-41.

[5] CONC. TRID., Sess. XXIII, cap. 1 et can. 1: DENZ. 957 et 961 (1764 et 1771).

[6] Cf. *Io.* 20, 21; CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 18: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 21-22.

[7] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[8] Cf. *ibid.*

[9] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio. Haec verba iam inveniuntur in *Sacramentario Veronensi* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1956, p. 122); item in *Missali Francorum* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1957, p. 9); item in *Libro Sacramentorum Romanae Ecclesiae* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1960, p. 25); item in *Pontificali Romano-Germanico* (ed. Vogel-Elze, Città del Vaticano 1963, vol. I, p. 34).

[10] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 10: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 14-15.

[11] Cf. *Rom.* 15, 16 gr.

[12] Cf. *1 Cor.* 11, 26.

[13] S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* 10, 6: *PL* 41, 284.

[14] Cf. *1 Cor.* 15, 24.

[15] Cf. *Hebr.* 5, 1.

[16] Cf. *Hebr.* 2, 17; 4, 15.

[17] Cf. *1 Cor.* 9, 19-23 Vg.

[18] Cf. *Act.* 13, 2.

[19] « Huiusmodi vero religiosae ac moralis perfectionis studium magis magisque excitatur externis etiam condicionibus, in quibus Ecclesia vitam agit; nequit enim ea immobilis manere atque incuriosa vicissitudinis humanarum rerum, quae circa sunt et multiplicem vim habent ad eius agendi rationem, eique modum et condiciones imponunt. Pro comperto sane est, Ecclesiam ab humana consortione non seiungi, sed in ea versari, ideoque ipsius filios ab eadem moveri ac duci, eiusque cultum civilem imbibere, legibus obtemperare, mores induere. Haec vero Ecclesiae consuetudo cum humana societate continenter difficiles parit quaestiones, quae nunc potissimum praegraves sunt... (...). Gentium Apostolus ita suae aetatis christianos hortabatur: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?... aut quae pars fideli cum infideli?* (*2 Cor.* 6, 14-15). Hanc ob causam qui in praesenti educatores praeceptoresque in

Ecclesia agunt, eos necesse est catholicam iuventutem commonefacere praestantissimae condicionis suae, atque officii, quod inde nascitur, vivendi in hoc mundo, non autem ad huius mundi sensum, convenienter ad hanc precationem, a Christo Iesu pro discipulis suis factam: *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo: de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* (*Io.* 17, 15-16). Quam precationem asciscit sibi Ecclesia.

Nihilominus tamen huiuscemodi discrimen non idem significat atque disiunctionem; neque neglegentiam declarat, neque metum, neque contemptionem. Etenim cum Ecclesia se ab hominum genere discernit, adeo huic non obsistit, ut potius cum eo coniungatur » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 627 et 638).

[20] Cf. *Rom.* 12, 2.

[21] Cf. *Io.* 10, 14-16.

[22] Cf. S. POLYCARPUS, *Epist. ad Philippenses,* VI, 1: « Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes, visitantes infirmos omnes, non neglegentes viduam aut pupillum aut pauperem; sed solliciti semper de bono coram Deo et hominibus, abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, iudicio iniusto, longe recedentes ab omni avaritia, non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati » (ed. F. X. Funk, *Patres Apostolici,* I, p. 273).

CAPUT II

PRESBYTERORUM MINISTERIUM

I – PRESBYTERORUM MUNERA

4. Populus Dei primum coadunatur verbo Dei vivi,[1] quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere.[2] Cum enim nemo salvari possit, qui prius non crediderit,[3] Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi,[4] ut, mandatum exsequentes Domini: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15),[5] Populum Dei constituant et augeant. Verbo enim salutari in corde non fidelium suscitatur et in corde fidelium alitur fides, qua congregatio fidelium incipit et crescit, secundum illud Apostoli: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17). Omnibus ergo debitores sunt Presbyteri, ut cum eis communicent veritatem Evangelii [6] qua in Domino gaudent. Sive igitur, conversationem inter gentes habentes bonam, ad Deum glorificandum eas adducunt,[7] sive, aperte praedicantes, mysterium Christi non credentibus annuntiant, sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student, eorum semper est non sapientiam suam, sed Dei Verbum docere omnesque ad conversionem et ad sanctitatem instanter invitare.[8] Sacerdotalis vero praedicatio, in hodiernis mundi adiunctis haud raro perdifficilis, ut auditorum mentes aptius moveat, verbum Dei non modo generali et

abstracto tantum exponere debet, sed concretis applicando vitae circumstantiis veritatem Evangelii perennem.

Ita ministerium verbi multiformiter exercetur, secundum diversas audientium necessitates et praedicantium charismata. In regionibus vel coetibus non christianis, nuntio Evangelico homines ad fidem et Sacramenta salutis adducuntur,[9] in ipsa autem communitate christianorum, praesertim pro illis qui parum intellegere vel credere videntur quod frequentant, verbi praedicatio requiritur ad ipsum ministerium Sacramentorum, quippe quae sint Sacramenta fidei, quae de verbo nascitur et nutritur; [10] quod praecipue valet pro Liturgia verbi in Missarum celebratione, in qua inseparabiliter uniuntur annuntiatio mortis et resurrectionis Domini, responsum populi audientis et oblatio ipsa qua Christus Novum Foedus confirmavit in Sanguine suo, cui oblationi fideles, et votis et Sacramenti perceptione, communicant.[11]

5. Deus qui solus Sanctus et Sanctificator est voluit quasi socios et adiutores sibi assumere homines qui operi sanctificationis humiliter inserviant. Hinc Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur, ut, participes Sacerdotii Christi speciali ratione effecti, in Sacris celebrandis tamquam ministri agant Eius, qui suum sacerdotale munus per Spiritum suum iugiter pro nobis in Liturgia exercet.[12] Baptismate quidem homines in Populum Dei introducunt; Sacramento Poenitentiae peccatores cum Deo et Ecclesia reconciliant; oleo infirmorum aegrotantes alleviant; celebratione praesertim Missae Sacrificium Christi sacramentaliter offerunt. In omnibus autem Sacramentis conficiendis, ut iam primaevae Ecclesiae temporibus testatus est beatus Ignatius Martyr,[13] Presbyteri diversis rationibus cum Episcopo hierarchice colliguntur, et sic eum in singulis fidelium congregationibus quodammodo praesentem reddunt.[14]

Cetera autem Sacramenta, sicut et omnia ecclesiastica ministeria, et opera apostolatus, cum Sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur.[15] In Sanctissima enim Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur,[16] ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum Ipso offerendos. Quapropter Eucharistia ut fons et culmen totius evangelizationis apparet, dum catechumeni ad participationem Eucharistiae paulatim introducuntur, et fideles, iam sacro baptismate et confirmatione signati, plene per receptionem Eucharistiae Corpori Christi inseruntur.

Est ergo Eucharistica Synaxis centrum congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edocent igitur Presbyteri fideles divinam victimam in Sacrificio Missae Deo Patri offerre atque cum ea oblationem vitae suae facere; in spiritu Christi Pastoris instituunt eos peccata sua corde contrito Ecclesiae in Sacramento Poenitentiae submittere, ita ut magis magisque in dies ad Dominum convertantur, memores verborum Eius: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum caelorum » (*Mt.* 4, 17). Ipsos pariter edocent Sacrae Liturgiae celebrationes ita participare, ut sinceram orationem in eis quoque attingant;

eos ad spiritum orationis semper perfectiorem per totam vitam exercendum, pro uniuscuiusque gratiis et necessitatibus, manuducunt, omnesque ad officia proprii status observanda, et profectiores ad consilia Evangelii, modo cuique congruo exercenda, alliciunt. Erudiunt proinde fideles ut possint hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.[17]

Laudes et gratiarum actiones quas adhibent in Eucharistiae celebratione ipsi Presbyteri ad diversas horas diei dilatant in Divino persolvendo Officio, quo quidem nomine Ecclesiae, pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecantur.

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, fidelesque congregantur, et in qua praesentia Filii Dei Salvatoris nostri in ara sacrificali pro nobis oblati, in auxilium atque solatium fidelium colitur, nitida, orationi et sacris sollemnibus apta esse debet.[18] In ea Pastores et fideles invitantur ut grato animo respondeant dono Ipsius, qui per Humanitatem suam continuo vitam divinam in membra Corporis sui infundit.[19] Curent Presbyteri scientiam et artem liturgicam recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

6. Munus Christi Capitis et Pastoris pro sua parte auctoritatis exercentes, Presbyteri, nomine Episcopi, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt, et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt.[20] Ad hoc autem ministerium exercendum, sicut ad cetera munera Presbyteri, confertur potestas spiritualis, quae quidem ad aedificationem datur.[21] In aedificanda autem Ecclesia, Presbyteri cum omnibus eximia humanitate ad exemplar Domini conversari debent. Neque iuxta placita hominum,[22] sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae erga eos agere debent, eos docentes et ut filios etiam carissimos [23] monentes, secundum verba Apostoli: « Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).[24]

Quapropter ad sacerdotes, qua in fide educatores, pertinet curare sive per se sive per alios, ut singuli fideles ad suam propriam vocationem secundum Evangelium excolendam, ad sinceram operosamque caritatem, et ad libertatem, qua Christus nos liberavit,[25] in Spiritu Sancto adducantur. Parum proderunt caeremoniae, etsi pulchrae, vel consociationes, etsi florentes, si non ordinantur ad educandos homines ad maturitatem christianam consequendam.[26] Quam ut promoveant, eis auxilio erunt Presbyteri ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigant, quae sit Dei voluntas perspicere valeant. Edoceantur etiam christiani ut non sibi solum vivant, sed, secundum exigentias novae legis caritatis, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret [27] et ita omnes officia sua in communitate hominum christiane absolvant.

Quamvis vero omnibus debitores sint, Presbyteri tamen peculiari modo commendatos sibi habent pauperes et tenuiores cum quibus Dominus Ipse

sese sociatum ostendit,[28] et quorum evangelizatio signum messianici operis datur.[29] Peculiari etiam diligentia prosequentur iuniores, et insuper coniuges ac parentes, qui ut in amicales coetus conveniant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. Meminerint Presbyteri religiosos omnes viros ac mulieres, quippe qui pars praecellens sint in domo Domini, speciali cura dignos esse ad eorum spiritualem profectum in bonum totius Ecclesiae. Maxime tandem solliciti sint aegrotantium et morientium, eos visitantes et in Domino confortantes.[30]

Munus vero Pastoris non ad fidelium singillatim curam habendam coarctatur, sed etiam ad genuinam communitatem christianam efformandam proprie extenditur. Spiritus autem communitatis debite ut colatur, non tantum ecclesiam localem sed et universam Ecclesiam amplecti debet. Communitas autem localis non suorum dumtaxat fidelium curam fovere, sed etiam zelo missionali imbuta viam ad Christum omnibus hominibus parare debet. Specialiter tamen sibi commendatos habet catechumenos et neophytos, qui gradatim ad vitam christianam cognoscendam et ducendam educandi sunt.

Nulla tamen communitas christiana aedificatur nisi radicem cardinemque habeat in Sanctissimae Eucharistiae celebratione, a qua ergo omnis educatio ad spiritum communitatis incipienda est.[31] Quae celebratio ut sincera et plena sit tam ad varia caritatis opera mutuumque adiutorium quam ad missionalem actionem, necnon ad varias christiani testimonii formas, ducere debet.

Praeterea caritate, oratione, exemplo et poenitentiae operibus, ecclesialis communitas veram erga animas ad Christum adducendas maternitatem exercet. Ipsa enim instrumentum efficax constituit quo nondum credentibus via ad Christum eiusque Ecclesiam indicatur vel sternitur, quo etiam fideles excitantur, aluntur et ad pugnam spiritualem roborantur.

In exstruenda vero christianorum communitate, Presbyteri numquam alicui ideologiae vel factioni humanae inserviunt, sed, ut Evangelii Praecones et Ecclesiae Pastores, ad Corporis Christi spirituale incrementum consequendum operam impendunt.

II – Presbyterorum habitudo ad alios

7. Presbyteri omnes, una cum Episcopis, unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant, ut ipsa unitas consecrationis missionisque requirat hierarchicam eorum communionem cum Ordine Episcoporum,[32] quam optime aliquando in liturgica concelebratione manifestant, et cum quibus coniuncti profitentur se Eucharisticam Synaxim celebrare.[33] Episcopi igitur, propter donum Spiritus Sancti quod Presbyteris in sacra Ordinatione datum est, illos habent ut necessarios adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et pascendi plebem Dei.[34] Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum sollemniter postulant a Deo super Presbyterum ordinandum infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro »,[35] quem-

admodum in eremo Moysis spiritus in mentes septuaginta virorum prudentium propagatus est,[36] « quibus ille adiutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit ».[37] Propter hanc ergo in eodem sacerdotio atque ministerio communionem, Episcopi ut fratres et amicos suos habeant Presbyteros,[38] eorumque bonum, tam materiale quam praesertim spirituale ipsi pro viribus cordi sit. Potissimum enim in illos sacerdotum suorum sanctitudinis grave recidit onus:[39] maximam ergo curam exerceant in continua formatione Presbyterii sui.[40] Eos libenter audiant, immo consulant et cum eis colloquantur de iis quae ad necessitates operis pastoralis et ad bonum dioecesis spectant. Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur, modo hodiernis adiunctis ac necessitatibus accommodato,[41] forma ac normis iure determinandis, coetus seu senatus[42] sacerdotum, Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos suis consiliis efficaciter adiuvare possit.

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem Sacramenti Ordinis qua Episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi Pastoris. Suo igitur Episcopo sincera caritate et oboedientia adhaereant.[43] Quae sacerdotalis oboedientia, cooperationis spiritu perfusa, fundatur in ipsa participatione ministerii episcopalis, quae Presbyteris per Sacramentum Ordinis et missionem canonicam confertur.[44]

Unio Presbyterorum cum Episcopis eo magis nostris diebus requiritur quod aetate hac nostra, diversis ex causis, incepta apostolica non tantum multiplices formas induere, verum etiam limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullus ergo Presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis Presbyteris, sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt.

8. Presbyteri, per Ordinationem in Ordine presbyteratus constituti, omnes inter se intima fraternitate sacramentali nectuntur; specialiter autem in dioecesi cuius servitio sub Episcopo proprio addicuntur unum Presbyterium efformant. Etsi enim diversis officiis mancipentur, unum tamen gerunt sacerdotale pro hominibus ministerium. Ad idem enim opus ut cooperentur mittuntur omnes Presbyteri, sive ministerium paroeciale vel supraparoeciale exerceant, sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferant, sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum, ubi id probante quidem competenti Auctoritate expedire videatur, sortem participantes, sive tandem alia opera apostolica vel ad apostolatum ordinata adimpleant. Ad unum omnes quidem conspirant, ad aedificationem nempe Corporis Christi, quae, nostris praesertim temporibus, multiplicia officia necnon novas accommodationes requirit. Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri, sive dioecesani sive religiosi, sese invicem adiuvent, ut semper sint cooperatores veritatis.[45] Cum ceteris ergo membris huius Presbyterii, unusquisque specialibus apostolicae caritatis, ministerii et fraternitatis nexibus coniungitur: quod iam ab antiquis temporibus liturgice significatur, cum Presbyteri adstantes super novum electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere invitentur, et cum Sacram Eucharistiam unanimo corde concelebrant. Singuli

ergo Presbyteri cum confratribus suis uniuntur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis, atque ita manifestatur illa unitas qua Christus voluit suos in unum esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre.[46]

Quam ob rem, qui sunt provectioris aetatis iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis inceptis et oneribus ministerii adiuvent, itemque mentem eorum, etsi a propria diversam, intellegere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur. Iuvenes pariter revereantur aetatem atque experientiam seniorum cumque illis de rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et libenter collaborent.

Spiritu fraterno ducti, Presbyteri hospitalitatem ne obliviscantur,[47] colant beneficentiam et communionem bonorum,[48] praesertim solliciti eorum qui sunt aegroti, afflicti, laboribus nimis onerati, solitarii, e patria exsules, necnon eorum qui persecutionem patiuntur.[49] Etiam ad relaxandum animum libenter et cum gaudio conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus Apostolos defatigatos invitabat: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31). Insuper, ut Presbyteri in vita spirituali et intellectuali colenda mutuum iuvamen inveniant, ut aptius in ministerio cooperari valeant utque a periculis solitudinis forte orientibus eripiantur, aliqua vita communis vel aliquod vitae consortium inter eos foveatur, quod tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, communem mensam, vel saltem frequentes ac periodicos conventus. Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, statutis a competenti ecclesiastica auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt.

Demum, ratione eiusdem communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri specialiter obligatos erga eos qui aliquibus difficultatibus laborant; quibus tempestivum praebeant auxilium, etiam si opus sit eos discrete monendo. Illos autem qui in quibusdam defecerunt fraterna caritate atque magno animo semper prosequantur, pro ipsis instantes preces Deo effundant eisque continuo sese praebeant ut revera fratres et amicos.

9. Novi Testamenti sacerdotes, licet Sacramenti Ordinis ratione praestantissimum ac necessarium in Populo et pro Populo Dei munus patris et magistri exerceant, tamen simul cum omnibus christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti.[50] Cum omnibus enim in fonte baptismi regeneratis Presbyteri sunt fratres inter fratres,[51] utpote membra unius eiusdemque Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus demandata est.[52]

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi,[53] cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis »

(*Mt.* 20, 28). Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque propriam, quam laici in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant. Iustam etiam libertatem, quae omnibus in civitate terrestri competit, sedulo in honore habeant. Libenter audiant laicos, eorum desideria fraterne considerantes, eorumque experientiam et competentiam in diversis campis humanae actionis agnoscentes, ut simul cum ipsis signa temporum recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint,[54] charismata laicorum multiformia, tam humilia quam altiora, cum sensu fidei detegant, cum gaudio agnoscant, cum diligentia foveant. Inter alia vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, peculiari cura digna sunt, quibus non pauci ad altiorem vitam spiritualem attrahuntur. Item cum fiducia laicis in servitium Ecclesiae officia committant, eis agendi libertatem et spatium relinquentes, immo eos ut opera etiam sua sponte aggrediantur opportune invitantes.[55]

Presbyteri demum in medio laicorum positi sunt ut omnes ad caritatis unitatem ducant « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes » (*Rom.* 12, 10). Eorum igitur est diversas mentes ita componere ut nemo in fidelium communitate extraneum se sentiat. Boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, sunt defensores, atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur.[56] Peculiari sollicitudini eorum committuntur qui a praxi Sacramentorum, immo a fide forsan defecerunt, quos quidem ut boni pastores adire non omittent.

Ad praescripta de oecumenismo attendentes,[57] non obliviscentur fratrum qui plena nobiscum ecclesiastica communione non fruuntur.

Commendatos sibi tandem habebunt illos omnes qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt.

Ipsi vero christifideles conscii sint se obligatos esse Presbyteris suis, et ideo filiali amore eosdem, pastores suos et patres, prosequantur; item, eorum sollicitudines participantes, oratione et opere quantum fieri possit auxilio sint suis Presbyteris, ut hi aptius difficultates superare et fructuosius officia sua adimplere valeant.[58]

III – Presbyterorum distributio et vocationes sacerdotales

10. Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae. Christi enim Sacerdotium, cuius Presbyteri vere participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech arcano modo praefiguratur.[59] Meminerint igitur Presbyteri omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter Presbyteri illarum dioecesium, quae maiore vocationum copia ditantur, libenter se paratos praebeant, permittente

vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum.

Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, pervetere hoc instituto firmo manente, ipsum tamen hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeat. Ubi vero ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt. Ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae.

Ad novam tamen regionem, praesertim si illius linguam et mores nondum bene cognoverint, in quantum fieri potest, Presbyteri ne mittantur singuli, sed, ad exemplum Christi discipulorum,[60] saltem bini vel terni, ut ita mutuo sibi sint adiutorio. Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita spirituali, necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia. Magnopere expedit simul ut, qui novam nationem petunt, apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam peculiarem indolem psychologicam et socialem illius populi cui in humilitate servire volunt quam perfectissime cum eodem communicantes, ita ut exemplum sequantur Pauli Apostoli, qui de se ipso dicere potuit: « Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer ... » (*1 Cor.* 9, 19-20).

11. Pastor et Episcopus animarum nostrarum,[61] ita suam Ecclesiam constituit, ut Populus quem elegit et acquisivit sanguine suo[62] semper et usque in finem saeculi suos habere deberet sacerdotes, ne umquam christiani essent sicut oves non habentes pastorem.[63] Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto, suum esse officium duxerunt ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2). Quod officium sane pertinet ad ipsam missionem sacerdotalem, qua quidem particeps fit Presbyter sollicitudinis totius Ecclesiae, ne in Populo Dei hic in terris operarii umquam desint. Quoniam tamen « rectori navis et navigio deferendis ... causa communis exsistit »,[64] ideo universus Populus christianus edoceatur suum esse officium diversimode cooperandi, per instantem orationem itemque per alia media quae sibi praesto sunt,[65] ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit verbi ministerio proprioque testimonio vitae, spiritum servitii et verum gaudium paschale aperte manifestantis, sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, ac quos, sive iuvenes sive adultiores, prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcendo curis neque incommodis adiuvare ut se rite praeparent ac

proinde aliquando, plena eorum libertate externa et interna servata, ab Episcopis vocari possint. Ad hunc finem prosequendum, maximae utilitatis est diligens ac prudens directio spiritualis. Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut sollicitudinem Domini pro grege suo cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere cum propheta: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8). Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam ita exspectanda est, ac si modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri perveniat. Ipsa enim potius ex signis intellegenda et diiudicanda est, quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa attente a Presbyteris consideranda sunt.[66]

Ipsis ergo valde commendantur Opera vocationum, sive dioecesana sive nationalia.[67] In praedicationibus, in catechesi, in scriptis periodicis, diserte declarentur oportet necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis, sensus et praestantia ministerii sacerdotalis in vivida luce ponantur, quippe in quo cum tantis oneribus tanta gaudia componantur, et in quo praesertim, ut docent Patres, potest dari Christo maximum testimonium amoris.[68]

NOTAE

[1] Cf. *1 Pt.* 1, 23; *Act.* 6, 7; 12, 24. « Praedicaverunt (Apostoli) Verbum veritatis et genuerunt ecclesias » (S. AUGUSTINUS, *In Ps.*, 44, 23: *PL* 36, 508).

[2] Cf. *Mal.* 2, 7; *1 Tim.* 4, 11-13; *2 Tim.* 4, 5; *Tit.* 1, 9.

[3] Cf. *Mc.* 16, 16.

[4] Cf. *2 Cor.* 11, 7. De Presbyteris, utpote qui sint Episcoporum cooperatores, valent quoque illa, quae de Episcopis dicuntur. Cf. *Statuta Ecclesiae Antiqua,* c. 3 (ed. Ch. Munier, Paris 1960, p. 79); *Decretum Gratiani,* C. 6, D. 88 (ed. Friedberg, I, 307); CONC. TRID., Decr. *De reform.,* Sess. V, c. 2, n. 9 (*Conc. Oec. Decreta,* ed. Herder, Romae 1963, p. 645); Sess. XXIV, c. 4 (p. 739); CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 29-31.

[5] Cf. *Constitutiones Apostolorum,* II, 26, 7: « (Presbyteri) sint doctores scientiae divinae, cum et ipse Dominus nos mandaverit dicens: Euntes docete etc. » (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* I, Paderborn 1905, p. 105). - *Sacramentarium Leonianum* et cetera sacramentaria usque ad *Pontificale Romanum,* Praefatio in Ordinatione Presbyteri: « Hac providentia, Domine, apostolis filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus (vel: praedicationibus) impleverunt ». - *Liber Ordinum Liturgiae Mozarabicae,* Praefatio ad ordinandum Presbyterum: « Doctor plebium et rector subiectorum, teneat ordinate catholicam fidem, et cunctis annuntiet veram salutem » (ed. M. Férotin, Paris 1904, col. 55).

[6] Cf. *Gal.* 2, 5.

[7] Cf. *1 Pt.* 2, 12.

[8] Cf. Ritum Ordinationis Presbyteri in Ecclesia Alexandrina Iacobitarum: « ... Congrega populum tuum ad verbum doctrinae, quemadmodum nutrix quae fovet filios suos » (H. DENZINGER, *Ritus Orientalium,* Tom. II, Würzburg 1863, p. 14).

[9] Cf. *Mt.* 28, 19; *Mc.* 16, 16; TERTULLIANUS, *De baptismo,* 14, 2 (Corpus

Christianorum, Series latina, I, p. 289, 11-13); S. ATHANASIUS, *Adv. Arianos,* 2, 42 (*PG* 26, 237); S. HIERONYMUS, *In Mat.,* 28 19 (*PL* 26, 218 BC): « Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem »; S. THOMAS, *Expositio primae Decretalis,* § 1: « Salvator noster discipulos ad praedicandum mittens, tria eis iniunxit. Primo quidem ut docerent fidem; secundo ut credentes imbuerent sacramentis » (ed. Marietti, *Opuscula Theologica,* Taurini-Romae 1954, 1138).

[10] Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, n. 35, 2: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 109.

[11] Cf. *ibid.,* nn. 33, 35, 48, 52 (pp. 108-109, 113, 114).

[12] Cf. *ibid.,* n. 7 (pp. 100-101); PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 230.

[13] S. IGNATIUS M., *Smyrn.,* 8, 1-2 (ed. F. X. Funk, p. 282, 6-15); *Constitutiones Apostolorum,* VIII, 12, 3 (ed. F. X. Funk, p. 496); VIII, 29, 2 (p. 532).

[14] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[15] « Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitae, et omnium sacramentorum finis » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 73, a. 3 c); cf. *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3.

[16] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3, ad 1; q. 79, a. 1, c, et ad 1.

[17] Cf. *Eph.* 5, 19-20.

[18] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 114, 2: « ... sacrosque calices, et sancta velamina, et cetera quae ad cultum dominicae pertinent passionis... ex consortio corporis et sanguinis Domini eadem qua corpus eius et sanguis maiestate veneranda » (*PL* 22, 934). Vid. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, nn. 122-127: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 130-132.

[19] « Insuper visitationem sanctissimi Sacramenti, in nobilissimo loco et quam honorificentissime in ecclesiis secundum leges liturgicas adservandi, interdiu facere ne omittant, utpote quae erga Christum Dominum, in eodem praesentem, sit et grati animi argumentum et amoris pignus et debitae adorationis officium » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 [1965], p. 771).

[20] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[21] Cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10.

[22] Cf. *Gal.* 1, 10.

[23] Cf. *1 Cor.* 4, 14.

[24] Cf. *Didascalia,* II, 34, 3; II, 46, 6; II, 47, 1; *Constitutiones Apostolorum,* II, 47, 1 (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* I, pp. 116, 142 et 143).

[25] Cf. *Gal.* 4, 3; 5, 1 et 13.

[26] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 58, 7: « Quae utilitas est parietes fulgere gemmis, et Christum in paupere mori? » (*PL* 22, 584).

[27] Cf. *1 Pt.* 4, 10 ss.

[28] Cf. *Mt.* 25, 34-45.

[29] Cf. *Lc.* 4, 18.

[30] Aliae categoriae nominari possunt, v. g. migrantes, nomades, etc. De quibus agitur in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965.

[31] Cf. *Didascalia,* II, 59, 1-3: « Docens autem iube et hortare populum in ecclesia frequentare et penitus numquam deesse, sed convenire semper et ecclesiam non angustare, cum se substrahunt, et minus membrum facere corpus Christi... Nolite ergo vosmetipsos, cum sitis membra Christi, spargere ab ecclesia, cum non coadunamini; Christum enim caput habentes secundum promissionem ipsius praesentem et communicantem vobis, nolite ipsi vos neglegere nec alienare salvatorem a membris suis nec scindere nec spargere corpus eius... » (ed. F. X. Funk, I, p. 170); PAULUS VI, *Allocutio* iis qui ex italico clero interfuerunt Coetui XIII per hebdomadam habito Urbiveti v. « di aggiornamento pastorale », 6 sept. 1963: *A.A.S., 55* (1963), pp. 750 ss.

[32] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35.

[33] Cf. sic dictam *Constitutionem Ecclesiasticam Apostolorum,* XVIII: Presbyteri sunt sýmmystai et synepímachoi Episcoporum (ed. TH. SCHERMANN, *Die allgemeine Kirchenordnung,* I, Paderborn 1914, p. 26; A. HARNACK, T. u. U., II, 4, p. 13, n. 18 et 19); PSEUDO-HIERONYMUS, *De Septem Ordinibus Ecclesiae*: « ... in benedictione cum episcopis consortes mysteriorum sunt » (ed. A. W. Kalff, Würzburg 1937, p. 45); S. ISIDORUS HISPALENSIS, *De Ecclesiasticis Officiis,* c. VII: « Praesunt enim Ecclesiae Christi et in confectione Corporis et Sanguinis consortes cum episcopis sunt, similiter et in doctrina populorum et in officio praedicandi » (*PL* 83, 787).

[34] Cf. *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. F. X. Funk, I, p. 108); *Constitutiones Apostolorum,* II, 28, 4; II, 34, 3 (*ibid.,* pp. 109 et 117).

[35] *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. F. X. Funk, I, p. 523); cf. *Epitome Const. Apost.,* VI (ibid., II, p. 80, 3-4); *Testamentum Domini*: « ... da ei Spiritum gratiae, consilii, et magnanimitatis, spiritum presbyteratus... ad coadiuvandum et gubernandum populum tuum in opere, in metu, in corde puro » (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69). Item in *Trad. Apost.* (ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique,* Münster i. W. 1963, p. 20).

[36] Cf. *Num.* 11, 16-25.

[37] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio; quae verba iam habentur in *Sacramentario Leoniano, Sacramentario Gelasiano* et *Sacramentario Gregoriano.* Similia inveniuntur in Liturgiis Orientalibus: cf. *Trad. Apost.*: « ... respice super servum tuum istum et impartire spiritum gratiae et consilii, presbyteris ut adiuvet et gubernet plebem tuam in corde mundo sicuti respexisti super populum electionis tuae et praecepisti Moisi ut elegeret presbyteros quod replesti de spiritu tuo quod tu donasti famulo tuo » (ex antiqua versione latina Veronensi, ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique de S. Hippolyte. Essai de reconstruction,* Münster, i. W. 1963, p. 20); *Const. Apost.*, VIII, 16, 4 (ed. F. X. Funk, I, p. 522, 16-17); *Epist. Const. Apost.* 6 (ed. F. X. Funk, II, p. 80, 5-7); *Testamentum Domini* (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69); *Euchologium Serapionis,* XXVII (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* II, p. 190, linn. 1-7); *Ritus Ordinationis in ritu Maronitarum* (trad. H. DENZINGER, *Ritus Orientalium,* II, Würzburg 1863, p. 161). Inter Patres citari possunt: THEODORUS MOPSUESTENUS, *In 1 Tim.* 3, 8 (ed. Swete, II, pp. 119--121); THEODORETUS, *Quaestiones in Numeros,* XVIII (*PG* 80, 369 C - 372 B).

[38] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35.

[39] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 576; S. PIUS X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), pp. 237 ss.

[40] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, nn. 15 et 16.

[41] In iure condito iam habetur Capitulum Cathedrale, tamquam Episcopi « senatus et consilium » (*C.I.C.,* c. 391), vel, eo deficiente, Coetus consultorum dioecesanorum (cf. *C.I.C.,* cc. 423-428). In votis tamen est talia instituta ita recognoscere, ut hodiernis adiunctis atque necessitatibus melius provideatur. Uti patet, huiusmodi Coetus Presbyterorum differt a Consilio pastorali de quo in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, n. 27, cui pertinent etiam laici, et cuius est tantummodo pervestigare quae ad pastoralia opera spectant. De Presbyteris ut consiliariis Episcoporum videri possunt *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. F. X. Funk, I, p. 108); it. *Const. Apost.,* II, 28, 4 (ed. F. X. Funk, I, p. 109); S. IGNATIUS M., *Magn.,* 6, 1 (ed. F. X. Funk, p. 234, 10-16); *Trall.,* 3, 1 (ed. F. X. Funk, p. 244, 10-12); ORIGENES, *Adv. Celsum,* 3, 30: Presbyteri sunt consiliarii seu boúleytai (*PG* 11, 957 d - 960 a).

[42] S. IGNATIUS M., *Magn.,* 6, 1: « Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit » (ed. F. X. Funk, p. 234, 10-13); S. IGNATIUS M., *Trall.,* 3, 1: « Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur » (*ibid.,* p. 244, 10-12); S. HIERONYMUS, *In Isaiam,* II, 3 (*PL* 24, 61, A): « Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum, coetum presbyterorum ».

[43] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Urbis curiones et quadragenarii temporis oratores in Aede Sixtina habita, die 1 martii 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 326.

[44] Cf. *Const. Apost.,* VIII, 47, 39: « Presbyteri... absque sententia episcopi nihil peragant; ipse enim est, cui commissus est populus Domini et a quo de animabus eorum ratio poscetur » (ed. F. X. Funk, p. 577).

[45] Cf. *3 Io.* 8.

[46] Cf. *Io.* 17, 23.

[47] Cf. *Hebr.* 13, 1-2.

[48] Cf. *Hebr.* 13, 16.

[49] Cf. *Mt.* 5, 10.

[50] Cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13.

[51] Cf. *Mt.* 23, 8. « Opus est deinde, ut ea re quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 647).

[52] Cf. *Eph.* 4, 7 et 16; *Const. Apost.,* VIII, 1, 20: « Quin etiam neque episcopus in diaconos vel presbyteros se extollat, neque presbyteri in plebem; ex utriusque enim coetus compositio extat » (ed. F. X. Funk, I, p. 467).

[53] Cf. *Phil.* 2, 21.

[54] Cf. *1 Io.* 4, 1.

[55] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[56] Cf. *Eph.* 4, 14.

[57] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *Unitatis redintegratio,* de oecumenismo, 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90 ss.

[58] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[59] Cf. *Hebr.* 7, 3.

[60] Cf. *Lc.* 10, 1.

[61] Cf. *1 Pt.* 2, 25.

[62] Cf. *Act.* 20, 28.

[63] Cf. *Mt.* 9, 36.

[64] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[65] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 2.

[66] « La voce di Dio che chiama si esprime in due modi diversi, meravigliosi e convergenti: uno interiore, quello della grazia, quello dello Spirito Santo, quello ineffabile del fascino interiore che la "voce silenziosa" e potente del Signore esercita nelle insondabili profondità dell'anima umana; e uno esteriore, umano, sensibile, sociale, giuridico, concreto, quello del ministro qualificato della Parola di Dio, quello dell'Apostolo, quello della Gerarchia, strumento indispensabile, istituito e voluto da Cristo, come veicolo incaricato di tradurre in linguaggio sperimentabile il messaggio del Verbo e del precetto divino. Così insegna con San Paolo la dottrina cattolica: *Quomodo audient sine praedicante... Fides ex auditu* (*Rom.* 10, 14 et 17) » (PAULUS VI, *Allocutio* habita die 5 maii 1965: *L'Osservatore Romano,* 6-5-65, pag. 1).

[67] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 2.

[68] Hoc docent Patres, dum explicant verba Christi Petro: « Amas me? ... Pasce oves meas » (*Io.* 21, 17): sic S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De sacerdotio,* II, 1-2 (*PG* 47-48, 633); S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* P. I. c. 5 (*PL* 77, 19 a).

CAPUT III

PRESBYTERORUM VITA

I – PRESBYTERORUM AD PERFECTIONEM VOCATIO

12. Sacramento Ordinis Presbyteri Christo Sacerdoti configurantur, ut ministri Capitis, ad totum Eius Corpus quod est Ecclesia extruendum et aedificandum, tamquam Ordinis episcopalis cooperatores. Iam quidem in baptismi consecratione, sicut omnes christifideles, signum et donum acceperunt tantae vocationis et gratiae ut, vel in infirmitate humana,[1] perfectionem prosequi possint et debeant, iuxta verbum Domini: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). Ad illam vero perfectionem acquirendam peculiari ratione tenentur sacerdotes, quippe qui, Deo in Ordinis receptione novo modo consecrati, Christi Aeterni Sacerdotis viva instrumenta efficiantur, ut mirabile opus Eius, quod superna efficacitate

universum hominum convictum redintegravit, per tempora persequi valeant.[2] Cum ergo omnis sacerdos, suo modo, ipsius Christi personam gerat, particulari quoque gratia ditatur ut, inserviendo plebi commissae et universo Populo Dei, Eius perfectionem aptius prosequi possit, cuius partes sustinet, utque humanae infirmitati carnis medeatur sanctitas Illius, qui nobis factus est Pontifex « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26).

Christus, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum,[3] « dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum » (*Tit.* 2, 14), et sic per passionem intravit in gloriam suam; [4] simili modo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti consecrati et a Christo missi, in seipsis opera carnis mortificant et hominum servitio totaliter se devovent, et sic in sanctitate qua in Christo ditati sunt ad perfectum virum [5] progredi valent.

Itaque, ministerium Spiritus et iustitiae [6] exercentes, dummodo sint dociles Spiritui Christi qui eos vivificat et ducit, in vita spiritus firmantur. Per ipsas enim cotidianas sacras actiones, sicut et per integrum suum ministerium, quod cum Episcopo et Presbyteris communicantes exercent, ipsi ad vitae perfectionem ordinantur. Ipsa autem sanctitas Presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert: quamvis enim gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere possit, tamen per illos ordinaria lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum Apostolo dicere valeant: « Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Quapropter haec Sacrosancta Synodus, ad suos fines pastorales renovationis internae Ecclesiae, diffusionis Evangelii in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes sacerdotes ut, aptis adhibitis mediis ab Ecclesia commendatis [7] ad illam semper maiorem sanctitatem nitantur, qua evadant in dies aptiora instrumenta in servitium totius Populi Dei.

13. Sanctitatem propria ratione consequentur Presbyteri munera sua sincere et indefesse in Spiritu Christi exercentes.

Verbi Dei ministri cum sint, cotidie legunt et audiunt Dei verbum quod alios docere debent; quod si simul in seipsos recipere satagant, perfectiores in dies fient Domini discipuli, iuxta verba Pauli Apostoli ad Timotheum: « Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies et eos, qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 15-16). Quaerentes enim quomodo aptius contemplata aliis tradere possint,[8] profundius sapient « investigabiles divitias Christi » (*Eph.* 3, 8) et multiformem sapientiam Dei.[9] Prae oculis habentes Dominum esse qui corda aperit [10] et sublimitatem non ex ipsis sed e Dei virtute provenire,[11] in ipso actu verbi tradendi intimius cum Christo Magistro coniungentur Eiusque Spiritu ducentur. Ita communicantes cum

Christo, Dei participant caritatem, cuius mysterium, a saeculis absconditum,[12] in Christo revelatum est.

Ut Sacrorum ministri, praesertim in Sacrificio Missae, Presbyteri personam specialiter gerunt Christi, qui seipsum ad sanctificandos homines victimam dedit; ideoque invitantur ut quod tractant imitentur, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, membra sua a vitiis et concupiscentiis mortificare procurent.[13] In mysterio Sacrificii Eucharistici, in quo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent, opus nostrae redemptionis continuo exercetur,[14] et ideo enixe commendatur eius celebratio cotidiana, quae quidem etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae.[15] Ita, dum Presbyteri cum actu Christi Sacerdotis se coniungunt, cotidie se totos Deo offerunt, et, dum Corpore Christi nutriuntur, ex corde participant Eius caritatem qui se in cibum dat fidelibus. Similiter in Sacramentis administrandis cum intentione et caritate Christi uniuntur; quod speciali ratione efficiunt, cum Sacramenti Poenitentiae fungendo muneri omnino semperque paratos se ostendant quotiescumque id a fidelibus rationabiliter petitur. In Officio Divino recitando, vocem praebent Ecclesiae, quae in oratione, nomine totius generis humani, perseverat, una cum Christo, qui est « semper vivens ad interpellandum pro nobis » (*Hebr.* 7, 25).

Populum Dei regentes et pascentes, caritate Boni Pastoris incitantur ut animam suam dent pro ovibus suis,[16] parati quoque ad supremum sacrificium, exemplum sequentes sacerdotum qui etiam hodiernis temporibus vitam suam ponere non renuerunt; educatores in fide cum sint, et ipsi habentes « fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi » (*Hebr.* 10, 19), ad Deum accedunt « cum vero corde in plenitudine fidei » (*Hebr.* 10, 22); spem erigunt firmam pro fidelibus suis,[17] ut possint consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua et ipsos Deus exhortatur; [18] communitatis rectores ascesim pastoris animarum propriam colunt, propriis commodis renuntiantes, non quod sibi utile est quaerentes sed quod multis, ut salvi fiant,[19] semper ulterius progredientes ad opus pastorale perfectius complendum et, ubi opus sit, ad novas vias pastorales ingrediendas parati, sub ductu Spiritus amoris, qui ubi vult spirat.[20]

14. Hodierno in mundo, cum tot sint officia quae obire debent homines cumque tanta sit diversitas problematum quibus anguntur, quaeque saepius ipsis celeriter solvenda sunt, in discrimine haud raro versantur qui sese in diversa dispergant. Presbyteri autem, permultis obligationibus sui muneris implicati et distracti, non sine anxietate quaerere possunt quomodo cum exterioris actionis ratione interiorem vitam suam ad unitatem componere valeant. Quam vitae unitatem, nec mere externa operum ministerii ordinatio, nec sola pietatis exercitiorum praxis, quantumvis ad eam fovendam conferat, efficere potest. Eam vero exstruere valent Presbyteri exemplum in ministerio adimplendo sequentes Christi Domini, cuius cibus erat voluntatem facere Illius qui Eum misit ut opus suum perficeret.[21]

Re quidem vera Christus, ut eandem voluntatem Patris in mundo per

Ecclesiam indesinenter faciat, per ministros suos operatur, et ideo semper principium et fons remanet eorum vitae unitatis. Presbyteri ergo suae vitae unitatem consequentur sese Christo coniungentes in agnitione voluntatis Patris et in dono sui ipsius pro grege sibi commisso.[22] Sic Boni Pastoris partes agendo, in ipso caritatis pastoralis exercitio invenient vinculum perfectionis sacerdotalis ad unitatem eorum vitam et actionem redigens. Haec quidem pastoralis caritas [23] maxime profluit a Sacrificio Eucharistico, quod ideo centrum et radix totius vitae Presbyteri exstat, ita ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat. Hoc autem obtineri nequit, nisi ipsi sacerdotes in mysterium Christi oratione semper intimius penetrent.

Ut unitatem vitae suae etiam concrete verificare valeant, omnia incepta sua considerent probantes quae sit voluntas Dei,[24] quae nempe sit inceptorum cum normis evangelicae missionis Ecclesiae conformitas. Fidelitas enim erga Christum a fidelitate erga Ecclesiam suam seiungi nequit. Pastoralis ergo caritas postulat ut Presbyteri, ne in vacuum currant,[25] in vinculo communionis cum Episcopis et cum aliis in sacerdotio fratribus semper laborent. Hac ratione agentes, Presbyteri propriae vitae unitatem invenient in ipsa missionis Ecclesiae unitate, sicque cum Domino suo, et per Eum cum Patre, in Spiritu Sancto, unientur, ut possint consolatione repleri et superabundare gaudio.[26]

II – Peculiares exigentiae spirituales in vita Presbyteri

15. Inter virtutes quae ministerio Presbyterorum maxime requiruntur, nominanda est illa dispositio animi qua semper parati sunt non suam voluntatem quaerere, sed voluntatem Eius qui misit eos.[27] Divinum enim opus ad quod implendum a Spiritu Sancto assumpti sunt,[28] omnes humanas vires humanamque sapientiam transcendit; nam « infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia » (*1 Cor.* 1, 27). Propriae igitur infirmitatis conscius, verus Christi minister in humilitate laborat, probans quid sit beneplacitum Deo,[29] atque, veluti alligatus Spiritu,[30] ab Illius voluntate in omnibus ducitur, qui omnes homines vult salvos fieri; quam voluntatem in cotidianis rerum adiunctis detegere et exsequi potest, humiliter inserviendo omnibus qui ei, in munere sibi commisso et in multiplicibus vitae suae eventibus, a Deo concrediti sunt.

Ministerium autem sacerdotale, cum sit ministerium ipsius Ecclesiae, nonnisi in communione hierarchica totius corporis adimpleri potest. Caritas ergo pastoralis Presbyteros urget ut, in hac communione agentes, voluntatem propriam per oboedientiam servitio Dei ac fratrum dedicent, in spiritu fidei accipientes et exsequentes quae a Summo Pontifice et a proprio Episcopo necnon ab aliis superioribus praecipiuntur vel commendantur; libentissime impendentes et superimpendentes seipsos [31] in quocumque munere etiam humiliori et pauperiori quod ipsis concreditur. Hac enim ratione necessariam unitatem servant et firmant cum fratribus suis in ministerio, maxime autem cum eis quos Dominus rectores visibiles Ecclesiae suae constituit, et ad aedificationem operantur Corporis Christi, quod « per omnem iuncturam submi-

nistrationis » crescit.[32] Haec oboedientia, quae ad maturiorem libertatem filiorum Dei adducit, natura sua exigit ut, dum, in suo munere adimplendo, caritate moti, vias novas ad maius Ecclesiae bonum prudenter exquirunt, Presbyteri incepta sua fidenter proponant, et necessitudines gregis sibi commissi instanter exponant, parati semper ad illorum se subiiciendos iudicio, qui princeps in Ecclesia Dei regenda munus exercent.

Hac humilitate et oboedientia responsabili et voluntaria Presbyteri sese Christo conformant, sentientes in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens ... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9), et hac oboedientia inoboedientiam Adami devicit redemitque, testante Apostolo: « Per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboeditionem, iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

16. Perfecta et perpetua propter Regnum caelorum continentia a Christo Domino commendata,[33] per decursum temporum et etiam nostris diebus a non paucis christifidelibus libenter accepta et laudabiliter observata, ab Ecclesia speciali modo pro vita sacerdotali semper permagni habita est. Est enim signum simul et stimulus caritatis pastoralis atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo.[34] Non exigitur quidem a sacerdotio suapte natura, uti apparet ex praxi Ecclesiae primaevae [35] et ex traditione Ecclesiarum Orientalium, ubi praeter illos qui cum omnibus Episcopis ex dono gratiae coelibatum eligunt servandum, sunt etiam optime meriti Presbyteri coniugati: dum vero ecclesiasticum coelibatum commendat, Sacrosancta haec Synodus nullo modo absimilem illam disciplinam immutare intendit, quae in Orientalibus Ecclesiis legitime viget, omnesque illos peramanter hortatur, qui in matrimonio presbyteratum receperunt, ut, in sancta vocatione perseverantes, plene et generose vitam suam gregi sibi commisso impendere pergant.[36]

Coelibatus vero multimodam convenientiam cum sacerdotio habet. Missio enim sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » (*Io.* 1, 13) habet. Per virginitatem autem vel coelibatum propter Regnum caelorum servatum,[37] Presbyteri nova et eximia ratione Christo consecrantur, Ei facilius indiviso corde adhaerent,[38] liberius in Ipso et per Ipsum servitio Dei et hominum sese dedicant, Eius Regno ac operi regenerationis supernae expeditius ministrant, et sic aptiores fiunt qui paternitatem in Christo latius accipiant. Hoc ergo modo, coram hominibus profitentur se velle indivise muneri sibi commisso dedicari, fideles scilicet despondendi uni viro, illosque exhibendi virginem castam Christo,[39] et sic arcanum illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet.[40] Signum insuper vivum efficiuntur illius mundi futuri, per fidem et caritatem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores.[41]

His rationibus in mysterio Christi Eiusque missione fundatis, coelibatus, qui prius sacerdotibus commendabatur, postea in Ecclesia Latina omnibus ad Ordinem sacrum promovendis lege impositus est. Quam legislationem, ad eos qui ad Presbyteratum destinantur quod attinet, Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat et confirmat, confidens in Spiritu donum coelibatus, sacerdotio Novi Testamenti tam congruum, liberaliter a Patre dari, dummodo qui sacerdotium Christi per Sacramentum Ordinis participant, immo et universa Ecclesia, humiliter et enixe illud expetant. Exhortatur etiam haec Sacra Synodus omnes Presbyteros, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi libera voluntate secundum exemplum Christi acceperunt ut, illi magno animo et toto corde inhaerentes, atque in hoc statu fideliter perseverantes, agnoscant praeclarum illud donum, quod a Patre sibi datum est quodque a Domino tam aperte extollitur,[42] necnon prae oculis habeant magna mysteria, quae in eo significantur atque adimplentur. Quo magis autem perfecta continentia in mundo huius temporis a non paucis hominibus impossibilis reputatur, eo humilius et perseverantius Presbyteri gratiam fidelitatis, numquam petentibus denegatam, una cum Ecclesia expostulabunt, cuncta subsidia supernaturalia et naturalia insimul adhibentes, quae omnibus praesto sunt. Normas praesertim asceticas quae ab experientia Ecclesiae probantur et quae in mundo hodierno haud minus necessariae sunt, sequi ne omittant. Rogat itaque haec Sacrosancta Synodus non solum sacerdotes, sed et omnes fideles, ut eis hoc pretiosum donum coelibatus sacerdotalis cordi sit, petantque omnes a Deo, ut Ipse illud donum Ecclesiae suae semper abundanter largiatur.

17. Amicabili et fraterna conversatione inter se et cum ceteris hominibus, discere valent Presbyteri valores humanos colere et bona creata tamquam Dei dona aestimare. Versantes in mundo sciant tamen semper se secundum verbum Domini Magistri nostri non esse de mundo.[34] Utentes ergo mundo tamquam non utentes,[44] pervenient ad illam libertatem, qua liberati ab omni cura inordinata dociles fiunt ad vocem divinam in vita cotidiana audiendam. Ex hac libertate et docilitate excrescit discretio spiritualis qua recta habitudo ad mundum bonaque terrestria invenitur. Quae habitudo ideo pro Presbyteris magni est momenti, quia missio Ecclesiae in medio mundo adimpletur et quia bona creata profectui personali hominis prorsus sunt necessaria. Grati ergo sint pro omnibus, quae eis Pater caelestis ad vitam recte peragendam largitur. Discernant tamen oportet in lumine fidei omnia, quae eis occurrant, ut ad rectum usum bonorum Dei voluntati respondentem ducantur et quae missioni suae sunt noxia respuant.

Sacerdotes enim, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bonis temporalibus uti debent tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem eadem destinari licet.

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum, sacerdotes, adiuvantibus quatenus fieri possit peritis laicis moderentur, atque eadem destinent semper eos in fines ad quos prosequen-

dos Ecclesiae licet bona temporalia possidere, videlicet ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.[45] Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, salvo iure particulari,[46] Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint. Itaque officium ecclesiasticum ne quaestui habeant neve redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant.[47] Quare sacerdotes, nequaquam divitiis cor apponentes,[48] omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

Immo ad paupertatem voluntariam amplexandam invitantur, qua Christo manifestius conformentur, et ad sacrum ministerium promptiores fiant. Christus enim propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut Illius inopia divites essemus.[49] Apostoli autem exemplo suo testificati sunt gratuitum Dei donum gratis dandum esse,[50] scientes et abundare et penuriam pati.[51] Sed et aliqualis rerum communis usus, ad instar bonorum communionis quae in historia primaevae Ecclesiae extollitur,[52] caritati pastorali optime viam sternit; et per eam vivendi formam Presbyteri laudabiliter ad praxim reducere possunt spiritum paupertatis qui a Christo commendatur.

Spiritu ergo Domini ducti, qui Salvatorem unxit et evangelizare pauperibus misit,[53] Presbyteri, necnon et Episcopi, omnia illa vitent quae pauperes quolibet modo avertere possent, prae ceteris Christi discipulis omnem speciem vanitatis in suis rebus seponentes. Habitationem suam ita disponant, ut haec nemini impervia appareat et ut nemo umquam, etiam humilior, eam frequentare vereatur.

III – Subsidia pro Presbyterorum vita

18. Unionem cum Christo ut in omnibus vitae adiunctis fovere valeant, Presbyteri, praeterquam exercitio conscio ministerii sui, gaudent mediis communibus et particularibus, novis et veteribus, quae Spiritus Sanctus in Populo Dei suscitare numquam destitit et quae Ecclesia ad suorum membrorum sanctificationem commendat, immo aliquando et iubet.[54] Prae omnibus spiritualibus subsidiis illi eminent actus, quibus christifideles ex duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae Verbo Dei nutriuntur;[55] quanti momenti sit eorum assidua frequentatio pro sanctificatione Presbyterorum propria neminem latet.

Christo Salvatori et Pastori intime uniuntur sacramentalis gratiae ministri per fructuosam Sacramentorum receptionem, speciatim in frequenti Poenitentiae sacramentali actu, quippe qui, cotidiana conscientiae discussione praeparatus, necessariam cordis conversionem ad Patris misericordiarum amorem tantopere foveat. Sub lumine fidei lectione divina enutritae, possunt Dei voluntatis signa et Eius gratiae impulsus in variis vitae eventibus sedulo inquirere, et ita missioni suae in Spiritu Sancto assumptae dociliores in dies

fieri. Talis docilitatis mirum exemplum in Beata Maria Virgine semper inveniunt, quae, a Spiritu Sancto ducta, seipsam mysterio hominum Redemptionis totam devovit; [56] quam Summi et Aeterni Sacerdotis Matrem et Apostolorum Reginam, atque ministerii sui praesidium, Presbyteri filiali devotione et cultu venerentur ac diligant.

Ad suum ministerium cum fidelitate adimplendum, colloquium cotidianum cum Christo Domino in visitatione et personali cultu Sanctissimae Eucharistiae sibi cordi sit; recessui spirituali libenter vacent atque directionem spiritualem magni habeant. Multimodis, speciatim per probatam orationem mentalem et varias precum formas, quas libere eligunt, Presbyteri quaerunt et a Deo enixe rogant illum verae adorationis spiritum, quo ipsi, simul cum plebe sibi commissa, intime se cum Christo Novi Testamenti Mediatore uniant, et ita tamquam filii adoptionis clamare possint: « Abba, Pater » (*Rom.* 8, 15).

19. Presbyteri ab Episcopo in sacro ritu Ordinationis admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei ».[57] Scientia autem ministri sacri sacra esse debet, quia e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa. Praeprimis itaque hauritur ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae,[58] sed et studio Sanctorum Patrum et Doctorum aliorumque Traditionis monumentorum fructuose nutritur. Praeterea, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Conciliorum ac Romanorum Pontificum documenta, atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae scriptores.

Cum vero nostris temporibus cultura humana et etiam scientiae sacrae novo gressu progrediantur, incitantur Presbyteri ut scientiam suam de divinis et humanis apte et sine intermissione perficiant, atque ita ad colloquium cum coaetaneis opportunius ineundum se praeparent.

Quo facilius Presbyteri in studia incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt institutio, iuxta cuiusque territorii condiciones, cursuum vel congressuum, erectio centrorum pastoralibus studiis destinatorum, constitutio bibliothecarum et apta per personas idoneas studiorum moderatio. Considerent insuper Episcopi singuli aut inter se uniti modum opportuniorem efficiendi ut omnes sui Presbyteri, statis temporibus, maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione,[59] frequentare possint cursum, quo ipsis praebeatur occasio cum ad pleniorem methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem roborandam et ad mutuo experientias apostolicas cum fratribus communicandas.[60] His aliisque aptis subsidiis peculiari cura iuventur etiam neoparochi et illi qui novo pastorali operi addicuntur, vel qui in aliam dioecesim vel nationem mittuntur.

Tandem solliciti erunt Episcopi ut aliqui ad profundiorem rerum divinarum scientiam se dedicent, ut numquam desint magistri ad clericos instituendos idonei, ut reliqui sacerdotes et fideles iuventur ad necessariam sibi doc-

trinam comparandam, utque sanus in sacris disciplinis foveatur progressus, qui Ecclesiae prorsus est necessarius.

20. Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri qui aequam recipiant remunerationem, quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7),[61] atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14). Quapropter, quatenus aequae Presbyterorum remunerationi non aliunde provisum fuerit, ipsi fideles, quippe in quorum bonum Presbyteri operam impendant, vera obligatione tenentur curandi ut eisdem necessaria ad vitam honeste et digne ducendam subsidia procurari valeant. Episcopi autem de hac eorum obligatione fideles monere tenentur et curare debent, sive singuli pro sua quisque dioecesi, sive aptius plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur, quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum qui in Populi Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt. Remuneratio autem ab unoquoque percipienda, ratione quidem habita tum ipsius muneris naturae tum locorum temporumque condicionum, fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem non solum debite providendi remunerationi eorum qui servitio Presbyterorum se dedicant, sed etiam indigentibus per seipsos aliqua ratione subveniendi, quod ministerium erga pauperes, iam a primis suis exordiis, magno semper in honore Ecclesia habuit. Haec remuneratio insuper talis sit, quae Presbyteris permittat quotannis debitum et sufficiens habere feriarum tempus, quod quidem, ut Presbyteri habere valeant, Episcopi curare debent.

Officio vero, quod sacri ministri adimplent, praecipuum momentum tribuere oportet. Quare systema sic dictum beneficiale relinquatur aut saltem ita reformetur ut pars beneficialis, seu ius ad redditus ex dote officio adnexos, habeatur tamquam secundaria, et princeps in iure tribuatur locus ipsi officio ecclesiastico, quod quidem deinceps intellegi debet quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum.

21. Prae oculis semper habeatur exemplum credentium in primaeva Ecclesia hierosolymitana, in qua « erant illis omnia communia » (*Act.* 4, 32), « dividebatur autem singulis prout cuique opus erat » (*Act.* 4, 35). Summopere itaque congruit ut, in regionibus saltem in quibus cleri sustentatio penitus aut magna ex parte a fidelium oblationibus pendet, bona in hunc finem oblata colligat institutio quaedam dioecesana, quam administrat Episcopus, adiuvantibus sacerdotibus delegatis et, ubi utilitas id suadeat, etiam laicis in re oeconomica peritis. In votis quoque est ut praeterea, quantum fieri possit, in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis, qua valeant Episcopi aliis obligationibus erga personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia harum inopiam suppleat.[62] Quae etiam massa communis imprimis constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, provenientibus.

In nationibus praeterea ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut, attentis semper legibus ecclesiasticis et civilibus, habeantur sive instituta dioecesana, etiam inter se foederata, sive instituta pro variis dioecesibus simul constituta sive associatio pro toto territorio condita, quibus, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideatur tum congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae, quam vocant, tum debitae sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero instituto erecto opem ferant, moti spiritu solidarietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum,[63] simul considerantes se ita, sine anxietate de sorte futura, alacriore sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti penitus se tradere posse. Satagant autem ii, ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur consequantur latiusque propagentur.

NOTAE

[1] Cf. *2 Cor.* 12, 9.

[2] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 10.

[3] Cf. *Io.* 10, 36.

[4] Cf. *Lc.* 24, 26.

[5] Cf. *Eph.* 4, 13.

[6] Cf. *2 Cor.* 3, 8-9.

[7] Cf. inter alia:

S. Pius X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.

Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.

[8] Cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 7.

[9] Cf. *Eph.* 3, 9-10.

[10] Cf. *Act.* 16, 14.

[11] Cf. *2 Cor.* 4, 7.

[12] Cf. *Eph.* 3, 9.

[13] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[14] Cf. *Missale Romanum,* Oratio super oblata dominicae IX post Pentecosten.

[15] « Quaelibet enim Missa, etsi a sacerdote privatim celebratur, privata tamen non est, sed actus Christi et Ecclesiae; quae quidem Ecclesia in sacrificio, quod offert, seipsam tamquam universale sacrificium discit offerre et unicam et infinitam redemptricem sacrificii Crucis virtutem universo mundo ad salutem applicat. Unaquaeque enim Missa quae celebratur, non pro aliquorum tantum sed pro totius etiam mundi salute offertur (...). Paterne igitur et enixe commendamus sacerdotibus, qui potissimum gaudium Nostrum et corona Nostra sunt in Domino, ut ... quotidie digne et devote Missam celebrent » (Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,*

3 sept. 1965: A.*A.S.,* 57 [1965], pp. 761-762). Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, nn. 26 et 27: *A.A.S.*, 56 (1964), p. 107.

[16] Cf. *Io.* 10, 11.

[17] Cf. *2 Cor.* 1, 7.

[18] Cf. *2 Cor.* 1, 4.

[19] Cf. *1 Cor.* 10, 33.

[20] Cf. *Io.* 3, 8.

[21] Cf. *Io.* 4, 34.

[22] Cf. *1 Io.* 3, 16.

[23] « Sit amoris officium pascere dominicum gregem » (S. AUGUSTINUS, *Tract. in Io.,* 123, 5: PL 35, 1967).

[24] Cf. *Rom.* 12, 2.

[25] Cf. *Gal.* 2, 2.

[26] Cf. *2 Cor.* 7, 4.

[27] Cf. *Io.* 4, 34; 5, 30; 6, 38.

[28] Cf. *Act.* 13, 2.

[29] Cf. *Eph.* 5, 10.

[30] Cf. *Act.* 20, 22.

[31] Cf. *2 Cor.* 12, 15.

[32] Cf. *Eph.* 4, 11-16.

[33] Cf. *Mt.* 19, 12.

[34] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 42: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 47-49.

[35] Cf. *1 Tim.* 3, 2-5; *Tit.* 1, 6.

[36] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 28.

[37] Cf. *Mt.* 19, 12.

[38] Cf. *1 Cor.* 7, 32-34.

[39] Cf. *2 Cor.* 11, 2.

[40] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, nn. 42 et 44: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 47-49 et 50-51; Decretum *Perfectae caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, 28 oct. 1965, n. 12.

[41] Cf. *Lc.* 20, 35-36; PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 24-28; PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 169-172.

[42] Cf. *Mt.* 19, 11.

[43] Cf. *Io.* 17, 14-16.

[44] Cf. *1 Cor.* 7, 31.

[45] *Conc. Antioch.,* can. 25: MANSI 2, 1328; *Decretum Gratiani,* c. 23, C. 12, q. 1 (ed. Friedberg, I, pp. 684-685).

[46] Hoc intellegitur praesertim de iuribus et consuetudinibus in Ecclesiis Orientalibus vigentibus.

[47] *Conc. Paris.,* a. 829, can. 15; M.G.H., Sect. III, *Concilia,* t. 2, pars 6, 622; *Conc. Trid.,* Sess. XXV, *de reform.,* cap. 1: *Conc. Oec. Decreta,* ed. Herder, Romae 1962, pp. 760-761.

[48] Cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61.

[49] Cf. *2 Cor.* 8, 9.

[50] Cf. *Act.* 8, 18-25.
[51] Cf. *Phil.* 4, 12.
[52] Cf. *Act.* 2, 42-47.
[53] Cf. *Lc.* 4, 18.
[54] Cf. *C.I.C.*, can. 125 ss.
[55] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *Perfectae caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, 28 oct. 1965, n. 7; Const. dogm. *Dei verbum,* de Divina Revelatione, 18 nov. 1965, n. 21.
[56] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 65: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 64-65.
[57] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».
[58] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Dei verbum,* de Divina Revelatione, 18 nov. 1965, n. 25.
[59] Hic cursus idem non est ac cursus ille pastoralis, statim post ordinationem perficiendus, de quo in Decreto *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 22.
[60] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, n. 17.
[61] Cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18.
[62] Cf. *2 Cor.* 8, 14.
[63] Cf. *Phil.* 4, 14.

CONCLUSIO ET EXHORTATIO

22. Sacrosancta haec Synodus gaudia vitae sacerdotalis prae oculis habens, etiam difficultates non praeterire potest, quas in hodiernae vitae adiunctis patiuntur Presbyteri. Scit etiam quantum condiciones oeconomicae et sociales, immo et hominum mores, transformantur, quantumque ordo valorum in aestimatione hominum immutatur; Ecclesiae ministri inde, immo et nonnumquam christifideles, in hoc mundo quasi alienos ab ipso se sentiunt, anxie quaerentes quibusnam idoneis mediis et verbis cum eodem communicare valeant. Nova enim quae fidei obstant impedimenta, apparens peracti laboris sterilitas necnon acerba quam experiuntur solitudo, eos in periculum adducere possunt ne animo deprimantur.

Mundum autem, qualis hodie dilectioni et ministerio Pastorum Ecclesiae concreditur, sic Deus dilexit, ut Filium suum Unigenitum pro ipso daret.[1] Revera, mundus hic, multis quidem peccatis detentus sed non parvis etiam facultatibus praeditus, Ecclesiae lapides vivos[2] praebet, qui coaedificantur in habitaculum Dei in Spiritu.[3] Idem Spiritus Sanctus, dum Ecclesiam impellit ut ad mundum huius temporis adeundum novas vias aperiat, congruas quoque ministerii sacerdotalis accommodationes suggerit ac fovet.

Meminerint Presbyteri se in opere exercendo numquam solos esse, sed inniti omnipotenti Dei virtute: atque in Christum credentes, qui eos ad Sacerdotium suum participandum vocavit, cum omni fiducia suo ministerio sese devoveant, scientes potentem esse Deum ut augeat in eis caritatem.[4] Me-

minerint etiam fratres in sacerdotio, immo et fideles totius mundi sibi socios habere. Cooperantur enim omnes Presbyteri in exsequendo Dei salutari proposito, mysterio scilicet Christi seu sacramento abscondito a saeculis in Deo,[5] quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec Eiusdem compleatur aetatis mensura. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo,[6] fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces Populi Dei, exemplum sequentes fidelis Abrahae, qui fide « oboedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: et exiit, nesciens quo iret » (*Hebr.* 11, 8). Revera mysteriorum Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum Dominus Iesus, qui dixit: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33), his verbis Ecclesiae suae non promisit perfectam in hoc saeculo victoriam. Gaudet vero Sacrosancta Synodus quod terra Evangelii semine inseminata nunc multis in locis fructificat sub ductu Spiritus Domini, qui replet orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum vere missionalem excitavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universis orbis Presbyteris peramanter grates agit: « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu » (*Eph.* 3, 20-21).

NOTAE

[1] Cf. *Io.* 3, 16.
[2] Cf. *1 Pt.* 2, 5.
[3] Cf. *Eph.* 2, 22.
[4] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».
[5] Cf. *Eph.* 3, 9.
[6] Cf. *Col.* 3, 3.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die VII mensis decembris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 804.

6

Constitutio Pastoralis [1]
DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

PROOEMIUM

1. (*De intima coniunctione Ecclesiae cum tota familia gentium*). GAUDIUM ET SPES, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium sunt et spes, luctus et angor etiam Christi discipulorum, nihilque vere humanum invenitur, quod in corde eorum non resonet. Ipsorum enim communitas ex hominibus coalescit, qui, in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa cum genere humano eiusque historia se revera intime coniunctam experitur.

2. (*Ad quosnam Concilium sermonem dirigat*). Ideo Concilium Vaticanum Secundum, mysterio Ecclesiae penitius investigato, iam non ad solos Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, sed ad universos homines incunctanter sermonem convertit, omnibus exponere cupiens quomodo Ecclesiae praesentiam ac navitatem in mundo hodierno concipiat.

Mundum igitur hominum prae oculis habet seu universam familiam humanam cum universitate rerum inter quas vivit; mundum, theatrum historiae generis humani, eiusque industria, cladibus ac victoriis signatum; mundum, quem christifideles credunt ex amore Creatoris conditum et conservatum, sub peccati quidem servitute positum, sed a Christo crucifixo et resurgente, fracta potestate Maligni, liberatum, ut secundum propositum Dei transformetur et ad consummationem perveniat.

3. (*De ministerio homini praebendo*). Nostris autem diebus, genus humanum, de propriis inventis propriaque potentia admiratione commotum, saepe tamen anxias agitat quaestiones de hodierna mundi evolutione, de loco et munere hominis in orbe universo, de sui individualis et collectivi conaminis sensu, denique de ultimo rerum hominumque fine. Quapropter Concilium, fidem universi populi Dei, a Christo congregati, testificans et exponens, ipsius coniunctionem, observantiam ac dilectionem erga totam hominum familiam, cui inseritur, eloquentius demonstrare non valet quam instituendo cum ea de variis illis problematibus colloquium, lumen afferendo ex Evangelio depromptum, atque humano generi salutares vires suppeditando, quas ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo accipit. Hominis enim persona salvanda est humanaque societas instauranda. Homo igitur, et quidem unus ac totus, cum corpore et anima, corde et conscientia, mente et voluntate, totius nostrae explanationis cardo erit.

Ideo Sacra Synodus, altissimam vocationem hominis profitens et divinum

quoddam semen in eo insertum asseverans, generi humano sinceram cooperationem Ecclesiae offert ad instituendam eam omnium fraternitatem quae huic vocationi respondeat. Nulla ambitione terrestri movetur Ecclesia, sed unum tantum intendit: nempe, Spiritus Paracliti ductu, opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut salvaret non ut iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur.[2]

NOTAE

Ad titulum.

[1] *Constitutio Pastoralis « De Ecclesia in mundo huius temporis » duabus partibus constans, unum quid tamen efficit.*

« Pastoralis » enim dicitur Constitutio ex eo quod, principiis doctrinalibus innixa, habitudinem Ecclesiae ad mundum et ad homines hodiernos exprimere intendit. Ideo nec in priori parte pastoralis deest intentio, nec vero in secunda intentio doctrinalis.

In parte quidem priori, Ecclesia doctrinam suam evolvit de homine, de mundo in quo homo inseritur, et de habitudine sua ad ipsos. In secunda autem diversos aspectus hodiernae vitae et societatis humanae pressius considerat, et quidem speciatim quaestiones et problemata quae nostris temporibus hac in re urgentiora videntur. Unde fit ut, in hac posteriori parte, materia, principiis doctrinalibus subiecta, non tantum elementis permanentibus, sed etiam contingentibus constet.

Interpretanda est igitur Constitutio iuxta normas generales theologicae interpretationis, et quidem ratione habita, praesertim in secunda eius parte, adiunctorum mutabilium cum quibus res de quibus agitur natura sua connectuntur.

Ad n. 3.

[2] Cf. *Io.* 3, 17; 18, 37; *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45.

EXPOSITIO INTRODUCTIVA

De hominis condicione in mundo hodierno

4. (*De spe et angore*). Ad tale munus exsequendum, per omne tempus Ecclesiae officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi; ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit. Oportet itaque ut mundus in quo vivimus necnon eius exspectationes, appetitiones et indoles saepe dramatica cognoscantur et intelligantur. Quaedam autem principaliores mundi hodierni notae sequenti modo delineari possunt.

Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem gradatim extenduntur. Ab hominis intelligentia et creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria individualia et collectiva, in eius modum

cogitandi et agendi tum circa res tum circa homines. Ita iam de vera sociali et culturali transformatione loqui possumus, quae etiam in vitam religiosam redundat.

Ut in quavis accretionis crisi contingit, haec transformatio non leves secumfert difficultates. Ita, dum homo potentiam suam tam late extendit, eam tamen non semper ad suum servitium redigere valet. Proprii animi intimiora altius penetrare satagens, saepe de seipso magis incertus apparet. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione ei imprimenda anceps haeret.

Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus et potentia oeconomica abundavit, et tamen adhuc ingens pars incolarum orbis fame et egestate torquetur atque innumeri litterarum ignorantia plane laborant. Numquam homines tam acutum ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psychicae servitutis exsurgunt. Dum mundus suam unitatem necnon singulorum ab invicem dependentiam in necessaria solidarietate tam vivide persentit, viribus tamen inter se pugnantibus gravissime in opposita distrahitur; etenim acres dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, « raciales » et ideologicae adhuc perseverant, nec periculum deest belli omnia usque ad ima destructuri. Dum idearum communicatio augetur, verba ipsa quibus magni momenti conceptus exprimuntur sensus sat diversos in distinctis ideologiis induunt. Tandem sedulo perfectior quaeritur temporalis ordinatio, quin spirituale incrementum pariter progrediatur.

Tot implexis condicionibus affecti, plurimi coaevi nostri impediuntur quominus valores perennes vere dignoscant et simul cum noviter inventis rite componant; exinde, inter spem et angorem agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui rerum cursus homines ad respondendum provocat, immo et constringit.

5. (*De profunde mutatis condicionibus*). Hodierna animorum commotio et in vitae condicionibus immutatio cum ampliori rerum transmutatione connectuntur, qua efficitur ut in mentibus efformandis scientiae mathematicae et naturales vel de ipso homine tractantes, in ordine vero agendi technicae artes ex illis scientiis profluentes, crescens pondus acquirant. Haec mens scientifica rationem culturalem modosque cogitandi aliter quam antea fingit. Technicae artes eo progrediuntur ut faciem terrae transforment et iam spatium ultraterrestre subigere conentur.

Super tempora quoque humanus intellectus dominium suum quodammodo dilatat: in praeteritum ope cognitionis historicae, in futurum arte prospectiva et planificatione. Progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales non solum homini ad meliorem sui cognitionem opem ferunt, sed ipsum etiam adiuvant ut, technicis methodis adhibitis, in vitam societatum directe influxum exerceat. Insimul genus humanum de proprio demographico incremento iam praevidendo et ordinando magis magisque cogitat.

Ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli eam vix prosequi valeant. Consortionis humanae sors una efficitur et non amplius inter varias

velut historias dispergitur. Ita genus humanum a notione magis statica ordinis rerum ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit, unde quam maxima nascitur problematum nova complexio, quae ad novas analyses et syntheses provocat.

6. (*Mutationes in ordine sociali*). Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, « clans », tribus, pagi, varii coetus et consortionis socialis necessitudines, pleniores in dies immutationes experiuntur.

Typus industrialis societatis paulatim diffunditur, quasdam nationes ad oeconomicam opulentiam adducens, et notiones et condiciones vitae socialis a saeculis constitutas penitus transformans. Similiter vitae urbanae cultus ac studium augentur sive per urbium earumque incolarum augmentum, sive per motum quo vita urbana ad ruricolas dilatatur.

Nova et aptiora communicationis socialis instrumenta ad eventus cognoscendos et ad modos cogitandi et sentiendi quam citissime latissimeque diffundendos conferunt, plures connexas repercussiones excitando.

Nec parvipendendum est quot homines, ex variis causis, ad migrandum inducti, vitae suae rationem immutent.

Sic necessitudines hominis cum similibus suis indesinenter multiplicantur ac simul ipsa « socializatio » novas necessitudines inducit, quin tamen congruentem personae maturationem et relationes vere personales (« personalizationem ») semper promoveat.

Huiusmodi quidem evolutio clarius apparet in nationibus quae commodis progressus oeconomici et technici iam gaudent, sed populos quoque movet adhuc ad progressionem nitentes qui, pro suis regionibus, beneficia industrializationis et urbanizationis obtinere cupiunt. Qui populi, praesertim antiquioribus traditionibus addicti, simul motum experiuntur ad maturius magisque personale libertatis exercitium.

7. (*Mutationes psychologicae, morales et religiosae*). Mutatio mentis et structurarum bona recepta frequenter in controversiam vocat, maxime apud iuvenes qui non semel impatientes, immo angore rebelles fiunt, et conscii de proprio momento in vita sociali, citius in eadem partes habere cupiunt. Exinde non raro parentes et educatores in muneribus suis adimplendis in dies maiores difficultates experiuntur.

Instituta vero, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita non semper statui rerum hodierno bene aptari videntur; inde gravis perturbatio in modo et in ipsis agendi normis.

Ipsam denique vitam religiosam novae condiciones afficiunt. Ex una parte acrior diiudicandi facultas eam a magico mundi conceptu et a superstitionibus adhuc vagantibus purificat atque magis personalem et actuosam adhaesionem fidei in dies exigit; quo fit ut non pauci ad vividiorem Dei sensum accedant. Ex altera vero parte crebriores turbae a religione practice discedunt. Secus ac transactis temporibus, Deum religionemve negare, aut ab iisdem abstrahere, non amplius quid insolitum et individuale est: hodie enim non raro quasi exigentia progressus scientifici vel cuiusdam novi humanismi exhibentur.

Haec omnia in pluribus regionibus non tantum in philosophorum placitis exprimuntur, sed altissime litteras, artes, scientiarum humanarum et historiae interpretationem, ipsasque leges civiles afficiunt ita ut exinde multi perturbentur.

8. (*De inaequilibriis in mundo hodierno*). Tam rapida rerum mutatio inordinate saepe progrediens, immo et ipsa discrepantiarum in mundo vigentium acrior conscientia, contradictiones et inaequilibria gignunt vel augent.

In ipsa persona frequentius oritur inaequilibrium inter modernum intellectum practicum et theoreticam cogitandi rationem, quae summam cognitionum suarum neque sibi subigere neque in syntheses apte ordinare valet. Oritur pariter inaequilibrium inter sollicitudinem efficientiae practicae et exigentias conscientiae moralis, necnon multoties inter condiciones vitae collectivas et requisita cogitationis personalis, immo et contemplationis. Oritur tandem inaequilibrium inter activitatis humanae specializationem et universalem rerum visionem.

In familia autem discrepantiae oriuntur, sive ex prementibus condicionibus demographicis, oeconomicis et socialibus, sive ex difficultatibus inter generationes quae sibi subsequuntur exsurgentibus, sive ex novis necessitudinibus socialibus inter viros ac mulieres.

Magnae oriuntur etiam discrepantiae inter stirpes, immo inter varii generis societatis ordines; inter nationes opulentas et minus valentes egentesque; denique, inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta, et ambitionem propriae ideologiae disseminandae nec non cupiditates collectivas in nationibus aliisve coetibus exsistentes.

Inde mutuae diffidentiae et inimicitiae, conflictationes et aerumnae, quarum ipse homo simul causa est et victima.

9. (*De appetitionibus universalioribus generis humani*). Interea crescit persuasio genus humanum non tantum imperium suum super res creatas in dies magis roborare posse ac debere; sed insuper eius esse ordinem politicum, socialem et oeconomicum statuere qui in dies melius homini inserviat et singulos ac coetus adiuvet ad dignitatem sibi propriam affirmandam et excolendam.

Hinc plurimi acerrime exigunt illa bona quibus, per iniustitiam vel non aequam distributionem, orbatos se esse vivida conscientia iudicant. Nationes in via progressus sicut illae recenter sui iuris factae, bona civilizationis hodiernae non tantum in campo politico sed etiam oeconomico participare et libere partibus suis in mundo fungi cupiunt, dum tamen in dies augetur earumdem distantia simul ac persaepe dependentia etiam oeconomica ab aliis ditioribus nationibus citius progredientibus. Populi fame pressi populos opulentiores interpellant. Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, paritatem de iure et de facto cum viris. Opifices et ruricolae non solum victui necessaria comparare, sed laborando dotes suae personae excolere, immo in ordinanda vita oeconomica, sociali, politica et culturali suas partes agere

volunt. Nunc primum in historia humana universi populi iam persuasum sibi habent culturae beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

Sub omnibus autem istis exigentiis latet profundior et universalior appetitio: personae scilicet atque coetus plenam atque liberam vitam, homine dignam, sitiunt, omnia quae hodiernus mundus eis tam abundanter praebere potest proprio servitio subicientes. Nationes praeterea in dies fortius enituntur ut universalem quamdam communitatem assequantur.

Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potentem ac debilem se exhibet, capacem optima vel pessima patrandi, dum ipsi ad libertatem aut servitutem, ad progressum aut regressum, ad fraternitatem aut odium prostat via. Praeterea, homo conscius fit ipsius esse recte dirigere vires, quas ipse suscitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt. Unde seipsum interrogat.

10. (*De profundioribus interrogationibus generis humani*). Revera inaequilibria quibus laborat mundus hodiernus cum inaequilibrio illo fundamentaliori connectuntur, quod in hominis corde radicatur. In ipso enim homine plura elementa sibi invicem oppugnant. Dum enim una ex parte, utpote creatura, multipliciter sese limitatum experitur, ex altera vero in desideriis suis illimitatum et ad superiorem vitam vocatum se sentit. Multis sollicitationibus attractus, iugiter inter eas seligere et quibusdam renuntiare cogitur. Immo, infirmus ac peccator, non raro illud quod non vult facit et illud quod facere vellet non facit.[1] Unde in seipso divisionem patitur, ex qua etiam tot ac tantae discordiae in societate oriuntur. Plurimi sane, quorum vita materialismo practico inficitur, a clara huiusmodi dramatici status perceptione avertuntur, vel saltem, miseria oppressi, impediuntur quominus illum considerent. Multi in interpretatione rerum multifarie proposita quietem et invenire existimant. Quidam vero a solo conatu humano veram plenamque generis humani liberationem exspectant, sibique persuasum habent futurum regnum hominis super terram omnia vota cordis eius expleturum esse. Nec desunt qui, de sensu vitae desperantes, audaciam laudant eorum qui, exsistentiam humanam omnis significationis propriae expertem existimantes, ei totam significationem ex solo proprio ingenio conferre nituntur. Attamen, coram hodierna mundi evolutione, in dies numerosiores fiunt qui quaestiones maxime fundamentales vel ponunt vel nova acuitate persentiunt: quid est homo? Quinam est sensus doloris, mali, mortis, quae, quamquam tantus progressus factus est, subsistere pergunt? Ad quid victoriae illae tanto pretio acquisitae? Quid societati homo afferre, quid ab ea exspectare potest? Quid post vitam hanc terrestrem subsequetur?

Credit autem Ecclesia Christum, pro omnibus mortuum et resuscitatum,[2] homini lucem et vires per Spiritum suum praebere ut ille summae suae vocationi respondere possit; nec aliud nomen sub caelo datum esse hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.[3] Similiter credit clavem, centrum et finem totius humanae historiae in Domino ac Magistro suo inveniri. Affirmat insuper Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur, quaeque fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie,

Ipse et in saecula.[4] Sub lumine ergo Christi, Imaginis Dei invisibilis, Primogeniti omnis creaturae,[5] Concilium, ad mysterium hominis illustrandum atque ad cooperandum in solutionem praecipuarum quaestionum nostri temporis inveniendam, omnes alloqui intendit.

NOTAE

Ad n. 10.

[1] Cf. *Rom.* 7, 14 ss.
[2] Cf. *2 Cor.* 5, 15.
[3] Cf. *Act.* 4, 12.
[4] Cf. *Hebr.* 13, 8.
[5] Cf. *Col.* 1, 15.

PARS I

DE ECCLESIA ET VOCATIONE HOMINIS

11. (*Impulsionibus Spiritus respondendum*). Populus Dei, fide motus, qua credit se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum, in eventibus, exigentiis atque optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, quaenam in illis sint vera signa praesentiae vel consilii Dei, discernere satagit. Fides enim omnia novo lumine illustrat et divinum propositum de integra hominis vocatione manifestat, ideoque ad solutiones plene humanas mentem dirigit.

Concilium imprimis illos valores, qui hodie maxime aestimantur, sub hoc lumine diiudicare et ad fontem suum divinum referre intendit. Hi enim valores, prout ex hominis ingenio eidem divinitus collato procedunt, valde boni sunt; sed ex corruptione humani cordis a sua debita ordinatione non raro detorquentur, ita ut purificatione indigeant.

Quid Ecclesia de homine sentit? Quaenam ad societatem hodiernam aedificandam commendanda videntur? Quaenam est significatio ultima humanae navitatis in universo mundo? Ad has quaestiones responsio exspectatur. Exinde luculentius apparebit populum Dei et genus humanum, cui ille inseritur, servitium sibi mutuo praestare, ita ut Ecclesiae missio religiosam et ex hoc ipso summe humanam se exhibeat.

CAPUT I

DE HUMANAE PERSONAE DIGNITATE

12. (*De homine ad imaginem Dei*). Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, omnia quae in terra sunt ad hominem, tamquam ad centrum suum et culmen, ordinanda sunt.

Quid est autem homo? Multas opiniones de seipso protulit et profert, varias et etiam contrarias, quibus saepe vel se tamquam absolutam regulam

exaltat vel usque ad desperationem deprimit, exinde anceps et anxius. Quas quidem difficultates Ecclesia persentiens, a Deo revelante instructa eisdem responsum afferre potest, quo vera hominis condicio delineetur, explanentur eius infirmitates, simulque eius dignitas et vocatio recte agnosci possint.

Sacrae enim Litterae docent hominem « ad imaginem Dei » creatum esse, capacem suum Creatorem cognoscendi et amandi, ab eo tamquam dominum super omnes creaturas terrenas constitutum,[1] ut eas regeret, eisque uteretur, glorificans Deum.[2] « Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius » (*Ps.* 8, 5-7).

At Deus non creavit hominem solum: nam inde a primordiis « masculum et feminam creavit eos » (*Gen.* 1, 27), quorum consociatio primam formam efficit communionis personarum. Homo etenim ex intima sua natura ens sociale est, atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes expandere potest.

Deus igitur, sicut iterum in sacra Pagina legimus, vidit « cuncta quae fecerat, et erant valde bona » (*Gen.* 1, 31).

13. (*De peccato*). In iustitia a Deo constitutus, homo tamen, suadente Maligno, inde ab exordio historiae, libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigens et finem suum extra Deum attingere cupiens. Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed obscuratum est insipiens cor eorum et servierunt creaturae potius quam Creatori.[3] Quod Revelatione divina nobis innotescit, cum ipsa experientia concordat. Nam homo, cor suum inspiciens, etiam ad malum inclinatum se comperit et in multiplicibus malis demersum, quae a bono suo Creatore provenire non possunt. Deum tamquam principium suum saepe agnoscere renuens, etiam debitum ordinem ad finem suum ultimum, simul ac totam suam sive erga seipsum sive erga alios homines et omnes res creatas ordinationem disrupit.

Ideo in seipso divisus est homo. Quapropter tota vita hominum, sive singularis sive collectiva, ut luctationem et quidem dramaticam se exhibet inter bonum et malum, inter lucem et tenebras. Immo incapacem se invenit homo per seipsum mali impugnationes efficaciter debellandi, ita ut unusquisque se quasi catenis vinctum sentiat. At ipse Dominus venit ut hominem liberaret et confortaret, eum interius renovans ac principem huius mundi (cf. *Io.* 12, 31) foras eiiciens qui eum in servitute peccati retinebat.[4] Peccatum autem minuit ipsum hominem, a plenitudine consequenda eum repellens.

In lumine huius Revelationis simul sublimis vocatio et profunda miseria, quas homines experiuntur, rationem suam ultimam inveniunt.

14. (*De hominis constitutione*). Corpore et anima unus, homo per ipsam suam corporalem condicionem elementa mundi materialis in se colligit, ita ut, per ipsum, fastigium suum attingant et ad liberam Creatoris laudem vocem attollant.[5] Vitam ergo corporalem homini despicere non licet, sed e contra ipse corpus suum, utpote a Deo creatum et ultima die resuscitandum, bonum

et honore dignum habere tenetur. Peccato tamen vulneratus, corporis rebelliones experitur. Ipsa igitur dignitas hominis postulat ut Deum glorificet in corpore suo,[6] neve illud pravis cordis sui inclinationibus inservire sinat.

Homo vero non fallitur, cum se rebus corporalibus superiorem agnoscit, et non tantum ut particulam naturae aut anonymum elementum civitatis humanae seipsum considerat. Interioritate enim sua universitatem rerum excedit: ad hanc profundam interioritatem redit, quando convertitur ad cor, ubi Deus eum exspectat, qui corda scrutatur,[7] et ubi ipse sub oculis Dei de propria sorte decernit. Itaque, animam spiritualem et immortalem in seipso agnoscens, non fallaci figmento illuditur, a physicis tantum et socialibus condicionibus fluente, sed e contra ipsam profundam rei veritatem attingit.

15. (*De dignitate intellectus, de veritate et de sapientia*). Recte iudicat homo, divinae mentis lumen participans, se intellectu suo universitatem rerum superare. Ingenium suum per saecula impigre exercendo ipse in scientiis empiricis, artibus technicis et liberalibus sane profecit. Nostris autem temporibus in mundo materiali praesertim investigando et sibi subiiciendo egregios obtinuit successus. Semper tamen profundiorem veritatem quaesivit et invenit. Intelligentia enim non ad sola phaenomena coarctatur, sed realitatem intelligibilem cum vera certitudine adipisci valet, etiamsi, ex sequela peccati, ex parte obscuratur et debilitatur.

Humanae tandem personae intellectualis natura per sapientiam perficitur et perficienda est, quae mentem hominis ad vera bonaque inquirenda ac diligenda suaviter attrahit, et qua imbutus homo per visibilia ad invisibilia adducitur.

Aetas autem nostra, magis quam saecula anteacta, tali sapientia indiget ut humaniora fiant quaecumque nova ab homine deteguntur. Periclitatur enim sors futura mundi nisi sapientiores suscitentur homines. Insuper notandum est plures nationes, bonis quidem oeconomicis pauperiores, sapientia vero ditiores, ceteris eximium emolumentum praestare posse.

Spiritus Sancti dono, homo ad mysterium consilii divini contemplandum et sapiendum fide accedit.[8]

16. (*De dignitate conscientiae moralis*). In imo conscientiae legem homo detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui oboedire debet, et cuius vox, semper ad bonum amandum et faciendum ac malum vitandum eum advocans, ubi oportet auribus cordis sonat: fac hoc, illud devita. Nam homo legem in corde suo a Deo inscriptam habet, cui parere ipsa dignitas eius est et secundum quam ipse iudicabitur.[9] Conscientia est nucleus secretissimus atque sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius.[10] Conscientia modo mirabili illa lex innotescit, quae in Dei et proximi dilectione adimpletur.[11] Fidelitate erga conscientiam christiani cum ceteris hominibus coniunguntur ad veritatem inquirendam et tot problemata moralia, quae tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsurgunt, in veritate solvenda. Quo magis ergo conscientia recta praevalet, eo magis personae et coetus a caeco arbitrio recedunt et normis obiectivis moralitatis conformari satagunt.

Non raro tamen evenit ex ignorantia invincibili conscientiam errare, quin inde suam dignitatem amittat. Quod autem dici nequit cum homo de vero ac bono inquirendo parum curat, et conscientia ex peccati consuetudine paulatim fere obcaecatur.

17. (*De praestantia libertatis*). At nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest, quam libertatem coaevi nostri magni faciunt ardenterque prosequuntur: et recte sane. Saepe tamen eam pravo modo fovent, tamquam licentiam quidquid faciendi dummodo delectet, etiam malum. Vera autem libertas eximium est divinae imaginis in homine signum. Voluit enim Deus hominem relinquere in manu consilii sui,[12] ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat. Dignitas igitur hominis requirit ut secundum consciam et liberam electionem agat, personaliter scilicet ab intra motus et inductus, et non sub caeco impulsu interno vel sub mera externa coactione. Talem vero dignitatem obtinet homo cum, sese ab omni passionum captivitate liberans, finem suum in boni libera electione persequitur et apta subsidia efficaciter ac sollerti industria sibi procurat. Quam ordinationem ad Deum libertas hominis, a peccato vulnerata, nonnisi gratia Dei adiuvante, plene actuosam efficere potest. Unicuique autem ante tribunal Dei propriae vitae ratio reddenda erit, prout ipse sive bonum sive malum gesserit.[13]

18. (*De mysterio mortis*). Coram morte aenigma condicionis humanae maximum evadit. Non tantum cruciatur homo dolore et corporis dissolutione progrediente, sed etiam, immo magis, perpetuae extinctionis timore. Recte autem instinctu cordis sui iudicat, cum totalem ruinam et definitivum exitum suae personae abhorret et respuit. Semen aeternitatis quod in se gerit, ad solam materiam cum irreductibile sit, contra mortem insurgit. Omnia technicae artis molimina, licet perutilia, anxietatem hominis sedare non valent: prorogata enim biologica longaevitas illi ulterioris vitae desiderio satisfacere nequit, quod cordi eius ineluctabiliter inest.

Dum coram morte omnis imaginatio deficit, Ecclesia tamen, Revelatione divina edocta, hominem ad beatum finem, ultra terrestris miseriae limites, a Deo creatum esse affirmat. Mors insuper corporalis, a qua homo si non peccasset subtractus fuisset,[14] fides christiana docet fore ut vincatur, cum homo in salutem, culpa sua perditam, ab omnipotente et miserante Salvatore restituetur. Deus enim hominem vocavit et vocat ut Ei in perpetua incorruptibilis vitae divinae communione tota sua natura adhaereat. Quam victoriam Christus, hominem a morte per mortem suam liberando, ad vitam resurgens adeptus est.[15] Cuicumque igitur recogitanti homini, fides cum solidis argumentis oblata, in eius anxietate de sorte futura responsum offert; simulque facultatem praebet cum dilectis fratribus iam morte praereptis in Christo communicandi, spem conferens eos veram vitam apud Deum adeptos esse.

19. (*De formis et radicibus atheismi*). Dignitatis humanae eximia ratio in vocatione hominis ad communionem cum Deo consistit. Ad colloquium cum Deo iam inde ab ortu suo invitatur homo: non enim exsistit, nisi quia,

a Deo ex amore creatus, semper ex amore conservatur; nec plene secundum veritatem vivit, nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat. Multi tamen ex coaevis nostris hanc intimam ac vitalem cum Deo coniunctionem nequaquam perspiciunt aut explicite reiiciunt, ita ut atheismus inter gravissimas huius temporis res adnumerandus sit ac diligentiori examini subiiciendus.

Voce atheismi phaenomena inter se valde diversa designantur. Dum enim a quibusdam Deus expresse negatur, alii censent hominem nihil omnino de Eo asserere posse; alii vero quaestionem de Deo tali methodo examini subiiciunt, ut illa sensu carere videatur. Multi, scientiarum positivarum limites indebite praetergressi, aut omnia hac sola scientifica ratione explicari contendunt aut e contra nullam omnino veritatem absolutam iam admittunt. Quidam hominem tantopere exaltant, ut fides in Deum quasi enervis fiat, magis proclives, ut videntur, ad affirmationem hominis quam ad Dei negationem. Alii Deum sibi ita effingunt, ut illud figmentum, quod repudiant, nullo modo Deus sit Evangelii. Alii quaestiones de Deo ne aggrediuntur quidem, quippe qui inquietudinem religiosam non experiri videantur nec percipiant quare de religione iam sibi curandum sit. Atheismus praeterea non raro oritur sive ex violenta contra malum in mundo protestatione, sive ex nota ipsius absoluti quibusdam humanis bonis indebite adiudicata, ita ut ista iam loco Dei habeantur. Ipsa civilizatio hodierna, non ex se, sed utpote nimis rebus terrestribus intricata accessum ad Deum saepe difficiliorem reddere potest.

Sane qui voluntarie Deum a corde suo arcere et quaestiones religiosas devitare conantur, dictamen conscientiae suae non secuti, culpae expertes non sunt; attamen et ipsi credentes quamdam de hoc responsabilitatem saepe ferunt. Atheismus enim, integre consideratus, non est quid originarium, sed potius ex diversis causis oritur, inter quas adnumeratur etiam reactio critica contra religiones et quidem, in nonnullis regionibus, praesertim contra religionem christianam. Quapropter in hac atheismi genesi partem non parvam habere possunt credentes, quatenus, neglecta fidei educatione, vel fallaci doctrinae expositione, vel etiam vitae suae religiosae, moralis ac socialis defectibus, Dei et religionis genuinum vultum potius velare quam revelare dicendi sint.

20. (*De atheismo systematico*). Atheismus modernus formam etiam systematicam saepe praebet, quae, praeter alias causas, optatum autonomiae hominis eo usque perducit ut contra qualemcumque a Deo dependentiam difficultatem suscitet. Qui talem atheismum profitentur, libertatem in eo esse contendunt quod homo sibi ipse sit finis, propriae suae historiae solus artifex et demiurgus: quod componi non posse autumant cum agnitione Domini, omnium rerum auctoris et finis, vel saltem talem affirmationem plane superfluam reddere. Cui doctrinae favere potest sensus potentiae quem hodiernus progressus technicus homini confert.

Inter formas hodierni atheismi illa non praetermittenda est, quae liberationem hominis praesertim ex eius liberatione oeconomica et sociali exspec-

tat. Huic autem liberationi religionem natura sua obstare contendit, quatenus, in futuram fallacemque vitam spem hominis erigens, ipsum a civitatis terrestris aedificatione deterreret. Unde fautores talis doctrinae, ubi ad regimen reipublicae accedunt, religionem vehementer oppugnant, atheismum diffundentes etiam adhibitis, praesertim in iuvenum educatione, illis pressionis mediis, quibus potestas publica pollet.

21. (*De habitudine Ecclesiae ad atheismum*). Ecclesia, fideliter tum Deo tum hominibus addicta, desistere non potest quin dolenter perniciosas illas doctrinas actionesque, quae rationi et communi experientiae humanae contradicunt hominemque ab innata eius excellentia deiiciunt, omni firmitate reprobet, sicut antehac reprobavit.[16]

Abditas tamen in atheorum mente negationis Dei causas deprehendere conatur et, de gravitate quaestionum quas atheismus excitat conscia necnon caritate erga omnes homines ducta, eas serio ac profundiori examini subiiciendas esse censet.

Tenet Ecclesia agnitionem Dei dignitati hominis nequaquam opponi, cum huiusmodi dignitas in ipso Deo fundetur et perficiatur: homo enim a Deo creante intelligens ac liber in societate constituitur; sed praesertim ad ipsam Dei communionem ut filius vocatur et ad Ipsius felicitatem participandam. Docet praeterea per spem eschatologicam momentum munerum terrestrium non minui, sed potius eorum adimpletionem novis motivis fulciri. Deficientibus e contra fundamento divino et spe vitae aeternae, hominis dignitas gravissime laeditur, ut saepe hodie constat, atque vitae et mortis, culpae et doloris aenigmata sine solutione manent, ita ut homines in desperationem non raro deiiciantur.

Omnis homo interea sibi ipsi remanet quaestio insoluta, subobscure percepta. Nemo enim quibusdam momentis, praecipue in maioribus vitae eventibus, praefatam interrogationem omnino effugere valet. Cui quaestioni solus Deus plene et omni certitudine responsum affert, qui ad altiorem cogitationem et humiliorem inquisitionem hominem vocat.

Remedium autem atheismo afferendum, cum a doctrina apte exposita, tum ab integra Ecclesiae eiusque membrorum vita exspectandum est. Ecclesiae enim est Deum Patrem eiusque Filium incarnatum praesentem et quasi visibilem reddere, ductu Spiritus Sancti sese indesinenter renovando et purificando.[17] Id imprimis obtinetur testimonio fidei vivae et maturae, ad hoc scilicet educatae ut difficultates lucide perspicere valeat easque superare. Huius fidei testimonium praeclarum plurimi martyres reddiderunt et reddunt. Quae fides suam fecunditatem manifestare debet, credentium integram vitam, etiam profanam, penetrando, eosque ad iustitiam et amorem, praesertim erga egentes movendo. Ad praesentiam Dei manifestandam maxime denique confert caritas fraterna fidelium, qui spiritu unanimes collaborant fidei Evangelii,[18] et signum unitatis se exhibent.

Ecclesia vero, etiamsi atheismum omnino reiicit, sincere tamen profitetur

homines omnes, credentes et non credentes, ad hunc mundum, in quo communiter vivunt, recte aedificandum opem conferre debere: quod certe fieri non potest sine sincero et prudenti colloquio. Conqueritur igitur de discrimine inter credentes et non credentes, quod quidam civitatum rectores, personae humanae iura fundamentalia non agnoscentes, iniuste inducunt. Pro credentibus vero actuosam libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum exstruere sinantur. Atheos autem humaniter invitat ut Evangelium Christi corde aperto considerent.

Apprime etenim novit Ecclesia nuntium suum cum secretissimis humani cordis desideriis concordare, cum vocationis humanae dignitatem vindicet, illis qui iam de altiore sua sorte desperant spem restituens. Nuntium eius, nedum hominem minuat, lucem, vitam et libertatem ad eius profectum fundit; atque praeter illud nihil cordi hominis satisfacere valet: « Fecisti nos ad Te », Domine, « et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te ».[19]

22. (*De Christo Novo Homine*). Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat figura futuri,[20] scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit. Nil igitur mirum in Eo praedictas veritates suum invenire fontem atque attingere fastigium.

Qui est « imago Dei invisibilis » (*Col.* 1, 15),[21] Ipse est homo perfectus, qui Adae filiis similitudinem divinam, inde a primo peccato deformatam, restituit. Cum in Eo natura humana assumpta, non perempta sit,[22] eo ipso etiam in nobis ad sublimem dignitatem evecta est. Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit,[23] humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato.[24]

Agnus innocens, sanguine suo libere effuso, vitam nobis meruit, in Ipsoque Deus nos Sibi et inter nos reconciliavit [25] et a servitute diaboli ac peccati eripuit, ita ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: Filius Dei « dilexit me et tradidit semetipsum pro me » (*Gal.* 2, 20). Pro nobis patiendo non solummodo exemplum praebuit ut sequamur vestigia Eius,[26] sed et viam instauravit, quam dum sequimur, vita et mors sanctificantur novumque sensum accipiunt.

Christianus autem homo, conformis imagini Filii factus qui est Primogenitus in multis fratribus,[27] « primitias Spiritus » (*Rom.* 8, 23) accipit, quibus capax fit legem novam amoris adimplendi.[28] Per hunc Spiritum, qui est « pignus hereditatis » (*Eph.* 1, 14), totus homo interius restauratur, usque ad « redemptionem corporis » (*Rom.* 8, 23): « Si Spiritus Eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis » (*Rom.* 8, 11).[29] Christianum certe urgent necessitas et officium con-

tra malum per multas tribulationes certandi necnon mortem patiendi; sed mysterio paschali consociatus, Christi morti configuratus, ad resurrectionem spe roboratus occurret.[30]

Quod non tantum pro christifidelibus valet, sed et pro omnibus hominibus bonae voluntatis in quorum corde gratia invisibili modo operatur.[31] Cum enim pro omnibus mortuus sit Christus [32] cumque vocatio hominis ultima revera una sit, scilicet divina, tenere debemus Spiritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, huic paschali mysterio consocientur.

Tale et tantum est hominis mysterium, quod per Revelationem christianam credentibus illucescit. Per Christum et in Christo, igitur, illuminatur aenigma doloris et mortis, quod extra Eius Evangelium nos obruit. Christus resurrexit, morte sua mortem destruens, vitamque nobis largitus est [33] ut, filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater! [34]

NOTAE

Ad n. 12.

[1] Cf. *Gen.* 1, 26; *Sap.* 2, 23.
[2] Cf. *Eccli.* 17, 3-10.

Ad n. 13.

[3] Cf. *Rom.* 1, 21-25.
[4] Cf. *Io.* 8, 34.

Ad n. 14.

[5] Cf. *Dan.* 3, 57-90.
[6] Cf. *1 Cor.* 6, 13-20.
[7] Cf. *1 Reg.* 16, 7; *Ier.* 17, 10.

Ad n. 15.

[8] Cf. *Eccli.* 17, 7-8.

Ad n. 16.

[9] Cf. *Rom.* 2, 14-16.
[10] Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus* de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda, 23 martii 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 271.
[11] Cf. *Mt.* 22, 37-40; *Gal.* 5, 14.

Ad n. 17.

[12] Cf. *Eccli.* 15, 14.
[13] Cf. *2 Cor.* 5, 10.

Ad n. 18.

[14] Cf. *Sap.* 1, 13; 2, 23-24; *Rom.* 5, 21; 6, 23; *Iac.* 1, 15.
[15] Cf. *1 Cor.* 15, 56-57.

Ad n. 21.

[16] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), pp. 65-106; PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad Apostolorum Principis,* 29 iunii 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), pp. 601-614; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 451-453; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 augusti 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 651-653.

[17] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. I, n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 12.

[18] Cf. *Phil.* 1, 27.

[19] S. AUGUSTINUS, *Confess.* I, 1: *PL* 32, 661.

Ad n. 22.

[20] Cf. *Rom.* 5, 14. Cf. TERTULLIANUS, *De carnis resurr.* 6: « Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus »: *PL* 2, 802 (848); CSEL, 47, p. 33, linn. 12-13.

[21] Cf. *2 Cor.* 4, 4.

[22] Cf. CONC. CONSTANTINOP. II, can. 7: « Neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta »: DENZ. 219 (428). - Cf. etiam CONC. CONSTANTINOP. III: « Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata eius caro deificata non est perempta (theôtheisa ouk anèrethè), sed in proprio sui statu et ratione permansit »: DENZ. 291 (556). - Cf. CONC. CHALCED.: « in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum »: DENZ. 148 (302).

[23] Cf. CONC. CONSTANTINOP. III: « ita et humana eius voluntas deificata non est perempta »: DENZ. 291 (556).

[24] Cf. *Heb.* 4, 15.

[25] Cf. *2 Cor.* 5, 18-19; *Col.* 1, 20-22.

[26] Cf. *1 Pt.* 2, 21; *Mt.* 16, 24; *Lc.* 14, 27.

[27] Cf. *Rom.* 8, 29; *Col.* 1, 18.

[28] Cf. *Rom.* 8, 1-11.

[29] Cf. *2 Cor.* 4, 14.

[30] Cf. *Phil.* 3, 10; *Rom.* 8, 17.

[31] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. 2, n. 16: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20.

[32] Cf. *Rom.* 8, 32.

[33] Cf. *Liturgia Paschalis Byzantina.*

[34] Cf. *Rom.* 8, 15 et *Gal.* 4, 6; cf. etiam *Io.* 1, 12 et *1 Io.* 3, 1-2.

CAPUT II

DE HOMINUM COMMUNITATE

23. (*Quid Concilium intendat*). Inter praecipuos mundi hodierni aspectus, mutuarum inter homines necessitudinum multiplicatio adnumeratur, ad quam evolvendam hodierni technici progressus plurimum conferunt. Tamen fraternum hominum colloquium non in istis progressibus, sed profundius in personarum communitate perficitur, quae mutuam reverentiam erga plenam

earum dignitatem spiritualem exigit. Ad hanc vero communionem inter personas promovendam, Revelatio christiana magnum subsidium affert, simulque ad altiorem vitae socialis legum intelligentiam nos perducit quas Creator in natura spirituali ac morali hominis inscripsit.

Quoniam autem recentiora Ecclesiae Magisterii documenta christianam de societate humana doctrinam fusius exposuerunt,[1] Concilium quasdam tantum principaliores veritates in memoriam revocat earumque fundamenta sub luce Revelationis exponit. Deinde in quaedam consectaria insistit quae nostris diebus maioris sunt momenti.

24. (*De indole communitaria vocationis humanae in consilio Dei*). Deus, qui paternam curam omnium habet, voluit ut cuncti homines unam efficerent familiam fraternoque animo se invicem tractarent. Omnes enim creati ad imaginem Dei, qui fecit « ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » (*Act.* 17, 26), ad unum eumdemque finem, id est ad Deum ipsum, vocantur.

Quapropter dilectio Dei et proximi primum et maximum mandatum est. A Sacra autem Scriptura docemur Dei amorem a proximi amore seiungi non posse: « ... si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum ... Plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 9-10; cf. *1 Io.* 4, 20). Quod vero hominibus magis in dies ab invicem dependentibus atque mundo magis in dies unificato maximi comprobatur esse momenti.

Immo Dominus Iesus, quando Patrem orat ut « omnes unum sint ..., sicut et nos unum sumus » (*Io.* 17, 21-22), prospectus praebens humanae rationi impervios, aliquam similitudinem innuit inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate. Haec similitudo manifestat hominem, qui in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, plene seipsum invenire non posse nisi per sincerum sui ipsius donum.[2]

25. (*De interdependentia humanae personae et humanae societatis*). Ex sociali hominis indole apparet humanae personae profectum et ipsius societatis incrementum ab invicem pendere. Etenim principium, subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet humana persona, quippe quae, suapte natura, vita sociali omnino indigeat.[3] Cum igitur vita socialis non sit homini quid adventicium, ideo commercio cum aliis, mutuis officiis, colloquio cum fratribus, quoad omnes suas dotes grandescit homo, et suae vocationi respondere potest.

Ex socialibus vinculis, quae homini excolendo necessaria sunt, alia, uti familia et communitas politica, intimae eius naturae immediatius congruunt; alia potius ex eius libera voluntate procedunt. Nostra hac aetate, variis de causis, mutuae necessitudines et interdependentiae in dies multiplicantur; unde diversa oriuntur consociationes et instituta sive publici sive privati iuris. Hoc autem factum, quod socializatio nuncupatur, licet periculis sane

non careat, multa tamen secum emolumenta affert ad confirmandas et augendas humanae personae qualitates eiusque iura tuenda.[4]

Sed si personae humanae ad suam vocationem adimplendam, etiam religiosam, ex hac vita sociali multum accipiunt, negari tamen nequit homines ex adiunctis socialibus in quibus vivunt et, inde ab infantia, immerguntur, saepe a bono faciendo averti et ad malum impelli. Certum est perturbationes, tam frequenter in ordine sociali occurrentes, ex ipsa formarum oeconomicarum, politicarum et socialium tensione pro parte provenire. Sed penitius ex hominum egoismo et superbia oriuntur, quae etiam ambitum socialem pervertunt. Ubi autem ordo rerum sequelis peccati afficitur, homo, proclivis ad malum natus, nova deinde ad peccatum incitamenta invenit, quae sine strenuis, gratia adiuvante conatibus, superari nequeunt.

26. (*De bono communi promovendo*). Ex interdependentia in dies strictiore et paulatim ad mundum universum diffusa sequitur bonum commune — seu summam eorum vitae socialis condicionum quae tum coetibus, tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequantur — hodie magis magisque universale evadere, et exinde iura officiaque implicare, quae totum humanum genus respiciunt. Quilibet coetus necessitatum et legitimarum appetitionum aliorum coetuum, immo boni communis totius familiae humanae, rationem habere debet.[5]

Simul vero conscientia crescit eximiae dignitatis quae personae humanae competit, cum ipsa rebus omnibus praestet, et eius iura officiaque universalia sint atque inviolabilia. Oportet ergo ut ea omnia homini pervia reddantur, quibus ad vitam vere humanam gerendam indiget, ut sunt victus, vestitus, habitatio, ius ad statum vitae libere eligendum et ad familiam condendam, ad educationem, ad laborem, ad bonam famam, ad reverentiam, ad congruam informationem, ad agendum iuxta rectam suae conscientiae normam, ad vitae privatae protectionem atque ad iustam libertatem etiam in re religiosa.

Ordo socialis igitur eiusque progressus in bonum personarum indesinenter cedere debent, siquidem rerum ordinatio ordini personarum subiicienda est et non e converso, ipso Domino id innuente cum dixerit sabbatum propter hominem factum esse et non hominem propter sabbatum.[6] Ordo ille in dies evolvendus, in veritate fundandus, in iustitia aedificandus, amore vivificandus est; in libertate autem aequilibrium in dies humanius invenire debet.[7] Ad haec autem implenda mentis renovatio atque amplae societatis immutationes inducendae sunt.

Spiritus Dei, qui mirabili providentia temporum cursum dirigit et faciem terrae renovat, huic evolutioni adest. Evangelicum autem fermentum in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit atque excitat.

27. (*De reverentia erga personam humanam*). Ad practica urgentioraque consectaria descendens, Concilium reverentiam inculcat erga hominem, ita ut singuli proximum, nullo excepto, tamquam « alterum seipsum » considerare debeant, de eius vita et de mediis ad illam digne degendam necessariis

rationem imprimis habentes,[8] ne divitem illum imitentur, qui pauperis Lazari nullam curam egit.[9]

Nostri praesertim diebus urget obligatio nosmetipsos cuiuslibet omnino hominis proximos efficiendi et illi occurrenti actuose inserviendi, sive sit senex ab omnibus derelictus, sive alienigena operarius iniuste despectus, sive exsul, sive infans ex illegitima unione natus, immerito patiens propter peccatum a se non commissum, vel esuriens qui conscientiam nostram interpellat Domini vocem revocans: « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

Quaecumque insuper ipsi vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutilationes, tormenta corpori mentive inflicta, conatus ipsos animos coërcendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt, ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae incarcerationes, deportationes, servitus, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, non ut liberae et responsabiles personae tractantur: haec omnia et alia huiusmodi, probra quidem sunt, ac dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuriam patiuntur, et Creatoris honori maxime contradicunt.

28. (*De reverentia et amore erga adversarios*). Ad illos etiam qui in rebus socialibus, politicis vel etiam religiosis aliter ac nos sentiunt aut faciunt, reverentia et caritas extendi debent; quo magis quidem humanitate et caritate modos sentiendi eorum intimius comprehendemus, eo facilius cum ipsis colloquium inire poterimus.

Haec sane caritas et benignitas nequaquam indifferentes erga veritatem et bonum nos reddere debent. Immo caritas ipsa discipulos Christi urget ad veritatem salutarem omnibus hominibus annuntiandam. Sed distinguere oportet inter errorem, semper reiciendum, et errantem, qui dignitatem personae iugiter servat, etiam ubi falsis minusve accuratis notionibus religiosis inquinatur.[10] Deus solus iudex est et scrutator cordium: unde nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare.[11]

Doctrina Christi ut etiam iniuriis ignoramus postulat [12] praeceptumque amoris ad inimicos omnes extendit, quod est Novae Legis mandatum: « Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos » (*Mt.* 5, 43-44).

29. (*De essentiali inter omnes homines aequalitate et de iustitia sociali*). Cum omnes homines, anima rationali pollentes et ad imaginem Dei creati, eamdem naturam eamdemque originem habeant, cumque, a Christo redempti, eadem vocatione et destinatione divina fruantur, fundamentalis aequalitas inter omnes magis magisque agnoscenda est.

Sane varia capacitate physica viriumque intellectualium et moralium diversitate non omnes homines aequiparantur. Omnis tamen discriminandi

modus in iuribus personae fundamentalibus, sive socialis sive culturalis, ob sexum, stirpem, colorem, socialem condicionem, linguam aut religionem, superandus et removendus est, utpote Dei proposito contrarius. Vere enim dolendum est iura illa fundamentalia personae adhuc non ubique sarta tecta servari. Ut si mulieri denegetur facultas libere sponsum eligendi et vitae statum amplectendi, vel ad parem educationem et culturam quae viro agnoscitur accedendi.

Insuper, quamquam inter homines iustae diversitates adsunt, aequalis personarum dignitas postulat ut ad humaniorem et aequam vitae condicionem deveniatur. Etenim nimiae inter membra vel populos unius familiae humanae inaequalitates oeconomicae et sociales scandalum movent, atque iustitiae sociali, aequitati, personae humanae dignitati, necnon paci sociali et internationali adversantur.

Humanae autem institutiones, sive privatae sive publicae, dignitati ac fini hominis subservire nitantur, simul adversus quamlibet servitutem tum socialem tum politicam strenue decertantes, et iura hominum fundamentalia sub omni regimine politico servantes. Immo, huiusmodi institutiones spiritualibus rebus, omnium altissimis, paulatim congruant oportet, etiamsi interdum sat longo tempore opus sit ut ad optatum finem perveniant.

30. (*Quod ultra individualisticam ethicam progrediendum sit*). Profunda et velox rerum immutatio urgentius postulat ut nemo sit qui, ad rerum cursum non attendens vel inertia torpens, ethicae mere individualisticae indulgeat. Iustitiae ac caritatis officium magis ac magis adimpletur per hoc quod unusquisque, ad bonum commune iuxta proprias capacitates et aliorum necessitates conferens, etiam institutiones sive publicas sive privatas promovet et adiuvat quae hominum vitae condicionibus in melius mutandis inserviunt. Sunt autem qui, largas generosioresque opiniones profitentes, ita tamen semper reapse vivunt ac si nullam societatis necessitatum curam habeant. Immo, plures, in variis regionibus, leges et praescriptiones sociales minimi faciunt. Non pauci, variis fraudibus ac dolis, iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur. Alii normas quasdam vitae socialis, e. g., ad valetudinem tuendam, aut ad vehiculorum ductum moderandum statutas, parvi aestimant, non animadvertentes se tali incuria vitae suae et aliorum periculum inferre.

Sanctum sit omnibus necessitudines sociales inter praecipua hominis hodierni officia recensere easque observare. Quo magis enim mundus unitur, eo apertius hominum munera particulares coetus superant et ad universum mundum paulatim extenduntur. Quod fieri nequit nisi et singuli homines et ipsorum coetus virtutes morales et sociales in seipsis colant et in societate diffundant, ita ut vere novi homines et artifices novae humanitatis exsistant cum necessario auxilio divinae gratiae.

31. (*De responsabilitate et participatione*). Ut singuli homines suum conscientiae officium accuratius impleant tum erga seipsos, tum erga varios coetus quorum membra sunt, diligenter ad ampliorem animi culturam edu-

candi sunt, ingentibus adhibitis subsidiis quae hodie generi humano praesto sunt. Praeprimis educatio iuvenum cuiuslibet socialis originis ita instituenda est, ut viri mulieresque suscitentur qui non tantum exculti ingenii sed et magni animi sint, utpote qui a nostro tempore vehementer postulentur.

Sed ad hunc responsabilitatis sensum homo vix pervenit, nisi vitae condiciones ei permittant ut suae dignitatis conscius fiat, et vocationi suae, seipsum pro Deo et pro aliis impendendo, respondeat. Humana vero libertas saepe debilior fit, ubi homo in extremam incidit egestatem, sicut vilescit, ubi ipse, nimiis vitae facilitatibus indulgens, in aurea veluti solitudine seipsum includit. E contra roboratur, cum homo inevitabiles vitae socialis necessitates accipit, multiformes exigentias humanae coniunctionis assumit atque humanae communitatis servitio se obstringit.

Ideo omnium exstimulanda est voluntas inceptorum communium suas partes assumendi. Laudanda est autem ratio agendi nationum, in quibus pars quam maxima civium in vera libertate rerum publicarum particeps fit. Ratio tamen habenda est condicionis realis uniuscuiusque gentis et necessarii vigoris publicae auctoritatis. Ut vero omnes cives proni sint ad participandam vitam variorum coetuum, quibus corpus sociale constat, necesse est ut his in coetibus bona inveniant, quae ipsos attrahant eosque ad aliorum servitium disponant. Iure arbitrari possumus futuram humanitatis sortem in illorum manibus reponi, qui posteris generationibus vivendi et sperandi rationes tradere valent.

32. (*Verbum Incarnatum et solidarietas humana*). Sicut Deus homines non ad singulatim vivendum, sed ad socialem unionem efformandam creavit, ita Ipsi etiam « placuit ... homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret ».[13] Inde ab initio historiae salutis Ipse homines elegit non ut individuos tantum sed ut membra cuiusdam communitatis. Illos enim electos Deus, suum aperiens consilium, vocavit « populum suum » (*Ex.* 3, 7-12), quocum insuper in Sinai foedus pepigit.[14]

Quae indoles communitaria opere Iesu Christi perficitur et consummatur. Ipsum enim Verbum incarnatum humanae consortionis particeps esse voluit. Canae nuptiis interfuit, in domum Zachaei descendit, cum publicanis et peccatoribus manducavit. Patris amorem hominumque eximiam vocationem, communissimas res sociales commemorando et locutiones figurasque vitae plane cotidianae adhibendo, revelavit. Necessitudines humanas, imprimis familiares, ex quibus rationes sociales oriuntur, sanctificavit, legibus suae patriae voluntarie subditus. Vitam opificis sui temporis et regionis propriam ducere voluit.

In sua praedicatione clare mandavit filiis Dei ut tamquam fratres ad invicem se gererent. In sua oratione rogavit ut omnes discipuli sui « unum » essent. Immo Ipse usque ad mortem sese pro omnibus obtulit, omnium Redemptor. « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (*Io.* 15, 13). Apostolos autem iussit praedicare omnibus

gentibus nuntium evangelicum ut genus humanum familia Dei fieret, in qua plenitudo legis esset dilectio.

Primogenitus in multis fratribus, inter omnes qui Eum fide ac caritate recipiunt, post mortem et resurrectionem suam, dono sui Spiritus novam fraternam communionem instituit, in Corpore scilicet suo, quod est Ecclesia, in quo omnes, inter se invicem membra, secundum dona diversa concessa, mutua sibi praestarent servitia.

Quae solidarietas semper augenda erit, usque ad illam diem qua consummabitur, et qua homines, gratia salvati, tamquam familia a Deo et Christo Fratre dilecta, perfectam gloriam Deo praestabunt.

NOTAE

Ad n. 23.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 401-464, et Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 257-304; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 augusti 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 609-659.

Ad n. 24.

[2] Cf. *Lc.* 17, 33.

Ad n. 25.

[3] Cf. S. THOMAS, *1 Ethic.* Lect. 1.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 418. Cf. etiam PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 222 ss.

Ad n. 26.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417.

[6] Cf. *Mc.* 2, 27.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 266.

Ad n. 27.

[8] Cf. *Iac.* 2, 15-16.

[9] Cf. *Lc.* 16, 19-31.

Ad n. 28.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 299 et 300.

[11] Cf. *Lc.* 6, 37-38; *Mt.* 7, 1-2; *Rom.* 2, 1-11; 14, 10-12.

[12] Cf. *Mt.* 5, 43-47.

Ad n. 32.

[13] Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 12-13.

[14] Cf. *Ex.* 24, 1-8.

Caput III

DE HUMANA NAVITATE IN UNIVERSO MUNDO

33. (*Ponitur problema*). Suo labore atque ingenio homo suam vitam amplius evolvere semper conatus est; hodie autem, praesertim ope scientiae et artis technicae, suum dominium in universam fere naturam dilatavit ac iugiter dilatat, et adiuvantibus imprimis auctis inter nationes multimodi commercii mediis, familia humana paulatim tamquam unam in universo mundo communitatem sese agnoscit atque constituit. Quo fit, ut multa bona, quae olim homo a supernis viribus praesertim exspectabat, hodie iam propria industria sibi procuret.

Coram immenso hoc conamine, quod totum humanum genus iam pervadit, multae exsurgunt inter homines interrogationes. Quinam est illius operositatis sensus et valor? Quomodo omnibus his rebus utendum est? Ad quem finem assequendum nisus sive singulorum sive societatum tendunt? Ecclesia, quae depositum verbi Dei custodit, ex quo principia in ordine religioso et morali hauriuntur, quin semper de singulis quaestionibus responsum in promptu habeat, lumen revelationis cum omnium peritia coniungere cupit, ut iter illuminetur, quod humanitas nuper ingressa est.

34. (*De valore humanae navitatis*). Hoc credentibus ratum est, navitatem humanam individualem et collectivam, seu ingens illud conamen, quo homines decursu saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare satagunt, in seipso consideratum, Dei proposito respondere. Homo enim, ad imaginem Dei creatus, mandatum accepit ut, terram cum omnibus quae in ea continentur sibi subiciens, mundum in iustitia et sanctitate regeret [1] utque, Deum omnium Creatorem agnoscens, seipsum ac rerum universitatem ad Ipsum referret, ita ut rebus omnibus homini subiectis, admirabile sit nomen Dei in universa terra.[2]

Quod etiam opera penitus quotidiana respicit. Viri namque et mulieres qui, dum vitae sustentationem sibi et familiae comparant, navitates suas ita exercent ut societati opportune ministrent, iure existimare possunt se suo labore opus Creatoris evolvere, commodis fratrum suorum consulere, et ad consilium divinum in historia adimplendum personali industria conferre.[3]

Christiani itaque, nedum arbitrentur opera, quae homines suo ingenio et virtute pepererunt, Dei potentiae opponi, creaturamque rationalem quasi aemulam Creatoris exsistere, potius persuasum habent humani generis victorias signum esse magnitudinis Dei et fructus ineffabilis Ipsius consilii. Quo magis vero hominum potentia crescit, eo latius ipsorum responsabilitas, sive singulorum sive communitatum extenditur. Unde apparet christiano nuntio homines ab exstruendo mundo non averti, nec ad bonum sui similium negligendum impelli, sed potius officio haec operandi arctius obstringi.[4]

35. (*De humana navitate ordinanda*). Humana vero navitas, sicut ex homine procedit, ita ad hominem ordinatur. Homo enim, cum operatur, non tantum res et societatem immutat, sed et seipsum perficit. Multa discit, facultates suas excolit, extra se et supra se procedit. Huiusmodi incrementum, si recte intelligatur, maioris pretii est quam externae quae colligi possunt divitiae. Magis valet homo propter id quod est quam propter id quod habet.[5] Pariter, omnia quae homines, ad maiorem iustitiam, ampliorem fraternitatem, humanioremque ordinationem in socialibus necessitudinibus obtinendam agunt, plus quam progressus technici valent. Hi enim progressus quasi materiam humanae promotioni praebere possunt, illam autem per se solos ad actum nequaquam deducunt.

Unde haec est humanae navitatis norma, quod iuxta consilium et voluntatem divinam cum genuino humani generis bono congruat, et homini individuo vel in societate posito integrae suae vocationis cultum et impletionem permittat.

36. (*De iusta rerum terrenarum autonomia*). Multi tamen coaevi nostri timere videntur, ne ex arctiore humanae navitatis et religionis coniunctione autonomia hominum vel societatum vel scientiarum impediatur.

Si per terrenarum rerum autonomiam intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus valoribusque gaudere, ab homine gradatim dignoscendis, adhibendis et ordinandis, eamdem exigere omnino fas est: quod non solum postulatur ab hominibus nostrae aetatis, sed etiam cum Creatoris voluntate congruit. Ex ipsa enim creationis condicione res universae propria firmitate, veritate, bonitate propriisque legibus ac ordine instruuntur, quae homo revereri debet, propriis singularum scientiarum artiumve methodis agnitis. Ideo inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si modo vere scientifico et iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversabitur, quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt.[6] Immo, qui humili et constanti animo abscondita rerum perscrutari conatur, etsi inscius quasi manu Dei ducitur qui, res omnes sustinens, facit ut sint id quod sunt. Hinc deplorare liceat quosdam animi habitus, qui aliquando inter christianos ipsos, ob non satis perspectam legitimam scientiae autonomiam, non defuerunt et, contentionibus controversiisque exinde suscitatis, plurium animos eo perduxerunt ut fidem et scientiam inter se opponi censerent.[7]

At si verbis « rerum temporalium autonomia » intelligitur res creatas a Deo non pendere, eisque hominem sic uti posse ut easdem ad Creatorem non referat, nemo qui Deum agnoscit non sentit quam falsa huiusmodi placita sint. Creatura enim sine Creatore evanescit. Ceterum, omnes credentes, cuiuscumque sint religionis, vocem et manifestationem Eius in creaturarum loquela semper audierunt. Immo, per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur.

37. (*De humana navitate a peccato corrupta*). Sacra vero Scriptura, cui saeculorum consentit experientia, humanam familiam edocet progressum humanum, qui magnum hominis bonum est, magnam tamen tentationem secumferre: ordine enim valorum turbato et malo cum bono permixto, sin-

guli homines ac coetus solummodo quae propria sunt considerant, non vero aliorum. Quo fit ut mundus non iam spatium verae fraternitatis exsistat, dum aucta humanitatis potentia iam ipsum genus humanum destruere minatur.

Universam enim hominum historiam ardua colluctatio contra potestates tenebrarum pervadit, quae inde ab origine mundi incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino,[8] perseverabit. In hanc pugnam insertus, homo ut bono adhaereat iugiter certare debet, nec sine magnis laboribus, Dei gratia adiuvante, in seipso unitatem obtinere valet.

Quapropter Ecclesia Christi, Creatoris consilio fidens, dum agnoscit progressum humanum verae hominum felicitati inservire posse, non potest tamen quin illud Apostoli resonare faciat: « Nolite conformari huic saeculo » (*Rom.* 12, 2), illi scilicet vanitatis et malitiae spiritui qui humanam navitatem, ad servitium Dei et hominis ordinatam, in instrumentum peccati transmutat.

Si quis ergo quaerit, qua ratione miseria illa superari possit, christiani profitentur, omnes hominis navitates, quae per superbiam et inordinatum sui ipsius amorem cotidie in discrimine versantur, Christi cruce et resurrectione purificandas et ad perfectionem deducendas esse. A Christo enim redemptus et in Spiritu Sancto nova creatura effectus, homo ipsas res a Deo creatas amare potest et debet. A Deo enim illas accipit et quasi de manu Dei fluentes respicit et reveretur. Pro illis Benefactori gratias agens et in paupertate et libertate spiritus creaturis utens ac fruens, in veram mundi possessionem introducitur, tamquam nihil habens et omnia possidens.[9] « Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei » (*1 Cor.* 3, 22-23).

38. (*De humana navitate in paschali mysterio ad perfectionem adducta*). Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, Ipsum caro factum et in hominum terra habitans,[10] perfectus homo in historiam mundi intravit, eam in Se assumens et recapitulans.[11] Ipse nobis revelat, « quoniam Deus caritas est » (*1 Io.* 4, 8), simulque nos docet legem fundamentalem perfectionis humanae, ac proinde transformationis mundi, novum dilectionis esse mandatum. Eos igitur, qui divinae credunt caritati, certos facit, viam dilectionis omnibus hominibus aperiri et conamen fraternitatem universalem instaurandi non esse inane. Simul monet, hanc caritatem non in solis magnis rebus sectandam esse, sed et imprimis in ordinariis vitae adiunctis. Pro nobis omnibus peccatoribus mortem sustinens,[12] suo exemplo nos docet crucem etiam baiulandam esse, quam caro et mundus pacem et iustitiam sectantium humeris imponunt. Sua resurrectione Dominus constitutus, Christus, cui omnis potestas in caelo et in terra data est,[13] per virtutem Spiritus Sui in cordibus hominum iam operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitans, sed eo ipso illa etiam generosa vota animans, purificans et roborans, quibus familia humana suam ipsius vitam humaniorem reddere et totam terram huic fini subiicere satagit. Diversa autem sunt Spiritus dona: dum alios vocat ut caelestis habitationis desiderio manifestum testimonium reddant illudque in humana familia vividum conservent, alios vocat ut terreno hominum ser-

vitio se dedicent, hoc suo ministerio materiam regni caelestis parantes. Omnes tamen liberat ut, proprio amore abnegato omnibusque terrenis viribus in vitam humanam assumptis, ad futura se extendant, quando humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo.[14]

Cuius spei arrham et itineris viaticum Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem gloriosum convertuntur, coena communionis fraternae et caelestis convivii praelibatione.

39. (*Terra nova et caelum novum*). Terrae ac humanitatis consummandae tempus ignoramus,[15] nec universi transformandi modum novimus. Transit quidem figura huius mundi per peccatum deformata,[16] sed docemur Deum novam habitationem novamque terram parare in qua iustitia habitat,[17] et cuius beatitudo omnia pacis desideria, quae in cordibus hominum ascendunt, implebit ac superabit.[18] Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, et id quod seminatum fuit in infirmitate ac corruptione, incorruptionem induet; [19] et, manente caritate eiusque opere,[20] a servitute vanitatis liberabitur tota creatura illa,[21] quam Deus propter hominem creavit.

Monemur sane nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat.[22] Exspectatio tamen novae terrae extenuare non debet, sed potius excitare, sollicitudinem hanc terram excolendi, ubi Corpus illud novae familiae humanae crescit quod aliqualem novi saeculi adumbrationem iam praebere valet. Ideo, licet progressus terrenus a Regni Christi augmento sedulo distinguendus sit, inquantum tamen ad societatem humanam melius ordinandam conferre potest, Regni Dei magnopere interest.[23]

Bona enim humanae dignitatis, communionis fraternae et libertatis, hos omnes scilicet bonos naturae ac industriae nostrae fructus, postquam in Spiritu Domini et iuxta Eius mandatum in terris propagaverimus, postea denuo inveniemus, mundata tamen ab omni sorde, illuminata ac transfigurata, cum Christus Patri reddet regnum aeternum et universale: « regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis ».[24] His in terris Regnum iam in mysterio adest; adveniente autem Domino consummabitur.

NOTAE

Ad n. 34.

[1] Cf. *Gen.* 1, 26-27; 9, 2-3; *Sap.* 9, 2-3.

[2] Cf. *Ps.* 8, 7 et 10.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, (1963), p. 297.

[4] Cf. *Nuntius ad universos homines* a Patribus missus ineunte Concilio Vaticano II, oct. 1962: *A.A.S.*, 54 (1962), p. 823.

Ad n. 35.

[5] Cf. PAULUS VI, *Alloc. ad Corpus diplomaticum,* 7 ian. 1965: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 232.

Ad n. 36.

[6] Cf. CONC. VAT. I, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. III: DENZ. 1785-1786 (3004-3005).

[7] Cf. Mons. PIO PASCHINI, *Vita e opere di Galileo Galilei,* 2, ed. Vatic. (1964).

Ad n. 37.

[8] Cf. *Mt.* 24, 13; 13, 24-30 et 36-43.

[9] Cf. *2 Cor.* 6, 10.

Ad n. 38.

[10] Cf. *Io.* 1, 3 et 14.

[11] Cf. *Eph.* 1, 10.

[12] Cf. *Io.* 3, 16; *Rom.* 5, 8-10.

[13] Cf. *Act.* 2, 36; *Mt.* 28, 18.

[14] Cf. *Rom.* 15, 16.

Ad n. 39.

[15] Cf. *Act.* 1, 7.

[16] Cf. *1 Cor.* 7, 31; S. IRENAEUS, *Adversus Haereses,* V, 36, 1 *PG,* 7, 1222.

[17] Cf. *2 Cor.* 5, 2; *2 Pt.* 3, 13.

[18] Cf. *1 Cor.* 2, 9; *Apoc.* 21, 4-5.

[19] Cf. *1 Cor.* 15, 42 et 53.

[20] Cf. *1 Cor.* 13, 8; 3, 14.

[21] Cf. *Rom.* 8, 19-21.

[22] Cf. *Lc.* 9, 25.

[23] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 207.

[24] Praefatio Festi Christi Regis.

CAPUT IV

DE MUNERE ECCLESIAE IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

40. (*De Ecclesiae et mundi mutua relatione*). Omnia quae a nobis dicta sunt de dignitate personae humanae, de hominum communitate, de profundo sensu navitatis humanae, fundamentum relationis Ecclesiam inter et mundum necnon basim eorum mutui dialogi [1] constituunt. Ideo in hoc capite, omnibus praesuppositis ab hoc Concilio de mysterio Ecclesiae iam edictis, eadem Ecclesia nunc consideranda venit prout ipsa, in hoc mundo exsistit et cum eo vivit atque agit.

Procedens ex amore Patris aeterni,[2] in tempore fundata a Christo Redemptore, coadunata in Spiritu Sancto,[3] Ecclesia finem salutarem et eschatologicum habet, qui nonnisi in futuro saeculo plene attingi potest. Ipsa autem iam hic in terris adest, ex hominibus collecta, terrestris nempe civitatis membris quae ad hoc vocantur ut iam in generis humani historia familiam filiorum Dei, usque ad adventum Domini semper augendam, efforment. Unita quidem propter bona caelestia iisque ditata, haec familia a Christo « in hoc

mundo ut societas constituta et ordinata »[4] est, atque « aptis mediis unionis visibilis et socialis »[5] instructa. Ita Ecclesia, insimul « coetus adspectabilis et communitas spiritualis »,[6] una cum tota humanitate incedit eamdemque cum mundo sortem terrenam experitur, ac tamquam fermentum et veluti anima societatis humanae[7] in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae exsistit.

Haec quidem terrestris et caelestis civitatis compenetratio nonnisi fide percipi potest, immo mysterium manet historiae humanae, quae usque ad plenam revelationem claritatis filiorum Dei peccato perturbatur. Ecclesia quidem, proprium suum finem salutarem persequens, non solum vitam divinam cum homine communicat, sed etiam lumen eius repercussum quodammodo super universum mundum fundit, potissimum per hoc quod personae humanae dignitatem sanat et elevat, humanae societatis compaginem firmat, atque cotidianam hominum navitatem profundiori sensu et significatione imbuit. Ita Ecclesia per singula sua membra et totam suam communitatem multa se conferre posse credit ad hominum familiam eiusque historiam humaniorem reddendam.

Libenter insuper Ecclesia Catholica ea magni aestimat quae ad idem munus adimplendum aliae Ecclesiae christianae vel communitates ecclesiasticae socia opera contulerunt ac conferunt. Simul sibi firmiter persuasum habet se multum varioque modo a mundo, sive a singulis hominibus sive ab humana societate, eorum dotibus ac navitate, in praeparatione Evangelii iuvari posse. Mutui huius commercii atque adiutorii, in illis quae Ecclesiae et mundo quodammodo sunt communia, rite promovendi, principia quaedam generalia exponuntur.

41. (*De adiutorio quod Ecclesia singulis hominibus praestare satagit*). Homo hodiernus in via est ad personalitatem suam plenius evolvendam iuraque sua in dies magis detegenda et affirmanda. Cum autem, Ecclesiae concreditum sit manifestare mysterium Dei, qui est ultimus finis hominis, ipsa homini simul aperit sensum propriae eius exsistentiae, intimam scilicet de homine veritatem. Vere novit Ecclesia solum Deum, cui ipsa inservit, profundissimis respondere desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus numquam plene satiatur. Novit praeterea hominem, incessanter a Spiritu Dei incitatum, numquam circa problema religionis prorsus indifferentem fore, sicut non solum experientia saeculorum anteactorum, sed multiplici etiam testimonio nostrorum temporum comprobatur. Semper enim homo scire desiderabit, saltem confuse, quae sit significatio suae vitae, suae navitatis ac suae mortis. Ipsa praesentia Ecclesiae haec problemata in eius mentem revocat. Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit atque a peccato redemit, his quaestionibus plenissimum responsum praebet, idque per revelationem in Christo Filio suo qui homo factus est. Quicumque Christum sequitur, hominem perfectum, et ipse magis homo fit.

Ex hac fide Ecclesia dignitatem naturae humanae omnibus opinionum mutationibus subtrahere potest, quae, exempli gratia, corpus humanum aut

nimis deprimunt aut immoderate extollunt. Nulla lege humana personalis dignitas atque libertas hominis tam apte in tuto collocari possunt quam Evangelio Christi Ecclesiae concredito. Hoc enim Evangelium libertatem filiorum Dei annuntiat et proclamat, omnem servitutem ex peccato ultimatim fluentem respuit,[8] dignitatem conscientiae eiusque liberam decisionem sancte veretur, omnia talenta humana in Dei servitium hominumque bonum reduplicare indesinenter monet, omnes denique omnium commendans caritati.[9] Quod legi fundamentali oeconomiae christianae correspondet. Etsi enim idem Deus sit Salvator qui et Creator, idem quoque Dominus et historiae humanae et historiae salutis, tamen in hoc ipso ordine divino iusta creaturae autonomia et praesertim hominis nedum auferatur, potius in suam dignitatem restituitur atque in ipsa firmatur.

Ecclesia ergo, vi Evangelii sibi concrediti, iura hominum proclamat et hodierni temporis dynamismum, quo haec iura undique promoventur, agnoscit et magni aestimat. Qui motus tamen spiritu Evangelii imbuendus et adversus omnem speciem falsae autonomiae tutandus est. Tentationi enim subiicimur, iudicandi nostra iura personalia tunc tantum plene servari, cum ab omni norma Legis divinae solvimur. Hac autem via, personae humanae dignitas, nedum salvetur, potius perit.

42. (*De adiutorio quod Ecclesia societati humanae afferre satagit*). Unio familiae humanae unitate familiae filiorum Dei in Christo fundata [10] multum roboratur et completur.

Missio quidem propria, quam Christus Ecclesiae suae concredidit, non est ordinis politici, oeconomici vel socialis: finis enim quem ei praefixit ordinis religiosi [11] est. At sane ex hac ipsa missione religiosa munus, lux et vires fluunt quae communitati hominum secundum Legem divinam constituendae et firmandae inservire possunt. Item, ubi opus fuerit, secundum temporum et locorum circumstantias, et ipsa suscitare potest, immo et debet, opera in servitium omnium, praesertim vero egentium destinata, uti opera misericordiae vel alia huiusmodi.

Ecclesia insuper agnoscit quidquid boni in dynamismo sociali hodierno invenitur: praesertim evolutionem versus unitatem, processum sanae socializationis et consociationis civilis et oeconomicae. Promotio enim unitatis cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum ipsa sit « in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[12] Ita ipsa mundo ostendit veram unionem socialem externam ex unione mentium et cordium fluere, ex illa scilicet fide et caritate, quibus in Spiritu Sancto eius unitas indissolubiliter condita est. Vis enim, quam Ecclesia hodiernae hominum societati iniicere valet, in illa fide et caritate, ad effectum vitae adductis, consistit, non autem in dominio aliquo externo mediis mere humanis exercendo.

Cum insuper vi suae missionis et naturae ad nullam alligetur particularem culturae humanae formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale, Ecclesia ex hac sua universalitate ligamen arctissimum inter diversas

hominum communitates et nationes exsistere potest, dummodo ipsae ei fidant eiusque veram libertatem ad hanc suam missionem adimplendam reapse agnoscant. Qua de causa Ecclesia filios suos, sed etiam omnes homines monet, ut in hoc familiali spiritu filiorum Dei, omnes dissensiones inter nationes et stirpes superent et iustis associationibus humanis internam firmitatem praebeant.

Quaecumque igitur vera, bona, iustaque inveniuntur in diversissimis institutionibus, quae genus humanum sibi condidit incessanterque condit, eadem Concilium magna cum reverentia considerat. Declarat insuper Ecclesiam omnes tales institutiones adiuvare et promovere velle, quatenus hoc ab ea dependet et cum eius missione coniungi potest. Ipsa nihil ardentius desiderat quam ut omnium bono inserviens, se libere sub quovis regimine evolvere possit, quod iura fundamentalia personae ac familiae et boni communis necessitates agnoscat.

43. (*De adiutorio quod Ecclesia per christianos navitati humanae conferre satagit*). Concilium christianos, cives utriusque civitatis, adhortatur ut sua terrestria officia fideliter implere studeant, idque spiritu Evangelii ducti. A veritate discedunt qui, scientes nos non habere hic manentem civitatem sed futuram inquirere,[13] putent se proinde officia sua terrestria negligere posse, non attendentes se per ipsam fidem ad eadem implenda magis teneri, secundum vocationem qua quisque vocatus est.[14] At non minus errant qui, e contrario, opinentur se ita seipsos negotiis terrestribus immergere posse, quasi ista omnino aliena sint a vita religiosa, quippe quia ipsam in solius cultus actibus et officiis quibusdam moralibus implendis consistere arbitrentur. Discidium illud inter fidem quam profitentur et vitam quotidianam multorum, inter graviores nostri temporis errores recensendum est. Scandalum hoc iam in Vetere Testamento Prophetae vehementer redarguebant [15] et multo magis in Novo Testamento ipse Iesus Christus gravibus poenis minabatur.[16] Ne igitur perperam inter se opponantur activitates professionales et sociales ex una parte, vita religiosa ex altera. Christianus, officia sua temporalia negligens, officia sua erga proximum, immo et ipsum Deum negligit suamque aeternam salutem in discrimen adducit. Gaudeant potius christiani, exemplum Christi secuti, qui fabrilem artem exercuit, se omnes suas navitates terrestres exercere posse, conatus humanos, domesticos, professionales, scientificos vel technicos in unam synthesim vitalem cum bonis religiosis colligendo, sub quorum altissima ordinatione omnia in Dei gloriam coordinantur.

Laicis proprie, etsi non exclusive, saecularia officia et navitates competunt. Cum igitur, sive singuli sive consociati, ut cives mundi agunt, non solum leges proprias uniuscuiusque disciplinae servabunt, sed veram peritiam in illis campis sibi comparare studebunt. Libenter cum hominibus eosdem fines prosequentibus cooperabuntur. Agnoscentes exigentias fidei eiusque virtute praediti, incunctanter, ubi oportet, nova incepta excogitent atque ad effectum deducant. Ad ipsorum conscientiam iam apte formatam spectat, ut lex divina in civitatis terrenae vita inscribatur. A sacerdotibus vero laici lucem ac vim

spiritualem exspectent. Neque tamen ipsi censeant pastores suos semper adeo peritos esse ut, in omni quaestione exsurgente, etiam gravi, solutionem concretam in promptu habere queant, aut illos ad hoc missos esse: ipsi potius, sapientia christiana illustrati et ad doctrinam Magisterii observanter attendentes,[17] partes suas proprias assumant.

Pluries ipsa visio christiana rerum eos ad aliquam determinatam solutionem in quibusdam rerum adiunctis inclinabit. Alii tamen fideles, non minore sinceritate ducti, ut saepius et quidem legitime accidit, aliter de eadem re iudicabunt. Quodsi solutiones hinc inde propositae, etiam praeter partium intentionem, a multis facile connectantur cum nuntio evangelico, meminerint oportet nemini licere in praefatis casibus pro sua sententia auctoritatem Ecclesiae sibi exclusive vindicare. Semper autem colloquio sincero se invicem illuminare satagant, mutuam caritatem servantes et boni communis imprimis solliciti.

Laici vero, qui in tota vita Ecclesiae actuosas partes gerendas habent, non solum mundum spiritu christiano imbuere tenentur, sed etiam ad hoc vocantur ut in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi sint testes.

Episcopi vero, quibus munus moderandi Ecclesiam Dei commissum est, cum presbyteris suis nuntium Christi ita praedicent, ut omnes fidelium terrestres activitates Evangelii luce perfundantur. Insuper pastores omnes memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine [18] mundo faciem Ecclesiae exhibere, ex qua homines vim et veritatem nuntii christiani iudicant. Vita et verbo, una cum religiosis atque suis fidelibus, demonstrent Ecclesiam sola sua praesentia, cum omnibus quae continet donis, inexhaustum fontem esse illarum virtutum, quibus mundus hodiernus maxime indiget. Studiis assiduis se ita aptos reddant, ut in dialogo cum mundo et hominibus cuiuscumque opinionis instituendo partes suas agere possint. Imprimis vero in corde verba huius Concilii habeant: « Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut Sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ductu Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur ».[19]

Quamvis Ecclesia ex virtute Spiritus Sancti fidelis sponsa Domini sui manserit et numquam cessaverit esse signum salutis in mundo, ipsa tamen minime ignorat inter membra sua,[20] sive clericos sive laicos, decurrente multorum saeculorum serie, non defuisse qui Spiritui Dei infideles exstiterint. Etiam hac nostra aetate Ecclesiam non fugit, quantum inter se distent nuntius a se prolatus et humana debilitas eorum quibus Evangelium concreditur. Quidquid de istis defectibus historia iudicet, eorum conscii esse debemus eosdemque strenue impugnare, ne Evangelio diffundendo detrimentum afferant. Pariter novit Ecclesia quantopere ipsa, in sua cum mundo relatione excolenda, ex saeculorum experientia iugiter maturescere debeat. A Spiritu Sancto ducta, Ecclesia Mater indesinenter filios suos « ad purificationem et

renovationem exhortatur, ut signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgeat ».[21]

44. (*De adiutorio quod Ecclesia a mundo hodierno accipit*). Sicut autem mundi interest Ecclesiam ut socialem realitatem historiae eiusque fermentum agnoscere, ita ipsa Ecclesia non ignorat, quantum ex humani generis historia et evolutione acceperit.

Praeteritorum saeculorum experientia, scientiarum profectus, thesauri in variis culturae humanae formis absconditi, quibus ipsius hominis natura plenius manifestatur novaeque viae ad veritatem aperiuntur, Ecclesiae quoque prosunt. Ipsa enim, inde ab initio suae historiae, nuntium Christi, ope conceptuum et linguarum diversorum populorum exprimere didicit, eumdemque sapientia insuper philosophorum illustrare conata est: in hunc finem nempe ut Evangelium tum omnium captui tum sapientium exigentiis, in quantum par erat, aptaret. Quae quidem verbi revelati accommodata praedicatio lex omnis evangelizationis permanere debet. Ita enim in omni natione facultas nuntium Christi suo modo exprimendi excitatur simulque vivum commercium inter Ecclesiam et diversas populorum culturas promovetur.[22] Ad tale commercium augendum Ecclesia, imprimis nostris temporibus, in quibus res celerrime mutantur et cogitandi modi valde variantur, peculiariter eorum auxilio indiget qui, viventes in mundo, varias institutiones et disciplinas callent earumque intimam mentem intelligunt, sive de credentibus sive de non credentibus agatur. Totius Populi Dei est, praesertim pastorum et theologorum, adiuvante Spiritu Sancto, varias loquelas nostri temporis auscultare, discernere et interpretari easque sub lumine verbi divini diiudicare, ut revelata Veritas semper penitius percipi, melius intelligi aptiusque proponi possit.

Ecclesia, cum visibilem structuram socialem habeat, signum quidem suae unitatis in Christo, etiam evolutione vitae socialis humanae ditari potest et ditatur, non quasi aliquid in constitutione a Christo sibi data deesset, sed ad eamdem profundius cognoscendam, melius exprimendam atque temporibus nostris felicius accommodandam. Ipsa grato animo percipit se, in sua communitate non minus quam in singulis suis filiis, varium adiutorium ab hominibus cuiusvis gradus vel condicionis accipere. Quicumque enim communitatem humanam in ordine familiae, culturae, vitae oeconomicae et socialis, necnon politicae tam nationalis quam internationalis, promovent secundum consilium Dei communitati quoque Ecclesiali, in quantum haec ab externis dependent, adiutorium non parvum afferunt. Immo Ecclesia, ex ipsa oppositione eorum qui ei adversantur vel eam persequuntur, se multum profecisse et proficere posse fatetur.[23]

45. (*De Christo, alpha et omega*). Ecclesia, dum ipsa mundum adiuvat et ab eo multa accipit, ad hoc unum tendit ut Regnum Dei adveniat et totius humani generis salus instauretur. Omne vero bonum, quod Populus Dei in suae peregrinationis terrestris tempore hominum familiae praebere potest, ex hoc profluit quod Ecclesia est « universale salutis sacramentum »,[24] mysterium amoris Dei erga hominem manifestans simul et operans.

Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, Ipsum caro factum est, ita ut, perfectus homo, omnes salvaret et universa recapitularet. Dominus finis est humanae historiae, punctum in quod historiae et civilizationis desideria vergunt, humani generis centrum, omnium cordium gaudium eorumque appetitionum plenitudo.[25] Ille est quem Pater a mortuis suscitavit, exaltavit et a dextris suis collocavit, Eum vivorum atque mortuorum iudicem constituens. In Eius Spiritu vivificati et coadunati, versus historiae humanae peregrinamur consummationem, quae cum consilio Eius dilectionis plene congruit: « Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt » (*Eph.* 1, 10).

Dicit Ipse Dominus: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis » (*Apoc.* 22, 12-13).

NOTAE

Ad n. 40.

[1] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* III: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 637-659.

[2] Cf. *Tit.* 3, 4: « φιλανθρωπία ».

[3] Cf. *Eph.* 1, 3; 5-6; 13-14; 23.

[4] CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. I, n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 12.

[5] *Ibid.,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 14; cf. n. 8: *A.A.S., l. c.,* p. 11.

[6] *Ibid.,* Cap. I, n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 11.

[7] Cf. *ibid.,* Cap. IV, n. 38: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 43, cum nota 120.

Ad n. 41.

[8] Cf. *Rom.* 8, 14-17.

[9] Cf. *Mt.* 22, 39.

Ad n. 42.

[10] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 12-14.

[11] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad cultores historiae et artis,* 9 martii 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 212: « Son Divin Fondateur, Jésus-Christ, ne lui a donné aucun mandat ni fixé aucune fin d'ordre culturel. Le but que le Christ lui assigne est strictement religieux (...). L'Eglise doit conduire les hommes à Dieu, afin qu'ils se livrent à lui sans réserve (...). L'Eglise ne peut jamais perdre de vue ce but strictement religieux, surnaturel. Le sens de toutes ses activités, jusqu'au dernier canon de son Code, ne peut être que d'y concourir directement ou indirectement ».

[12] Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. I, n. 1: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 5.

Ad n. 43.

[13] Cf. *Hebr.* 13, 14.

[14] Cf. *2 Thess.* 3, 6-13; *Eph.* 4, 28.

[15] Cf. *Is.* 58, 1-12.

[16] Cf. *Mt.* 23, 3-33; *Mc.* 7, 10-13.
[17] C. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* IV: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 456-457; cf. I: *A.A.S., l. c.,* pp. 407, 410-411.
[18] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. III, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 34-35.
[19] *Ibid.,* n. 28: *A.A.S., l. c.,* pp. 35-36.
[20] Cf. S. AMBROSIUS, *De virginitate,* Cap. VIII, n. 48: *PL* 16, 278.
[21] Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 15: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20.

Ad n. 44.

[22] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 13: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 17.
[23] Cf. IUSTINUS, *Dialogus cum Tryphone,* Cap. 110: *PG* 6, 729 (ed. Otto), 1897, pp. 391-393: « ... sed quanto magis talia nobis infliguntur, tanto plures alii fideles et pii per nomen Iesu fiunt ». Cf. TERTULLIANUS, *Apologeticus,* Cap. L, 13: *PL* 1, 534; Corpus Christ., ser. lat. I, p. 171: « Etiam plures efficimur, quotiens metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum! ». Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. II, n. 9: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 14.

Ad n. 45.

[24] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. 7, n. 48: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 53.
[25] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* die 3 febr. 1965 habita.

PARS II

DE QUIBUSDAM PROBLEMATIBUS URGENTIORIBUS

46. (*Prooemium*). Concilium, postquam exposuit cuiusnam dignitatis sit persona hominis necnon ad quodnam munus, sive individuale sive sociale, in universo mundo adimplendum sit vocata, sub luce Evangelii et humanae experientiae omnium nunc animos ad quasdam urgentiores huius temporis necessitates convertit, quae maxime genus humanum afficiunt.

Inter multa quae hodie sollicitudinem omnium excitant haec praesertim recolere iuvat: matrimonium et familiam, culturam humanam, vitam oeconomicam-socialem ac politicam, coniunctionem familiae populorum et pacem. Circa haec singula clarescant principia et lumina a Christo manantia, quibus christifideles ducantur omnesque homines illuminentur in tot implicatorum problematum solutione quaerenda.

CAPUT I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

47. (*De matrimonio et familia in mundo hodierno*). Salus personae et societatis humanae ac christianae arcte cum fausta condicione communitatis coniugalis et familiaris connectitur. Ideo christiani, una cum omnibus qui

eandem communitatem magni aestimant, sincere gaudent de variis subsidiis quibus homines, in hac communitate amoris fovenda et in vita colenda, hodie progrediuntur, et coniuges atque parentes in praecellenti suo munere adiuvantur; meliora insuper exinde beneficia exspectant atque promovere student.

Non ubique vero huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem polygamia, divortii lue, amore sic dicto libero, aliisve deformationibus obscuratur; insuper amor nuptialis saepius egoismo, hedonismo et illicitis usibus contra generationem profanatur. Praeterea hodiernae condiciones oeconomicae, socio-psychologicae et civiles non leves in familiam perturbationes inducunt. In certis denique orbis partibus non absque sollicitudine problemata ex incremento demographico exorta observantur. Quibus omnibus conscientiae anguntur. Verumtamen matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo quoque apparent, quod profundae immutationes societatis hodiernae, non obstantibus difficultatibus inde prorumpentibus, saepe saepius veram eiusdem instituti indolem vario modo manifestant.

Quapropter Concilium, quaedam doctrinae Ecclesiae capita in clariorem lucem ponendo, christianos hominesque universos illuminare et confortare intendit, qui status matrimonialis dignitatem nativam eiusque eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur.

48. (*De sanctitate matrimonii et familiae*). Intima communitas vitae et amoris coniugalis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur. Ita actu humano, quo coniuges sese mutuo tradunt atque accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur, etiam coram societate; hoc vinculum sacrum intuitu boni, tum coniugum et prolis tum societatis, non ex humano arbitrio pendet. Ipse vero Deus est auctor matrimonii, variis bonis ac finibus praediti; [1] quae omnia pro generis humani continuatione, pro singulorum familiae membrorum profectu personali ac sorte aeterna, pro dignitate, stabilitate, pace et prosperitate ipsius familiae totiusque humanae societatis maximi sunt momenti. Indole autem sua naturali, ipsum institutum matrimonii amorque coniugalis ad procreationem et educationem prolis ordinantur iisque veluti suo fastigio coronantur. Vir itaque et mulier, qui foedere coniugali « iam non sunt duo, sed una caro » (*Mt.* 19, 6), intima personarum atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et plenius in dies adipiscuntur. Quae intima unio, utpote mutua duarum personarum donatio, sicut et bonum liberorum, plenam coniugum fidem exigunt atque indissolubilem eorum unitatem urgent.[2]

Christus Dominus huic multiformi dilectioni, e divino caritatis fonte exortae et ad exemplar suae cum Ecclesia unionis constitutae, abundanter benedixit. Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit,[3] ita nunc hominum Salvator Ecclesiaeque Sponsus,[4] per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit. Manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et Semetipsum pro ea tradidit,[5]

ita et coniuges, mutua deditione, se invicem perpetua fidelitate diligant. Germanus amor coniugalis in divinum amorem assumitur atque virtute redemptiva Christi et salvifica actione Ecclesiae regitur ac ditatur, ut coniuges efficaciter ad Deum ducantur atque in sublimi munere patris et matris adiuventur et confortentur.[6] Quapropter coniuges christiani ad sui status officia et dignitatem peculiari sacramento roborantur et veluti consecrantur; [7] cuius virtute munus suum coniugale et familiae explentes, spiritu Christi imbuti, quo tota eorum vita, fide, spe et caritate pervaditur, magis ac magis ad propriam suam perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt.

Unde, ipsis parentibus exemplo et oratione familiali praegredientibus, filii, immo et omnes in familiae convictu degentes, humanitatis, salutis atque sanctitatis viam facilius invenient. Coniuges autem, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornati, officium educationis praesertim religiosae, quod ad ipsos imprimis spectat, diligenter adimplebunt.

Liberi, ut viva familiae membra, ad sanctificationem parentum suo modo conferunt. Gratae enim mentis affectu, pietate atque fiducia beneficiis parentum respondebunt ipsisque in rebus adversis necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent. Viduitas, in continuitate vocationis coniugalis forti animo assumpta, ab omnibus honorabitur.[8] Familia suas divitias spirituales cum aliis quoque familiis generose communicabit. Proinde familia christiana, cum e matrimonio, quod est imago et participatio foederis dilectionis Christi et Ecclesiae, exoriatur,[9] vivam Salvatoris in mundo praesentiam atque germanam Ecclesiae naturam omnibus patefaciet, tum coniugum amore, generosa fecunditate, unitate atque fidelitate, tum amabili omnium membrorum cooperatione.

49. (*De amore coniugali*). Pluries verbo divino sponsi atque coniuges invitantur, ut casto amore sponsalia et indivisa dilectione coniugium nutriant atque foveant.[10] Plures quoque nostrae aetatis homines verum amorem inter maritum et uxorem variis rationibus secundum honestos populorum et temporum mores manifestatum, magni faciunt. Ille autem amor, utpote eminenter humanus, cum a persona in personam voluntatis affectu dirigatur, totius personae bonum complectitur ideoque corporis animique expressiones peculiari dignitate ditare easque tamquam elementa ac signa specialia coniugalis amicitiae nobilitare valet. Hunc amorem Dominus, speciali gratiae et caritatis dono, sanare, perficere et elevare dignatus est. Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, tenero affectu et opere probatum, conducit totamque vitam eorum pervadit; [11] immo ipsa generosa sua operositate perficitur et crescit. Longe igitur exsuperat meram eroticam inclinationem, quae, egoistice exculta, citius et misere evanescit.

Haec dilectio proprio matrimonii opere singulariter exprimitur et perficitur. Actus proinde, quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur, honesti ac digni sunt et, modo vere humano exerciti, donationem mutuam

significant et fovent, qua sese invicem laeto gratoque animo locupletant. Amor ille mutua fide ratus, et potissimum sacramento Christi sancitus, inter prospera et adversa corpore ac mente indissolubiliter fidelis est, et proinde ab omni adulterio et divortio alienus remanet. Aequali etiam dignitate personali cum mulieris tum viri agnoscenda in mutua atque plena dilectione, unitas matrimonii a Domino confirmata luculenter apparet. Ad officia autem huius vocationis christianae constanter exsequenda virtus insignis requiritur: quapropter coniuges, gratia ad vitam sanctam roborati, firmitatem amoris, magnitudinem animi et spiritum sacrificii assidue colent et oratione impetrabunt.

Germanus autem amor coniugalis altius aestimabitur atque sana circa eum opinio publica efformabitur, si coniuges christiani testimonio fidelitatis et harmoniae in eodem amore necnon sollicitudine in filiis educandis, eminent atque in necessaria renovatione culturali, psychologica et sociali in favorem matrimonii et familiae partes suas agunt. Iuvenes de amoris coniugalis dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, apte et tempestive instruendi sunt, ut, castitatis cultu instituti, convenienti aetate ab honestis sponsalibus ad nuptias transire possint.

50. (*De matrimonii foecunditate*). Matrimonium et amor coniugalis indole sua ad prolem procreandam et educandam ordinantur. Filii sane sunt praestantissimum matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt. Ipse Deus qui dixit: « non est bonum esse hominem solum » (*Gen.* 2, 18) et « qui ... hominem ab initio masculum et feminam fecit » (*Mt.* 19, 4), volens ei participationem specialem quamdam in Suiipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens: « crescite et multiplicamini » (*Gen.* 1, 28). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens, non posthabitis ceteris matrimonii finibus, eo tendunt ut coniuges forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat.

In officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tamquam propria eorum missio considerandum est, coniuges sciunt se cooperatores esse amoris Dei Creatoris eiusque veluti interpretes. Ideo humana et christiana responsabilitate suum munus adimplebunt ac docili erga Deum reverentia, communi consilio atque conatu, rectum iudicium sibi efformabunt, attendentes tum ad suum ipsorum bonum tum ad bonum liberorum, sive iam nati sint sive futuri praevideantur, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum materiales tum spirituales, ac denique rationem servantes boni communitatis familiaris, societatis temporalis ipsiusque Ecclesiae. Hoc iudicium ipsi ultimatim coniuges coram Deo ferre debent. In sua vero agendi ratione coniuges christiani conscii sint se non ad arbitrium suum procedere posse, sed semper regi debere conscientia ipsi legi divinae conformanda, dociles erga Ecclesiae Magisterium, quod illam sub luce Evangelii authentice interpretatur. Lex illa divina plenam amoris coniugalis significationem ostendit, illum protegit et ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit. Ita

coniuges christiani, divinae Providentiae confidentes et spiritum sacrificii excolentes,[12] Creatorem glorificant atque ad perfectionem in Christo contendunt, cum procreandi munere generosa, humana atque christiana responsabilitate funguntur. Inter coniuges qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt, peculiariter memorandi sunt illi qui, prudenti communique consilio, magno animo prolem congruenter educandam etiam numerosiorem suscipiunt.[13]

Matrimonium vero, non est tantum ad procreationem institutum; sed ipsa indoles foederis inter personas indissolubilis atque bonum prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine exhibeatur, proficiat et maturescat. Ideo etsi proles, saepius tam optata, deficit, matrimonium ut totius vitae consuetudo et communio perseverat, suumque valorem atque indissolubilitatem servat.

51. (*De amore coniugali componendo cum observantia vitae humanae*). Concilium novit coniuges, in vita coniugali harmonice ordinanda, saepe quibusdam hodiernis vitae condicionibus praepediri atque in circumstantiis versari posse in quibus numerus prolis, saltem ad tempus, augeri nequit, et fidelis amoris cultus atque plena vitae consuetudo non sine difficultate conservantur. Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei non raro in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari possunt: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur.

Sunt qui his problematibus solutiones inhonestas afferre praesumunt, immo ab occisione non abhorrent; at Ecclesia in memoriam revocat veram contradictionem inter divinas leges vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse.

Deus enim, Dominus vitae, praecellens servandi vitam ministerium hominibus commisit, modo homine digno adimplendum. Vita igitur inde a conceptione, maxima cura tuenda est; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina. Indoles vero sexualis hominis necnon humana generandi facultas mirabiliter exsuperant ea quae in inferioribus vitae gradibus habetur; proinde ipsi actus vitae coniugali proprii, secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt. Moralis igitur indoles rationis agendi, ubi de componendo amore coniugali cum responsabili vitae transmissione agitur, non a sola sincera intentione et aestimatione motivorum pendet, sed obiectivis criteriis, ex personae eiusdemque actuum natura desumptis, determinari debet, quae integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observant; quod fieri nequit nisi virtus castitatis coniugalis sincero animo colatur. Filiis Ecclesiae, his principiis innixis, in procreatione regulanda, vias inire non licet, quae a Magisterio, in lege divina explicanda, improbantur.[14]

Omnibus vero compertum sit vitam hominum et munus eam transmittendi non ad hoc saeculum tantum restringi neque eo tantum commensurari et intelligi posse, sed ad aeternam hominum destinationem semper respicere.

52. (*De matrimonii et familiae promotione ab omnibus curanda*). Familia schola quaedam uberioris humanitatis est. Ut autem vitae ac missionis suae plenitudinem attingere valeat, benevola animi communicatio communeque coniugum consilium necnon sedula parentum cooperatio in filiorum educatione requiruntur. Praesentia actuosa patris eorumdem efformationi magnopere prodest, sed et cura domestica matris, qua liberi praesertim iuniores indigent, in tuto ponenda est, quin legitima mulieris promotio socialis posthabeatur. Liberi ita educatione instruantur ut ad aetatem adultam provecti pleno responsabilitatis sensu vocationem etiam sacram sequi ac vitae statum eligere queant, in quo, si nuptiis iungantur, familiam propriam, in condicionibus moralibus, socialibus et oeconomicis eidem propitiis, condere possint. Parentum vel tutorum est se iunioribus, in fundanda familia, prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne eos coactione directa vel indirecta ad matrimonium ineundum aut ad electionem compartis adigant.

Ita familia, in qua diversae generationes conveniunt ac sese mutuo adiuvant ad pleniorem sapientiam acquirendam atque iura personarum cum aliis vitae socialis exigentiis componenda, fundamentum societatis constituit. Ideoque omnes qui influxum in communitates et coetus sociales exercent, ad promotionem matrimonii et familiae efficaciter conferre debent. Potestas civilis veram eorumdem indolem agnoscere, protegere et provehere, moralitatem publicam tueri atque prosperitati domesticae favere, ut sacrum suum munus consideret. Ius parentum prolem procreandi et in sinu familiae educandi tutandum est. Provida legislatione variisque inceptis etiam illi protegantur aptoque adiumento subleventur qui bono familiae infeliciter carent.

Christifideles, praesens tempus redimentes [15] atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona matrimonii et familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt. Ad quem finem obtinendum sensus christianus fidelium, recta hominum conscientia moralis necnon sapientia ac peritia eorum qui in sacris disciplinis versati sunt, magno auxilio erunt.

Qui scientiis, praecipue biologicis, medicis, socialibus et psychologicis eruditi sunt, multum bono matrimonii et familiae, pacique conscientiarum inservire possunt, si collatis studiis diversas condiciones honestae ordinationi procreationis humanae faventes, penitius elucidare conentur.

Sacerdotum est, debita de re familiari eruditione accepta, vocationem coniugum diversis mediis pastoralibus, verbi Dei praedicatione, cultu liturgico aliisve adiumentis spiritualibus in vita eorum coniugali et familiari fovere, eosque humaniter et patienter in difficultatibus roborare atque in caritate confortare ut vere radiosae familiae efformentur.

Varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque con-

iuges, praecipue nuper iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam familialem, socialem et apostolicam formare satagent.

Ipsi denique coniuges, ad imaginem Dei vivi facti et in vero ordine personarum constituti, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sint,[16] ut Christum, vitae principium [17] secuti, in gaudiis et sacrificiis vocationis suae, per suum fidelem amorem, illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit.[18]

NOTAE

Ad n. 48.

[1] Cf. S. AUGUSTINUS, *De bono coniugii*: *PL* 40, 375-376 et 394; S. THOMAS, *Summa Theol.*, Suppl. Quaest. 49, art. 3 ad 1; *Decretum pro Armenis*: DENZ. 702 (1327); PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 543-555; DENZ. 2227-2238 (3703-3714).

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 548-555; DENZ. 2231 (3706).

[3] Cf. *Os.* 2; *Ier.* 3, 6-13; *Ezech.* 16 et 23; *Is.* 54.

[4] Cf. *Mt.* 9, 15; *Mc.* 2, 19-20; *Lc.* 5, 34-35; *Io.* 3, 29; cf. etiam 2 *Cor.* 11, 2; *Eph.* 5, 27; *Apoc.* 19, 7-8; 21, 2 et 9.

[5] Cf. Eph. 5, 25.

[6] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*: *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 15-16; 40-41; 47.

[7] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), p. 583.

[8] Cf. *1 Tim.* 5, 3.

[9] Cf. *Eph.* 5, 32.

Ad n. 49.

[10] Cf. *Gen.* 2, 22-24; *Prov.* 5, 18-20; 31, 10-31; *Tob.* 8, 4-8; *Cant.* 1, 1-3; 2, 16; 4, 16 ad 5, 1; 7, 8-11; *1 Cor.* 7, 3-6; *Eph.* 5, 25-33.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 547 et 548; DENZ. 2232 (3707).

Ad n. 50.

[12] Cf. *1 Cor.* 7, 5.

[13] Cf. PIUS XII, Allocutio *Tra le visite,* 20 ian. 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), p. 91.

Ad n. 51.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 559-561: DENZ. 2239-2241 (3716-3718); PIUS XII, *Allocutio Conventui Unionis Italicae inter Obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 835-854; PAULUS VI, *Allocutio ad E.mos Patres Purpuratos,* 23 iunii 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 581-589. Quaedam quaestiones quae aliis ac diligentioribus investigationibus indigent, iussu Summi Pontificis, Commissioni pro studio populationis, familiae et natalitatis traditae sunt, ut postquam illa munus suum expleverit, S. Pontifex iudicium ferat. Sic stante doctrina Magisterii, S. Synodus solutiones concretas immediate proponere non intendit.

Ad n. 52.

[15] Cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, 5.
[16] Cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 262.
[17] Cf. *Rom.* 5, 15 et 18; 6, 5-11; *Gal.* 2, 20.
[18] Cf. *Eph.* 5, 25-27.

Caput II

DE CULTURAE PROGRESSU RITE PROMOVENDO

53. (*Introductio*). Ad ipsam personam hominis pertinet ut nonnisi per culturam, hoc est bona naturae valoresque colendo, ad veram plenamque humanitatem accedat. Ubicumque ergo de vita humana agitur, natura et cultura quam intime connectuntur.

Voce « cultura » sensu generali indicantur omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque perpolit atque explicat; ipsum orbem terrarum cognitione et labore in suam potestatem redigere studet; vitam socialem, tam in familia quam in tota consortione civili, progressu morum institutorumque humaniorem reddit; denique magnas experientias spirituales atque appetitiones decursu temporum in operibus suis exprimit, communicat atque conservat, ut ad profectum multorum, quinimmo totius generis humani, inserviant.

Inde sequitur culturam humanam aspectum historicum atque socialem necessario prae se ferre, atque vocem « cultura » saepe sensum sociologicum necnon ethnologicum assumere. Hoc autem sensu de culturarum pluralitate sermo fit. Ex diverso enim modo utendi rebus, laborem praestandi et sese exprimendi, religionem colendi moresque formandi, statuendi leges et iuridica instituta, augendi scientias et artes atque colendi pulchrum, diversae oriuntur communes vivendi condiciones et diversae formae bona vitae componendi. Ita ex traditis institutis efficitur patrimonium cuique humanae communitati proprium. Ita etiam constituitur ambitus definitus et historicus, in quem homo cuiusque gentis vel aetatis inseritur, et ex quo bona ad humanum civilemque cultum promovendum haurit.

Sectio 1: *De culturae condicionibus in mundo hodierno*

54. (*De novis vivendi formis*). Condiciones vitae hominis moderni sub respectu sociali et culturali profunde immutatae sunt, ita ut de nova historiae humanae aetate loqui liceat.[1] Exinde ad culturam perficiendam ampliusque spargendam novae patent viae. Quas paraverunt ingens augmentum scientiarum naturalium et humanarum, etiam socialium, incrementum technicarum artium, necnon progressus in excolendis et recte disponendis instrumentis quibus homines inter se communicant. Hinc cultura hodierna particularibus signatur notis: scientiae, quae exactae nuncupantur, iudicium criticum maxime excolunt; recentiora psychologiae studia humanam activitatem profundius expli-

cant; disciplinae historicae valde conferunt ut res sub specie suae mutabilitatis atque evolutionis adspiciantur; vitae consuetudines et mores in dies magis uniformes efficiuntur; industrializatio, urbanizatio aliaeque causae quae vitam communitariam promovent, novas culturae formas creant (mass-culture), ex quibus novi modi sentiendi, agendi otioque utendi nascuntur; aucta simul inter varias gentes societatisque coetus commercia thesauros diversarum culturae formarum omnibus et singulis latius aperiunt, et sic paulatim universalior paratur culturae humanae forma, quae eo magis humani generis unitatem promovet ac exprimit, quo melius diversarum culturarum particularitates observat.

55. (*Homo auctor culturae*). Maior in dies fit numerus virorum ac mulierum cuiusvis coetus vel nationis, qui conscii sunt suae communitatis culturae artifices se esse atque auctores. In universo mundo magis magisque crescit autonomiae simulque responsabilitatis sensus, quod pro spirituali ac morali maturitate generis humani maximi est momenti. Illud clarius apparet, si ante oculos unificationem mundi ponimus atque munus nobis impositum, ut in veritate et iustitia meliorem aedificemus mundum. Tali ergo modo testes sumus novum humanismum nasci, in quo homo imprimis sua responsabilitate erga suos fratres historiamque definitur.

56. (*Difficultates et munera*). Quibus in condicionibus, non est mirandum, hominem, qui responsabilitatem suam sentit pro culturae progressu, altiorem spem nutrire, sed etiam anxio animo adspicere multiplices antinomias exsistentes, quas ipse resolvere debet:

Quid faciendum est, ne frequentiora culturarum commercia, quae inter diversos coetus et nationes ad verum et fructuosum dialogum adducere deberent, vitam communitatum perturbent, neve sapientiam maiorum evertant, neve propriam populorum indolem in discrimen adducant?

Quomodo dynamismo atque expansioni novae culturae est favendum, quin fidelitas viva erga traditionum haereditatem pereat? Quod particulari modo urget ubi cultura, quae ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressu oritur, componenda est cum eo ingenii cultu qui studiis secundum varias traditiones classicis alitur.

Quomodo tam velox atque progrediens disciplinarum particularium dispersio conformari potest cum necessitate formandi earum synthesim, necnon servandi apud homines facultates contemplationis ac admirationis, quae ad sapientiam adducunt?

Quid faciendum est, ut universi homines bonorum culturalium participes fiant in mundo, cum insimul cultus humanus peritiorum semper sublimior atque complexior evadat?

Quomodo denique prout legitima agnoscenda est autonomia, quam cultura sibi vindicat, quin ad humanismum mere terrestrem, immo ipsi religioni adversantem deveniatur?

In medio quidem illarum antinomiarum cultura humana ita hodie evol-

vatur oportet, ut integram personam humanam aequo ordine excolat atque homines iuvet in muneribus, ad quae adimplenda omnes praecipue autem christifideles, in una familia humana fraterne uniti, vocantur.

Sectio 2: *De quibusdam principiis ad culturam rite promovendam*

57. (*Fides et cultura*). Christifideles, ad civitatem caelestem peregrinantes, ea quae sursum sunt quaerere et sapere debent; [2] quo tamen nedum minuatur, potius crescit momentum muneris eorum una cum omnibus hominibus adlaborandi ad aedificationem mundi humanius exstruendi. Et revera fidei christianae mysterium praestantia incitamenta et adiumenta eis praebet ad munus illud impensius adimplendum et praesertim ad plenum huiusmodi operis sensum detegendum, quo cultus humanus in integra hominis vocatione suum eximium obtineat locum.

Cum enim homo opere manuum suarum vel ope technicarum artium terram excolit, ut fructum afferat et dignum universae familiae humanae habitaculum fiat, et cum conscie partes assumit in socialium coetuum vita, ipse exsequitur consilium Dei, initio temporum patefactum, terrae subiiciendae [3] creationisque perficiendae, atque seipsum excolit; insimul magnum Christi mandatum servat, sese in servitium fratrum impendendi.

Insuper homo cum in varias philosophiae, historiae atque scientiae mathematicae et naturalis disciplinas incumbit et artibus versatur, maxime conferre potest, ut familia humana ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes atque ad iudicium universi valoris elevetur et sic clarius illuminetur mirabili Sapientia, quae ab aeterno cum Deo erat, cuncta cum Eo componens, ludens in orbe terrarum, esse cum filiis hominum in deliciis habens.[4]

Eo ipso animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad ipsum Creatoris cultum et contemplationem evehi potest. Immo impulsu gratiae ad agnoscendum Dei Verbum disponitur, quod, antequam caro fieret ad omnia salvanda et in Se recapitulanda, iam « in mundo erat », tamquam « lux vera quae illuminat omnem hominem » (*Io.* 1, 9-10).[5]

Sane hodiernus progressus scientiarum artiumque technicarum, quae vi methodi suae usque ad intimas rerum rationes penetrare nequeunt, cuidam phaenomenismo et agnosticismo favere potest, quando methodus investigandi, qua disciplinae istae utuntur, immerito pro suprema totius veritatis inveniendae regula habetur. Immo periculum adest, ne homo, inventis hodiernis nimis fidens, se sibi sufficere aestimet et altiora amplius iam non quaerat.

Haec tamen infausta non necessario ex hodierna cultura sequuntur, nec nos in tentationem inducere debent, ne eius valores positivos non agnoscamus. Inter quos adnumerantur: scientiarum studium atque exacta fidelitas erga veritatem in inquisitionibus scientificis, necessitas laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidarietatis internationalis, conscientia in dies vividior responsabilitatis peritorum erga homines adiuvandos immo et protegendos, voluntas faustiores reddendi vitae condiciones omnibus, prae-

sertim illis qui vel responsabilitatis privatione vel culturae paupertate laborant. Haec omnia aliquam praeparationem ad nuntium Evangelii accipiendum afferre valent, quae informari potest caritate divina ab Eo qui venit ut mundum salvaret.

58. (*De multiplici inter bonum nuntium Christi et culturam humanam connexione*). Inter nuntium salutis et culturam humanam multiplices nexus inveniuntur. Nam Deus, populo suo sese revelans usque ad plenam sui manifestationem in Filio incarnato, locutus est secundum culturam diversis aetatibus propriam.

Pariter Ecclesia, decursu temporum variis in condicionibus vivens, diversarum culturarum inventa adhibuit, ut nuntium Christi in sua praedicatione ad omnes gentes diffundat et explicet, illud investiget et altius intelligat, in celebratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimat.

At simul, ad omnes populos cuiusvis aetatis et regionis missa, Ecclesia nulli stirpi aut nationi, nulli particulari morum rationi, nulli antiquae aut novae consuetudini exclusive et indissolubiliter nectitur. Propriae traditioni inhaerens et insimul missionis suae universalis conscia, communionem cum diversis culturae formis inire valet, qua tum ipsa Ecclesia tum variae culturae ditescunt.

Bonum Christi nuntium hominis lapsi vitam et cultum continenter renovat, et errores ac mala, ex semper minaci peccati seductione manantia, impugnat et removet. Mores populorum indesinenter purificat et elevat. Animi ornamenta dotesque cuiuscumque populi vel aetatis supernis divitiis velut ab intra foecundat, communit, complet atque in Christo restaurat.[6] Sic Ecclesia, proprium implendo munus,[7] iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit atque confert, et actione sua, etiam liturgica, hominem ad interiorem libertatem educat.

59. (*De diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis*). Supradictis rationibus, Ecclesia in mentem omnium revocat culturam ad integram personae humanae perfectionem, ad bonum communitatis et totius humanae societatis esse referendam. Quare oportet animum ita excolere, ut promoveatur facultas admirandi, intus legendi, contemplandi atque efformandi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem.

Cultura enim, cum ex hominis indole rationali et sociali immediate fluant, indesinenter indiget iusta libertate ad sese explicandam atque legitima, secundum propria principia, sui iuris agendi facultate. Iure merito ergo postulat reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate, servatis utique iuribus personae et communitatis, sive particularis sive universalis, intra fines boni communis.

Sacra Synodus, recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat « duplicem esse ordinem cognitionis » distinctum, nempe fidei et rationis, nec sane Ecclesiam vetare ne « humanarum artium et disciplinarum

culturae ... in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo »; quare « iustam hanc libertatem agnoscens », cultus humani et praesertim scientiarum legitimam autonomiam affirmat.[8]

Haec omnia postulant quoque ut homo, morali ordine communique utilitate servatis, libere possit verum inquirere et opinionem suam declarare ac vulgare, atque artem qualemcumque colere; ut denique secundum veritatem de publicis eventibus certior fiat.[9]

Ad publicam vero auctoritatem pertinet, non propriam cultus humani formarum indolem determinare, sed condiciones et subsidia ad vitam culturalem inter omnes promovendam fovere, etiam intra minoritates alicuius nationis.[10] Ideo praeprimis instandum est, ne cultura, a proprio fine aversa, potestatibus politicis vel oeconomicis servire cogatur.

Sectio 3: *De quibusdam urgentioribus christianorum muneribus circa culturam*

60. (*Ius ad culturae beneficia omnibus agnoscatur et in rem deducatur*). Cum nunc facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi, officium nostrae aetati maxime consentaneum est, praesertim pro christianis, strenue adlaborandi ut, tam in re oeconomica quam in re politica, tam in campo nationali quam internationali, ferantur iudicia fundamentalia, quibus ius omnium ad humanum civilemque cultum, personae dignitati congruum, sine discrimine stirpis, sexus, nationis, religionis aut socialis condicionis, ubique terrarum agnoscatur et ad rem deducatur. Ideo sufficiens bonorum culturalium copia omnibus providenda est, praesertim eorum quae constituunt culturam sic dictam fundamentalem, ne plurimi litterarum ignorantia responsabilisque actuositatis privatione a cooperatione vere humana ad bonum commune impediantur.

Contendendum est itaque ut homines, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere queant; ita quidem ut iidem, quoad fieri possit, in humana societate ad munera, officia et servitia emergant, tum suo ingenio, tum peritiae quam acquisierint consentanea.[11] Sic quilibet homo et coetus sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae culturalis explicationem, suis dotibus atque traditionibus congruam, pertingere valebunt.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum iuris ad culturam, tum officii quo astringuntur sese excolendi aliosque adiuvandi. Condiciones enim vitae et laboris quandoque exstant, quae impediunt contentiones culturales hominum et in ipsis studium culturae destruunt. Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, quibus praebeantur oportet tales condiciones operam suam praestandi, quae humanam eorum culturam non praepediant sed promoveant. Mulieres in fere omnibus vitae campis iam adlaborant; convenit autem ut partes suas secundum propriam indolem plene assumere valeant. Omnium erit, ut mulierum propria necessariaque participatio vitae culturalis agnoscatur atque promoveatur.

61. (*De educatione ad hominis integrum cultum*). Maior hodie adest difficultas quam olim varias cognitionis disciplinas et artes in synthesim redi-

gendi. Dum enim crescunt moles et diversitas elementorum, quae culturam constituunt, insimul minuitur facultas pro singulis hominibus eadem percipiendi et organice componendi, ita ut imago « hominis universalis » magis ac magis evanescat. Attamen unicuique homini remanet officium retinendi rationem totius personae humanae, in qua eminent intelligentiae, voluntatis, conscientiae et fraternitatis valores, qui omnes in Deo Creatore fundantur et in Christo mirabiliter sanati et elevati sunt.

Quasi mater et nutrix huius educationis est imprimis familia, in qua liberi, amore foti, rectum rerum ordinem facilius condiscunt, dum probatae cultus humani formae quasi naturaliter in progredientis adolescentiae animum transfunduntur.

Pro eadem educatione in societatibus hodiernis exstant opportunitates, praesertim ex aucta librorum diffusione atque novis instrumentis communicationis culturalis et socialis, quae universali culturae favere possunt. Imminuto enim passim laboris spatio in dies augescunt pro pluribus hominibus commoda. Otia ad animum relaxandum et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia, versus alias regiones itinera (turismus), quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur, per exercitationes quoque et manifestationes sportivas, quae ad animi aequilibrium, etiam in communitate, servandum necnon ad fraternas relationes inter homines omnium condicionum, nationum vel diversae stirpis statuendas, adiumentum praebent. Christifideles ergo cooperentur ut culturae manifestationes actionesque collectivae, quae nostrae aetatis sunt propriae, spiritu humano et christiano imbuantur.

Haec autem omnia commoda educationem hominis ad integrum sui cultum perficere non valent, si insimul profunda interrogatio de sensu culturae et scientiae pro persona humana negligitur.

62. (*De humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo*). Quamvis Ecclesia ad culturae progressum multum contulerit, experientia tamen constat compositionem culturae cum christiana institutione ex causis contingentibus non semper sine difficultatibus procedere.

Istae difficultates non necessario vitae fidei damnum afferunt, immo ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare possunt. Etenim scientiarum, necnon historiae ac philosophiae recentiora studia et inventa novas suscitant quaestiones, quae sequelas pro vita quoque secumferunt et etiam a theologis novas investigationes postulant. Praeterea theologi, servatis propriis scientiae theologicae methodis et exigentiis, invitantur ut aptiorem modum doctrinam cum hominibus sui temporis communicandi semper inquirant, quia aliud est ipsum depositum Fidei seu veritates, aliud modus secundum quem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia.[12] In cura pastorali non tantum principia theologica, sed etiam inventa scientiarum profanarum, imprimis psychologiae et sociologiae, satis agnoscantur et adhibeantur, ita ut etiam fideles ad puriorem et maturiorem fidei vitam ducantur.

Suo quoque modo litterae et artes pro vita Ecclesiae magni sunt mo-

menti. Indolem enim propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in conatu ad seipsum mundumque cognoscendum et perficiendum ediscere contendunt; situationem eius in historia et in universo mundo detegere necnon miserias et gaudia, necessitates et vires hominum illustrare atque sortem hominis meliorem adumbrare satagunt. Ita vitam humanam, multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent.

Exinde adlaborandum est ut artium illarum cultores se ab Ecclesia in sua navitate agnitos sentiant et, ordinata libertate fruentes, faciliora commercia cum communitate christiana instituant. Novae quoque formae artis, quae coaevis nostris aptantur iuxta variarum nationum et regionum indolem, ab Ecclesia agnoscantur. In sanctuario autem recipiantur, cum, modo dicendi accommodato et liturgiae exigentiis conformi, mentem ad Deum erigunt.[13]

Sic notitia Dei melius manifestatur ac praedicatio evangelica in intellectu hominum magis perspicua fit et eorum condicionibus quasi insita apparet.

Fideles ergo coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos, qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant. Novarum scientiarum et doctrinarum necnon novissimorum inventorum notitias cum christianis moribus christianaeque doctrinae institutione coniungant, ut religionis cultus animique probitas apud ipsos pari gressu procedant cum scientiarum cognitione et cotidie progredientibus technicorum artibus, et ideo ipsi valeant res omnes integro christiano sensu probare atque interpretari.

Qui theologicis disciplinis in Seminariis et Studiorum Universitatibus incumbunt, cum hominibus qui in aliis scientiis excellunt, collatis viribus atque consiliis, cooperari studeant. Theologica inquisitio insimul profundam veritatis revelatae cognitionem prosequatur et coniunctionem cum proprio tempore ne negligat, ut homines variis disciplinis excultos ad pleniorem fidei scientiam iuvare possint. Haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum ministrorum qui Ecclesiae doctrinam de Deo, de homine et de mundo aptius coaevis nostris explanare poterunt, ita ut verbum illud etiam libentius ab eis suscipiatur.[14] Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia, data opera, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, sive clericis sive laicis, iusta libertas inquirendi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus peritia gaudent.[15]

NOTAE

Ad n. 54.

[1] Cf. *Expositio introductoria* huius Constitutionis, nn. 4-10, pp. 7-11.

Ad n. 57.

[2] Cf. *Col.* 3, 1-2.
[3] Cf. *Gen.* 1, 28.
[4] Cf. *Prov.* 8, 30-31.

[5] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 11, 8 (ed. Sagnard, p. 200; cf. *ib.*, 16, 6: pp. 290-292; 21, 10-22: pp. 370-372; 22, 3: p. 378; etc.).

Ad n. 58.

[6] Cf. *Eph.* 1, 10.
[7] Cf. verba PII XI ad R. P. M.-D. Roland-Gosselin: « il ne faut jamais perdre de vue que l'objectif de l'Eglise est d'évangéliser et non de civiliser. Si elle civilise, c'est par l'évangélisation » (*Semaines sociales de France,* Versailles, 1936, pp. 461-462).

Ad n. 59.

[8] CONC. VAT. I, Const. dogm. *De Fide catholica,* cap. IV: DENZ. 1795, 1799 (3015, 3019). Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 190.
[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 260.
[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 283; PIUS XII, *Nuntius radiophon.,* 24 dec. 1941: *A.A.S.,* 34 (1942), pp. 16-17.

Ad n. 60.

[11] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 260.

Ad n. 62.

[12] Cf. IOANNES XXIII, *Oratio* habita d. 11 oct. 1962, in initio Concilii: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 792.
[13] Cf. Const. *De sacra Liturgia,* n. 123: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 131; PAULUS VI, *Discorso agli artisti romani,* 7 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 439-442.
[14] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *De institutione sacerdotali* et *De educatione christiana.*
[15] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. IV, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

CAPUT III

DE VITA OECONOMICA-SOCIALI

63. (*De quibusdam vitae oeconomicae aspectibus*). Etiam in vita oeconomica-sociali personae humanae dignitas eiusque integra vocatio, totiusque societatis bonum, honoranda atque promovenda sunt. Homo enim totius vitae oeconomicae-socialis auctor, centrum et finis est.

Oeconomia hodierna, non secus atque aliae vitae socialis provinciae, crescenti super naturam hominis dominatione notatur, densioribus impensioribusque relationibus atque mutua dependentia, inter cives, coetus et populos, necnon frequentiori politicae potestatis interventione. Insimul progressus in rationibus producendi atque in bonis ac servitiis commutandis, oeconomiam aptum effecerunt instrumentum, quo adauctis familiae humanae necessitatibus melius provideri possit.

Non desunt tamen rationes inquietudinis. Homines non pauci, praesertim

in regionibus oeconomice progressis, re oeconomica quasi regi videntur, ita ut fere tota eorum vita personalis ac socialis spiritu quodam oeconomistico imbuatur, tam in nationibus quae oeconomiae collectivisticae favent quam in aliis. Eo temporis momento quo vitae oeconomicae incrementum, dummodo rationabiliter humaniterque dirigatur atque coordinetur, inaequalitates sociales mitigare posset, saepe saepius in earum exasperationem, vel etiam alicubi in regressum condicionis socialis debilium et in despectum pauperum vertitur. Dum rebus omnino necessariis ingens multitudo adhuc caret, aliqui, etiam in regionibus minus progressis, opulenter vivunt vel bona dissipant. Luxus et miseria simul exsistunt. Dum pauci maxima deliberandi potestate fruuntur, multi omni paene possibilitate carent propria initiativa ac responsabilitate agendi, saepe etiam in conditionibus vitae et laboris persona humana indignis versantes.

Similes aequilibrii oeconomici socialisque defectus inter agriculturam, industriam ac servitia, sicut etiam inter diversas regiones unius eiusdemque nationis advertuntur. Inter nationes oeconomice magis progressas aliasque nationes gravior in dies oppositio fit, quae ipsam pacem mundi in discrimen vocare potest.

Has disparitates coaevi nostri conscientia in dies vividiore persentiunt, cum eis persuasissimum sit, ampliores technicas et oeconomicas facultates, quibus mundus hodiernus gaudet, hunc infaustum statum rerum corrigere posse atque debere. Inde autem reformationes multae in vita oeconomica-sociali atque mentis et habitudinis conversio ab omnibus requiruntur. Ad hoc Ecclesia iustitiae et aequitatis principia, tam pro vita individuali et sociali, quam pro vita internationali, a recta ratione postulata, in decursu saeculorum sub luce Evangeli exaravit atque his praesertim ultimis temporibus protulit. Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis roborare orientationesque quasdam proferre intendit, exigentias progressionis oeconomicae imprimis respiciens.[1]

Sectio 1: *De progressione oeconomica*

64. (*De progressione oeconomica in hominis servitium*). Hodie, magis quam antea, ut augmento populi consulatur et crescentibus generis humani optatis satisfiat, incrementum productionis bonorum agriculturae et industriae necnon praestationis servitiorum iure intenditur. Ideo favendum est progressui technico, spiritui innovationis, studio inceptuum creandorum atque ampliandorum, methodis productionis aptandis, ac strenuis quorumcumque productionem exercentium conatibus: omnibus nempe elementis quae huic progressioni inserviunt. Huius autem productionis finalitas fundamentalis non est merum productorum incrementum, neque lucrum vel dominatus, sed hominis servitium, hominis quidem integri, attento ordine materialium eius necessitatum atque eius vitae intellectualis, moralis, spiritualis ac religiosae exigentiarum, hominis, dicimus, cuiuscumque, et cuiuscumque hominum

coetus, cuiusvis stirpis vel mundi regionis. Itaque navitas oeconomica secundum methodos et leges proprias, intra fines ordinis moralis [2] exercenda est ita ut Dei de homine consilium adimpleatur.[3]

65. (*De progressione oeconomica sub consilio hominis*). Progressio oeconomica sub hominis consilio manere debet, nec soli arbitrio paucorum hominum aut coetuum nimia potentia oeconomica pollentium, nec solius communitatis politicae, nec quarundam potentiorum nationum remittenda est. Oportet e contra ut, in quocumque gradu, homines quam plurimi atque, ubi de relationibus internationalibus agitur, omnes nationes in ea dirigenda activas partes habeant. Pariter opus est ut opera spontanea singulorum hominum liberorumque coetuum cum auctoritatum publicarum conatibus coordinentur atque apte et cohaerenter componantur.

Incrementum nec soli cursui quasi mechanico activitatis oeconomicae singulorum nec soli potestati auctoritatis publicae relinquendum est. Quare erroris arguendae sunt, tum doctrinae quae specie falsae libertatis reformationibus necessariis obstant, quam illae quae iura fundamentalia personarum singularum et coetuum organizationi productionis collectivae postponunt.[4]

Meminerint ceterum cives suum esse ius et officium, etiam a potestate civili agnoscendum, ad verum propriae communitatis progressum pro sua possibilitate conferre. Praesertim in regionibus oeconomice minus progressis, ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune graviter in discrimen vocant qui opes suas infructuosas retinent vel — salvo iure personali migrationis — communitatem suam subsidiis sive materialibus sive spiritualibus privant quibus illa eget.

66. (*De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis*). Ut exigentiis iustitiae et aequitatis satisfiat, strenue enitendum est ut, servatis iuribus personarum atque propria indole cuiusque populi, ingentes quae nunc sunt et saepe crescunt inaequalitates oeconomicae cum discriminatione individuali et sociali coniunctae, quam citius removeantur. Pariter, in pluribus regionibus, attentis peculiaribus agriculturae difficultatibus sive in gignendis sive in vendendis bonis, adiuvandi sunt ruricolae cum ad productionem augendam et vendendam, tum ad necessarias evolutiones ac innovationes inducendas, tum ad aequum redditum consequendum, ne, ut saepius accidit, in conditione civium inferioris ordinis maneant. Ipsi autem agricolae, praesertim iuvenes, sese sollerter applicent ad suam peritiam professionalem perficiendam, sine qua progressio agriculturae dari nequit.[5]

Iustitia et aequitas item requirunt ut mobilitas, quae in progredientibus rebus oeconomicis necessaria est, ita ordinetur, ne vita hominum singulorum eorumque familiarum incerta et praecaria fit. Erga opifices vero, qui ex alia natione vel regione oriundi, ad promotionem oeconomicam populi vel provinciae labore suo conferunt, quaevis discriminatio quoad condiciones remunerationis vel laboris sedulo vitanda est. Insuper universi, imprimis publicae potestates, illos non simpliciter veluti mera productionis instrumenta sed ut

personas habere debent, eosque adiuvare ut familiam suam apud se arcessere et decentem habitationem sibi providere possint, atque eorum insertioni in vitam socialem populi vel regionis recipientis favere. Attamen, quantum fieri potest, in propriis regionibus fontes laboris creentur.

In rebus oeconomicis hodie mutationi obnoxiis uti in novis societatis industrialis formis in quibus e. g. automatio progreditur, curandum est ut labor sufficiens et unicuique conveniens simul ac possibilitas congruae formationis technicae et professionalis praebeatur, et in tuto collocentur victus atque dignitas humana eorum praesertim qui ob morbum vel aetatem gravioribus laborant difficultatibus.

Sectio 2: *De quibusdam principiis totam vitam oeconomicam-socialem regentibus.*

67. (*De labore eiusque condicionibus atque de otio*). Labor humanus, qui in bonis gignendis ac commutandis vel in servitiis oeconomicis suppeditandis exercetur, ceteris elementis vitae oeconomicae praestat, quippe quae tantum rationem instrumentorum habeant.

Hic enim labor, sive proprio marte assumatur sive ab alio conducatur, a persona immediate procedit, quae res naturae quasi suo sigillo signat easque suae voluntati submittit. Labore suo, homo ordinarie suam suorumque vitam sustentat, cum fratribus suis coniungitur eisque inservit, germanam caritatem exercere potest atque creationi divinae perficiendae sociam operam praebere. Immo, per laborem Deo oblatum, tenemus hominem ipsi redemptionis operi Iesu Christi consociari, qui praecellentem labori detulit dignitatem, cum in Nazareth propriis manibus operaretur. Exinde oritur pro unoquoque officium fideliter laborandi atque etiam ius ad laborem; societatis vero est, iuxta adiuncta in ea vigentia, pro sua parte cives adiuvare ut sufficientis laboris occasionem invenire possint. Denique ita remunerandus est labor ut homini facultates praebeantur suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem spiritualemque digne excolendi, spectatis uniuscuiusque munere et productivitate necnon officinae conditionibus et bono communi.[6]

Cum navitas oeconomica plerumque consociato hominum labore fiat, iniquum et inhumanum est illam ita componere et ordinare ut quibusvis laborantibus detrimento sit. Saepius autem accidit, etiam nostris diebus, ut opus facientes quodammodo in servitutem proprii operis redigantur. Quod sic dictis legibus oeconomicis nequaquam iustificatur. Universus igitur fructuosi laboris processus necessitatibus personae eiusque vitae vivendi rationibus accommodandus est; imprimis eius vitae domesticae, praesertim quod ad matres familiae spectat, respectu semper habito et sexus et aetatis. Laborantibus praebeatur insuper facultas proprias qualitates personamque suam in ipso laboris exercitio explicandi. Huic exercitio tempus viresque suas debita cum responsabilitate applicantes, tamen ad vitam familiarem, culturalem, socialem et religiosam colendam etiam sufficiente quiete et otio omnes gau-

deant. Immo opportunitatem habeant vires ac potentias libere evolvendi, quas fortasse in labore professionali parum excolere valent.

68. (*De participatione in inceptis et in universa rei oeconomicae dispositione, et de conflictibus in labore*). In inceptis oeconomicis personae consociantur, hominis scilicet liberi et sui iuris, ad imaginem Dei creati. Ideo, attentis muneribus uniuscuiusque, sive proprietariorum, sive conductorum operis, sive dirigentium, sive operariorum, atque salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur, modis apte determinandis, omnium actuosa participatio in inceptorum curatione.[7] Cum autem saepius non iam in ipso incepto, sed altius a superioris ordinis institutis de oeconomicis et socialibus condicionibus decernatur, e quibus sors futura laborantium eorumque liberorum pendet, etiam in his statuendis partem habeant, et quidem per seipsos vel per delegatos libere electos.

Inter fundamentalia personae humanae iura adnumerandum est ius pro laborantibus consociationes libere condendi, quae eos vere repraesentare et ad vitam oeconomicam recto ordine disponendam conferre possint, necnon ius earum navitatem sine ultionis periculo libere participandi. Per huiusmodi ordinatam participationem, cum progrediente formatione oeconomica et sociali iunctam, in dies augebitur apud omnes proprii muneris onerisque conscientia, qua ipsi eo adducantur ut, secundum capacitates aptitudinesque sibi proprias, totius operis progressionis oeconomicae et socialis necnon universi boni communis procurandi socios se sentiant.

Cum vero conflictus oeconomici-sociales oriuntur, ut ad pacificam eorum solutionem deveniatur enitendum est. Licet autem semper praeprimis ad sincerum inter partes colloquium sit recurrendum, operistitium tamen, et in hodiernis adiunctis, ad propria iura defendenda et ad iusta laborantium quaesita implenda, adiumentum necessarium, etsi ultimum, manere potest. Quamprimum vero viae ad negotiationem et conciliationis colloquium resumendum quaerantur.

69. (*De bonorum terrestrium ad universos homines destinatione*). Deus terram cum omnibus quae in ea continentur in usum universorum hominum et populorum destinavit, ita ut bona creata aequa ratione ad omnes affluere debeant, iustitia duce, caritate comite.[8] Quaecumque formae proprietatis sint, legitimis institutis populorum accommodatae, secundum diversa atque mutabilia adiuncta, ad hanc bonorum universalem destinationem semper attendendum est. Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas legitime possidet non tantum tamquam sibi proprias, sed etiam tamquam communes habere debet, eo sensu ut non sibi tantum sed etiam aliis prodesse queant.[9] Ceterum, ius habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem omnibus competit. Ita Patres Doctoresque Ecclesiae senserunt, docentes ad pauperes sublevandos homines obligari, et quidem, non tantum ex superfluis.[10] Qui autem in extrema necessitate degit, ius habet ut ex aliorum divitiis necessaria sibi procuret.[11] Cum tot sint in mundo fame oppressi, Sacrum Concilium omnes sive singulos sive auctoritates urget ut, illius sen-

tentiae Patrum memores: Pasce fame morientem, quia si non pavisti occidisti,[12] pro uniuscuiusque facultate, bona sua revera communicent et impendant, praesertim illos, sive singulos sive populos, auxiliis muniendo, quibus ipsi sese adiuvare atque evolvere possint.

In societatibus oeconomice minus progressis non raro destinationi communi bonorum ex parte per consuetudines et traditiones communitati proprias satis fit, quibus unicuique membro bona prorsus necessaria praebentur. Vitandum tamen est ne consuetudines quaedam ut omnino immutabiles habeantur, si novis exigentiis huius temporis non iam respondeant; altera vero parte, ne contra honestas consuetudines imprudenter agatur quae, dummodo hodiernis adiunctis apte accommodentur, perutiles esse non desinunt. Similiter in nationibus oeconomice valde progressis, corpus quoddam socialium institutionum, ad cautionem et securitatem spectantium, communem bonorum destinationem pro sua parte ad actum adducere potest. Ulterius promovenda sunt servitia familialia et socialia, praesertim quae animi cultui atque educationi consulunt. In his omnibus instituendis, invigilandum tamen est ne cives ad quamdam erga societatem inertiam inducantur neve suscepti officii onus reiiciant et servitium repudient.

70. (*De bonorum collocationibus et de re nummaria*). Bonorum collocationes, ex sua parte, tendere debent ad occasiones laboris redditusque sufficientes tam populo hodierno quam futuro procurandos. Quicumque de his collocationibus et vitae oeconomicae ordinatione decernunt — sive singuli, sive coetus, sive auctoritates publicae —, hos fines prae oculis habere tenentur, atque gravem suam obligationem agnoscere ex una parte invigilandi, ut necessariis ad vitam decentem requisitis, sive singulorum sive totius communitatis, provideatur, ex altera parte futura praevidendi et iustum aequilibrium constituendi inter necessitates hodiernae consumptionis, sive individualis sive collectivae, et exigentias collocandi bona pro generatione ventura. Semper etiam prae oculis habeantur urgentes nationum vel regionum oeconomice minus progressarum necessitates. In re autem monetaria caveatur ne propriae nationis necnon aliarum nationum bono offendatur. Provideatur insuper ne oeconomice debiles ex valoris pecuniae immutatione iniuste detrimentum patiantur.

71. (*De accessione ad proprietatem et dominium privatum bonorum; et de latifundiis*). Cum proprietas ac aliae in bona exteriora dominii privati formae ad expressionem personae conferant, cum insuper occasionem ei praebeant suum munus in societate et oeconomia exercendi, valde interest ut, sive singulorum, sive communitatum, ad quoddam bonorum exteriorum dominium accessio foveatur.

Proprietas privata aut dominium quoddam in bona exteriora spatium plane necessarium ad personalem et familiarem autonomiam unicuique conferunt, et velut libertatis humanae extensio considerari debent. Demum, quia ad munus onusque exercendum stimulos addunt, condicionem quamdam libertatum civilium constituunt.[13]

Formae talis dominii vel proprietatis sunt hodie diversae et in dies adhuc magis diversificantur. Omnes autem, non obstantibus fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis, causa non parvipendenda securitatis manent. Quod non tantum de proprietatibus materialibus dicendum est, sed etiam de immaterialibus bonis, uti sunt capacitates professionales.

Ius autem privati dominii illi iuri non obstant quod variis formis proprietatum publicarum inest. Translatio quidem bonorum in publicam proprietatem non nisi a competenti auctoritate, iuxta boni communis exigentias et intra eius limites, aequa compensatione oblata, fieri potest. Praeterea, ad publicam auctoritatem pertinet praecavere ne quis privata proprietate contra bonum commune abutatur.[14]

Ipsa autem proprietas privata et indolem socialem natura sua habet, quae in communis destinationis bonorum lege fundatur.[15] Qua sociali indole neglecta, proprietas multoties occasio cupiditatum et gravium perturbationum fieri accidit, ita ut ad ipsum ius in discrimen vocandum impugnatoribus praetextus detur.

In pluribus regionibus oeconomice minus progressis, magni vel etiam latissimi rustici fundi existunt, mediocriter exculti vel lucri causa sine ulla cultura manentes, dum maior pars populi vel terris caret vel minimis tantum agris gaudet, atque, ex altera parte, incrementum fructificationis agrorum evidenter urgens apparet. Non raro ii qui a dominis ad laborem conducuntur, vel qui partem illorum titulo locationis colunt, nonnisi stipendium vel proventum homine indignum recipiunt, decenti habitatione privantur, necnon a mediatoribus exspoliantur. Omni securitate carentes, sub tali personali famulatu vivunt, ut fere omnis facultas sponte et cum responsabilitate agendi eis tollatur, omnisque promotio in cultu humano et omnis pars in vita sociali et politica illis prohibeantur. Pro variis igitur casibus reformationes necessariae sunt: ut crescant redditus, emendentur condiciones laboris, augeatur securitas in conductione, deturque incitamentum ad sponte operandum; immo ut distribuantur fundi non satis exculti iis qui easdem terras fructuosas reddere valeant. Quo in casu suppeditanda sunt res et media necessaria, praesertim educationis subsidia et iustae ordinationis cooperativae facultates. Quoties autem proprietatis ademptionem bonum commune exegerit, compensatio ex aequitate, omnibus adiunctis perpensis, aestimanda est.

72. (*De navitate oeconomica-sociali et de Regno Christi*). Christiani qui activas partes in hodierna progressione oeconomica-sociali agunt et iustitiam caritatemque propugnant, persuasum sibi habeant se multum ad humanitatis prosperitatem et mundi pacem conferre posse. In his activitatibus, sive singuli sive consociati exemplo fulgeant. Acquisitis quidem peritia experientiaque omnino necessariis, inter terrestres navitates rectum ordinem servent, in fidelitate erga Christum Eiusque Evangelium, ita ut integra eorum vita, tam individualis quam socialis, spiritu Beatitudinum, notabiliter paupertatis, imbuatur.

Quicumque Christo obediens, primum quaerit Regnum Dei, inde validiorem ac puriorem amorem suscipit, ad omnes fratres suos adiuvandos et ad opus iustitiae, inspirante caritate, perficiendum.[16]

NOTAE

Ad n. 63.

[1] Cf. PIUS XII, *Nuntius* 23 martii 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 273; IOANNES XXIII, *Allocutio* ad A.C.L.I., 1 maii 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 358.

Ad n. 64.

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 190 ss.; PIUS XII, *Nuntius* 23 martii 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 276 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 450; CONC. VAT. II, Decretum *Inter mirifica*, c. I, n. 6: *A.A.S.*, 56 (1964), p. 147.

[3] Cf. *Mt.* 16, 26; *Lc.* 16, 1-31; *Col.* 3, 17.

Ad n. 65.

[4] Cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Libertas praestantissimum*, 20 iunii 1888: *A.S.S.*, 20 (1887-1880), p. 597; PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 191 ss.; ID., *Divini Redemptoris*: *A.A.S.*, 39 (1937), p. 65 ss.; PIUS XII, *Nuntius natalicius* 1941: *A.A.S.*, 34 (1942), p. 10 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 401-464.

Ad n. 66.

[5] Quoad problema agriculturae cf. praesertim IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 341 ss.

Ad n. 67.

[6] Cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum*: *A.S.S.*, 23 (1890-91), p. 649, p. 662; PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), pp. 200-201; ID., Litt. Enc. *Divini Redemptoris*: *A.A.S.*, 29 (1937), p. 92; PIUS XII, *Nuntius* radiophonicus in pervigilio Natalis Domini 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 20; ID., *Allocutio* 13 iunii 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 172; ID., *Nuntius* radiophonicus operariis Hispaniae datus, 11 martii 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 215; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 419.

Ad n. 68.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 408, 424, 427; verbum autem « curatione » desumptum est ex textu latino Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.*, 23 (1931), p. 199. Sub aspectu evolutionis quaestionis cf. etiam: PIUS XII, *Allocutio* 3 iunii 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), pp. 485-488; PAULUS VI, *Allocutio* 8 iunii 1964: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 574-579.

Ad n. 69.

[8] Cf. PIUS XII, Enc. *Sertum laetitiae*: *A.A.S.*, 31 (1939), p. 642; IOANNES XXIII, *Allocutio* concistorialis: *A.A.S.*, 52 (1960), pp. 5-11; ID., Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 411.

[9] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 32, a. 5 ad 2; *ibid.,* q. 66, a. 2: cf. explicationem in LEO XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-91), p. 651; cf. etiam PIUS XII, *Allocutio* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 199; ID., *Nuntius* radiophonicus natalicius 1954: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 27.

[10] Cf. S. BASILIUS, *Hom. in illud Lucae « Destruam horrea mea »,* n. 2 (*PG* 31, 263); LACTANTIUS, *Divinarum Institutionum,* lib. V, de iustitia (*PL* 6, 565 B); S. AUGUSTINUS, *In Ioann. Ev. tr.* 50, n. 6 (*PL* 35, 1760); ID., *Enarratio in Ps.* CXLVII, 12 (*PL* 37, 192); S. GREGORIUS M., *Homiliae in Ev.,* hom. 20 (*PL* 76, 1165); ID., *Regulae Pastoralis liber,* pars III, c. 21 (*PL* 77, 87); S. BONAVENTURA, *In III Sent.* d. 33, dub. 1 (ed. Quaracchi III, 728); ID., *In IV Sent.* d. 15, p. II, a. 2, q. 1 (ed. cit. IV, 371 b); q. *de superfluo* (ms. *Assisi, Bibl. comun.* 186, ff. 112ª-113ª); S. ALBERTUS M., *In III Sent.* d. 33, a. 3, sol. 1 (ed. Borgnet XXVIII, 611); ID., *In IV Sent.* d. 15, a. 16 (ed. cit. XXIX, 494-497). Quod autem ad determinationem superflui nostris temporibus cf. IOANNES XXIII, *Nuntius* radiotelevisificus 11 sept. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 682: « Dovere di ogni uomo, dovere impellente del cristiano è di considerare il superfluo con la misura delle necessità altrui, e di ben vigilare perché l'amministrazione e la distribuzione dei beni creati venga posta a vantaggio di tutti ».

[11] Valet in illo casu antiquum principium: « in extrema necessitate omnia sunt communia, id est communicanda ». Alia ex parte pro ratione, extensione et modo quo applicatur principium in textu proposito, praeter modernos probatos auctores: cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 66, a. 7. Ut patet, pro recta applicatione principii, omnes condiciones moraliter requisitae servandae sunt.

[12] Cf. GRATIANI *Decretum,* C. 21, dist. LXXXVI (ed. Friedberg I, 302). Istud dictum invenitur iam in *PL* 54, 491 A (cf. *Antonianum* 27 [1952], 349-366).

Ad n. 71.

[13] Cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-91), pp. 643-646; PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 191; PIUS XII, *Nuntius* radiophonicus 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 199; ID., *Nuntius* radiophonicus in pervigilio Natalis Domini 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 17; ID., *Nuntius* radiophonicus 1 sept. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), p. 253; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 428-429.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 214; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 429.

[15] Cf. PIUS XII, *Nuntius* Radiophonicus Pent. 1941: *A.A.S.,* 44 (1941), p. 199; IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 430.

Ad n. 72.

[16] Pro recto usu bonorum iuxta doctrinam Novi Testamenti cf. *Lc.* 3, 11; 10, 30 ss.; 11, 41; *1 Pt.* 5, 3; *Mc.* 8, 36; 12, 29-31; *Iac.* 5, 1-6; *1 Tim.* 6, 8; *Eph.* 4, 28; *2 Cor.* 8, 13 ss.; *1 Io.* 3, 17 ss.

CAPUT IV
DE VITA COMMUNITATIS POLITICAE

73. (*De hodierna vita publica*). Nostris temporibus profundae advertuntur transformationes etiam in compage et institutionibus populorum, quae ipsorum evolutionem culturalem, oeconomicam ac socialem consequuntur; quae transformationes magnum influxum in communitatis politicae vitam exercent, praesertim quod attinet ad omnium iura et officia in libertatis civilis exercitio ac in bono communi attingendo et ad civium relationes inter se et cum publica auctoritate ordinandas.

Ex vividiore humanae dignitatis conscientia exoritur, in variis mundi regionibus, studium ordinem politicum-iuridicum instaurandi, in quo personae iura in vita publica melius protegantur, ut sunt iura libere sese coadunandi, consociandi, proprias opiniones exprimendi ac religionem privatim publiceque profitendi. Tutamen enim personae iurium condicio necessaria est ut cives, sive singuli sive consociati, in rei publicae vita et moderamine actuose participare possint.

Una cum progressu culturali, oeconomico ac sociali apud plures roboratur desiderium assumendi maiorem partem in communitatis politicae vita ordinanda. In multorum conscientia studium augetur ut iura minorum alicuius nationis partium serventur, earum officiis erga communitatem politicam non neglectis; insuper reverentia in dies increscit erga homines aliam opinionem vel aliam religionem profitentes; simul latior instituitur cooperatio, ut omnes cives, et non tantum quidam privilegiis ornati, iuribus personalibus reapse frui possint.

Reprobantur autem quaecumque formae politicae, in aliquibus regionibus vigentes, quae libertatem civilem vel religiosam praepediunt, victimas cupiditatum et criminum politicorum multiplicant ac exercitium auctoritatis a bono communi ad commodum cuiusdam factionis vel ipsorum moderatorum detorquent.

Ad vitam politicam vere humanam instaurandam nihil melius est quam interiorem iustitiae et benevolentiae ac servitii boni communis sensum fovere atque persuasiones fundamentales circa veram indolem communitatis politicae necnon circa finem, rectum exercitium et limites publicae auctoritatis corroborare.

74. (*De communitatis politicae natura et fine*). Homines, familiae et varii coetus, qui communitatem civilem constituunt, propriae insufficientiae ad vitam plene humanam instituendam conscii sunt et necessitatem amplioris communitatis percipiunt, in qua omnes, ad commune bonum semper melius procurandum, cotidie proprias vires conferant.[1] Quapropter communitatem politicam secundum varias formas constituunt. Communitas ergo politica

propter illud commune bonum exsistit, in quo suam plenam iustificationem et sensum obtinet, et ex quo ius suum primigenum et proprium depromit. Bonum vero commune summam complectitur earum vitae socialis condicionum, quibus homines, familiae et consociationes, suam ipsorum perfectionem plenius atque expeditius consequi possint.[2]

Multi autem et diversi sunt homines, qui in communitatem politicam conveniunt et legitime in diversa consilia declinare possunt. Ne igitur, unoquoque in suam sententiam abeunte, communitas politica distrahatur, auctoritas requiritur, quae omnium civium vires in bonum commune dirigat, non mechanice nec despotice, sed imprimis ut vis moralis, quae libertate et suscepti officii onerisque conscientia nititur.

Patet ergo communitatem politicam et auctoritatem publicam in natura humana fundari ideoque ad ordinem a Deo praefinitum pertinere, regiminis tamen determinatio et moderatorum designatio liberae civium voluntati relinquantur.[3]

Sequitur item auctoritatis politicae exercitium, sive in communitate ut tali, sive in institutis rem publicam repraesentantibus, semper intra fines ordinis moralis ad effectum deducendum esse, ad commune bonum — et quidem dynamice conceptum — procurandum, secundum ordinem iuridicum legitime statutum vel statuendum. Tunc cives ad obedientiam praestandam ex conscientia obligantur.[4] Exinde vero patet responsabilitas, dignitas et momentum eorum, qui praesunt.

Ubi autem a publica auctoritate, suam competentiam excedente, cives premuntur, ipsi, quae a bono communi obiective postulantur, ne recusent; fas vero sit eis contra abusum huius auctoritatis sua conciviumque suorum iura defendere, illis servatis limitibus, quos lex naturalis et evangelica delineat.

Modi vero concreti, quibus communitas politica propriam compagem et publicae auctoritatis temperationem ordinat, varii esse possunt secundum diversam populorum indolem et historiae progressum; semper autem ad hominem excultum, pacificum et erga omnes beneficum efformandum inservire debent, ad totius familiae humanae emolumentum.

75. (*De omnium in vita publica cooperatione*). Cum humana natura plene congruit ut structurae politicae-iuridicae inveniantur, quae omnibus civibus semper melius ac sine ulla discriminatione possibilitatem effectivam praebeant libere et actuose participandi tum in fundamentis iuridicis communitatis politicae statuendis, tum in rei publicae moderamine et in variorum institutorum campis et finibus determinandis, tum in moderatorum electione.[5] Memores ergo omnes cives sint iuris simul et officii suo libero suffragio utendi ad bonum commune promovendum. Ecclesia laude et consideratione dignum opus illorum habet, qui in hominum servitium rei publicae bono se devovent et huius officii onera suscipiunt.

Ut civium cooperatio, cum officii conscientia coniuncta, in cotidiana publicae rei vita effectum suum felicem attingat, requiritur positivus ordo iuris, in quo conveniens divisio munerum et institutorum auctoritatis publicae

atque simul efficax tuitio iurium, neminique obnoxia, instaurentur. Omnium personarum, familiarum ac coetuum iura eorumque exercitium agnoscantur, serventur et promoveantur,[6] simul cum officiis, quibus cuncti cives obstringuntur. Inter quae officium meminisse oportet rei publicae materialia et personalia servitia praestandi, quae ad bonum commune requiruntur. Caveant moderatores ne coetus familiales, sociales aut culturales, corpora aut instituta intermedia, impediant, neve ea sua legitima et efficaci actione privent, quam potius libenter et ordinatim promovere satagant. Cives vero, sive singuli sive consociati, caveant ne nimiam potestatem publicae auctoritati tribuant, neve nimia commoda et utilitates ab ipsa inopportune postulent, ita ut personarum, familiarum necnon coetuum socialium officii onus imminuant.

Ab implicatioribus nostrae aetatis adiunctis publica auctoritas saepius in res sociales et oeconomicas atque culturales se interponere cogitur ad aptiores inducendas condiciones, quibus cives ac coetus ad integrum humanum bonum libere prosequendum efficacius iuventur. Secundum autem diversas regiones et populorum evolutionem diverso modo intellegi possunt relationes inter socializationem [7] et personae autonomiam ac progressum. Sed ubi exercitium iurium propter bonum commune ad tempus restringitur, libertas, circumstantiis mutatis, quam primum restituatur. At inhumanum est quod auctoritas politica incidat in formas totalitarias vel in formas dictatorias quae iura personae vel socialium coetuum laedant.

Cives pietatem erga patriam magnanimiter et fideliter excolant, sine tamen mentis angustia, ita scilicet ut ad bonum totius familiae humanae, quae variis nexibus inter stirpes, gentes ac nationes coniungitur, semper simul animum intendant.

Christifideles omnes in communitate politica specialem et propriam vocationem sentiant, qua exemplo praefulgere debent quatenus officii conscientia sunt adstricti et communi bono excolendo inserviunt, ita ut factis quoque commonstrent quomodo auctoritas cum libertate, inceptio personalis cum totius corporis socialis coniunctione ac necessitudine, unitas opportuna cum proficua diversitate componantur. Circa rem temporalem ordinandam legitimas, at inter se discrepantes, opiniones agnoscant, civesque, etiam consociatos, qui eas honeste defendunt, revereantur. Partes autem politicae ea promovere debent, quae earum iudicio ad bonum commune requiruntur; numquam vero propriam utilitatem communi bono praeponere licet.

Educatio vero civilis et politica, hodie tum populo tum praesertim iuvenibus maxime necessaria, sedulo curanda est, ut omnes cives in communitatis politicae vita partes suas agere valeant. Qui idonei sunt aut fieri possunt ad artem politicam, difficilem simul et nobilissimam,[8] sese praeparent et eam, proprii commodi et venalis beneficii immemores, exercere satagant. Contra iniuriam et oppressionem, unius hominis vel partis politicae arbitrarium dominatum et intolerantiam, integritate morum ac prudentia agant; sinceritate autem et aequitate, immo caritate et fortitudine politica, bono omnium se devoveant.

76. (*Communitas politica et Ecclesia*). Magni momenti est, praesertim ubi societas pluralistica viget, ut rectus respectus relationis inter communitatem politicam et Ecclesiam habeatur, utque inter ea, quae christifideles, sive singuli sive consociati, suo nomine tamquam cives, christiana conscientia ducti, et ea, quae nomine Ecclesiae una cum pastoribus suis agunt, clare distinguatur.

Ecclesia, quae, ratione sui muneris et competentiae, nullo modo cum communitate politica confunditur, neque ad ullum systema politicum alligatur, simul signum est et tutamentum transcendentiae humanae personae.

Communitas politica et Ecclesia in proprio campo ab invicem sunt independentes et autonomae. Ambae autem, licet diverso titulo, eorumdem hominum vocationi personali et sociali inserviunt. Quod servitium eo efficacius in omnium bonum exercebunt, quo ambae melius sanam cooperationem inter se colunt, attentis quoque locorum temporumque adiunctis. Homo enim ad solum ordinem temporalem non coarctatur, sed in historia humana vivens, aeternam suam vocationem integre servat. Ecclesia vero, in Redemptoris amore fundata, ad hoc confert ut intra nationis terminos et inter nationes iustitia et caritas latius vigeant. Evangelicam veritatem praedicando atque omnes navitatis humanae provincias, per suam doctrinam et testimonium a christifidelibus exhibitum, illuminando, etiam politicam civium libertatem et responsabilitatem reveretur atque promovet.

Apostoli ipsorumque successores et horum cooperatores, cum mittantur ut hominibus Christum mundi Salvatorem annuntient, in suo apostolatu exercendo Dei potentia innituntur, qui persaepe in testium infirmitate virtutem Evangelii manifestat. Quicumque enim Dei verbi ministerio se devovent, utantur oportet viis et subsidiis Evangelio propriis, quae in pluribus a terrenae civitatis subsidiis differunt.

Res quidem terrenae et ea, quae in hominum condicione hunc mundum exsuperant, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia rebus temporalibus utitur quantum propria eius missio id postulat. Spem vero suam in privilegiis ab auctoritate civili oblatis non reponit; immo quorundam iurium legitime acquisitorum exercitio renuntiabit, ubi constiterit eorum usu sinceritatem sui testimonii vocari in dubium aut novas vitae condiciones aliam exigere ordinationem. Semper autem et ubique ei fas sit cum vera libertate fidem praedicare, suam doctrinam de societate docere, munus suum inter homines expedite exercere necnon iudicium morale ferre, etiam de rebus quae ordinem politicum respiciunt, quando personae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant, omnia et sola subsidia adhibendo, quae Evangelio et omnium bono secundum temporum et condicionum diversitatem congruant.

Fideliter Evangelio adhaerens et suam missionem in mundo exercens, Ecclesia, cuius est, quidquid verum, bonum et pulchrum in communitate humana invenitur, fovere ac elevare,[9] pacem inter homines ad Dei gloriam roborat.[10]

NOTAE

Ad n. 74.

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 417.

[2] Cf. ID., *ibid.*

[3] Cf. *Rom.* 13, 1-5.

[4] Cf. *Rom.* 13, 5.

Ad n. 75.

[5] Cf. PIUS XII, *Nuntius radioph.*, 24 dec. 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), pp. 9-24; 24 dec. 1944: *A.A.S.*, 37 (1945), pp. 11-17; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 263, 271, 277 et 278.

[6] Cf. PIUS XII, *Nuntius radioph.*, 1 iun. 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 200; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *l. c.*, pp. 273 et 274.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 415-418.

[8] PIUS XI, *Alloc.* « Ai dirigenti della Federazione Universitaria Cattolica »: *Discorsi di Pio XI* (ed. Bertetto), Torino, vol. 1 (1960), p. 743.

Ad n. 76.

[9] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 13: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 17.

[10] Cf. *Lc.* 2, 14.

CAPUT V

DE PACE FOVENDA ET DE COMMUNITATE PROMOVENDA

77. (*Introductio*). Hisce nostris annis, quibus aerumnae et angustiae ex grassante vel impendente bello profluentes adhuc gravissimae inter homines perdurant, universa familia humana ad horam summi discriminis in suae maturitatis processu pervenit. In unum paulatim congregata atque ubivis suae unitatis melius iam conscia, opus quod ei incumbit, mundum scilicet pro omnibus hominibus ubique terrarum vere humaniorem aedificandi, peragere nequit nisi cuncti ad veritatem pacis renovato animo convertantur. Hinc fit ut evangelicum nuntium, cum altioribus generis humani studiis atque optatis congruens, nostris temporibus nova claritate elucescat dum pacis artifices beatos proclamat, « quoniam filii Dei vocabuntur » (*Mt.* 5, 9).

Ideo Concilium veram et nobilissimam pacis rationem illustrans, belli immanitate damnata, christianos ferventer evocare intendit ut, auxiliante Christo auctore pacis, cum omnibus hominibus ad pacem in iustitia et amore inter eos firmandam et ad instrumenta pacis apparanda cooperentur.

78. (*De natura pacis*). Pax non est mera absentia belli, neque ad solum adversarum virium aequilibrium stabiliendum reducitur neque ex imperioso dominatu oritur, sed recte proprieque dicitur « opus iustitiae » (*Is.* 32, 7).

Fructus exsistit ordinis humanae societati a divino suo Fundatore insiti et ab hominibus perfectiorem semper iustitiam sitientibus in actum deducendi. Cum enim generis humani bonum commune primaria quidem sua ratione lege aeterna regatur, sed quoad id quod concrete exigit, progrediente tempore incessantibus mutationibus subiciatur, numquam pax pro semper acquisita est, sed perpetuo aedificanda. Cum insuper labilis sit humana voluntas necnon peccato sauciata, procuratio pacis constantem uniuscuiusque exposcit passionum dominationem et legitimae auctoritatis invigilantiam.

Hoc tamen non sufficit. Pax haec in terris obtineri non potest nisi bonum personarum in tuto collocetur et homines cum fiducia divitias sui animi atque ingenii inter se sponte communicent. Firma voluntas alios homines et populos eorumque dignitatem reverendi studiosumque fraternitatis exercitium ad pacem construendam omnino necessaria sunt. Ita pax fructus etiam amoris exsistit, qui ultra ea progreditur quae iustitia praestare valet.

Pax autem terrena, quae ex dilectione proximi oritur, figura et effectus est pacis Christi, a Deo Patre promanantis. Ipse enim Filius incarnatus, princeps pacis, per crucem suam omnes homines Deo reconciliavit ac, restituens omnium unitatem in uno populo et uno corpore, in propria sua carne occidit odium [1] et, resurrectione exaltatus, Spiritum caritatis in corda hominum diffudit.

Quapropter omnes christiani enixe evocantur ut, « veritatem facientes in caritate » (*Eph.* 4, 15) cum hominibus vere pacificis sese uniant ad pacem implorandam et instaurandam.

Eodem spiritu moti, non possumus non laudare eos, qui in iuribus vindicandis actioni violentae renuntiantes, ad media defensionis recurrunt quae ceteroquin etiam debilioribus praesto sunt, dummodo hoc sine laesione iurium et obligationum aliorum vel communitatis fieri possit.

Quatenus homines peccatores sunt, eis imminet periculum belli, et usque ad adventum Christi imminebit; quatenus autem, caritate coniuncti, peccatum superant, superantur et violentiae, donec impleatur verbum: « Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium » (*Is.* 2, 4).

Sectio 1: *De bello vitando*

79. (*De bellorum immanitate refrenanda*). Quamvis recentia bella nostro mundo gravissima damna tum materialia tum moralia intulerint, adhuc cotidie in aliqua terrarum parte bellum suas vastationes persequitur. Immo, dum arma scientifica cuiuslibet generis in bello adhibentur, saeva eius indoles proeliantes ad barbariem adducere minatur quae illam anteactorum temporum longe superet. Porro condicionis hodiernae complexitas ac relationum inter nationes intricatio permittunt ut novis methodis, iisque insidiosis et subversivis, bella larvata protrahantur. In pluribus adiunctis usus methodorum terrorismi tamquam nova ratio bellandi habetur.

Deiectum istum humanitatis statum prae oculis habens, Concilium ante omnia in memoriam revocare intendit permanentem vim iuris naturalis gentium eiusque principiorum universalium. Ipsa generis humani conscientia haec principia firmiter magis magisque proclamat. Actiones ergo quae iisdem deliberate adversantur necnon iussa quibus tales actiones praescribuntur scelesta sunt, nec caeca obedientia illos qui iis parent excusare valet. Inter has actiones illae ante omnia recensendae sunt quibus, ratione quadam et methodo, universa gens, natio aut minoritas ethnica exterminantur. Quae tamquam crimina horrenda vehementer condemnandae sunt; maxime vero probandus est animus illorum qui talia praecipientibus aperte resistere non timescunt.

Exstant de rebus bellicis variae conventiones internationales quibus sat multae nationes subscripserunt, ut minus inhumanae efficiantur actiones militares earumque sequelae: huiusmodi sunt conventiones quae pertinent ad militum vulneratorum aut captivorum sortem, variaeque huius generis stipulationes. Quae pactiones servandae sunt; immo tenentur omnes, praesertim auctoritates publicae et de his rebus periti, quantum possunt conari ut illae perficiantur sicque melius et efficacius ad bellorum immanitatem refrenandam conducant. Insuper aequum videtur ut leges humaniter provideant pro casu illorum qui ex motivo conscientiae arma adhibere recusant, dum tamen aliam formam communitati hominum serviendi acceptant.

Utique bellum non est e rebus humanis eradicatum. Quamdiu autem periculum belli aderit, auctoritasque internationalis competens congruisque viribus munita defuerit, tamdiu, exhaustis quidem omnibus pacificae tractationis subsidiis, ius legitimae defensionis guberniis denegari non poterit. Civitatum rectoribus aliisque qui rei publicae responsabilitatem partcipant, incumbit igitur officium ut populorum sibi commissorum salutem tueantur, res tam graves graviter gerentes. At aliud est res militares gerere ut populi iuste defendantur, aliud alias nationes subiugare velle. Nec potentia bellica omnem eiusdem militarem vel politicum usum legitimum facit. Nec bello infeliciter iam exorto, eo ipso omnia inter partes adversas licita fiunt.

Qui vero, patriae servitio addicti, in exercitu versantur, et ipsi tamquam securitatis libertatisque populorum ministros sese habeant, et, dum hoc munere recte funguntur, vere ad pacem stabiliendam conferunt.

80. (*De bello totali*). Horror pravitasque belli scientificorum armorum incremento in immensum augentur. Bellicae enim actiones, hic armis adhibitis, ingentes indiscriminatasque inferre possunt destructiones quae proinde limites legitimae defensionis longe excedunt. Immo, si haec media, qualia iam in magnarum nationum armamentariis inveniuntur, penitus adhiberentur, ex eo internecio fere plena et omnino reciproca uniuscuiusque partis a parte adversa haberetur, praetermissis multis vastationibus in mundo oboriundis et exitialibus effectibus ex usu huiusmodi armorum consequentibus.

Quae omnia nos cogunt ut de bello examen mente omnino nova instituamus.[2] Sciant huius aetatis homines se de suis bellicis actionibus gravem ratio-

nem esse reddituros. Ab eorum enim hodiernis consiliis temporum futurorum decursus multum pendebit.

His attentis, haec Sacrosancta Synodus, suas faciens condemnationes belli totalis iam a recentibus Summis Pontificibus enuntiatas,[3] declarat:

Omnis actio bellica quae in urbium integrarum vel amplarum regionum cum earum incolis destructionem indiscriminatim tendit, est crimen contra Deum et ipsum hominem, quod firmiter et incunctanter damnandum est.

Singulare belli hodierni periculum in hoc consistit quod illis qui recentiora arma scientifica possident quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi et, connexione quadam inexorabili, hominum voluntates ad atrocissima consilia impellere potest. Ne vero hoc in futurum unquam eveniat, Episcopi totius orbis terrarum in unum congregati, omnes, nationum moderatores praesertim, necnon eos qui rei militari praesunt, obsecrant, ut tantam responsabilitatem coram Deo et coram universa humanitate incessanter perpendant.

81. (*De cursu ad arma apparanda*). Arma quidem scientifica non ad hoc unice accumulantur ut tempore belli adhibeantur. Cum enim firmitas uniuscuiusque partis defensionis a capacitate fulminea adversarium repercutiendi dependere aestimetur, haec armorum accumulatio, quae quotannis ingravescit, inconsueto quidem modo ad deterrendos adversarios forte insurgentes inservit. Quod a multis habetur tamquam omnium mediorum efficacissimum quibus nunc pax quaedam inter nationes in tuto poni possit.

Quidquid sit de illo dissuasionis modo, persuasum habeant homines cursum ad arma apparanda, ad quem sat multae nationes confugiunt, non securam esse viam ad pacem firmiter servandam, neque sic dictum aequilibrium ex illo manans certam ac veram esse pacem. Belli exinde causae quin eliminentur, potius paulatim aggravari minantur. Dum in arma semper nova apparanda perabundantes divitiae erogantur, tot miseriis hodiernis mundi universi remedium sufficiens praeberi non potest. Potius quam dissensiones inter nationes vere ac funditus sanentur, iisdem aliae mundi partes inficiuntur. Novae viae, ex reformato animo initium sumentes, eligendae erunt ut hoc scandalum removeatur et, mundo ab anxietate qua opprimitur liberato, vera pax restitui possit.

Quapropter denuo declarandum est: cursum ad arma apparanda gravissimam plagam humanitatis esse, ac pauperes intolerabiliter laedere. Valde autem timendum est ne, si perduret, aliquando omnes exitiales clades pariat, quarum media iam praeparat.

Calamitatibus commonefacti quas humanum genus possibiles effecit, moram, nobis desuper concessam, qua gaudemus, adhibeamus ut propriae responsabilitatis magis conscii, vias inveniamus quibus controversias nostras modo homine digniore componere possimus. Providentia divina a nobis instanter requirit ut nosmetipsos ab antiqua belli servitute liberemus. Quod si huiusmodi conamen facere renuerimus, quo ducamur in hac via mala quam ingressi sumus, nescimus.

82. (*De bello omnino interdicendo et actione internationali ad bellum vitandum*). Patet ergo nobis enitendum esse ut viribus omnibus tempora praeparemus quibus, consentientibus nationibus, bellum quodlibet omnino interdici possit. Quod sane requirit ut quaedam publica auctoritas universalis, ab omnibus agnita, instituatur, quae efficaci potestate polleat ut pro omnibus tum securitas, tum iustitiae observantia, tum iurium reverentia in tuto ponantur. Antequam vero haec optanda auctoritas institui possit, opus est ut hodierna suprema gremia internationalia studiis mediorum ad securitatem communem procurandam aptiorum acriter se dedicent. Cum pax e mutua gentium fiducia nasci oporteat potius quam armorum terrore nationibus imponi, omnibus adlaborandum est ut cursus ad arma apparanda finem tandem habeat; ut diminutio armorum re incipiat, non unilateraliter quidem sed pari passu ex condicto progrediens, veris efficacibusque cautionibus munita.[4]

Interea, non parvipendenda sunt conamina quae iam facta sunt et adhuc fiunt ut periculum belli amoveatur. Potius adiuvanda est bona voluntas permultorum qui, ingentibus suorum supremorum munerum curis onerati, gravissimo autem quo obstringuntur officio moti, bellum quod abhorrent eliminare satagunt, etiamsi a complexitate rerum quales sunt, praescindere non possunt. Deum autem enixe rogare oportet ut illis vim det perseveranter aggrediendi ac fortiter perficiendi hoc summi amoris hominum opus quo pax viriliter aedificatur. Quod hodie certissime ab eis exigit ut mentem et spiritum ultra fines propriae nationis extendant, egoismum nationalem atque ambitionem aliis nationibus dominandi deponant, profundamque reverentiam erga totam humanitatem nutriant, quae iam ad maiorem sui unitatem tam laboriose properat.

Circa pacis et armorum depositionis problemata perscrutationes iam strenue et indesinenter protractae, internationalesque congressus qui hac de re egerunt tamquam primi passus ad solvendas tantopere graves quaestiones consideranda sunt atque urgentiori modo ad obtinendos effectus practicos in futurum promovenda. Nihilominus caveant homines ne solummodo conatibus quorumdam se committant, quin de propriis mentibus curent. Nam populorum moderatores, qui boni communis propriae gentis sponsores sunt et simul boni universi orbis promotores, ex multitudinum opinionibus et animi sensibus quam maxime pendent. Nihil eis prodest ut paci aedificandae instent, quamdiu hostilitatis, contemptus et diffidentiae sensus, « racialia » odia necnon obstinatae ideologiae, homines dividunt atque inter se opponant. Hinc maxima necessitas urget renovatae mentium educationis novaeque in publica opinione inspirationis. Qui operi educationis se devovent, praesertim iuvenum, aut opinionem publicam efformant, tamquam gravissimum officium reputent curam mentes omnium ad novos pacificos sensus instituendi. Nos omnes quidem commutare corda nostra oportet, universum orbem et illa munera prospicientes quae nos, una simul, agere possumus ut genus nostrum ad meliora proficiat.

Nec falsa spes nos decipiat. Nisi enim, dimissis inimicitiis et odiis, firma honestaque pacta de pace universali in futuro concludantur, humanitas quae iam in gravi discrimine versatur, quamvis scientia mirabili praedita, forsan funeste ad illam horam adducetur in qua non aliam pacem quam horrendam mortis pacem experiatur. Attamen, dum haec profert, Ecclesia Christi, in media anxietate huius temporis constituta, firmissime sperare non cessat. Aetati nostrae iterum iterumque, opportune importune, nuntium apostolicum proponere intendit: « ecce nunc tempus acceptabile » ut mutentur corda, « ecce nunc dies salutis ».[5]

Sectio 2: *De communitate internationali aedificanda*

83. (*De causis discordiarum earumque remediis*). Ad pacem aedificandam ante omnia requiritur ut eradicentur causae discordiarum inter homines, quibus bella aluntur, praesertim iniustitiae. Non paucae earum ex nimiis inaequalitatibus oeconomicis proveniunt, necnon ex necessariis remediis retardatis. Aliae vero ex spiritu dominationis et personarum contemptu oriuntur et, si in causas profundiores inquirimus, ex humana invidia, diffidentia, superbia aliisque egoisticis passionibus. Cum tot ordinis defectus homo ferre non possit, ex iis consequitur ut, etiam bello non saeviente, mundus indesinenter contentionibus inter homines et violentiis inficiatur. Cum insuper eadem mala in relationibus inter ipsas nationes inveniantur, necessarium omnino est ut, ad illa vincenda vel praevenienda, et ad effrenatas violentias coercendas, melius et firmius cooperentur et coordinentur institutiones internationales necnon indefesse stimuletur creatio organismorum qui pacem promoveant.

84. (*De communitate gentium et de institutionibus internationalibus*). Ut, crescentibus hoc tempore arctis mutuae necessitudinis nexibus inter omnes cives et omnes populos orbis terrarum, bonum commune universale apte quaeratur et efficacius obtineatur, iam necesse est communitatem gentium sibi constituere ordinem qui cum hodiernis muneribus congruat, praesertim relate ad illas numerosas regiones quae intolerabilem egestatem adhuc patiuntur.

Ad hos fines assequendos, institutiones communitatis internationalis variis hominum necessitatibus pro sua parte providere debent, tam in vitae socialis campis ad quos pertinent victus, sanitas, educatio, labor, quam in nonnullis condicionibus particularibus quae alicubi oriri possunt, ut sunt necessitas generalis nationum progredientium incremento fovendi, aerumnis profugorum per universum mundum dispersorum occurrendi, vel etiam migrantes eorumque familias adiuvandi.

Institutiones internationales, universales vel regionales, quae iam exsistunt certe de genere humano bene merentur. Eaedem tamquam primi conatus apparent fundamenta internationalia totius communitatis humanae ponendi

ut gravissimae nostrorum temporum quaestiones solvantur, et quidem ad progressum ubique terrarum promovendum et ad bella in quacumque forma praecavenda. In omnibus istis campis gaudet Ecclesia de spiritu verae fraternitatis inter christianos et non christianos florentis qui enititur ut conamina semper intensiora fiant ad ingentem miseriam sublevandam.

85. (*De cooperatione internationali in campo oeconomico*). Hodierna generis humani coniunctio etiam instaurationem maioris cooperationis internationalis in campo oeconomico expostulat. Etenim, etsi omnes fere populi sui iuris facti sunt, longe tamen abest ut a nimiis inaequalitatibus et ab omni indebitae dependentiae forma iam liberi sint omneque gravium difficultatum internarum periculum effugiant.

Incrementum alicuius nationis ex adiumentis humanis et pecuniariis pendet. Cives uniuscuiusque nationis per educationem et formationem professionalem ad varia munera vitae oeconomicae et socialis obeunda praeparandi sunt. Ad hoc autem requiritur auxilium peritorum alienigenarum qui, dum opem ferunt, non ut dominatores se gerant sed ut adiutores et cooperatores. Auxilium materiale nationibus progredientibus non procurabitur, nisi consuetudines hodierni commercii in mundo profunde mutentur. Alia insuper auxilia a nationibus progressis praestanda sunt sub forma sive donorum sive mutuorum sive pecuniarum collocationum; quae praestentur cum generositate et sine cupiditate ex una parte, accipiantur cum omni honestate ex altera.

Ad verum ordinem oeconomicum universalem instaurandum abolenda sunt nimia lucrorum studia, ambitiones nationales, appetitus dominationis politicae, calculi ordinis militaristici necnon machinationes ad ideologias propagandas et imponendas. Plura oeconomica et socialia systemata proponuntur; optandum est ut in his periti communia fundamenta sani commercii mundialis inveniant; quod facilius continget si singuli propria praeiudicia abnuant et ad dialogum sincere gerendum promptos se praebeant.

86. (*De quibusdam opportunis normis*). Pro hac cooperatione sequentes normae opportunae videntur:

a) Gentes progredientes valde cordi habeant ut tamquam finem progressus expresse et firmiter plenam perfectionem humanam suorum civium appetant. Meminerint ex labore ante omnia et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere progressum quippe qui non solis opibus alienis, sed propriis plene explicandis necnon ingenio et traditione propria colendis imprimis inniti debeat. Qua in re illi excellant oportet, qui maiorem influxum in alios exercent.

b) Gentium autem progressarum officium gravissimum est progredientes populos ad supradicta munera implenda adiuvandi. Quapropter mentales et materiales accommodationes, quae ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requiruntur, apud seipsas perficiant.

Ita in negotiatione cum debilioribus et pauperioribus nationibus bonum illarum sedulo respiciant; nam hae proventibus quo ex venditione rerum a se productarum accipiunt, ad propriam suam sustentationem indigent.

c) Communitatis vero internationalis est incrementum componere et stimulare, ita tamen ut de opibus ad hoc ordinatis quam efficacissime et plena cum aequitate disponatur. Ad hanc quoque communitatem pertinet, principio subsidiarietatis utique servato, rationes oeconomicas in toto mundo ordinare ut ad normam iustitiae explicentur.

Condantur instituta apta ad promovenda et ordinanda negotia internationalia, praesertim cum nationibus minus progressis et ad compensandos defectus qui ex nimia inaequalitate potentiae inter nationes manant. Huiusmodi ordinatio, cum adiumentis technicis, culturalibus et nummariis coniuncta, nationibus ad progressum intendentibus subsidia necessaria praestare debet ut incrementa oeconomiae suae convenienter consequi valeant.

d) In multis casibus urget necessitas recognoscendi oeconomicas socialesque structuras; sed cavendum est a solutionibus technicis immature propositis, imprimis ab illis quae, dum homini commoda materialia praebent, eius spirituali indoli ac profectui adversantur. Nam « non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei » (*Mt.* 4, 4). Quaelibet autem humanae familiae pars in seipsa et in suis melioribus traditionibus aliquam partem thesauri spiritualis a Deo humanitati concrediti secumfert, etsi multi nesciunt ex qua origine procedat.

87. (*De cooperatione internationali quoad incrementum incolarum*). Maxime necessaria evadit cooperatio internationalis relate ad illos populos qui hodie sat frequenter, praeter tot alias difficultates, ea peculiariter premuntur quae ex rapido incremento populationis oritur. Urget necessitas ut per plenam et impensam cooperationem omnium, praesertim ditiorum nationum, exploretur quomodo ea quae ad victum et ad congruam instructionem hominum necessaria sunt, parari et cum tota communitate humana communicari possint. Nonnulli vero populi suae vitae condiciones multo meliores reddere possent si, debita instructione exculti, a methodis antiquis pro bonis agrariis gignendis ad novas artes technicas transirent, eas cum necessaria prudentia suis condicionibus applicantes, ordine sociali meliori insuper instaurato et terrarum possessionis distributione aequius ordinata.

Gubernii quidem sunt iura et officia, problema populationis in sua natione quod attinet, intra propriae competentiae limites; utputa in ordine ad legislationem socialem et ad familias respicientem, ad transitum ruricolarum ad urbes, ad informationes circa statum et necessitates nationis. Cum hodie mentes hominum de hoc problemate tam vehementer agitentur, optandum quoque est ut de his omnibus periti catholici, praesertim in Universitatibus, studia et incepta sollerter prosequantur et latius evolvant.

Cum autem a multis affirmetur incolarum orbis incrementum, vel saltem quarumdam nationum, omnibus mediis et cuiusvis generis interventu auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, Concilium omnes hortatur ut caveant a solutionibus, publice vel privatim promotis et quandoque impositis, quae legi morali contradicunt. Nam iuxta inalienabile hominis ius ad matrimonium et generationem prolis, deliberatio circa numerum prolis

gignendae a recto iudicio parentum pendet ac nullo modo auctoritatis publicae iudicio committi potest. Cum autem parentum iudicium conscientiam recte formatam supponat, magni momenti est ut omnibus aditus praebeatur ad colendam rectam et vere humanam responsabilitatem quae legem divinam, attentis adiunctis rerum et temporum, respiciat; hoc vero exigit ut passim condiciones paedagogicae et sociales in melius mutentur et imprimis ut formatio religiosa vel saltem integra moralis institutio praebeatur. De progressibus porro scientificis in explorandis methodis quibus coniuges iuvari possint in ordinando numero prolis, quarum firmitas bene probata est et congruentia cum ordine morali comperta habetur, homines sapienter certiores fiant.

88. (*De munere christianorum in subsidiis praestandis*). Ad ordinem internationalem cum vera observantia legitimarum libertatum et amica fraternitate omnium aedificandum, christiani libenter et toto corde cooperentur, idque eo magis quod maior pars mundi tanta adhuc egestate laborat ut in pauperibus Christus Ipse quasi alta voce caritatem suorum discipulorum evocet. Ne igitur scandalo sit hominibus aliquas nationes, quarum saepius maior numerus civium christiano nomine ornatur, bonorum copia abundare, dum aliae rebus ad vitam necessariis priventur ac fame, morbis omnimodaque miseria cruciantur. Sunt enim spiritus paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi.

Laudandi igitur et adiuvandi sunt illi christiani, iuvenes praesertim, qui sponte seipsos ad aliis hominibus et populis auxilia praestanda offerunt. Immo totius Populi Dei est, Episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias huius temporis pro viribus sublevare, idque, ut antiquus mos ferebat Ecclesiae, non ex superfluis tantum, sed etiam ex substantia.

Modus subsidia colligendi et distribuendi, quin sit rigide et uniformiter ordinatus, recto tamen ordine disponatur in dioecesibus, nationibus et in universo mundo, coniuncta, ubicumque opportunum videtur, actione catholicorum cum ceteris fratribus christianis. Spiritus enim caritatis providum ordinatumque actionis socialis et caritativae exercitium nedum prohibeat, potius id imponit. Quare necesse est eos qui se ad nationibus progredientibus inserviendum devovere intendunt, idoneis etiam institutis apte efformari.

89. (*De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali*). Ecclesia, cum, divina sua missione innixa, omnibus hominibus Evangelium praedicat et thesauros gratiae elargitur, ubique terrarum ad pacem firmandam et solidum fundamentum ponendum consortionis fraternae hominum et populorum confert: cognitionem scilicet legis divinae et naturalis. Quapropter Ecclesia in ipsa communitate gentium omnino praesens esse debet ad cooperationem inter homines fovendam et excitandam; et quidem tam per suas institutiones publicas quam per plenam ac sinceram collaborationem omnium christianorum, solo desiderio omnibus inserviendi inspiratam.

Quod efficacius attingetur si ipsi fideles, suae responsabilitatis humanae et christianae conscii, iam in proprio ambitu vitae voluntatem prompte cooperandi cum communitate internationali excitare satagunt. Cura peculiaris

hac in re iuvenibus formandis impendatur, tam in educatione religiosa quam civili.

90. (*De partibus christianorum in institutionibus internationalibus*). Praecellens quaedam forma navitatis internationalis christianorum absque dubio socia opera est quam, sive singuli sive consociati, in ipsis Institutis ad cooperationem inter nationes provehendam conditis vel condendis praestant. Communitati gentium in pace et fraternitate aedificandae insuper multipliciter inservire possunt variae consociationes catholicae internationales, quae roborandae sunt, auctis numero cooperatorum bene formatorum, subsidiis quibus indigent et apta virium coordinatione. Nostris enim temporibus et actionum efficacitas et colloquii necessitas consociata incepta postulant. Tales consociationes insuper haud parum conferunt ad universalem sensum excolendum, catholicis certe congruum, et ad formandam conscientiam vere universalis solidarietatis et responsabilitatis.

Optandum denique est ut catholici, ad munus suum in communitate internationali rite implendum, actuose et positive cooperare studeant sive cum fratribus seiunctis qui una cum eis evangelicam caritatem profitentur, sive cum omnibus hominibus veram pacem sitientibus.

Concilium vero, ratione habita immensitatis aerumnarum quibus maior pars generis humani etiam nunc vexatur, et ad iustitiam simul ac amorem Christi erga pauperes ubique fovendum, valde opportunum aestimat creationem alicuius Ecclesiae universalis organismi, cuius sit catholicorum communitatem excitare ut progressus indigentium regionum necnon iustitia socialis inter nationes promoveantur.

NOTAE

Ad n. 78.

[1] Cf. *Eph.* 2, 16 et *Col.* 1, 20-22.

Ad n. 80.

[2] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 291: « Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda ».

[3] Cf. PIUS XII, *Allocutio* 30 sept. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 589; ID., *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1954: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 15 s.; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 286-291; PAULUS VI, *Allocutio in Consilio Nationum Unitarum,* 4 oct. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 877-885.

Ad n. 82.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* ubi de diminutione armorum sermo est: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 287.

[5] Cf. *2 Cor.* 6, 2.

CONCLUSIO

91. (*De munere singulorum fidelium et Ecclesiarum particularium*). Ea quae ab hac Sacra Synodo ex thesauris doctrinae Ecclesiae proponuntur, omnes homines nostrorum temporum, sive in Deum credant sive Eum non explicite agnoscant, adiuvare intendunt ut, suam integram vocationem clarius percipientes, mundum praecellenti dignitati hominis magis conforment, universalem altiusque fundatam fraternitatem appetant atque, sub impulsu amoris, generoso atque consociato conamine, urgentibus nostrae aetatis postulationibus respondeant.

Sane coram immensa diversitate tum rerum status tum culturae humanae formarum in mundo, propositio haec in compluribus suis partibus consulto nonnisi indolem generalem prae se fert: immo, licet doctrinam iam in Ecclesia receptam proferat, cum non raro de rebus incessanti evolutioni subiectis agatur, adhuc prosequenda et amplianda erit. Confidimus vero multa quae, verbo Dei et spiritu Evangelii innixi protulimus, omnibus validum adiutorium conferre posse, praesertim postquam adaptatio ad singulas gentes et mentalitates a christifidelibus sub Pastorum moderamine ad actum deducta fuerit.

92. (*De dialogo inter omnes homines*). Ecclesia, vi suae missionis universum orbem nuntio evangelico illuminandi et omnes homines cuiusvis nationis, stirpis vel culturae in unum Spiritum coadunandi, signum evadit illius fraternitatis quae sincerum dialogum permittit atque roborat.

Quod autem requirit ut imprimis in ipsa Ecclesia mutuam aestimationem, reverentiam et concordiam promoveamus, omni legitima diversitate agnita, ad fructuosius semper colloquium inter omnes instituendum qui unum Populum Dei constituunt, sive pastores sive ceteri christifideles sint. Fortiora enim sunt ea quibus uniuntur fideles quam ea quibus dividuntur: sit in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.[1]

Animus autem noster simul complectitur fratres nondum nobiscum in plena communione viventes eorumque communitates, quibus tamen coniungimur confessione Patris et Filii et Spiritus Sancti ac vinculo caritatis, memores scilicet christianorum unitatem hodie etiam a multis in Christum non credentibus exspectari et desiderari. Quo magis enim haec unitas, sub potenti virtute Spiritus Sancti, in veritate et caritate proficiet, eo magis universo mundo erit praesagium unitatis et pacis. Quare, unitis viribus et in formis huic praeclaro fini hodie efficaciter assequendo magis magisque aptatis, studeamus ut, Evangelio in dies melius conformati, fraterne cooperemur ad servitium familiae humanae praestandum quae, in Christo Iesu, in familiam filiorum Dei vocatur.

Animum nostrum proin etiam ad omnes convertimus qui Deum agnoscunt et in traditionibus suis pretiosa elementa religiosa et humana conser-

vant, optantes ut apertum colloquium omnes nos adigat ad impulsiones Spiritus fideliter accipiendas et alacriter implendas.

Desiderium talis colloquii, quod sola caritate erga veritatem ducatur, servata utique congrua prudentia, ex nostra parte neminem excludit, neque illos qui praeclara animi humani bona colunt, eorum vero Auctorem nondum agnoscunt, neque illos qui Ecclesiae opponuntur eamque variis modis persequuntur. Cum Deus Pater principium omnium exsistat et finis, omnes, ut fratres simus, vocamur. Et ideo, hac eadem humana et divina vocatione vocati, sine violentia, sine dolo ad aedificandum mundum in vera pace cooperari possumus et debemus.

93. (*De mundo aedificando et ad finem perducendo*). Christiani, memores verbi Domini « in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35), nihil ardentius optare possunt quam ut hominibus mundi huius temporis semper generosius et efficacius inserviant. Itaque, Evangelio fideliter adhaerentes eiusque viribus fruentes, cum omnibus qui iustitiam diligunt et colunt coniuncti, ingens opus in his terris adimplendum susceperunt, de quo Ei, qui omnes iudicabit ultimo die, rationem reddere debent. Non omnes qui dicunt: Domine, Domine!, intrabunt in regnum caelorum, sed ii qui faciunt voluntatem Patris [2] validamque manum operi apponunt. Vult autem Pater ut in omnibus hominibus Christum fratrem agnoscamus et efficaciter diligamus, tam verbo quam opere, ita testimonium perhibentes Veritati, et cum aliis mysterium amoris Patris caelestis communicemus. Hac via in toto orbe terrarum homines ad vivam spem excitabuntur, quae Spiritus Sancti donum est, ut tandem aliquando in pace ac beatitudine summa suscipiantur, in patria quae gloria Domini effulget.

« Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

NOTAE

Ad n. 92.

[1] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iunii 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 513.

Ad n. 93.

[2] Cf. *Mt.* 7, 21.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die VII mensis decembris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. infra, n. 7.

VACATIO LEGIS

pro decretis promulgatis in Sessione IX

Beatissimus Pater pro novis legibus, quae in modo promulgatis decretis continentur, statuit vacationem usque ad diem vigesimam nonam mensis iunii anni MCMLXVI, nempe usque ad festum SS. Apostolorum Petri et Pauli proximi anni.

Interea Summus Pontifex normas edet ad praedictas leges exsequendas.

† PERICLES FELICI
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

7

Patrum subsignationes

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego Eugenius ep. Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae card. Tisserant, Sacri Collegii Decanus.*
✠ Ego Ioseph ep. Albanensis card. Pizzardo.
✠ Ego Benedictus ep. Praenestinus card. Aloisi Masella.
✠ Ego Ferdinandus ep. Veliternus card. Cento.
✠ Ego Hamletus Ioannes ep. Tusculanus card. Cicognani.
✠ Ego Ioseph Antonius, ep. Sabinensis et Mandelensis card. Ferretto.

---

* Quidam Patres suffragium dederunt, quin decreta Ss. Concilii subsignaverint.
In Concilio Oecumenico concessum est ut crucem suo nomini apponerent iis quoque Patribus Cardinalibus qui, etsi ordinis presbyteralis, episcopi tamen residentiales essent.

✠ Ego Ignatius Gabriel patr. Antiochenus Syrorum card. Tappouni.
✠ Ego Maximus IV patr. Antiochenus Melchitarum card. Saigh.
✠ Ego Paulus Petrus patr. Antiochenus Maronitarum card. Meouchi.
✠ Ego Stephanus I patr. Alexandrinus Coptorum card. Sidarouss.
✠ Ego Emmanuel titulo SS. Petri et Marcellini presb. card. Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis.
✠ Ego Achilles titulo S. Sixti presb. card. Liénart, ep. Insulensis.
Ego Iacobus Aloisius titulo S. Laurentii in Damaso, presb. card. Copello.
Ego Gregorius Petrus titulo S. Bartholomaei in Insula presb. card. Agagianian.
✠ Ego Franciscus titulo Ss. Ioannis et Pauli presb. card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis.
✠ Ego Iacobus titulo Ss. Bonifacii et Alexii presb. card. de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluvii Ianuarii.
✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis ante Portam Latinam presb. card. Frings, arch. Coloniensis.
✠ Ego Ernestus titulo S. Sabinae presb. card. Ruffini, arch. Panormitanus.
✠ Ego Antonius titulo S. Laurentii in Panisperna presb. card. Caggiano, arch. Bonaerensis.
✠ Ego Mauritius titulo S. Mariae Pacis presb. card. Feltin, arch. Parisiensis.
Ego Petrus titulo S. Laurentii in Lucina presb. card. Ciriaci.
✠ Ego Ioseph titulo S. Mariae de Victoria presb. card. Siri, arch. Ianuensis.
✠ Ego Stephanus titulo S. Mariae Trans Tiberim presb. card. Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, primas Poloniae.
✠ Ego Beniamin titulo Ss. Vitalis, Valeriae, Gervasii et Protasii presb. card. de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis.
✠ Ego Ferdinandus titulo S. Augustini presb. card. Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus.
✠ Ego Paulus Aemilius titulo S. Mariae Angelorum in Thermis presb. card. Léger, arch. Marianopolitanus.
✠ Ego Valerianus titulo S. Mariae in Via Lata presb. card. Gracias, arch. Bombayensis.
✠ Ego Ioannes titulo S. Marci presb. card. Urbani, patr. Venetiarum.
Ego Paulus titulo S. Mariae in Vallicella presb. card. Giobbe.
✠ Ego Ioseph titulo S. Honophrii in Ianiculo presb. card. Garibi y Rivera, arch. Guadalajarensis.
✠ Ego Antonius M. titulo S. Chrysogoni presb. card. Barbieri, arch. Montisvidei.
Ego Carolus titulo S. Agnetis extra Moenia presb. card. Confalonieri.
✠ Ego Paulus titulo Ss. Quirici et Iulittae presb. card. Richaud, arch. Burdigalensis.
✠ Ego Ioseph M. titulo Ss. Viti, Modesti et Crescentiae presb. card. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis.
✠ Ego Franciscus titulo S. Eusebii presb. card. König, arch. Vindobonensis.
✠ Ego Iulius titulo S. Mariae Scalaris presb. card. Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.
Ego Paulus titulo S. Andreae Apostoli de Hortis presb. card. Marella.
Ego Gustavus titulo S. Hieronymi Illyricorum presb. card. Testa.

Ego Aloisius titulo S. Andreae de Valle presb. card. Traglia.

✠ Ego Petrus Tatsuo titulo S. Antonii Patavini de Urbe presb. card. Doi, arch. Tokiensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis Baptistae Florentinorum presb. card. Lefèbvre, arch. Bituricensis.

✠ Ego Bernardus titulo S. Ioachim presb. card. Alfrink, arch. Ultraiectensis.

✠ Ego Rufinus titulo S. Mariae ad Montes presb. card. Santos, arch. Manilensis.

✠ Ego Laureanus titulo S. Francisci Assisiensis ad Ripam Maiorem presb. card. Rugambwa, ep. Bukobaensis.

✠ Ego Ioseph titulo SS. Redemptoris et S. Alfonsi in Exquiliis presb. card. Ritter, arch. S. Ludovici.

✠ Ego Ioseph Humbertus titulo Ss. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri presb. card. Quintero, arch. Caracensis.

✠ Ego Aloisius titulo S. Mariae Novae presb. card. Concha, arch. Bogotensis.

Ego Ioseph titulo S. Priscae presb. card. da Costa Nuñes.

Ego Hildebrandus titulo S. Sebastiani ad Catacumbas presb. card. Antoniutti.

Ego Ephraem titulo S. Crucis in Hierusalem presb. card. Forni.

✠ Ego Ioannes titulo S. Mariae de Aracaeli presb. card. Landázuri Ricketts, arch. Limanus, primas Peruviae.

✠ Ego Radulfus titulo S. Bernardi ad Thermas presb. card. Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.

✠ Ego Leo Ioseph titulo S. Petri ad Vincula presb. card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Athanasii presb. card. Slipyj, arch. Maior Leopolitanus Ucrainorum.

✠ Ego Laurentius titulo S. Leonis I presb. card. Jäger, arch. Paderbornensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Crucis in via Flaminia presb. card. Beran, arch. Pragensis.

✠ Ego Mauritius titulo B.M.V. Ss.mi Sacramenti et Protomartyrum Canadensium presb. card. Roy, arch. Quebecensis, primas Canadiae.

✠ Ego Ioseph M. titulo S. Theresiae ad Cursum Italiae presb. card. Martin, arch. Rothomagensis.

✠ Ego Audoenus titulo S. Praxedis presb. card. McCann, arch. Capetownensis.

✠ Ego Leo Stephanus titulo S. Balbinae presb. card. Duval, arch. Algeriensis.

✠ Ego Hermenegildus titulo Reginae Apostolorum presb. card. Florit, arch. Florentinus.

✠ Ego Franciscus titulo Ss. Petri et Pauli in via Ostiensi presb. card. Šeper, arch. Zagabriensis.

✠ Ego Ioannes titulo S. Silvestri in Capite presb. card. Heenan, arch. Vestmonasteriensis, primas Angliae.

✠ Ego Ioannes titulo Ss.mae Trinitatis in Monte Pincio presb. card. Villot, arch. Lugdunensis et Viennensis, primas Galliae.

✠ Ego Paulus titulo S. Camilli de Lellis ad Hortos Sallustianos presb. card. Zoungrana, arch. Uagaduguensis.

Ego Henricus titulo S. Agatae Gothorum presb. card. Dante.

Ego Caesar titulo D.nae N.ae a S. Corde in Circo Agonali presb. card. Zerba.

✠ Ego Agnellus titulo Praeclarae Matris Dei presb. card. Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia.

✠ Ego Ioannes titulo Ss. Silvestri et Martini in Montibus presb. card. Colombo, arch. Mediolanensis.
✠ Ego Villelmus titulo S. Patricii ad Villam Ludovisi presb. card. Conway, arch. Armachanus, primas Hiberniae.
✠ Ego Angelus titulo Ss.mi Cordis B. Mariae Virginis ad Forum Euclidis presb. card. Herrera y Oria, ep. Malcitanus.
Ego Alafridus S. M. in Domnica diac. card. Ottaviani.
Ego Albertus S. Pudentianae diac. card. di Jorio.
Ego Franciscus S. Mariae in Cosmedin diac. card. Roberti.
Ego Arcadius Ss. Blasii et Caroli ad Catenarios diac. card. Larraona.
Ego Franciscus Ss. Cosmae et Damiani diac. card. Morano.
Ego Villelmus Theodorus S. Theodori in Palatio diac. card. Heard.
Ego Augustinus S. Sabae diac. card. Bea.
Ego Antonius S. Eugenii diac. card. Bacci.
Ego Frater Michaël S. Pauli Apostoli in Arenula diac. card. Browne.
Ego Fridericus S. Ioannis Bosco in via Tusculana diac. card. Callori di Vignale.
Ego Carolus S. Mariae in Portico diac. card. Journet.

✠ Ego Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum.
✠ Ego Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum.
✠ Ego Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ioseph Vieira Alvernaz, patr. Indiarum Orientalium.

✠ Ego Ioannes Carolus McQuaid, arch. Dublinensis, primas Hiberniae.
✠ Ego Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae.
✠ Ego Demetrius Moscato, arch. primas Salernitanus et administrator perpetuus Acernensis.
✠ Ego Hugo Camozzo, arch. Pisanus et primas Sardiniae et Corsicae.
✠ Ego Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis, primas Britanniae.
✠ Ego Alexander Tokić, arch. Antibarensis et primas Serbiae.
✠ Ego Michaël Darius Miranda y Gómez, arch. Mexicanus, primas Mexici.
✠ Ego Franciscus M. da Silva, arch. Bracharensis, primas Hispaniarum.
✠ Ego Ernestus Senna de Oliveira, arch. ep. Conimbricensis.
✠ Ego Andreas Cesarano, arch. Sipontinus.
✠ Ego Aloisius Centoz, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne.
✠ Ego Antonius Tani, arch. tit. Scythopolitanus.
✠ Ego Antonius Abed, arch. Tripolitanus Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus.
✠ Ego Nicolaus Fasolino, arch. S. Fidei in Argentina.
✠ Ego Antonius Riberi, arch. tit. Darensis.
✠ Ego Ioannes Georgius Stété, arch. Damascenus Syrorum.
✠ Ego Fridericus Eduardus Camillus Lamy, arch. tit. Byziensis.
✠ Ego Patritius Finbarrus Ryan, arch. Portus Hispaniae.
✠ Ego Ioseph Walsh, arch. Tuamensis.
✠ Ego Carolus Serena, arch. Surrentinus.
✠ Ego Iustinus Daniel Simonds, arch. Melbournensis.
✠ Ego Vincentius Alexander Gonzalez y Robleto, arch. Managuensis.
✠ Ego Floridus Ambrosius Acciari, arch. Rhodiensis.
✠ Ego Thomas Roberts, arch. tit. Sugdaeus.

✠ Ego Athanasius Toutoungi, arch. Aleppensis Melkitarum.
✠ Ego Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.
✠ Ego Aloisius Chávez y González, arch. S. Salvatoris in America.
✠ Ego Alfredus Silva Santiago, arch. tit. Petrensis in Palaestina.
✠ Ego Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis.
✠ Ego Nersès Tayroyan, arch. Babylonensis Armenorum.
✠ Ego Moises Alves de Pinho, arch. Luandensis.
✠ Ego Robertus Emmet Lucey, arch. S. Antonii.
✠ Ego Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis.
✠ Ego Gregorius Modrego y Casaus, arch. Barcinonensis.
✠ Ego Ioseph Ignatius Lopez Umaña, arch. Carthaginensis in Colombia.
✠ Ego Norbertus Perini, arch. Firmanus.
✠ Ego Norbertus Robichaud, arch. Monctonensis.
✠ Ego Mesrop Habozian, arch. tit. Camachenus.
✠ Ego Fortinus Gómez León, arch. Antequerensis.
✠ Ego Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum.
✠ Ego Abel Isidorum Antezana y Rojas, arch. Pacensis in Bolivia.
✠ Ego Ioseph a Iesu Angulo del Valle y Navarro, arch. Tabasquensis.
✠ Ego Aegidius Bignamini, arch. Anconitanus.
✠ Ego Michaël Gonzi, arch. Melitensis.
✠ Ego Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus.
✠ Ego Humbertus Malchiodi, arch.-ep. Placentinus.
✠ Ego Ioseph Antonius O'Sullivan, arch. Kingstoniensis.
✠ Ego Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum.
✠ Ego Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus.
✠ Ego Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia.
✠ Ego Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia.
✠ Ego Theodorus Labrador, arch. Fucheuvensis.
✠ Ego Petronius Lacchio, arch. Ciamsciavensis.
✠ Ego Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis.
✠ Ego Pacificus Vanni, arch. tit. Proconnesius.
✠ Ego Paulus Yü Pin, arch. Nanchimensis.
✠ Ego Ludovicus Morel, arch. tit. Aeniensis.
✠ Ego Dominicus Lucas Capozi, arch. Taeiuenensis.
✠ Ego Alexander Derouineau, arch. Coenmimensis.
✠ Ego Alfredus Pacini, arch. tit. Germiensis.
✠ Ego Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum.
✠ Ego Leonardus Rodriguez Ballón, arch. Arequipensis.
✠ Ego Ioseph Burzio, arch. tit. Gortyniensis.
✠ Ego Petrus Chami, arch. Bostrenus.
✠ Ego Caietanus Pollio, arch. Hydruntinus.
✠ Ego Gabriel Garrone, arch. Tolosanus.
✠ Ego Antonius Taffi, arch. tit. Sergiopolitanus.
✠ Ego Antonius Gregorius Vuccino, arch. tit. Aprensis.
✠ Ego Sebastianus Fraghi, arch. Arborensis.
✠ Ego Laurentius Gargiulo, arch. tit. Germensis in Hellesponto.
✠ Ego Ludovicus M. Ferdinandus de Bazelaire de Ruppière, arch. Chamberiensis.
✠ Ego Reginaldus Ioseph M. Addazzi, arch. Tranensis et Barolensis.

✠ Ego Patricius Ludovicus O'Boyle, arch. Vashingtonensis.
✠ Ego Michaël O'Neill, arch. Reginatensis.
✠ Ego Geraldus Thomas Bergan, arch. Omahensis.
✠ Ego Patricius M. O'Donnell, arch. Brisbanensis.
✠ Ego Iacobus Cornelius van Miltenburg, arch.-ep. Hyderabadensis in Pakistan.
✠ Ego Robertus Ronca, arch. tit. Naupactensis.
✠ Ego Raphaël Mario Radossi, arch. Spoletanus.
✠ Ego Ioannes B. Bosio, arch. Theatinus.
✠ Ego Philippus Nabaa, arch. Berytanus et Gibailensis Melkitarum.
✠ Ego Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia.
✠ Ego Vido Aloisius Bentivoglio, arch. Catanensis.
✠ Ego Maximilianus de Fürstenberg, arch. tit. Paltenus.
✠ Ego Aegidius Vagnozzi, arch. tit. Myrensis.
✠ Ego Emmanuel Ferreira da Silva, arch. tit. Cysicenus.
✠ Ego Isaac Ghattas, arch.-ep. Thebanus.
✠ Ego Ioseph Patricius Hurley, arch.-ep. S. Augustini.
✠ Ego Leo Binz, arch. S. Pauli de Minnesota.
✠ Ego Paulus Botto, arch. Calaritanus.
✠ Ego Iulius Rosales, arch. Cebuanus.
✠ Ego Paulus Noussier, arch. Hermopolitanus.
✠ Ego Antonius Samoré, arch. tit. Ternobenus.
✠ Ego Franciscus Iachim, arch. tit. Maroneus.
✠ Ego Carolus Heerey, arch. Onitshaensis.
✠ Ego Raphaël Calabrìa, arch. Beneventanus.
✠ Ego Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis.
✠ Ego Constantinus Stella, arch. Aquilanus.
✠ Ego Laurentius Graner, arch. Dacchensis.
✠ Ego Vido Tonetti, arch.-ep. Cuneensis.
✠ Ego Ioannes Ferro, arch. Rheginensis.
✠ Ego Augustus Bertazzoni, arch.-ep. Potentinus et Marsicensis.
✠ Ego Ludovicus Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis.
✠ Ego Octavianus Márquez Tóriz, arch. Angelorum.
✠ Ego Didacus Venini, arch. tit. Adanensis.
✠ Ego Sergius Pignedoli, arch. tit. Iconiensis.
✠ Ego Dionysius Eugenius Hurley, arch. Durbanianus.
✠ Ego Eris Michael O'Brien, arch. Camberrensis et Gulburnensis.
✠ Ego Ioannes Colburn Garner, arch. Praetoriensis.
✠ Ego Franciscus Carpino, arch. tit. Serdicensis.
✠ Ego Patricius Iacobus Skinner, arch. S. Ioannis Terrae Novae.
✠ Ego Alfonsus Espino y Silva, arch. Monterreyensis.
✠ Ego Ioseph Alexander Fernandes, arch. Delhiensis.
✠ Ego Gordon Ioseph Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensis.
✠ Ego Ioseph M. Cuenco, arch. Jacensis.
✠ Ego Emmanuel Pius López Estrada, arch. Jalapensis.
✠ Ego Zaya Dachtou, arch. Urmiensis.
✠ Ego Philippus Franciscus Pocock, arch. tit. Isauropolitanus.
✠ Ego Hugo Bressane de Araújo, arch.-ep. Mariliensis.
✠ Ego Ioseph de Medeiros Delgado, arch. Fortalexiensis.

✠ Ego Ioseph Clemens Maurer, arch. Sucrensis.
✠ Ego Ianuarius Verolino, arch. tit. Corinthiensis.
✠ Ego Antonius de Almeida Moraes, arch. Nictheroyensis.
✠ Ego Hilarius Alcini, arch. tit. Nicaenus.
✠ Ego Albertus Gaudentius Ramos, arch. Belemensis de Pará.
✠ Ego Ioannes Dooley, arch. tit. Macrensis in Rhodope.
✠ Ego Ioannes Dadone, arch.-ep. Fossanensis.
✠ Ego Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii.
✠ Ego Paulus Bertoli, arch. tit. Nicomediensis.
✠ Ego Ioseph Bartholomaeus Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis.
✠ Ego Ioseph Kuo, arch. tit. Salaminensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Hunkeler, arch. Kansanopolitanus in Kansas.
✠ Ego Thomas Aloisius Boland, arch. Novarcensis.
✠ Ego Caelestinus Ioseph Damiano, arch.-ep. Camdensis.
✠ Ego Anacletus Cazzaniga, arch. Urbinatensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph McCarthy, arch. Nairobiensis.
✠ Ego Edgarus Aristides Maranta, arch. Daressalaamensis.
✠ Ego Hector Cunial, arch. tit. Soteropolitanus.
✠ Ego Ioannes Bučko, arch. tit. Leucadensis.
✠ Ego Sebastianus Baggio, arch. tit. Ephesinus.
✠ Ego Maria-Ioseph Lemieux, arch. Ottaviensis.
✠ Ego Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis.
✠ Ego Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus.
✠ Ego Sylvius Oddi, arch. tit. Messembrianus.
✠ Ego Raphaël Garcia y Garcia de Castro, arch. Granatensis.
✠ Ego Ambrosius Rayappan, arch. Pondicheriensis et Cuddalorensis.
✠ Ego Ioseph Garcia y Goldaraz, arch. Vallisoletanus.
✠ Ego Raphaël Forni, arch. tit. Aeginensis.
✠ Ego Iacobus Robertus Knox, arch. tit. Melitenaeus.
✠ Ego Ioannes Petrus Leonard, arch. Maduraiensis.
✠ Ego Athanasius Ioannes Daniel Bakose, arch. Babylonensis Syrorum.
✠ Ego Henricus Audrain, arch. Auxitanus.
✠ Ego Petrus Thomas McKeefry, arch. Vellingtonensis.
✠ Ego Marcellus M. Dubois, arch. Bisuntinus.
✠ Ego Iacobus Palombella, arch. Materanensis.
✠ Ego Humbertus Mozzoni, arch. tit. Sidetanus.
✠ Ego Aloisius Punzolo, arch. tit. Sebastenus in Armenia.
✠ Ego Alfredus Bruniera, arch. tit. Claudiopolitanus in Honoriade.
✠ Ego Ioseph M. Sensi, arch. tit. Sardianus.
✠ Ego Ioseph Strebler, arch. tit. Nicopolitanus in Epiro.
✠ Ego Aemilius Socquet, arch. tit. Selimbrianus.
✠ Ego Ioseph Cucherrousset, arch. Banguensis.
✠ Ego Helder Pessâo Câmara, arch. Olindensis et Recifensis.
✠ Ego Arturus Mery Beckdorf, arch. tit. Phasianus.
✠ Ego Ioseph Schneider, arch. Bambergensis.
✠ Ego Franciscus Poirier, arch. Portus Principis.
✠ Ego Renatus Graffin, arch. tit. Misthiensis.
✠ Ego Felicissimus Stephanus Tinivella, arch. tit. Uthinensis.

✠ Ego Michaël Bernard, arch. tit. Arensis in Mauritania.
✠ Ego Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis.
✠ Ego Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis.
✠ Ego Evasius Colli, arch.-ep. Parmensis.
✠ Ego Gerardus de Milleville, arch. tit. Gabalensis.
✠ Ego Caesar Antonius Mosquera Corral, arch. Guayaquilensis.
✠ Ego Dominicus Romualdus Basilius Athaide, arch. Agraensis.
✠ Ego Ludovicus Ferrand, arch. Turonensis.
✠ Ego Primus Principi, arch. tit. Tyanensis.
✠ Ego Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis.
✠ Ego Matthaeus Kavokatt, arch. Changanacherrensis.
✠ Ego Ismael Marius Castellano, arch. Senensis.
✠ Ego Henricus Delgado y Gómez, arch. Pampilonensis.
✠ Ego Ioannes Sison, arch. tit. Nicopsitanus.
✠ Ego Marcus Armandus Lallier, arch. Massiliensis.
✠ Ego Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum.
✠ Ego Franciscus Aldegunde Dorrego, arch. Tingitanus.
✠ Ego Carolus M. Jurgens Byrne, arch. Cuschensis.
✠ Ego Orlandus Chavez, arch. Cuiabaensis.
✠ Ego Ioseph Amici, arch. Mutinensis.
✠ Ego Villelmus Bolatti, arch.-ep. Rosariensis.
✠ Ego Ferdinandus Gomes dos Santos, arch. Goianiensis.
✠ Ego Aurelius Signora, arch. tit. Nicosiensis.
✠ Ego Germinianus Esorto, arch. Sinus Albi.
✠ Ego Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis.
✠ Ego Ioannes de Sousa Lima, arch. Manaensis.
✠ Ego Felix Cesar da Cunha Vasconcelos, arch. Rivi Nigri.
✠ Ego Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis.
✠ Ego Emmanuel a Jesu Serrano Abad, arch. Conchensis in Aequatore.
✠ Ego Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis.
✠ Ego Raphaël Rabban, arch. Cherchensis.
✠ Ego Paulus Dalmais, arch. Arcis Lamy.
✠ Ego Ioannes Rezende Costa, arch. tit. Martyropolitanus.
✠ Ego Antonius M. Alvez de Siquiera, arch. tit. Chalcidensis in Syria.
✠ Ego Henricus Hector Golland Trindade, arch. Botucatuensis.
✠ Ego Aloisius del Rosario, arch. Zamboangensis.
✠ Ego Ioannes B. da Mota e Albuquerque, arch. Victoriensis Spiritus S.
✠ Ego Theophilus Camomot Bastide, arch. tit. Marcianopolitanus.
✠ Ego Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Bernal Ortiz, arch. Tequinensis.
✠ Ego Ioannes Hieronymus Adam, arch. Liberopolitanus.
✠ Ego Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis.
✠ Ego Carolus Grano, arch. tit. Thessalonicensis.
✠ Ego Angelus Dell'Acqua, arch. tit. Chalcedonensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Dearden, arch. Detroitensis.
✠ Ego Villelmus Cousins, arch. Milwaukiensis.
✠ Ego Benedictus Falcucci, arch. tit. Preslavensis.
✠ Ego Ansgarius de Oliveira, arch. Marianensis.

✠ Ego Aemilius Tagle Covarrubias, arch.-ep. Vallis Paradisi.
✠ Ego Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis.
✠ Ego Ioannes B. Theunissen, arch. Blantyrensis.
✠ Ego Benedictus Printesis, arch. Atheniensis.
✠ Ego Dionysius Antonius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum.
✠ Ego Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrensis.
✠ Ego Arturus Duque Villegas, arch. Manizalensis.
✠ Ego Ioannes McCarthy, arch. Kadunaensis.
✠ Ego Theopistus Alberto y Valderrama, arch. Cácerensis.
✠ Ego Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis.
✠ Ego Gasto Mojaisky-Perrelli, arch.-ep. Nuscanus.
✠ Ego Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum.
✠ Ego Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum.
✠ Ego Linus Zanini, arch. tit. Hadrianopolitanus in Haemimonto.
✠ Ego Martinus Ioannes O'Connor, arch. tit. Laodicenus in Syria.
✠ Ego Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis.
✠ Ego Hilarius M. Vermeiren, arch. tit. Pedachtoenus.
✠ Ego Franciscus Marty, arch. Remensis.
✠ Ego Raphaël Baratta, arch. Perusinus.
✠ Ego Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis.
✠ Ego Felix Scalais, arch. tit. Aquensis in Numidia.
✠ Ego Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis.
✠ Ego Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Floribertus Cornelis, arch. Elisabethapolitanus.
✠ Ego Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis.
✠ Ego Cyrillus Emmanuel Benni, arch. Mausiliensis Syrorum.
✠ Ego Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis.
✠ Ego Thomas Morris, arch. Casheliensis.
✠ Ego Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus Maronitarum.
✠ Ego Conradus Bafile, arch. tit. Antiochenus in Pisidia.
✠ Ego Hieronymus Rakotomalala, arch. Tananarivensis.
✠ Ego Bernardus Yago, arch. Abidjanensis.
✠ Ego Iacobus Petrus Davis, arch. S. Fidei in America Septemtrionali.
✠ Ego Ioseph Vincentius Távora, arch. Aracajuensis.
✠ Ego Carolus Humbertus Rodriguez-Quirós, arch. S. Ioseph in Costarica.
✠ Ego Aemilius Arsenius Blanchet, arch. tit Philippopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Mihayo, arch. Taboraensis.
✠ Ego Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina.
✠ Ego Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis.
✠ Ego Ioseph Mojoli, arch. tit. Larissensis in Thessalia.
✠ Ego Ioannes Perris, arch. Naxiensis.
✠ Ego Marcus Alaupović, arch. Serajensis (Vrhbosnensis).
✠ Ego Petrus Martinus Ngo-dinh-Thuc, arch. Hueensis.
✠ Ego Ioannes B. Urrutia, arch. tit. Carpathiensis.
✠ Ego Eganus Righi-Lambertini, arch. tit. Docleensis.
✠ Ego Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus.
✠ Ego Matthaeus Garković, arch. Jadrensis.
✠ Ego Emmanuel Mabathoana, arch. Maseruenus.

✠ Ego Nicolaus Schneiders, arch. Makassarensis.
✠ Ego Pius Kerketta, arch. Ranchiensis.
✠ Ego Georgius Flahiff, arch. Vinnipegensis.
✠ Ego Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartensis.
✠ Ego Antonius Henricus van den Hurk, arch. Medanensis.
✠ Ego Herculanus van der Burgt, arch. Pontianakensis.
✠ Ego Ioseph Raphael Pulido Mendez, arch. tit. Cyrrhensis.
✠ Ego Albertus Castelli, arch. tit. Rhusiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum.
✠ Ego Asrate M. Yemmeru, arch. Neanthopolitanus.
✠ Ego Gabriel Bukatko, arch. Beogradensis.
✠ Ego Franciscus Vicentin, arch. Corrientensis.
✠ Ego Conradus Mingo, arch. Montis Regalis.
✠ Ego Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia.
✠ Ego Antoninus Pinci, arch. tit. Tarasensis in Numidia.
✠ Ego Ioanes Marinoni, arch. tit. Amorianus.
✠ Ego Ioannes Patricius Cody, arch. Chicagiensis.
✠ Ego Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum.
✠ Ego Ioannes Murphy, arch. Cardiffensis.
✠ Ego Emmanuel Clarizio, arch. tit. Claudiopolitanus in Isauria.
✠ Ego Ambrosius Marchioni, arch. tit. Severianensis.
✠ Ego Sanctes Portalupi, arch. tit. Christopolitanus.
✠ Ego Ioannes Ferrofino, arch. tit. Zenopolitanus in Isauria.
✠ Ego Paulus Achkar, arch. Laodicensis Melkitarum.
✠ Ego Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.
✠ Ego Vido Del Mestri, arch. tit. Tuscomiensis.
✠ Ego Alfredus Bengsch, arch.-ep. Berolinensis.
✠ Ego Raimundus M. Tchidimbo, arch. Konakriensis.
✠ Ego Carmelus Rocco, arch. tit. Iustinopolitanus in Galatia.
✠ Ego Xaverius Zupi, arch. tit. Serrensis in Proconsulari.
✠ Ego Bruno Heim, arch. tit. Xanthiensis.
✠ Ego Aloisius Dadaglio, arch. tit. Leriensis.
✠ Ego Felix Pirozzi, arch. tit. Gratianensis.
✠ Ego Aemilius De Brigard Ortiz, arch. tit. Dystiensis.
✠ Ego Conradus Ursi, arch. Acheruntinus.
✠ Ego Gaetanus Alibrandi, arch. tit. Bindaeus.
✠ Ego Emmanuel Nuñes Gabriel, arch. tit. Methymnaeus.
✠ Ego Marius Brini, arch. tit. Algizensis.
✠ Ego Boleslaus Kominek, arch. tit. Euchaitenus.
✠ Ega Claudius Dupuy, arch. Albiensis.
✠ Ego Victor Ugo Righi, arch. tit. Biltensis.
✠ Ego Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoene.
✠ Ego Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis.
✠ Ego Ioannes Bassoul, arch. Hemesenus Melchitarum.
✠ Ego Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis.
✠ Ego Robertus Dosseh, arch. Lomensis.
✠ Ego Paulus Carta, arch. Turritanus.
✠ Ego Gilbertus Ramantoanina, arch. Fianarantsoaensis.

✠ Ego Villelmus Motolese, arch. Tarentinus.
✠ Ego Iacobus Ioseph Byrne, arch. Dubuquensis.
✠ Ego Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis.
✠ Ego Ioannes B. Sye Bong-kil, arch. Taeguensis.
✠ Ego Lucas Augustus Sangaré, arch. Bamakoensis.
✠ Ego Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis et Gradiscanus.
✠ Ego Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis.
✠ Ego Ioseph D'Angelo Neto, arch. de Pouso Alegre.
✠ Ego Geraldus M. de Morais Penido, arch. Iudiciforensis.
✠ Ego Hector Henricus Santos Hernández, arch. Tegucigalpensis.
✠ Ego Ioannes Gordon, arch. tit. Nicopolitanus ad Nestum.
✠ Ego Thomas Leonetti, arch. Capuanus.
✠ Ego Antonius Varthalitis, arch. Corcyrensis, Zacynthiensis et Cephaloniensis.
✠ Ego Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques.
✠ Ego Adolfus Servandus Tortolo, arch. Paranensis.
✠ Ego Albertus Vincentius D'Souza, arch. Calcuttensis.
✠ Ego Pacificus M. Aloisius Perantoni, arch. Lancianensis.
✠ Ego Paulus Philippe, arch. tit. Heracleopolitanus.
✠ Ego Petrus Palazzini, arch. tit. Caesariensis in Cappadocia.
✠ Ego Ioannes Iulianus Weber, arch.-ep. Argentoratensis.
✠ Ego Salvator Asta, arch. tit. Aureliopolitanus in Lydia.
✠ Ego Renatus Ludovicus M. Stourm, arch. Senonensis.
✠ Ego Marius Cagna, arch. tit. Heracleensis in Europa.
✠ Ego Alexander B. Gottardi, arch. Tridentinus.
✠ Ego Albertus Rencoret Donoso, arch. Portus Montt.
✠ Ego Emmanuel Sanchez Beguiristain, arch. Ss. Conceptionis.
✠ Ego Franciscus Fasola, arch. Messanensis.
✠ Ego Ioseph Schiavini, arch. tit. Famagustanus.
✠ Ego Clemens Ignatius Mansourati, arch. tit. Apamenus in Syria.
✠ Ego Antonius Santin, arch. Tergestinus et Iustinopolitanus.
✠ Ego Flavianus Zaccharias Melki, arch. tit. Amidenus.
✠ Ego Clemens Gaddi, arch.-ep. Bergomensis.
✠ Ego Marius Casariego, arch. Guatemalensis.
✠ Ego Paulinus Limongi, arch. tit. Nicaeensis in Haemimonto.
✠ Ego Michaël Federici, arch. S. Severinae.
✠ Ego Ioannes Navarrete y Guerrero, arch. Hermosillensis.
✠ Ego Hyginus Cardinale, arch. tit. Neptensis.
✠ Ego Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemontio.
✠ Ego Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus.
✠ Ego Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis.
✠ Ego Carolus Marianus Perez Estava, arch. Saltensis.
✠ Ego Carouls Wojtyla, arch. Cracoviensis.
✠ Ego Franciscus Carroll, arch. tit. Gabulensis.
✠ Ego Leonardus Ioseph Raymond, arch. Nagpurensis.
✠ Ego Georgius Andreas Beck, arch. Liverpolitanus.
✠ Ego Iacobus Donaldus Scanlan, arch. Glasguensis.
✠ Ego Bruno Frattegiani, arch. Camarinensis.
✠ Ego Ioseph Pogačnik, arch. Labacensis.

✠ Ego Thomas Albertus Clavel Méndez, arch. Panamensis.
✠ Ego Ludovicus Levesque, arch. tit. Egnatiensis.
✠ Ego Vincentius Enrique y Tarancòn, arch. Ovetensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph da Mota e Albuquerque, arch. S. Ludovici in Marignano.
✠ Ego Andreas Pallier, arch. tit. Marcellianensis.
✠ Ego Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus.
✠ Ego Theophilus Mbemba, arch. Brazzapolitanus.
✠ Ego Angelus M. Ocampo Berrio, arch. Tunquensis.
✠ Ego Antonius Ferreira de Macedo, arch. tit. Gangrensis.
✠ Ego Iacobus Villelmus Gleeson, arch. tit. Aurusulianensis.
✠ Ego Antonius Ferreira de Macedo, arch. tit. Gangrensis.
✠ Ego Petrus Wijnants, arch. Coquilhatvillensis.
✠ Ego Ioseph Malula, arch. Leopoldpolitanus.
✠ Ego Aloisius Aponte Martinez, arch. S. Ioannis Portoricensis.
✠ Ego Aloisius Mena Arroyo, arch. tit. Sinitensis.
✠ Ego Philippus Nguyen Kim Dien, arch. tit. Parianus.
✠ Ego Ludovicus Bellotti, arch. tit. Voncarianensis.
✠ Ego Bruno Torpigliani, arch. tit. Mallianensis.
✠ Ego Duraisamy Simon Lourdusamy, arch. tit. Philippensis.
✠ Ego Georgius Hakim, arch. Ptolemaïdensis.
✠ Ego Radulfus Franciscus Primatesta, arch. Cordubensis in Argentina.
✠ Ego Michaël Callens, arch. tit. Moxoritanus.
✠ Ego Ioannes Aggey, arch. Lagosensis.
✠ Ego Aloisius Poggi, arch. tit. Forontonianensis.
✠ Ego Angelus Pedroni, arch. tit. Novicensis.
✠ Ego Henricus Jenny, arch. tit. Salditanus.
✠ Ego Emmanuel Martin del Campo Padilla, arch. tit. Vadesitanus.
✠ Ego Cyrillus Conradus Cowderoy, arch. Southvarcensis.
✠ Ego Aurelius Sabbatini, arch. tit. Iustinianensis.
✠ Ego Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis.
✠ Ego Vitus Roberti, arch. ep. Casertanus.
✠ Ego Hilarion Capucci, arch. tit. Caesariensis in Palaestina Melchitarum.
✠ Ego Ioannes Maguire, arch. tit. Tabaltensis.
✠ Ego Philippus Matthaeus Hannan, arch. Novae Aureliae.
✠ Ego Georgius Patricius Dwyer, arch. Birminghamiensis.
✠ Ego Michaël Pelegrino, arch. Taurinensis.
✠ Ego Augustinus Sépinski, arch. tit. Assuritanus.
✠ Ego David de Souza, arch. Eborensis.
✠ Ego Alfredus Poledrini, arch. tit. el. Vazaritanus.

✠ Ego Ludovicus de Cooman, ep. tit. Taciamontanensis.
✠ Ego Franciscus M. Franco, ep. tit. Iliensis.
✠ Ego Ioannes Mele, ep. Lungrensis.
✠ Ego Fidelis Garcia Martinez, ep. tit. Sululitanus.
✠ Ego Ioannes Smit, ep. tit. Paraliensis.
✠ Ego Carolus Vanuytven, ep. tit. Megarensis.
✠ Ego Ioachim Eftimios, ep. Mariamnensis.
✠ Ego Boleslaus Sloskans, ep. tit. Cillitanus.

✠ Ego Cyrillus Kurteff, ep. tit. Briulitanus.
✠ Ego Hadrianus Larribeau, ep. tit. Thinitanus.
✠ Ego Hector Catry, ep. tit. Simtensis.
✠ Ego Ioseph Placidus M. Nicolini, ep. Assisiensis.
✠ Ego Paulus Molin, ep. tit. Garbensis.
✠ Ego Caietanus Mignani, ep. Chinganensis.
✠ Ego Stephanus Hàsz, ep. tit. Surenus.
✠ Ego Iacobus Patritius O'Collins, ep. Ballaratensis.
✠ Ego Dominicus Petroni, ep. Melphiensis et Rapollensis.
✠ Ego Ioannes Pirastru, ep. Ecclesiensis.
✠ Ego Ioseph Aldaeus Desmarais, ep. Amosensis.
✠ Ego Matthias Solá y Farrell, ep. tit. Colophoniensis.
✠ Ego Aloisius Guizar Barragán, ep. Saltillensis.
✠ Ego Theodorus Eugenin, ep. tit. Hierissensis.
✠ Ego Patricius Ioseph Farrelly, ep. Lismorensis.
✠ Ego Timotheus Raymundos, ep. tit. Chariopolitanus.
✠ Ego Augustinus Rodriguez, ep. Villaricensis.
✠ Ego Ioseph Franciolini, ep. Cortonensis.
✠ Ego Stanislaus Amilcarus Battistelli, ep. Teramensis et Atriensis.
✠ Ego Iacobus Mangers, ep. tit. Afufeniensis.
✠ Ego Ioseph Rancans, ep. tit. Marcopolitanus.
✠ Ego Ioseph Cognata, ep. tit. Pharsalius.
✠ Ego Ioseph Bonhomme, ep. tit. Tulanensis.
✠ Ego Ioseph Trudel, ep. tit. Nobensis.
✠ Ego Edgardus Antonius Häring, ep. Scioceuvensis.
✠ Ego Franciscus Venantius Filippini, ep. tit. Thinisensis in Numidia.
✠ Ego Faustinus Baldini, ep. Massanus.
✠ Ego Ioachim Amman, ep. tit. Petnellissensis.
✠ Ego Villelmus Cobben, ep. Helsinskiensis.
✠ Ego Christophorus Arduinus Terzi, ep. tit. Diocletianensis.
✠ Ego Oscar Sevrin, ep. tit. Mossinensis.
✠ Ego Camillus Verfaillie, ep. tit. Oeensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Lacoursière, ep. tit. Amadassenus.
✠ Ego Alexander Roy, ep. tit. Ambiensis.
✠ Ego Nicolaus Laudadio, ep. tit. Alamiliarensis.
✠ Ego Cuthbertus Martinus O'Gara, ep. Iuenlimensis.
✠ Ego Paulus Bouque, ep. tit. Abbiritanus Germaniciana.
✠ Ego Stephanus Ferrando, ep. Shillongensis.
✠ Ego Leo Angelus Olano y Urteaga, ep. tit. Laginensis.
✠ Ego Ferdinandus Longinotti, ep. S. Severini.
✠ Ego Franciscus Aemilius M. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaritanus.
✠ Ego Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Combensis.
✠ Ego Marius Civelli, ep. Ueihoeivensis.
✠ Ego Assuerus Theophanus Bassi, ep. Loiamensis.
✠ Ego Victor Burić, ep. Seniensis.
✠ Ego Philippus Côté, ep. Siuceuvensis.
✠ Ego Sanctes Moro Briz, ep. Abulensis.
✠ Ego Georgius Leo Leech, ep. Harrisburgensis.

✠ Ego Achilles Salvucci, ep. Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis.
✠ Ego Ludovicus de Courrèges d'Ustou, ep. Montis Albani.
✠ Ego Angelus Ioseph Jelmini, ep. tit. Thermensis.
✠ Ego Albertus M. Guiot, ep. Portus Pacis.
✠ Ego Paulus Samson Ioannes M. Robert, ep. Gonayvesensis.
✠ Ego Emmanuel Moll y Salord, ep. Dertosensis.
✠ Ego Candidus Bampi, ep. tit. Tloensis.
✠ Ego Vincentius Dereere, ep. Trivandrensis Latinorum.
✠ Ego Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis.
✠ Ego Blasius Budelacci, ep. tit. Nyssenus.
✠ Ego Alfredus Viola, ep. Saltensis in Uruguay.
✠ Ego Angelus Calabretta, ep. Netensis.
✠ Ego Antonius Teutonico, ep. Aversanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Villipelet, ep. Nannetensis.
✠ Ego Simon Conradus Landersdorfer, ep. Passaviensis.
✠ Ego Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis.
✠ Ego Laurentius Basoli, ep. Oleastrensis.
✠ Ego Carolus Rossi, ep. Bugellensis.
✠ Ego Fredericus Pezzullo, ep. Policastrensis.
✠ Ego Ioseph Evrard, ep. tit. Dionysopolitanus.
✠ Ego Innocentius Alfredus Russo, ep. tit. Pegaeus.
✠ Ego Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis.
✠ Ego Emmanuel de Medeiros Guerreiro, ep. Nampulensis.
✠ Ego Henricus Ambrosius Pinger, ep. Ceuzuenensis.
✠ Ego Vincentius Del Signore, ep. Fanensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Ochoa, ep. tit. Remesianensis.
✠ Ego Marcellus Oliverius Maradan, ep. Portus Victoriae.
✠ Ego Georgius Ioannes Rehring, ep. Toletanus in America.
✠ Ego Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis.
✠ Ego Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis.
✠ Ego Ioseph Franciscus Ryan, ep. Hamiltonensis.
✠ Ego Ioseph Malouf, ep. Heliopolitanus Melkitarum.
✠ Ego Raphaël Barbieri, ep. Cassanensis.
✠ Ego Hieronymus Fernandez, ep. Quilonensis.
✠ Ego Ioseph Perniciaro, ep. tit. Arbanensis.
✠ Ego Stephanus Woznicki, ep. Saginavensis.
✠ Ego Octavius Terrienne, ep. tit. Menelaitensis.
✠ Ego Napoleo Alexander La Brie, ep. tit. Hiltensis.
✠ Ego Iacobus Mendonça, ep. Tiruchirapolitanus.
✠ Ego Ioseph Pronti, ep. Nucerinus Tadiensis.
✠ Ego Petrus Massa, ep. Naniamensis.
✠ Ego Emmanuel Larrain Errazuriz, ep. Talcensis.
✠ Ego Alfonsus M. Van den Bosch, ep. Matadiensis.
✠ Ego Carolus Weber, ep. Iceuvensis.
✠ Ego Henricus Ioseph Piérard, ep. Benensis.
✠ Ego Urbanus Stephanus Morlion, ep. Balduinopolitanus.
✠ Ego Irenaeus Chelucci, ep. Ilcinensis.
✠ Ego Constantinus Gómez Villa, ep. tit. Cucusenus.

✠ Ego Vincentius Lojali, ep. Amerinus.
✠ Ego Paulus Babini, ep. Foroliviensis.
✠ Ego Paulus Rusch, ep. Oenipontanus.
✠ Ego Paulus Mazé, ep. tit. Ascalonitanus.
✠ Ego Thomas McCabe, ep. Vollongongensis.
✠ Ego Franciscus Marchesani, ep. Clavarensis.
✠ Ego Patricius Cleary, ep. Nancemensis.
✠ Ego Ioannes Theodorus Suhr, ep. tit. Apisanensis.
✠ Ego Thomas Rochus Agniswami, ep. Kottarensis.
✠ Ego Franciscus Bruls, ep. Villavicentiensis.
✠ Ego Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis.
✠ Ego Adolfus Ciuchini, ep. Algarensis.
✠ Ego Nicolaus Dudás, ep. Hajdudoroghensis.
✠ Ego Ignatius de Alba y Hernández, ep. Colimensis.
✠ Ego Aemilianus Franciscus Čekada, ep. Scopiensis.
✠ Ego Ludovicus La Ravoire Morrow, ep. Krishnagarensis.
✠ Ego Sigisbaldus Blasius Kurz, ep. tit. Terenuthitanus.
✠ Ego Henricus Martinus Mekkelholt, ep. tit. Dausarenus.
✠ Ego Carolus Ioseph Lemaire, ep. tit. Otroensis.
✠ Ego Fridericus Antonius Donaghy, ep. Uceuvensis.
✠ Ego Nigellus Farren, ep. Derriensis.
✠ Ego Raphael Campelli, ep. Calliensis et Pergulanus.
✠ Ego Villelmus Ioseph Condon, ep. Great-Ormensis.
✠ Ego Ioachim Pedicini, ep. Abellinensis.
✠ Ego Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyallpurensis.
✠ Ego Augustus Osvaldus Salinas Fuenzalida, ep. Linarensis.
✠ Ego Ioseph Lach, ep. tit. Dodonaeus.
✠ Ego Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculanus.
✠ Ego Patricius Ioseph Kelly, ep. Urbis Beninensis.
✠ Ego Sydnaeus Matthaeus Metzger, ep. Elpasensis.
✠ Ego Edmundus Peiris, ep. Chilavensis.
✠ Ego Albertus Carinci, ep. Boianensis-Campobassensis.
✠ Ego Vincentius Brizgys, ep. tit. Bosanensis.
✠ Ego Aegidius Aloisius Lanzo, ep. Salutiarum.
✠ Ego Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis.
✠ Ego Victorius De Zanche, ep. Concordiensis.
✠ Ego Eliseus Coroli, ep. tit. Zamensis Maior.
✠ Ego Cyrillus Ioannes Zohrabian, ep. tit. Acilisenus.
✠ Ego Ioseph Abraham Martinez Betancourt, ep. Tacambarensis.
✠ Ego Ioseph Angrisani, ep. Casalensis.
✠ Ego Petrus M. Théas, ep. Tarbiensis et Lourdensis.
✠ Ego Leo de Uriarte Bengoa, ep. tit. Madaurensis.
✠ Ego Vincentius Kovács, ep. tit. Zaraitanus.
✠ Ego Felix Bonomini, ep. Comensis.
✠ Ego Thomas Leo Parker, ep. Northantoniensis.
✠ Ego Marianus Hyacinthus Valdivia y Ortiz, ep. Huancayensis.
✠ Ego Theodosius Moreno Quintana, ep. Huarazensis.
✠ Ego Ioseph Grueter, ep. Umtatanus.

✠ Ego Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis.
✠ Ego Daniel Gomes Junquiera, ep. Novae Lisbonae.
✠ Ego Rosarius Brodeur, ep. Alexandrinus in Ontario.
✠ Ego Aloisius Gonzaga da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Maragnano.
✠ Ego Dionysius Moynihan, ep. Kerriensis.
✠ Ego Vitus Chang Tso-Huan, ep. tit. Cyanitanus.
✠ Ego Andreas Dupont, ep. Bobodiulassensis.
✠ Ego Carolus Baldini, ep. Clusinus et Pientinus.
✠ Ego Alexander Menchaca Lira, ep. tit. Pinarensis.
✠ Ego Petrus Aguilera Narbona, ep. Iquiquensis.
✠ Ego Antonius M. Casaux, ep. Lucionensis.
✠ Ego Henricus M. Verin de la Brunelière, ep. S. Petri et Arcis Galliae.
✠ Ego Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis.
✠ Ego Maximilianus Spiller, ep. tit. Myricensis.
✠ Ego Petrus Villelmus Bartholome, ep. S. Clodoaldi.
✠ Ego Antoninus Catarella, ep. Platiensis.
✠ Ego Ioseph Alfonsus Baud, ep. Visakhapatnamensis.
✠ Ego Antonius Zattera, ep. Pelotensis.
✠ Ego Ioannes Gunnarson, ep. tit. Holarensis.
✠ Ego Ioannes Senner, ep. tit. Equizetensis.
✠ Ego Daniel Llorente y Federico, ep. Segobiensis.
✠ Ego Rembertus Casimirus Kowalski, ep. Uciamensis.
✠ Ego Andreas M. Charue, ep. Namurcensis.
✠ Ego Petrus Čule, ep. Mandetriensis.
✠ Ego Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis.
✠ Ego Aloisius Rosa, ep. Balneoregiensis.
✠ Ego Carolus Allorio, ep. Papiensis.
✠ Ego Camillus Andreas Le Blanc, ep. Bathurstensis in Canada.
✠ Ego Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis.
✠ Ego Villelmus Tiburtius McCarthy, ep. Rapidopolitanus.
✠ Ego Ioannes Gay, ep. Imae Telluris et Pointapitrensis.
✠ Ego Alfonsus Emmanuel Escalante, ep. tit. Soranus.
✠ Ego Aemilius Baroncelli, ep. Recinetensis Lauretanus.
✠ Ego Franciscus Van den Bergh, ep. Budjalaensis.
✠ Ego Eduardus Nécsey, ep. tit. Velicensis.
✠ Ego Nilus Nicolaus Savaryn, ep. Edmontensis Ucrainorum.
✠ Ego Matthaeus Aloisius Niedhammer, ep. tit. Caloenus.
✠ Ego Mauritius Paulus Rousseau, ep. tit. Ausafensis.
✠ Ego Delphinus Ribeiro Guedes, ep. S. Ioannis a Rege.
✠ Ego Ignatius Mummadi, ep. Gunturensis.
✠ Ego Ioseph Gori, ep. Nepesinus et Sutrinus.
✠ Ego Antonius Bagnoli, ep. Fesulanus.
✠ Ego Ioseph Battaglia, ep. Faventinus.
✠ Ego Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis.
✠ Ego Ioseph Dell'Olmo, ep. Aquensis.
✠ Ego Gregorius Alonso Aparicio, ep. tit. Poglensis.
✠ Ego Carolus Zinato, ep. Vicentinus.
✠ Ego Innocentius Rodriguez Diez, ep. Conchensis.

✠ Ego Raphaël Alvarez Lara, ep. Maioricensis.
✠ Ego Ludovicus Severinus Haller, ep. tit. Bethleemitanus.
✠ Ego Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis.
✠ Ego Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis.
✠ Ego Alexander Kovács, ep. Sabariensis.
✠ Ego Ioseph Stella, ep. Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis.
✠ Ego Ignatius Krause, ep. Scioenteanus.
✠ Ego Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus.
✠ Ego Dominicus Fukahori, ep. Fukuokaensis.
✠ Ego Ioannes Nicolai, ep. Tarijensis.
✠ Ego Georgius Alapatt, ep. Trichuriensis.
✠ Ego Patritius Franciscus Lyons, ep. Saliensis.
✠ Ego Eduardus Ellis, ep. Nottinghamensis.
✠ Ego Eugenius O'Doherty, ep. Dromorensis.
✠ Ego Hieronymus Bartholomaeus Bortignon, ep. Patavinus.
✠ Ego Michaël Angelus Garcia y Aráuz, ep. Jalapensis in Guatimala.
✠ Ego Raphaël González Estrada, ep. tit. Matregensis.
✠ Ego Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis.
✠ Ego Aloisius Almarcha Hernández, ep. Legionensis.
✠ Ego Ferdinandus Pasini, ep. Saniuenensis.
✠ Ego Ioseph Pace, ep. Gaudisiensis.
✠ Ego Henricus Gelain, ep. Vaccariensis.
✠ Ego Augustinus Jauffrès, ep. tit. Arsennaritanus.
✠ Ego Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis.
✠ Ego Iacobus Connelly, ep. Riverormensis.
✠ Ego Carolus a Trinitate Borge y Catrilla, ep. tit. Lappensis.
✠ Ego Saturninus Rubio y Montiel, ep. Oxomensis-Sorianus.
✠ Ego Richardus Cleire, ep. tit. Tadamatensis.
✠ Ego Vincentius Roig y Villalba, ep. tit. Aradensis.
✠ Ego Alfredus Marie, ep. Caiennensis.
✠ Ego Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus.
✠ Ego Adolfus Bolte, ep. Fuldensis.
✠ Ego Antonius Ioannes King Mussio, ep. Steubenvicensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Schenk, ep. Duluthensis.
✠ Ego Vincentius Stanislaus Waters, ep. Raleighiensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Smith, ep. Pembrokensis.
✠ Ego Thaddaeus Le Huu Tu, ep. tit. Daphnusiensis.
✠ Ego Henricus Routhier, ep. tit. Naissitanus.
✠ Ego Ioseph Köstner, ep. Gurcensis.
✠ Ego Candidus Rada Senostain, ep. Guarandensis.
✠ Ego Aetius Barbieri, ep. Civitatis Plebis.
✠ Ego Iulius Bianconi, ep. Tarquiniensis et Centumcellarum.
✠ Ego Dominicus Valerii, ep. Marsorum.
✠ Ego Ioseph de Medeiros Leite, ep. Oliveirensis.
✠ Ego Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis.
✠ Ego Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis.
✠ Ego Carolus Boiardi, ep. Apuaniensis.
✠ Ego Bertrandus Lacaste, ep. Oranensis.

✠ Ego Renatus Ioseph Piérard, ep. Catalaunensis.
✠ Ego Renatus Boisguérin, ep. Suifuanus.
✠ Ego Carolus Greco, ep. Alexandrinus.
✠ Ego Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. S. Sebastiani.
✠ Ego Franciscus Gerardus Kramer, ep. Lunganensis.
✠ Ego Stephanus Kuijpers, ep. Paramariboensis.
✠ Ego Ioannes Petrus Zarranz y Pueyo, ep. Placentinus in Hispania.
✠ Ego Arturus Tabera Araoz, ep. Albasitensis.
✠ Ego Maturinus Blanchet, ep. Augustanus.
✠ Ego Ioannes B. Piasentini, ep. Clodiensis.
✠ Ego Petrus Raimondi, ep. Crotonensis.
✠ Ego Thomas Laurentius Noa, ep. Marquettensis.
✠ Ego Casimirus Ioseph Kowalski, ep. Culmensis.
✠ Ego Leonillus Scheffer, ep. tit. Isbitanus.
✠ Ego Carolus Ioseph Van Melckebeke, ep. Nimsciianus.
✠ Ego Faustinus Tissot, ep. Chemceuvensis.
✠ Ego Antonius Demets, ep. tit. Cadossensis.
✠ Ego Georgius Marcus de Oliveira, ep. S. Andreae in Brasilia.
✠ Ego Aloisius Gonzaga Peluso, ep. Cachoeirensis de Itapemirim.
✠ Ego Petrus Arnoldus Aparicio y Quintanilla, ep. S. Vincentii.
✠ Ego Danius Bolognini, ep. Cremonensis.
✠ Ego Venceslaus Majewski, ep. tit. Docimensis.
✠ Ego Leo Ferdinandus Dworschak, ep. Fargensis.
✠ Ego Daniel Ioseph Feeney, ep. Portlandensis.
✠ Ego Abel Ribeiro Carmelo, ep. Goiasensis.
✠ Ego Andreas van den Bronk, ep. Parakuensis.
✠ Ego Patricius Dunne, ep. tit. Narensis.
✠ Ego Eduardus Aloisius Fitzgerald, ep. Vinonaensis.
✠ Ego Timotheus Manning, ep. tit. Lesvitanus.
✠ Ego Aurelius Marena, ep. Rubensis et Bituntinus.
✠ Ego Ioannes B. Costa, ep. tit. Scilitanus.
✠ Ego Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis.
✠ Ego Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis.
✠ Ego Beniaminus Ibberson Webster, ep. Peterboroughensis.
✠ Ego Gabriel Paulinus Bueno Couto, ep. tit. Leucenus.
✠ Ego Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis.
✠ Ego Franciscus Jedwabski, ep. tit. Maxulitanus.
✠ Ego Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis.
✠ Ego Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McDonough, ep. Savannensis.
✠ Ego Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico.
✠ Ego Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus.
✠ Ego Nicolaus Verhoeven, ep. Manadoensis.
✠ Ego Leopoldus Brellinger, ep. Chimscienensis.
✠ Ego Ioseph Carolus McCormick, ep. Altunensis Johnstoniensis.
✠ Ego Secundus Chiocca, ep. tit. Caesariensis in Bythinia.
✠ Ego Michaël Klepacz, ep. Lodzensis.
✠ Ego Ioseph Melas, ep. Nuorensis.

✠ Ego Ioannes Eduardus Petit, ep. Menevensis.
✠ Ego Allen Iacobus Babcock, ep. Grandormensis.
✠ Ego Iacobus Fergus, ep. Achadensis.
✠ Ego Ioannes Lück, ep. Alivalensis.
✠ Ego Daniel Liston, ep. Portus Ludovici.
✠ Ego Carolus Pekala, ep. tit. Trocmadianus.
✠ Ego Floid Laurentius Begin, ep. Quercopolitanus.
✠ Ego Ioseph Hascher, ep. tit. Aeliensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Hagendorens, ep. Tshumbeensis.
✠ Ego Eduardus Mason, ep. tit. Rusicadensis.
✠ Ego Camillus Placidus Crous y Salichs, ep. tit. Cratiensis.
✠ Ego Claudius Bayet, ep. tit. Cidyessensis.
✠ Ego Georgius Béjot, ep. tit. Cassandrensis.
✠ Ego Aurelius Del Pino Gómez, ep. Illerdensis.
✠ Ego Ioannes B. Fauret, ep. de Pointe Noire.
✠ Ego Ioannes B. Neuhäusler, ep. tit. Calydoniensis.
✠ Ego Andreas Fauvel, ep. Corisopitensis.
✠ Ego Albericus Semeraro, ep. Uritanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum.
✠ Ego Ioannes Kyne, ep. Midensis.
✠ Ego Iacobus Eduardus McManus, ep. tit. Bendensis.
✠ Ego Georgius Xenopulos, ep. Syrensis.
✠ Ego Iacobus Grent, ep. tit. Betagbarensis.
✠ Ego Nicanor Carolus Gavilanes Chamorro, ep. Portus Veteris.
✠ Ego Petrus M. Puech, ep. Carcassonensis.
✠ Ego Ioseph Aurelianus Bilgeri, ep. Eshowensis.
✠ Ego Hugo Donohoe, ep. Stocktoniensis.
✠ Ego Augustinus Wildermuth, ep. Patnensis.
✠ Ego Adolfus Alexander Noser, ep. tit. Hierpinianensis.
✠ Ego Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis.
✠ Ego Carolus M. Cavallera, ep. Marsabitensis.
✠ Ego Ioseph Maximilianus Müller, ep. Siopolitanus.
✠ Ego Ignacius Glennie, ep. Trincomaliensis.
✠ Ego Hubertus M. Newell, ep. Cheyennensis.
✠ Ego Iacobus Aloisius McNulty, ep. Buffalensis.
✠ Ego Ludovicus Abel Caillouet, ep. tit. Seteensis.
✠ Ego Albertus Zuroweste, ep. Bellevillensis.
✠ Ego Wendelinus Ioseph Nold, ep. Galvestoniensis-Houstoniensis.
✠ Ego Carolus Eduardus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis.
✠ Ego Ioseph Alvarez Mácau, ep. tit. Colybrassenus.
✠ Ego Anselmus Pietrulla, ep. Tubaraoensis.
✠ Ego Paulus Petrus Pinier, ep. Constantinianus.
✠ Ego Emmanuel Könner, ep. tit. Modrenus.
✠ Ego Franciscus Bottino, ep. tit. Sebastenus in Palaestina.
✠ Ego Benignus Carrara, ep. Imolensis.
✠ Ego Ioseph Rodgers, ep. Laoniensis.
✠ Ego Emmanuel Petrus da Cunha Cintra, ep. Petropolitanus.
✠ Ego Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus.

✠ Ego Franciscus Gleeson, ep. de Fairbanks.
✠ Ego Antonius Ferreira Gomes, ep. Portugallensis.
✠ Ego Vunibaldus Talleur, ep. tit. Magydensis.
✠ Ego Antonius Tedde, ep. Uxellensis et Terralbensis.
✠ Ego Ioseph Brendan Whelan, ep. Overriensis.
✠ Ego Andreas Roborecki, ep. Saskatoonensis Ucrainorum.
✠ Ego Iacobus Black, ep. Pasletanus.
✠ Ego Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus.
✠ Ego Ioannes Toohey, ep. Maitlandensis.
✠ Ego Rodoricus Serra, ep. S. Caroli in Brasilia.
✠ Ego Eduardus Ioannes Doody, ep. Armidalensis.
✠ Ego Clemens Geiger, ep. tit. Olenensis.
✠ Ego Alfredus Bertram Leverman, ep. S. Ioannis Canadensis.
✠ Ego Ioseph Delphinus Des Rosiers, ep. Qachasnekensis.
✠ Ego Angelus Muzzolón, ep. tit. Tyriaensis.
✠ Ego Isidorus Borecky, ep. Torontinus Ucrainorum.
✠ Ego Ioannes B. Dal Prà, ep. Interamnensis et Narniensis.
✠ Ego Aldus Patroni, ep. Calicutensis.
✠ Ego Silvius Cassulo, ep. Maceratensis-Tolentinus.
✠ Ego Michaël Albertus Arduino, ep. Hierarcensis-Locrensis.
✠ Ego Emmanuel a Iesu Pereira, ep. Brigantiensis.
✠ Ego Paulus Rolim Loureiro, ep. Crucismogensis.
✠ Ego Ioseph Iulianus Oste, ep. Geholensis.
✠ Ego Vincentius Billington, ep. tit. Fallabensis.
✠ Ego Ioseph Terceiro de Souza, ep. Penedensis.
✠ Ego Russel Ioseph McVinney, ep. Providentiensis.
✠ Ego Villelmus Brasseur, ep. tit. Agathonicianus.
✠ Ego Horacius Ferucius Ceol, ep. Chiceuvensis.
✠ Ego Kenneth Rodoricus Turner, ep. Liscioeivensis.
✠ Ego Ioannes B. Velasco, ep. Sciiamenensis.
✠ Ego Georgius Mercier, ep. Laguatensis.
✠ Ego Raphaël Macario, ep. tit. Tiberiensis.
✠ Ego Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus.
✠ Ego Andreas Jacq, ep. tit. Cerasenus.
✠ Ego Leo Arkfeld, ep. tit. Bucellensis.
✠ Ego Petrus Severi, ep. tit. Pergamenus.
✠ Ego Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis.
✠ Ego Carolus Angeleri, ep. tit. Ptolemaidensis in Lybia.
✠ Ego Percival Caza, ep. tit. Albulensis.
✠ Ego Gerardus Bertrand, ep. Navrongensis.
✠ Ego Henricus Vion, ep. Pictaviensis.
✠ Ego Antonius Castro Becerra, ep. Palmirensis.
✠ Ego Ioseph Lazarus Neves, ep. Assisensis.
✠ Ego Claudius Constantinus M. Flusin, ep. S. Claudii.
✠ Ego Ioannes B. Parodi, ep. Savonensis et Naulensis.
✠ Ego Franciscus Minerva, ep. Lyciensis.
✠ Ego Leo Pietsch, ep. tit. Naronensis.
✠ Ego Ioseph Alves de Sa'Trindade, ep. Montisclarensis.

✠ Ego Carolus Ioseph Leiprecht, ep. Rottenburgensis.
✠ Ego Alfredus Galindo Mendoza, ep. Tigiuanaensis.
✠ Ego Thomas Vincentius Cahill, ep. Cairnensis.
✠ Ego Emmanuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero.
✠ Ego Franciscus Esser, ep. Keimoesanus.
✠ Ego Antonius Victor Hälg, ep. tit. Baianensis.
✠ Ego Alfonsus M. Ungarelli, ep. tit. Azurensis.
✠ Ego Hugo Boyle, ep. Ioannesburgensis.
✠ Ego Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis.
✠ Ego Lucianus Lacoste, ep. Talianus.
✠ Ego Villemus Aloisius O'Connor, ep. Campifontis in Illinois.
✠ Ego Carolus M. Himmer, ep. Tornacensis.
✠ Ego Franciscus Constantinus Mazzieri, ep. Ndolaensis.
✠ Ego Vladimirus Borić, ep. de Punta Arenas.
✠ Ego Ioseph Romaeus Gagnon, ep. Edmundstonensis.
✠ Ego Lurdu Mariaden Salvanaden, ep. Salemensis.
✠ Ego Ceslaus Falkowski, ep. Lomzensis.
✠ Ego Paulus Tobar González, ep. Cuttackensis.
✠ Ego Hieronymus Aemilianus Pillai, ep. Jaffnensis.
✠ Ego Franciscus Odo De Wilde, ep. Niangaraensis.
✠ Ego Paulus Hippolytus de Souza Libório, ep. Parnaibensis.
✠ Ego Carolus Hermannus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph.
✠ Ego Ioannes Patritius O'Loughlin, ep. Darvinensis.
✠ Ego Ludovicus Ioannes Guyot, ep. Constantiensis.
✠ Ego Tarcisius Vincentius Benedetti, ep. Laudensis.
✠ Ego Leo Lommel, ep. Luxemburgensis.
✠ Ego Leo D'Mello, ep. Aimerensis et Jaipurensis.
✠ Ego Petrus Grimm, ep. Zincheuvensis.
✠ Ego Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis.
✠ Ego Edwinus Pinto, ep. Ahmedabadensis.
✠ Ego Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus.
✠ Ego Ioseph Calasanctius Rosenhammer, ep. tit. Amporensis.
✠ Ego Andreas Alexius D'Souza, ep. Poonensis.
✠ Ego Ioseph Rudderham, ep. Cliftoniensis.
✠ Ego Ioannes Beniaminus Grellinger, ep. tit. Syenitanus.
✠ Ego Ioachim Muccin, ep. Feltrensis et Bellunensis.
✠ Ego Aemilius Biancheri, ep. Ariminensis.
✠ Ego Ioannes Capistranus Cayer, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Bernardinus Collin, ep. Diniensis.
✠ Ego Gregorius Ephraem Jarjour, ep. tit. Larissensis in Syria.
✠ Ego Villelmus Kempf, ep. Limburgensis.
✠ Ego Petrus Kalwa, ep. Lublinensis.
✠ Ego Matthaeus Vido Sperandeo, ep. Calvensis et Theanensis.
✠ Ego Thomas Bernardus Pearson, ep. tit. Sindensis.
✠ Ego Robertus Pobožný, ep. tit. Neilenus.
✠ Ego Ambrosius Lazik, ep. tit. Appianus.
✠ Ego Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis.
✠ Ego Franciscus Zauner, ep. Linciensis.

✠ Ego Henricus Pinault, ep. Cemtuanus.
✠ Ego Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis.
✠ Ego Andreas Vérineux, ep. Imcheuvensis.
✠ Ego Chrysanthus Mata Cova, ep. Cumanensis.
✠ Ego Ioannes Patricius Kavanagh, ep. Dunedinensis.
✠ Ego Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis.
✠ Ego Arturus Quintanilla, ep. Coeitevensis.
✠ Ego Claudius Colling, ep. Passofundensis.
✠ Ego Antonius Bergamaschi, ep. Feretranus.
✠ Ego Georgius Guibert, ep. Reunionensis.
✠ Ego Georgius Villelmus Ahr, ep. Trentonensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Muthappa, ep. Coimbaturensis.
✠ Ego Emmanuel Llopis Ivorra, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum.
✠ Ego Hirtius Aloisius Magliacani, ep. tit. Diensis.
✠ Ego Ioannes Ambrosius Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis.
✠ Ego Ioannes Russel, ep. Richmondiensis.
✠ Ego Christophorus Weldon, ep. Campifontis.
✠ Ego Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis.
✠ Ego Marcellus Daubechies, ep. tit. Buffadensis.
✠ Ego Ioannes von Rudloff, ep. tit. Busiritanus.
✠ Ego Andreas Parenty, ep. tit. Sitifensis.
✠ Ego Petrus Kelleter, ep. Bethlehemitanus.
✠ Ego Iacobus Cannonero, ep. Astensis.
✠ Ego Sylvius Aloisius Haro Alvear, ep. Ibarrensis.
✠ Ego David Cunningham, ep. tit. Lampsacenus.
✠ Ego Polycarpus da Costa Vaz, ep. Aegitaniensis.
✠ Ego Bernardus Arango Henao, ep. Barrancabermejensis.
✠ Ego Emmanuel Marengo, ep. Azulensis.
✠ Ego Gerardus van Velsen, ep. Kroonstadensis.
✠ Ego Gustavus Iosephus Bouve, ep. Kongoloensis.
✠ Ego Leo Aloisius Pursley, ep. Vaine Castrensis et Southbendensis.
✠ Ego Antonius Koreiche, ep. Sidoniensis Maronitarum.
✠ Ego Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Franciscus Pennisi, ep. Ragusiensis.
✠ Ego Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus.
✠ Ego Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis.
✠ Ego Ioseph M. Garcia Lahiguera, ep. Huelvensis.
✠ Ego Dragutin Nežic, ep. Parentinus et Polensis.
✠ Ego Dominicus Hoang-van-Doan, ep. Quinhon.
✠ Ego Vincentius Reyes, ep. Boronganensis.
✠ Ego Raimundus de Castro e Silva, ep. tit. Uzalensis.
✠ Ego Franciscus Leipzig, ep. Bakeriensis.
✠ Ego Ignatius Gregorius Larrañaga Lasa, ep. Pimliamensis.
✠ Ego Valterus Vervoort, ep. tit. Baricensis.
✠ Ego Victor M. Keuppens, ep. Kaminaensis.
✠ Ego Vincentius Hanly, ep. Elphinensis.
✠ Ego Thomas Fernando, ep. Tuticorensis.
✠ Ego Hermannus Tillemans, ep. tit. Berissenus.

✠ Ego Abdallah Nujaim, ep. Heliopolitanus Maronitarum.
✠ Ego Sebastianus Vayalil, ep. Palaiensis.
✠ Ego Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis.
✠ Ego Augustinus Quinn, ep. Kilmorensis.
✠ Ego Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis.
✠ Ego Paulus Leonardus Hagerty, ep. Nassaviensis.
✠ Ego Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis.
✠ Ego Vincentius M. Jacono, ep. tit. Patarensis.
✠ Ego Ioannes Florianus Loewenau, ep. tit. Drivastensis.
✠ Ego Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis.
✠ Ego Angelus Hidalgo Ibañez, ep. Jacensis.
✠ Ego Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis et Rossensis.
✠ Ego Villelmus Cleven, ep. tit. Sasimensis.
✠ Ego Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis.
✠ Ego Ioannes B. Cesana, ep. Guluensis.
✠ Ego Ludovicus Cabrera Cruz, ep. S. Ludovici Potosiensis.
✠ Ego Augustinus D'Arco, ep. Castri Maris.
✠ Ego Ioseph Federal, ep. Civitatis Lacus Salsi.
✠ Ego Blasius Musto, ep. Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi.
✠ Ego Patricius O'Boyle, ep. Alladensis.
✠ Ego Alfonsus Beretta, ep. Varangalensis.
✠ Ego Andreas Jacques, ep. Bomaensis.
✠ Ego Petrus Zuccarino, ep. Bobiensis.
✠ Ego Albertus Franciscus Cousineau, ep. Capitis Haitiani.
✠ Ego Nicolaus Petrus van der Westen, ep. Pangkalpinangensis.
✠ Ego Caesarius Benedetti, ep. tit. Tidditanus.
✠ Ego Sixtus Mazzoldi, ep. tit. Lamenus.
✠ Ego Paschalis Venezia, ep. Arianensis.
✠ Ego Ghebre Iesus Iacob, ep. tit. Erythritanus.
✠ Ego Haile Mariam Cahsay, ep. Adigratensis.
✠ Ego Dinus Aloisius Romoli, ep. Pisciensis.
✠ Ego Villelmus van Bekkum, ep. Rutengensis.
✠ Ego Antonius Hubertus Thijssen, ep. Larantukanus.
✠ Ego Aemilius Pirolley, ep. Nanceyensis.
✠ Ego Leo Adolfus Messmer, ep. Ambaniaensis.
✠ Ego Ioseph Hiltl, ep. tit. Constantiniensis.
✠ Ego Ioannes Ricote Alonso, ep. tit. Miletopolitanus.
✠ Ego Aemilius Pizzoni, ep. Terracinensis, Privernensis et Setinus.
✠ Ego Hilarius Roatta, ep. S. Agathae Gothorum.
✠ Ego Vitalis Bonifacius Bertoli, ep. tit. Attaeatanus.
✠ Ego Petrus Carretto, ep. tit. Zenobiensis.
✠ Ego Henricus Rau, ep. Maris Platensis.
✠ Ego Gerardus Mongeau, ep. tit. Dianensis.
✠ Ego Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis-Sirmiensis.
✠ Ego Vido M. Casullo, ep. tit. Uticensis.
✠ Ego Ioannes B. Franz, ep. Peoriensis.
✠ Ego Bruno Desrochers, ep. S. Annae Pocatierensis.
✠ Ego Petrus Ioseph Rivera Mejía, ep. Succursensis et S. Aegidii.

✠ Ego Peregrinus de la Fuente, ep. tit. Mylasensis.
✠ Ego Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis.
✠ Ego Fulton Sheen, ep. tit. Caesarianensis.
✠ Ego Maximus Tessier, ep. Timminsensis.
✠ Ego Loras Thomas Lane, ep. Rockfordiensis.
✠ Ego Aemilianus Frenette, ep. S. Hieronymi Terrebonae.
✠ Ego Ioannes Greif, ep. Tororoensis.
✠ Ego Hermannus Westermann, ep. Sambalpurensis.
✠ Ego Ioseph Schoiswohl, ep. Graecensis-Secoviensis.
✠ Ego Paulus Gurpide Beope, ep. Flaviobrigensis.
✠ Ego Aemilius Elias Verhille, ep. Arcis Rousset.
✠ Ego Villelmus M. Van Zuylen, ep. Leodiensis.
✠ Ego Dermot O'Flanagan, ep. Junellensis.
✠ Ego Orestes Marengo, ep. Tezpurensis.
✠ Ego Paulus Furuya Yoshiyuki, ep. Kyotensis.
✠ Ego Villelmus Duschak, ep. tit. Abiddensis.
✠ Ego Henricus Dupont, ep. tit. Dorylaensis.
✠ Ego Ioannes Paschang, ep. Insulae Grandis.
✠ Ego Lancellottus Ioannes Goody, ep. Bumburiensis.
✠ Ego Matthias Wehr, ep. Trevirensis.
✠ Ego Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis.
✠ Ego Paulus Chevalier, ep. Cenomanensis.
✠ Ego Ioannes Lesourd, ep. Nunensis.
✠ Ego Salvator Quezada Limón, ep. de Aguas Calientes.
✠ Ego Marcellus Riopel, ep. tit. Neocaesariensis in Syria.
✠ Ego Antonius Poma, ep. Mantuanus.
✠ Ego Aloisius Carolus Borromeo, ep. Pisauriensis.
✠ Ego Ioseph Pavlišić, ep. tit. Bruzenus.
✠ Ego Vincentius Radicioni, ep. Montis Alti.
✠ Ego Fridericus Rintelen, ep. tit. Chusirensis.
✠ Ego Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania.
✠ Ego Lucas Katsusaburo Arai, ep. Yokohamaensis.
✠ Ego Alfredus Lanctót, ep. Rulengensis.
✠ Ego Ambrosius De Battista, ep. Vijayavadanus.
✠ Ego Adolfus Binni, ep. Nolanus.
✠ Ego Villelmus Escobar Vélez, ep. Antioquiensis.
✠ Ego Georgius Manrique, ep. Orurensis.
✠ Ego Andreas Jacquemin, ep. Baiocensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Klein, ep. Saskatoonensis.
✠ Ego Aloisius Victor Sartori, ep. S. Mariae.
✠ Ego Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus.
✠ Ego Lambertus Hoch, ep. Siouxormensis.
✠ Ego Aloisius Bigirumwami, ep. Nyundoensis.
✠ Ego Iacobus Buis, ep. tit. Astypalaensis.
✠ Ego Patritius Winters, ep. Mbuluensis.
✠ Ego Xaverius M. Ariz Huarte, ep. tit. Baparensis.
✠ Ego Lionellus Audet, ep. tit. Thibaritanus.
✠ Ego Antonius Frondosa, ep. Capicensis.

✠ Ego Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis.
✠ Ego Bryan Gallagher, ep. Portus Piriensis.
✠ Ego Stephanus Loosdregt, ep. tit. Amaurensis.
✠ Ego Raimundus Larose, ep. Chittagongensis.
✠ Ego Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis.
✠ Ego Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus.
✠ Ego Ioseph Nepote-Fus, ep. tit. Helensis.
✠ Ego Ioachim de Lange, ep. tit. Photicensis.
✠ Ego Carolus Aloisius Geromini, ep. tit. Zabensis.
✠ Ego Felix M. Verdet, ep. Rupellensis.
✠ Ego Alexander Fernández Feo-Tinoco, ep. S. Christophori in Venezuela.
✠ Ego Ioseph Gargitter, ep. Bausanensis-Brixinensis.
✠ Ego Flavianus Ariola, ep. Legaspiensis.
✠ Ego Franciscus Simons, ep. Indorensis.
✠ Ego Aloisius Rodriguez Pardo, ep. S. Crucis de Sierra.
✠ Ego Ioseph Adelinus Dantas, ep. Garanhunensis.
✠ Ego Philippus Lussier, ep. S. Pauli in Alberta.
✠ Ego Michaël Arattukulam, ep. Alleppeyensis.
✠ Ego Bernardus Fey Schneider, ep. tit. Philadelphensis minor.
✠ Ego Paulus Leo Seitz, ep. Kontumensis.
✠ Ego Villelmus Van Kester, ep. Basankusuensis.
✠ Ego Prosper Dodds, ep. Ziguinchorensis.
✠ Ego Ioseph Howard Hodges, ep. Whelingensis.
✠ Ego Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis.
✠ Ego Raimundus Masnou Boixeda, ep. Vicensis.
✠ Ego Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis-Septensis.
✠ Ego Michaël Antonius Medina y Medina, ep. Monteriensis.
✠ Ego Ioseph McGee, ep. Gallovidianus.
✠ Ego Valterus Kampe, ep. tit. Bassianensis.
✠ Ego Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis.
✠ Ego Franciscus Nestor Adam, ep. Sedunensis.
✠ Ego Paulus Constantinus Schoenmaeckers, ep. tit. Acarasiensis.
✠ Ego Ioseph Carraro, ep. Veronensis.
✠ Ego Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis.
✠ Ego Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis.
✠ Ego Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. tit. Ceryniensis.
✠ Ego Isidorus Marcus Emanuel, ep. Spirensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Hackett, ep. tit. Helenopolitanus in Palaestina.
✠ Ego Thomas Ioseph Brosnahan, ep. Liberae Urbis et Boensis.
✠ Ego Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis.
✠ Ego Gregorius Elias Olazar Muruaga, ep. tit. Prusensis.
✠ Ego Franciscus Rendeiro, ep. tit. Benepotensis.
✠ Ego Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampicensis.
✠ Ego Augustinus Ioachim Lopes de Moura, ep. Portalegrensis-Castri Albi.
✠ Ego Artemius Prati, ep. Carpensis.
✠ Ego Ioannes B. Pardini, ep. Aesinus.

✠ Ego Franciscus Xaverius Sanguon Souvannasri, ep. tit. Oenoandensis.
✠ Ego Ioseph Truong-cao-Dai, ep. tit. Silensis.
✠ Ego Arokiaswami Sundaram Rajarethinam, ep. Tanjorensis.
✠ Ego Alfonsus Fresnel, ep. Arcis Delphini.
✠ Ego Villelmus Sedlmeier, ep. tit. Aulonitanus.
✠ Ego Emmanuel Alphonsus de Carvalho, ep. Angrensis.
✠ Ego Marinus Bergonzini, ep. Volaterranus.
✠ Ego Ioannes Rüth, ep. tit. Amudarsensis.
✠ Ego Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus.
✠ Ego Otho Motta, ep. Campaniensis in Brasilia.
✠ Ego Natalis Boucheix, ep. Portus Novi.
✠ Ego Ioannes Klooster, ep. Surabaiensis.
✠ Ego Aloisius Cicuttini, ep. Civitatis Castelli.
✠ Ego Petrus de la Chanonie, ep. Claromontanus.
✠ Ego Ioannes Ernestus Ménard, ep. Ruthenensis.
✠ Ego Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis.
✠ Ego Gerardus Valencia Cano, ep. tit. Rhesainensis.
✠ Ego Petrus Grau y Arola, ep. tit. Pellensis.
✠ Ego Ioannes Bokenfohr, ep. Kimberleyensis.
✠ Ego Georgius Kettel, ep. Kabindaensis.
✠ Ego Ivo Plumey, ep. Garuensis.
✠ Ego Remigius Augustin, ep. tit. Turuzitanus.
✠ Ego Ioseph Pullano, ep. Pactensis.
✠ Ego Vincentius De Chiara, ep. Miletensis.
✠ Ego Mauritius Raspini, ep. tit. Sebargensis.
✠ Ego Aldus Forzoni, ep. Dianensis.
✠ Ego Constantinus Caminada, ep. Ferentinus.
✠ Ego Aegidius Henricus Alexis Barthe, ep. Foroiuliensis Tolonensis.
✠ Ego Virginius Dondeo, ep. Urbevetanus.
✠ Ego Franciscus Ioseph Green, ep. Tucsonensis.
✠ Ego Valterus Philippus Kellemberg, ep. Petropolitanus in Insula Longa.
✠ Ego Carolus Anasagasti, ep. tit. Caltadriensis.
✠ Ego Augustinus Baroni, ep. tit. Baleciensis.
✠ Ego Ioannes Hubertus Macey Rodgers, ep. tit. Sbidensis.
✠ Ego Albertus Leménager, ep. Yarmuthensis.
✠ Ego Alfredus Rubio Diaz, ep. Sonsonensis.
✠ Ego Augustus Gianfranceschi, ep. Caesenatensis.
✠ Ego Secundus Garcia, ep. tit. Olympenus.
✠ Ego Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson.
✠ Ego Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis.
✠ Ego Dominicus Ekandem, ep. de Ikot Ekpene.
✠ Ego Alexander Renard, ep. Versaliensis.
✠ Ego Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis.
✠ Ego Aemilius Abascal Salmerón, ep. tit. Abziritanus.
✠ Ego Ioseph Borgatti, ep. Viedmensis.
✠ Ego Colemanus Carroll, ep. Miamiensis.
✠ Ego Bernardus Ioseph Flanagan, ep. Vigorniensis.
✠ Ego Hermannus Spiess, ep. tit. Cemerinianensis.

✠ Ego Alfredus Vozzi, ep. Cavensis et Sarnensis.
✠ Ego Carolus Bandini, ep. Sarsinatensis.
✠ Ego Raimundus Petrus Hillinger, ep. Derbeus.
✠ Ego Armatus Decosse, ep. Gravelburgensis.
✠ Ego Hugo Eduardus Polanco Brito, ep. S. Iacobi Equitum.
✠ Ego Ioseph de Almeida Batista Pereira, ep. Guaxupensis.
✠ Ego Placidus M. Cambiaghi, ep. Novariensis.
✠ Ego Georgius Kilianus Pflaum, ep. tit. Izirianensis.
✠ Ego Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis.
✠ Ego Ioseph Armandus Gutierrez Granier, ep. Cochabambensis.
✠ Ego Martinus Fulgentius Elorza Legaristi, ep. tit. Balianensis.
✠ Ego Franciscus Monaco, ep. Calatanisiadensis.
✠ Ego Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis.
✠ Ego Athanasius Cheriyan Polachirakal, ep. Tiruvallensis.
✠ Ego Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoensis.
✠ Ego Franciscus Clemens Van Hoeck, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Antonius Konings, ep. Ketaensis.
✠ Ego Villelmus Ioannes Demarteau, ep. Bandjarmasinensis.
✠ Ego Ioannes David, ep. Maiungaensis.
✠ Ego Petrus Arikata Kobayashi, ep. Sendaiensis.
✠ Ego Laureanus Castán Lacoma, ep. Segentinus-Guadalajariensis.
✠ Ego Laurentius Bessone, ep. Meruensis.
✠ Ego Ioseph Garneri, ep. Segusiensis.
✠ Ego Leonidas Proaño Villalba, ep. Rivibambensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis.
✠ Ego Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus.
✠ Ego Ioseph M. Pernicone, ep. tit. Hadrianopolitanus in Honoriade.
✠ Ego Alfonsus Caelestinus Basilius Baud, ep. Berberatensis.
✠ Ego Ioannes Reddington, ep. Josensis.
✠ Ego Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Capadocia.
✠ Ego Marius Longo Dorni, ep. Pistoriensis.
✠ Ego Leo Christophorus Byrne, ep. tit. Sabadiensis.
✠ Ego Emmanuel Pereira Da Costa, ep. Campinae Grandis.
✠ Ego Eugenius de Araújo Sales, ep. tit. Thibicensis.
✠ Ego Ieremias Franciscus Minihan, ep. tit. Paphiensis.
✠ Ego Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis.
✠ Ego Ioseph Bretault, ep. Kuduguensis.
✠ Ego Petrus Fiordelli, ep. Pratensis.
✠ Ego Robertus Joyce, ep. Burlingtonensis.
✠ Ego Hermannus Ioannes van Elswijck, ep. Morogoroensis.
✠ Ego Camillus Faresin, ep. tit. Bubastitanus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Fenech, ep. Jhansiensis.
✠ Ego Malcholmus MacEachern, ep. Carolinapolitanus.
✠ Ego Raimundus Bogarin Argaña, ep. S. Ioannis B. a Missionibus.
✠ Ego Gilbertus Baroni, ep. Regiensis in Aemilia.
✠ Ego Franciscus Valentinus Allen, ep. tit. Avensensis.
✠ Ego Antonius De Campos, ep. tit. Febianensis.
✠ Ego Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis.

✠ Ego Honoratus Van Waeyenbergh, ep. tit. Gilbensis.
✠ Ego Ioseph Gennangi, ep. Kamechliensis Armenorum.
✠ Ego Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopensis.
✠ Ego Eugenius Beitia Aldazabal, ep. tit. Verronensis.
✠ Ego Octavius Aguiar, ep. Palmiriensis Indorum.
✠ Ego Clovis Thibault, ep. tit. Canathenus.
✠ Ego Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus.
✠ Ego Bruno Wechner, ep. tit. Cartennitanus.
✠ Ego Florentinus de Andrade e Silva, ep. tit. Heliosebastenus.
✠ Ego Andreas Creemers, ep. Bondoensis.
✠ Ego Andreas Lefebvre, ep. Kikuitensis.
✠ Ego Thomas McGettrick, ep. Ogogiaensis.
✠ Ego Ludovicus Julliard, ep. tit. Vulturiensis.
✠ Ego Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis.
✠ Ego Ioseph Aloisius Durick, ep. tit. Cerbalitanus.
✠ Ego Andreas Pioger, ep. Sagiensis.
✠ Ego Cyprianus Tourel, ep. Montis Pessulani.
✠ Ego Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum.
✠ Ego Franciscus Nunes Teixeira, ep. Quelimanensis.
✠ Ego Rogerius Michon, ep. Carnutensis.
✠ Ego Antonius Rosarius Mennonna, ep. Neritonensis.
✠ Ego Ioannes Wember, ep. tit. Vasadensis.
✠ Ego Ioseph Asajiro Satowaki, ep. Kagoshimaensis.
✠ Ego Dominicus Vendargon, ep. Kuala Lumpurensis.
✠ Ego Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis.
✠ Ego Paulus Dumouchel, ep. tit. Sufetanus.
✠ Ego Caesarius Alexander Minali, ep. tit. Achyraensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Flórez Hernández, ep. Ibaguensis.
✠ Ego Emmanuel Antonius Pires, episcopus Silva Portuensis.
✠ Ego Antonius Mistrorigo, ep. Tarvisinus.
✠ Ego Cyrillus Restiaux, ep. Plymuthensis.
✠ Ego Iulius Laschi Gonzalez, ep. tit. Abydenus.
✠ Ego Carolus Van den Ouwelant, ep. Surigensis.
✠ Ego Longinus Gabriel Pereira, ep. tit. Vadensis.
✠ Ego Bernardus Ioseph Topel, ep. Spokanensis.
✠ Ego Patricius Cronin, ep. tit. Ubazensis.
✠ Ego Villelmus Hart, ep. Dunkeldensis.
✠ Ego Renatus Fourrey, ep. Bellicensis.
✠ Ego Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauropolitanus.
✠ Ego Vincentius de Araujo Matos, ep. Cratensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McCarthy, ep. S. Catharinae in Ontario.
✠ Ego Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis.
✠ Ego Antonius M. Michelato Danese, ep. tit. Archelaidensis.
✠ Ego Angelus Rodriguez Gamoneda, ep. tit. Gazerensis.
✠ Ego Ioseph Albertus Rosario, ep. Amravatensis.
✠ Ego Ubaldus Theophanus Stella, ep. tit. Antaeopolitanus.
✠ Ego Ioseph Bascuñana Llópez, ep. Celsonensis.
✠ Ego Alfonsus Silveira de Mello, ep. tit. Nasaitensis.

✠ Ego Antonius Padiyara, ep. Ootacamundensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Pimiento Rodriguez, ep. Garzonensis-Neivensis.
✠ Ego Iacobus Eugenius Ludovicus Ménager, ep. Meldensis.
✠ Ego Otho Spülbeck, ep. Mismensis.
✠ Ego Urbanus M. Person, ep. tit. Cymaeus.
✠ Ego Ioseph Damasus Laberge, ep. tit. Clypiensis.
✠ Ego Paulus Etoga, ep. Mbalmayoensis.
✠ Ego Petrus Bernardus Pereira, ep. tit. Urusitanus.
✠ Ego Antonius Ravagli, ep. Mutilensis.
✠ Ego Iacobus Henricus Romeijn, ep. Samarindaensis.
✠ Ego Syrus Silvesrti, ep. Fulginatensis.
✠ Ego Ladislaus Paz, ep. Corumbensis.
✠ Ego Aloisius Carvajal, ep. tit. Coptitanus.
✠ Ego Aristides Pirovano, ep. tit. Hadrianensis.
✠ Ego Ioannes Mocellini, ep. Comaciensis.
✠ Ego Altinus Ribeiro De Santana, ep. Sadabandeiropolitanus.
✠ Ego Edmundus Aloisius Kunz, ep. tit. Ptolemaidensis in Phoenicia.
✠ Ego Petrus Kimbondo, ep. Kisantuensis.
✠ Ego Eladius Vicuña Aránguiz, ep. Chillanensis.
✠ Ego Laurentius Morin, ep. Principis Albertensis.
✠ Ego Irenaeus Dud, ep. tit. Barcusenus.
✠ Ego Thomas Quinlan, ep. Chuncheonensis.
✠ Ego Simon Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Santos Ascarza, ep. Valdiviensis.
✠ Ego Sebastianus Valloppilly, ep. Tellicherriensis.
✠ Ego Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia.
✠ Ego Ioannes Nuer, ep. Lycopolitanus.
✠ Ego Eustachius Smith, ep. tit. Apamensis.
✠ Ego Aloisius Baccino, ep. S. Ioseph in Uraquaria.
✠ Ego Michaël Aurrecoechea Palacio, ep. tit. Dolichenus.
✠ Ego Petrus Antonius Nierman, ep. Groningensis.
✠ Ego Matthias Zvekanovic, ep. tit. Burcensis.
✠ Ego Thomas Mongo, ep. Dualaensis.
✠ Ego Narcissus Jubany Arnau, ep. Gerundensis.
✠ Ego Constantinus Christianus Luna, ep. Zacapensis.
✠ Ego Bernardus Patricius Wall, ep. Brentwoodensis.
✠ Ego Stephanus Leven, ep. tit. Buritanus.
✠ Ego Claudius Rolland, ep. Antsirabensis.
✠ Ego Caelestinus Michael Fernández Pérez, ep. S. Marci in Guatimala.
✠ Ego Philippus Furlong, ep. tit. Araxensis.
✠ Ego Argimirus Alvarez Garcia Rodriguez, ep. tit. Coropissenus.
✠ Ego Ioannes Morkovsky, ep. tit. Tigavitanus.
✠ Ego Henricus Forer, ep. tit. Memphitanus.
✠ Ego Victorius Longo, ep. tit. Lorymiensis.
✠ Ego Robertus Stephanus Dehler, ep. tit. Clazomeniensis.
✠ Ego Gustavus Andreas Raballand, ep. tit. Egugensis.
✠ Ego Marius Paré, ep. Chicoutimiensis.
✠ Ego Stanislaus Tigga, ep. Raigharensis-Ambikapurensis.

✠ Ego Aloisius Rinaldi, ep. S. Marci et Bisinianensis.
✠ Ego Antonius Reiterer, ep. Lydenburgensis.
✠ Ego Georgius Pearce, ep. tit. Attalensis in Pamphylia.
✠ Ego Deodatus Yougbare, ep. Kupelaensis.
✠ Ego Dorotheus Fernandez y Fernandez, ep. tit. Castabalensis.
✠ Ego Valerianus Bélanger, ep. tit. Cyrenensis.
✠ Ego Carolus Livraghi, ep. tit. Thagorensis.
✠ Ego Gabriel Ganni, ep. Berytensis Chaldaeorum.
✠ Ego Eduardus Franciscus Ioseph Schlotterback, ep. tit. Balanensis.
✠ Ego Elias Mchonde, ep. Mahengensis.
✠ Ego Antonius Ona de Echave, ep. Lucensis in Hispania.
✠ Ego Ioseph Philippus de Carmine Colaço, ep. S. Iacobi Capitis Viridis.
✠ Ego Richardus Ackerman, ep. Covingtonensis.
✠ Ego Martinus Antonius Jansen, ep. Roterodamensis.
✠ Ego Ioannes M. Etrillard, ep. Gagnoaënsis.
✠ Ego Rogerius Johan, ep. Agennensis.
✠ Ego Michaël Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum.
✠ Ego Michaël Nóvoa Fuente, ep. tit. Chytriensis.
✠ Ego Ioannes Chrysostomus Gomes de Almeida, ep. tit. Jerafitanus.
✠ Ego Antonius Cardoso Cunha, ep. tit. Barenus in Pisidia.
✠ Ego Rudolfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus.
✠ Ego Adalbertus Almeida Merino, ep. Zacatecensis.
✠ Ego Florentius Angelini, ep. tit. Messeniensis.
✠ Ego Ioel Bellec, ep. Elnensis.
✠ Ego Ioannes Carberry, ep. Columbensis.
✠ Ego Antonius Cece, ep. tit. Tamiathitanus.
✠ Ego Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis.
✠ Ego Carolus M. Cafferata, ep. S. Ludovici in Argentina.
✠ Ego Franciscus Vennera, ep. S. Nicolai de los Arroyos.
✠ Ego Franciscus Borgias Valenzuela Rios, ep. Antofagastensis.
✠ Ego Iesus Serrano Pastor, ep. tit. Hypselitanus.
✠ Ego Hieronymus Lingenheim, ep. tit. Thunudrumensis.
✠ Ego Petrus Rouanet, ep. Daloaensis.
✠ Ego Andreas Duirat, ep. Buakensis.
✠ Ego Maximilianus Valdes Subercaseaux, ep. Osornensis.
✠ Ego Ioseph Vázquez Diaz, ep. tit. Usulensis.
✠ Ego David Swamidoss Pillai, ep. Vellorensis.
✠ Ego Laurentius Glenn, ep. Crookstoniensis.
✠ Ego Andreas Iacobus Fougerat, ep. Gratianopolitanus.
✠ Ego Ioannes Farmer Healy, ep. Gibraltariensis.
✠ Ego Stephanus Kocisko, ep. Passaicensis.
✠ Ego Ioseph Schmondiuk, ep. Stanfordensis Ucrainorum.
✠ Ego Matthaeus Pothanamuzhi, ep. Kothamangalemensis.
✠ Ego Ioseph Petrus da Silva, ep. Visensis.
✠ Ego Franciscus Bougon, ep. Molinensis.
✠ Ego Ioseph Alí Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venezuela.
✠ Ego Dantes Battaglierin, ep. Kulnensis.
✠ Ego Ioseph Bezerra Coutinho, ep. Stantianus.

✠ Ego Caelestinus Bezmalinović, ep. tit. Hadrumetinus.
✠ Ego Marius Di Lieto, ep. Asculanus Apuliae et Ceriniolensis.
✠ Ego Odilo Etspüler, ep. tit. Fatensis.
✠ Ego Henricus Byrne, ep. tit. Lamianus.
✠ Ego Telesphorus Ioannes Cioli, ep. Arretinus.
✠ Ego Stephanus László, ep. Sideropolitanus.
✠ Ego Emmanuel Menéndez, ep. Foromartiniensis.
✠ Ego Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria.
✠ Ego Iacogus Freeman, ep. tit. Hermopolitanus minor.
✠ Ego Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis.
✠ Ego Arnoldus Bogaert, ep. Rosensis.
✠ Ego Germanus Villa Gaviria, ep. Barranquillensis.
✠ Ego Paulus Correa León, ep. Cucutensis.
✠ Ego Mauritius Otunga, ep. Kisiianus.
✠ Ego Franciscus Ricceri, ep. Drepanensis.
✠ Ego Ignatius Doggett, ep. tit. Mundinizensis.
✠ Ego Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti.
✠ Ego Geraldus Fernandes Bijos, ep. Londrinensis.
✠ Ego Ioannes M. Holterman, ep. Gulielmopolitanus.
✠ Ego Vincentius Kennally, ep. tit. Sassuritanus.
✠ Ego Carolus Arturus Brown, ep. tit. Vallitanus.
✠ Ego Iacobus Aloisius Coelho, ep. Maringaensis.
✠ Ego Ioseph Olivotti, ep. tit. Samiensis.
✠ Ego Ioannes M. Ogez, ep. Mbararaensis.
✠ Ego Severinus Marianus de Aguiar, ep. Pesqueirensis.
✠ Ego Ioseph Alphonsus Tscherrig, ep. tit. Nephelidensis.
✠ Ego Franciscus Spanedda, ep. Bosanensis.
✠ Ego Gerardus Couturier, ep. Altaripensis.
✠ Ego Andreas Gregorius Grutka, ep. Gariensis.
✠ Ego Hilarius Hacker, ep. Bismarckiensis.
✠ Ego Radulfus Zambrano Camader, ep. Facatativensis.
✠ Ego Iustinus Iacobus Field, ep. S. Georgii in Insula Granada.
✠ Ego Secundus Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis.
✠ Ego Valerianus Ludovicus Arroyo, ep. tit. Gomphensis.
✠ Ego Carolus Gachet, ep. Castriesensis.
✠ Ego Rudolfus Koppmann, ep. tit. Dalisandensis in Pamphylia.
✠ Ego Ioannes Choi, ep. Pusanensis.
✠ Ego Henricus M. Janssen, ep. Hildeseiensis.
✠ Ego Marcellus Morgante, ep. Asculanus in Piceno.
✠ Ego Georgius Ioseph Biskup, ep. Desmoinensis.
✠ Ego Eugenius Ioseph Butler, ep. Mombasaensis.
✠ Ego Augustinus Herrera, ep. Franciscopolitanus.
✠ Ego Carmelus Canzonieri, ep. Calatayeronensis.
✠ Ego Hannibal Maricevich Fleitas, ep. Ss.mae Conceptionis in Paraguay.
✠ Ego Michaël Raspanti, ep. Moronensis.
✠ Ego Antonius Baptista Fragoso, ep. Crateopolitanus.
✠ Ego Georgius Kemerer, ep. Posadensis.

✠ Ego Gabriel Champagne, ep. Tamalensis.
✠ Ego Horatius Semeraro, ep. Cariatensis.
✠ Ego Georgius Raimundus Chalup, ep. Gualeguaychensis.
✠ Ego Ioannes Ahern, ep. Cloynensis.
✠ Ego Gregorius Warmeling, ep. Joinvillensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Casey, ep. Lincolnensis.
✠ Ego Herminius Malzone Hugo, ep. Valadarensis.
✠ Ego Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina.
✠ Ego Georgius Mayer, ep. S. Rosae in Argentina.
✠ Ego Ioseph dos Santos Garcia, ep. Portus Ameliae.
✠ Ego Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae.
✠ Ego Franciscus Brustia, ep. Andriensis.
✠ Ego Aemilius Cinense, ep. S. Ferdinandi.
✠ Ego Renatus Boudon, ep. Mimatensis.
✠ Ego Henricus Bernardinus Hoffmann, ep. Gibutensis.
✠ Ego Ioseph Hasler, ep. S. Galli.
✠ Ego Donaldus Raimundus Lamont, ep. Umtaliensis.
✠ Ego Hieronymus Mazzarotto, ep. tit. Arsinoitanus in Arcadia.
✠ Ego Theodulfus Domingo y Sabugal, ep. Tuguegaraoanus.
✠ Ego Stanislaus Jakiel, ep. tit. Tanagraeus.
✠ Ego Pacificus Scozzina, ep. Formosae.
✠ Ego Emmanuel Talamás Camandari, ep. Civitatis Juarezensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Marozzi, ep. Resistenciae.
✠ Ego Ioseph Petrus Costa, ep. Caetitensis.
✠ Ego Ioseph M. Pires, ep. Arasuahyensis.
✠ Ego Andreas Sana, ep. Akrensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Maginn, ep. tit. Curiensis.
✠ Ego Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis.
✠ Ego Martinus Stanton, ep. tit. Citiensis.
✠ Ego Valterus Villelmus Curtis, ep. Bridgeportensis.
✠ Ego Ioannes Iacobus Rudin, ep. Musonensis.
✠ Ego Alfredus Stemper, ep. tit. Eleutheropolitanus in Palaestina.
✠ Ego Humbertus Lara Mejía, ep. tit. Traianopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis.
✠ Ego Bernardinus Mazzarella, ep. Comayoguensis.
✠ Ego Felix Leonardo, ep. Thelesinus.
✠ Ego Helmodus Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis.
✠ Ego Aloisius Carli, ep. Signinus.
✠ Ego Alfredus Atton, ep. Langrensis.
✠ Ego Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus.
✠ Ego Ioannes Fearns, ep. tit. Geritanus.
✠ Ego Albertus Sanschagrin, ep. tit. Bagensis.
✠ Ego Ioseph Eugenius Corrêa, ep. Caratingensis.
✠ Ego Iacobus Cunningham, ep. Hagulstadensis et Novocastrensis.
✠ Ego Philippus Aglialoro, ep. tit. Germenensis in Galatia.
✠ Ego Wilson Laus Schmidt, ep. Xapecoensis.
✠ Ego Dominicus Roa Perez, ep. Maracaibensis.
✠ Ego Ioannes B. Musty, ep. tit. Botrianensis.

✠ Ego Fridericus Villelmus Freking, ep. Crossensis.
✠ Ego Ioannes Vonderach, ep. Curiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Iriarte, ep. Reconquistensis.
✠ Ego Andreas Wronka, ep. tit. Vatarbensis.
✠ Ego Theodorus Van den Tillaert, ep. Atambuensis.
✠ Ego Iulius Puset, ep. Tamatavensis.
✠ Ego Angelus Barbisotti, ep. tit. Cauniensis.
✠ Ego Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis.
✠ Ego Leonardus Cowley, ep. tit. Pertusensis.
✠ Ego Alfonsus Schladweiler, ep. Novae Ulmae.
✠ Ego Henricus Principe, ep. tit. Abilenus Lysaniae.
✠ Ego Ioannes Jaroszewiez, ep. tit. Letopolitanus.
✠ Ego Vincentius Favé, ep. tit. Andedensis.
✠ Ego Victor Ioseph Reed, ep. Oklahomensis et Tulsensis.
✠ Ego Pius Augustus Crivellari, ep. Triventinus.
✠ Ego Paulus Vignancour, ep. Valentinensis.
✠ Ego Franciscus Ferreira Arreola, ep. Texcocensis.
✠ Ego Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis.
✠ Ego Camillus Vandekerckerckhove, ep. Bikoroensis.
✠ Ego Villelmus Richardus Field, ep. Ondoensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Ribeiro, ep. tit. Aegeaensis.
✠ Ego Michaël Moloney, ep. Bathurstensis in Gambia.
✠ Ego Adolfus Hernández Hurtado, ep. Tapacolensis.
✠ Ego Camillus Chilouet, ep. Farafanganensis.
✠ Ego Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis.
✠ Ego Bernardinus Piñera Carvallo, ep. Temucensis.
✠ Ego Antonius Barbosa, ep. Campi Grandis.
✠ Ego Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus.
✠ Ego Iacobus Ryan, ep. tit. Margensis.
✠ Ego Hyacinthus Gad, ep. tit. Gratianopolitanus.
✠ Ego Alfonsus Höfer, ep. tit. Thebanus in Phtiotide.
✠ Ego Alexander Schell, ep. Clivi Zamoerensis.
✠ Ego Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Phelbesianus.
✠ Ego David Ioannes Cashman, ep. Arundelliensis-Brichtelmestunensis.
✠ Ego Angelus Riesco Carbajo, ep. tit. Limisensis.
✠ Ego Raphaël Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanius.
✠ Ego Franciscus Gómez Marijuan, ep. tit. Sinnensis.
✠ Ego Robertus Ludovicus Hodapp, ep. Belizensis.
✠ Ego Marianus Oblak, ep. tit. Flaviensis.
✠ Ego Ioannes Arnaud, ep. tit. Tintyritanus.
✠ Ego Ioseph Martenetz, ep. tit. Soldaiensis.
✠ Ego Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis.
✠ Ego Ioseph Antonius Dammert Bellido, ep. Cajamarcensis.
✠ Ego Antonius Lima dos Santos, ep. Ilheosensis.
✠ Ego Alcides Mendoza Castro, ep. Abancaiensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus.
✠ Ego Nemesius Rivera Meza, ep. tit. Diospolitanus superior.
✠ Ego Augustus Petrò, ep. Uruguaianensis.

✠ Ego Henricus Pachowiak, ep. tit. Phyteanus.
✠ Ego Henricus Tenhumberg, ep. tit. Thuburnicensis.
✠ Ego Ioannes Kabès, ep. tit. Cleopadritensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Fresno Larrain, ep. Copiapoensis.
✠ Ego Adolfus Aloisius Bossi, ep. tit. Parnassenus.
✠ Ego Ioseph Drzazga, ep. tit. Siniandenus.
✠ Ego Henricus Bartoletti, ep. tit. Myndiensis.
✠ Ego Henricus Murphy, ep. Limericiensis.
✠ Ego Ioseph Lecuona Labandibar, ep. tit. Vagadensis.
✠ Ego Eugenius Cornelius Arthurs, ep. Tangaensis.
✠ Ego Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis.
✠ Ego Salvator Martinez Aguirre, ep. tit. Arcensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Pardy, ep. Cheongiuensis.
✠ Ego Eduardus Piana Agostinetti, ep. tit. Eureoensis in Phoenicia.
✠ Ego Hugo Poletti, ep. tit. Medelitanus.
✠ Ego Ioannes Prasko, ep. tit. Zygritanus.
✠ Ego Antonius Corso, ep. tit. Moglaenensis.
✠ Ego Villelmus Michaël Fitzgerald, ep. tit. Zarnensis.
✠ Ego Antonius Pirotto, ep. Troianus.
✠ Ego Ioseph Germanus Benavides Morriberón, ep. Chachapoyasensis.
✠ Ego Paulus Ioseph Schmitt, ep. Metensis.
✠ Ego Georgius Stroba, ep. tit. Aradiensis.
✠ Ego Henricus Mazerat, ep. Andegavensis.
✠ Ego Wilfridus Emmet Doyle, ep. Nelsonensis.
✠ Ego Iacobus Schuck, ep. tit. Avissensis.
✠ Ego Daniel Stuyvenberg, ep. tit. Dionysiensis.
✠ Ego Adulfus Fürstenberg, ep. Abercornensis.
✠ Ego Raphaël Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum.
✠ Ego Ioseph Pintado, ep. tit. Phobenus.
✠ Ego Benignus Chiriboga, ep. Latacungensis.
✠ Ego Andreas Katkoff, ep. tit. Naupliensis.
✠ Ego Carolus Msakila, ep. Karemaensis.
✠ Ego Demetrius Mansilla Reoyo, ep. Civitatensis.
✠ Ego Albinus Luciani, ep. Victoriensis Venetorum.
✠ Ego Venceslaus Wicisk, ep. tit. Caesariensis in Numidia.
✠ Ego Ioannes Czerniak, ep. tit. Eudociatensis.
✠ Ego Georgius Modzelewski, ep. tit. Daoniensis.
✠ Ego Ioseph Quezada, ep. Acapulcanus.
✠ Ego Richardus Finn, ep. Ibadanensis.
✠ Ego Michaël Garcia Franco, ep. Mazatlanensis.
✠ Ego Ioannes Cullinane, ep. tit. Flumentzeritanus.
✠ Ego Fidelis Cortès Pérez, ep. Chilapensis.
✠ Ego Ioannes Jobst, ep. tit. Pitanaeus.
✠ Ego Stanislaus Alcaraz Figueroa, ep. Matamorensis.
✠ Ego Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis.
✠ Ego Petrus Ioannes Antonius Moors, ep. Ruremondensis.
✠ Ego Iulius Angerhausen, ep. tit. Eminentianensis.

✠ Ego Iacobus Gerrard, ep. tit. Formensis.
✠ Ego Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis.
✠ Ego Marcellus Mendiharat, ep. tit. Zertensis.
✠ Ego Ioseph Denning, ep. tit. Mallotanus.
✠ Ego Raimundus D'Mello, ep. Allahabadensis.
✠ Ego Leo Theobaldus Delaere, ep. Molegbensis.
✠ Ego Alfonsus Sánchez Tinoco, ep. Papantlensis.
✠ Ego Ioseph Thurler, ep. tit. Capitoliensis.
✠ Ego Franciscus Lehaen, ep. Sakaniensis.
✠ Ego Michaël Kien Samophithak, ep. tit. Octabensis.
✠ Ego Antonius Gogo Nwedo, ep. Umuahiaensis.
✠ Ego Ioannes Karroum, ep. Spinensis Syrorum.
✠ Ego Carolus Mulrooney, ep. tit. Valentianensis.
✠ Ego Iulius Gonzalez Ruiz, ep. Puniensis.
✠ Ego Seraphinus Fernandes de Araujo, ep. tit. Verinopolitanus.
✠ Ego Angelus Zambarbieri, ep. Guastallensis.
✠ Ego Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis.
✠ Ego Christianus Portela de Araújo Pena, ep. Divinopolitanus.
✠ Ego Plato Kornyljak, ep. tit. Castromartianus.
✠ Ego Alexander Duran Moreira, ep. S. Caroli Ancudiae.
✠ Ego Ioseph Nkongolo, ep. Lueboensis.
✠ Ego Eugenius Maillat, ep. Nzerekoreensis.
✠ Ego Paulus Savino, ep. tit. Caesariensis in Thessalia.
✠ Ego Didacus Parodi, ep. tit. Centenariensis.
✠ Ego Amandus Hubert, ep. tit. Saitanus.
✠ Ego Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis.
✠ Ego Angelicus Melotto Mazzardo, ep. Sololensis.
✠ Ego Angelus Martinez, ep. Tsiroanomandidyensis.
✠ Ego Constantius Micci, ep. Larinensis.
✠ Ego Thomas Manning, ep. tit. Arsamosatenus.
✠ Ego Henricus Grondziel, ep. tit. Athribitanus.
✠ Ego Raimundus de Lemoureyre, ep. Muilaensis.
✠ Ego Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis.
✠ Ego Ioseph Dalvit, ep. S. Matthaei.
✠ Ego Georgius Jacquot, ep. Vapincensis.
✠ Ego Franciscus Janssen, ep. tit. Coelianensis.
✠ Ego Edilbertus Dinkelborg, ep. Oeirensis.
✠ Ego Ioannes Lenhardt, ep. tit. Carystensis.
✠ Ego Leo Nanayakkara, ep. Kandiensis.
✠ Ego Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior.
✠ Ego Michaël Henricus Canonne, ep. Tulearensis.
✠ Ego Bernardus Schräder, ep. tit. Scyrius.
✠ Ego Zeno Albinus Testa, ep. tit. Tinistensis.
✠ Ego Albertus Etges, ep. S. Crucis in Brasilia.
✠ Ego Carolus Buswell, ep. Pueblensis.
✠ Ego Iolanthes Nuzzi, ep. Campaniensis.
✠ Ego Alfredus Pichler, ep. Banialucensis.
✠ Ego Augustus Carvalho, ep. Caruaruensis.

✠ Ego Arnolfus Arcilla, ep. Sorsogonensis.
✠ Ego Ioseph Winkler, ep. tit. Dadimensis.
✠ Ego Honoratus Piazera, ep. Neo-Iguassuensis.
✠ Ego Stephanus Bello, ep. Aleppensis Chaldaeorum.
✠ Ego Petrus Rougé, ep. Nemausensis.
✠ Ego Renatus Luisi, ep. Neocastrensis.
✠ Ego Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis.
✠ Ego Samuel Ludovicus Gaumain, ep. Munduensis.
✠ Ego Franciscus Vollaro, ep. Ambatondrazakaensis.
✠ Ego Dominicus Yoshimatsu Noguchi, ep. Hiroshimaensis.
✠ Ego Samuel Ruiz Garcia, ep. S. Christophori de Las Casas.
✠ Ego Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis.
✠ Ego Iacobus Hogan, ep. tit. Philomeliensis.
✠ Ego Vincentius Hines, ep. Norvicensis.
✠ Ego Ioseph de Solitudine Torres y Casteñeda, ep. Civitatis Obregonensis.
✠ Ego Henricus Gufflet, ep. tit. Calamensis.
✠ Ego Marius Maziers, ep. tit. Augustopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Alfonsus Carolus Kempf, ep. tit. Limyrensis.
✠ Ego Raphaël Pellecchia, ep. Aliphanus.
✠ Ego Victorius Emmanuel Bonamin, ep. tit. Bitensis.
✠ Ego Bernardus Schilling, ep. tit. Callipolitanus.
✠ Ego Marion Franciscus Forst, ep. Dodgepolitanus.
✠ Ego Iacobus Malone, ep. tit. Alabandensis.
✠ Ego Emmanuel Antonius Rodriguez Rozas, ep. Pinetensis ad Flumen.
✠ Ego Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus.
✠ Ego Ioseph Goupy, ep. Blesensis.
✠ Ego Ioannes Dozolme, ep. Aniciensis.
✠ Ego Georgius Bernarding, ep. tit. Belabitenensis.
✠ Ego Melchior Ioachim da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis.
✠ Ego Moyses Iulius Blanchoud, ep. Rivi Quarti.
✠ Ego Petrus Poreku Dery, ep. Vaensis.
✠ Ego Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis.
✠ Ego Ioseph Busimba, ep. Gomaensis.
✠ Ego Ioannes Crawford, ep. tit. Caffenus.
✠ Ego Albertus Scola, ep. Nursinus.
✠ Ego Iacobus Hagan, ep. Makurdensis.
✠ Ego Ioseph Dominguez y Rodriguez, ep. Matanzensis.
✠ Ego Albinus Mensa, ep. Eporediensis.
✠ Ego Villelmus Connare, ep. Greensburgensis.
✠ Ego Georgius Hammes, ep. Superiorensis.
✠ Ego Antonius Dionysius Galvin, ep. tit. Letaeus.
✠ Ego Mauritius Pourchet, ep. S. Flori.
✠ Ego Eduardus Thomas Boza Masvidal, ep. tit. Vindensis.
✠ Ego Humbertus Altomare, ep. Muranus.
✠ Ego Stephanus McGill, ep. Ergadiensis et Insularum.
✠ Ego Renatus Butibubage Lwamosa, ep. tit. Casiotanus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Rajaonarivo, ep. Miarinarivensis.
✠ Ego Hector Rueda Hernández, ep. Bucaramanguensis.

✠ Ego Franciscus Planas Muntaner, ep. Ebusitanus.
✠ Ego Georgius Albertus Giraldo Restrepo, ep. Pastopolitanus.
✠ Ego Villelmus Eduardus Power, ep. Antigonicensis.
✠ Ego Angelus Pérez Cisneros, ep. Barcinonensis in Venezuela.
✠ Ego David Picâo, ep. tit. Thoitanus.
✠ Ego Ioseph M. Cirarda Lachiondo, ep. tit. Drusilianensis.
✠ Ego Arturus Antonius Szymanski Ramirez, ep. S. Andreae de Tuxtla.
✠ Ego Bruno Pelaia, ep. Tricaricensis.
✠ Ego Clemens Ioseph Carolus Isnard, ep. Neo-Friburgensis.
✠ Ego Anastasius Granados Garcia, ep. tit. Cidramenus.
✠ Ego Paulus Cheng, ep. tit. Ucculensis.
✠ Ego Eligius Tato Losada, ep. tit. Cardicensis.
✠ Ego Antonius Fustella, ep. Tudertinus.
✠ Ego Macarius Tinti, ep. Fabrianensis et Mathelicensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. Morombensis.
✠ Ego Aniger Franciscus M. Melillo, ep. Piracicabensis.
✠ Ego Eugenius Klein, ep. tit. Echinensis.
✠ Ego Arturus Rivera Damas, ep. tit. Legiensis.
✠ Ego Leo Lemay, ep. tit. Agbiensis.
✠ Ego Salvator Sorrentino, ep. tit. Gerasenus.
✠ Ego Stephanus Desmazières, ep. Bellovacensis.
✠ Ego Gentilis Diniz Barreto, ep. Mossorensis.
✠ Ego Iacobus Ward, ep. tit. Sitensis.
✠ Ego Ioseph Brandâo De Castro, ep. Propriensis.
✠ Ego Emmanuel Daddi, ep. Mausiliensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitanus.
✠ Ego Basilius Cristea, ep. tit. Lebediensis.
✠ Ego Iulianus Groblicki, ep. tit. Philadelphiensis in Arabia.
✠ Ego Carolus Schmitt, ep. Auratopolitanus.
✠ Ego Humbertus Tonna, ep. Floridensis.
✠ Ego Orestes Iacobus Nuti, ep. Canalopolitanus.
✠ Ego Ioseph Brendan Houlihan, ep. Eldoretensis.
✠ Ego Garabed Amadouni, ep. tit. Amathusius in Cypro.
✠ Ego Franciscus Furey, ep. tit. Temnitanus.
✠ Ego Vladimirus Malanczuk, ep. tit. Epiphaniensis in Syria.
✠ Ego Eduardus Ioannes Harper, ep. tit. Heracleensis Ponticus.
✠ Ego Franciscus Bertoglio, ep. tit. Pariensis.
✠ Ego Ioseph Lenotti, ep. Fodianus.
✠ Ego Andreas Bontems, ep. Maurianensis.
✠ Ego Thomas Holland, ep. Salfordensis.
✠ Ego Eduardus Swanstrom, ep. tit. Arbensis.
✠ Ego Albertus Descamps, ep. tit. Tunetensis.
✠ Ego Antonius Nguyen-van-Thien, ep. Vinhlongensis.
✠ Ego Benedictus Epiphanius Rodriguez, ep. tit. Arycandensis.
✠ Ego Aloisius Ioannes Wycislo, ep. tit. Stadiensis.
✠ Ego Cletus Franciscus O'Donnell, ep. tit. Abrittenus.
✠ Ego Ioseph Raimundus Windle, ep. tit. Uzitensis.
✠ Ego Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis.

✠ Ego Franciscus Rush, ep. Rockhamptoniensis.
✠ Ego Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus.
✠ Ego Carolus Gnädinger, ep. tit. Celerinensis.
✠ Ego Ioannes M. Fortier, ep. Gaspesiensis.
✠ Ego Michaël Nguyen-khac-Ngu, ep. Longxuyensis.
✠ Ego Ioseph Tran-Van-Thien, ep. Mythoensis.
✠ Ego Vedastus M. Jacquier, ep. tit. Sufasaritanus.
✠ Ego Valentinus Vailati, ep. S. Severi.
✠ Ego Ioseph Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia.
✠ Ego Henricus Angelelli Carletti, ep. tit. Listrensis.
✠ Ego Abdul Ahad Sana, ep. Alquoshensis Chaldaeorum.
✠ Ego Titus Mancini, ep. tit. Vartanensis.
✠ Ego Elias Coueter, ep. tit. Tauitanus.
✠ Ego Leo Carolus Ioseph De Kesel, ep. tit. Synaitanus.
✠ Ego Henricus Laurentius Cabrera Urdangarin, ep. Mercedanianus.
✠ Egi Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis.
✠ Ego Lambertus van Kessel, ep. Sintangensis.
✠ Ego Robertus Bézac, ep. Aturensis.
✠ Ego Ioannes Ludovicus Jobidon, ep. Mzuzuensis.
✠ Ego Carmelus Zazinovic, ep. tit. Lebessenus.
✠ Ego Franciscus Kervéadou, ep. Briocensis.
✠ Ego Victor Ioannes Hermannus Ioachim Tielbeek, ep. tit. Tipasensis in Numidia.
✠ Ego Michaël Antonius Salas, ep. Calabocensis.
✠ Ego Albertus Malbois, ep. tit. Altaviensis.
✠ Ego Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbiatanus.
✠ Ego Ianuarius Prata, ep. tit. Hadrianiensis in Hellesponto.
✠ Ego Quintinus Carolus Olwell, ep. tit. Thabracensis.
✠ Ego Quirinus Adolfus Schmitz, ep. Otonipolitanus.
✠ Ego Ludovicus Sanchez-Moreno Lira, ep. tit. Nilopolitanus.
✠ Ego Gervasius Nkangala, ep. tit. Balburensis.
✠ Ego Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal.
✠ Ego Villelmus Gomes, ep. tit. Parlaitanus.
✠ Ego Henricus Ioseph Soenneker, ep. Ovensburgensis.
✠ Ego Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis.
✠ Ego Michaël González Ibarra, ep. Rivoriensis.
✠ Ego Caesar Gatimù, ep. Nyeriensis.
✠ Ego Hippolitus Berlier, ep. Niameyensis.
✠ Ego Michaël Vial, ep. Nivernensis.
✠ Ego Victorius Cecchi, ep. Forosemproniensis.
✠ Ego Carolus Alexander Grant, ep. tit. Alindensis.
✠ Ego Marius Renatus Cornejo Radavero, ep. tit. Sanavensis.
✠ Ego Abraham François, ep. Asmarensis.
✠ Ego Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus.
✠ Ego Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis.
✠ Ego Petrus Tou, ep. Hsinchuensis.
✠ Ego Ioseph Cheng Tien-Siang, ep. Kaohsiungensis.
✠ Ego Angelus Cuniberti, ep. tit. Arsinoensis in Cypro.

✠ Ego Ioseph Almici, ep. Alexandrinus Statiellorum.
✠ Ego Ioseph Gomes, ep. Bagensis.
✠ Ego Erasmus Hinojosa Hurtado, ep. Piurensis.
✠ Ego Renatus Pailloux, ep. Arcis Rosebery.
✠ Ego Augustinus Farah, ep. Tripolitanus Melkitarum.
✠ Ego Calogerus Lauricella, ep. tit. Selensis.
✠ Ego Adalbertus Marzi, ep. tit. Saesinensis.
✠ Ego Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurtensis.
✠ Ego Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira.
✠ Ego Ignatius Phakoe, ep. Leribensis.
✠ Ego Ioseph Hubertus Soudant, ep. Palembangensis.
✠ Ego Franciscus Ndong, ep. tit. Raphaneotanus.
✠ Ego Ioannes Whealon, ep. tit. Andrapenus.
✠ Ego Antonius Mabutas y Lloren, ep. Laoagensis.
✠ Ego Aloisius Nganga, ep. Lisalaensis.
✠ Ego Villelmus McNaughton, ep. Inchonensis.
✠ Ego Benedictus Dominicus Coscia, ep. Jataiensis.
✠ Ego Franciscus Philippus Muguerza, ep. Novoraniensis.
✠ Ego Philippus Pocci, ep. tit. Jerichuntinus.
✠ Ego Ioannes Canestri, ep. tit. Tenediensis.
✠ Ego Ioannes Gugić, ep. tit. Bonustensis.
✠ Ego Caietanus Michetti, ep. tit. Irenopolitanus in Cilicia.
✠ Ego Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii.
✠ Ego Georgius Gottau, ep. Anatuyanensis.
✠ Ego Vincentius Zazpe, ep. Raphaeliensis.
✠ Ego Ioseph de Iesu Sahagún de la Parra, ep. Tullanensis.
✠ Ego Mauritius Eugenius Magliano, ep. Rivogallaecensis.
✠ Ego Albertus Devoto, ep. Goyanensis.
✠ Ego Gerardus Ferreira Reis, ep. Leopoldinensis.
✠ Ego Iacobus Franciscus De Nevares, ep. Nequenianus.
✠ Ego Petrus Bouckaert, ep. Popokabakaensis.
✠ Ego Alexander Mbuka-Nzundu, ep. tit. Cataquensis.
✠ Ego Ioseph Arneric, ep. Sibenicensis.
✠ Ego Renatus Kérautret, ep. Engolismensis.
✠ Ego Vido Riobé, ep. Aurelianensis.
✠ Ego Antonius Rossi, ep. Cervi Lusci.
✠ Ego Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Gregorius McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis.
✠ Ego Philippus Iacobus Benítez Avalos, ep. tit. Chersonesitanus in Europa.
✠ Ego Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis.
✠ Ego Iaroslav Gabro, ep. S. Nicolai Chicagiensis Ucrainorum.
✠ Ego Augustinus Eugenius Hornyak, ep. tit. Hermonthitanus.
✠ Ego Romanus Arrieta Villalobos, ep. Pluviensis.
✠ Ego Paulus Ioseph Tavares, ep. Macaonensis.
✠ Ego Paulus Sani, ep. Denpasarensis.
✠ Ego Antonius Ribeiro de Oliveira, ep. tit. Arindelensis.
✠ Ego Albertus Hermelink, ep. de Tandjung-Karang.
✠ Ego Ioseph Weigl, ep. Ikelaensis.

✠ Ego Petrus Guichet, ep. tit. Stectorenus.
✠ Ego Antonius Hofman, ep. tit. Berenicensis.
✠ Ego Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis.
✠ Ego Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis.
✠ Ego Iacobus Mbali, ep. Butaensis.
✠ Ego Richardus Rosch, ep. Foroconcordianus.
✠ Ego Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis.
✠ Ego Ioseph Maurus Ramalho de Alarcón Santiago, ep. Iguatuvinus.
✠ Ego Raimundus Caesar Bergamin, ep. Padangensis.
✠ Ego Paternus Nicolaus Ioannes Cornelius Geise, ep. Bogorensis.
✠ Ego Angelus Prinetto, ep. tit. Hadrianopolitanus.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Buchkremer, ep. tit. Aggaritanus.
✠ Ego Ioannes Bluyssen, ep. tit. Aetensis.
✠ Ego Aloisius Oldani, ep. tit. Gergitanus.
✠ Ego Ioannes Wosinski, ep. tit. Abaradirensis.
✠ Ego Paulus Latusek, ep. tit. Aninetensis.
✠ Ego Thomas Drury, ep. Corporis Christi.
✠ Ego Hadrianus Ddungu, ep. Masakaensis.
✠ Ego Antonius Caillot, ep. Ebroicensis.
✠ Ego Geraldus Emmet Carter, ep. Londonensis.
✠ Ego Simon N'zita, ep. tit. Gindarensis.
✠ Ego Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis.
✠ Ego Hyacinthus Eccher, ep. tit. Garrianensis.
✠ Ego Petrus Saburo Hirata, ep. Oitaensis.
✠ Ego Henricus Véniat, ep. Arcis Archambault.
✠ Ego Gregorius Garavito, ep. tit. Cyparissiensis.
✠ Ego Ernestus Unterköfler, ep. Cardopolitanus.
✠ Ego Michaël Darmancier, ep. tit. Auguritensis.
✠ Ego Paulus Ghizzoni, ep. tit. Thenitanus.
✠ Ego Robertus Cáceres, ep. Melensis.
✠ Ego Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus.
✠ Ego Andreas Charles de la Brousse, ep. Divionensis.
✠ Ego Georgius Ablewicz, ep. Tarnoviensis.
✠ Ego Leo Maher, ep. S. Rosae in California.
✠ Ego Ioseph Villelmus Regan, ep. tit. Isindensis.
✠ Ego Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Julii.
✠ Ego Petrus Filipak, ep. Jacarezinhoensis.
✠ Ego Marcus Caliaro, ep. Sabinensis et Mandelensis.
✠ Ego Aloisius Franco Caseón, ep. Nivariensis.
✠ Ego Ioannes de Cambourg, ep. tit. Eutymensis.
✠ Ego Ioseph Amihere Essuah, ep. Kumasiensis.
✠ Ego Augustus Azzolini, ep. Makenensis.
✠ Ego Iacobus Corboy, ep. Monzensis.
✠ Ego Iacobus Komba, ep. tit. Thignicensis.
✠ Ego Gerardus Henricus De Vet, ep. Bredanus.
✠ Ego Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus.
✠ Ego Franciscus Tortora, ep. tit. Liviensis.
✠ Ego Hermannus Volk, ep. Moguntinus.

✠ Ego Ioannes Hoffmann, ep. Vestphalianus.
✠ Ego Cyprianus Urgel Villahermosa, ep. Calbayoganus.
✠ Ego Rudolfus Graber, ep. Ratisbonensis.
✠ Ego Villelmus Sillekens, ep. Ketapangensis.
✠ Ego Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramyttenus.
✠ Ego Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis.
✠ Ego Georgius Carolus Carreras, ep. Fororaphaelensis.
✠ Ego Emmanuel Augustus Cárdenas, ep. tit. Aulonensis.
✠ Ego Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus.
✠ Ego Ignatius Strecker, ep. Campofonti-Capitis Girardeaunensis.
✠ Ego Cornelius Chizzini, ep. tit. Aegaeus.
✠ Ego Mauritius De Keyzer, ep. tit. Tiniensis.
✠ Ego Cornelius De Wit, ep. tit. Amisenus.
✠ Ego Iacobus Patria, ep. Petrocoricensis.
✠ Ego Nicolaus Grimley, ep. tit. Thuburbitanus.
✠ Ego Aloisius Eduardus Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensis.
✠ Ego Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis.
✠ Ego Ildefonsus M. Sansierra Robla, ep. tit. Oriensis.
✠ Ego Ioannes Shojiro Ito, ep. Niigataensis.
✠ Ego Daniel Catarzi, ep. Uviraensis.
✠ Ego Villelmus Franciscus Kupfer, ep. Taichungensis.
✠ Ego Petrus Magoshiro Matsuoka, ep. Nagoyaensis.
✠ Ego Ioannes Proni, ep. Thermularum.
✠ Ego Brennus Foley, ep. Lancastrensis.
✠ Ego Villelmus Ericus Grasar, ep. Salopiensis.
✠ Ego Varnerius Boudreaux, ep. tit. Calyndensis.
✠ Ego Ioannes Marchesi, ep. tit. Coelenus.
✠ Ego Leonellus Berti, ep. tit. Germanicopolitanus.
✠ Ego Michaël D'Aversa, ep. tit. Macrensis in Mauretania.
✠ Ego Aloisius Liverzani, ep. Tusculanus.
✠ Ego Milo McKeon, ep. tit. Antipyrgensis.
✠ Ego Anselmus Zarza, ep. Linarenus.
✠ Ego Victorinus Alvarez Tena, ep. Apatzinganiensis.
✠ Ego Victorius M. Costantini, ep. Suessanus.
✠ Ego Franciscus Zayek, ep. tit. Callinicensis Maronitarum.
✠ Ego Owen Snedden, ep. tit. Acheloius.
✠ Ego Ioannes B. Przyklenk, ep. Januariensis.
✠ Ego Antonius Angioni, ep. tit. Hipponensis.
✠ Ego Lambertus van Heygen, ep. Dumensis.
✠ Ego Franciscus Reh, ep. tit. Macrianensis in Mauritania.
✠ Ego Iulius Peeters, ep. Bueaensis.
✠ Ego Vincentius Baldwin, ep. tit. Bencennensis.
✠ Ego Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán.
✠ Ego Raimundus Lui, ep. Paracatuensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Thomas, ep. Geraldtonensis.
✠ Ego Raphaël Ayala y Ayala, ep. Tehuacaniensis.
✠ Ego Emmanuel Romero Arvizu, ep. tit. Dusensis.
✠ Ego Hugo Aufderbeck, ep. tit. Arcenus.

✠ Ego Petrus Boillon, ep. Virodunensis.
✠ Ego Geraldus Vincentius McDevitt, ep. tit. Tigiensis.
✠ Ego Ioseph Gonçalves da Costa, ep. tit. Rhodopolitanus.
✠ Ego Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius.
✠ Ego Raimundus Hunthausen, ep. Helenensis.
✠ Ego Carolus Schmidt, ep. tit. Thasiensis.
✠ Ego Achilles Palmerini, ep. Aeserniensis et Venafranus.
✠ Ego Ludovicus Antonius Jansen, ep. Isangiensis.
✠ Ego Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis.
✠ Ego Acacius Rodriguez Alves, ep. Palmonopolitanus.
✠ Ego Laurentius Trevor Picachy, ep. Jamshedpurensis.
✠ Ego Raimundus Ndudi, ep. tit. Mataritanus in Proconsulari.
✠ Ego Fortunatus Da Veiga Coutinho, ep. Belgaumensis.
✠ Ego Ioseph Mancuso, ep. Mazariensis.
✠ Ego Paschalis Bacile, ep. Jaciensis.
✠ Ego Petrus Birch, ep. Ossoriensis.
✠ Ego Ioseph Esau Robles Jiménez, ep. Tulancingensis.
✠ Ego Ioseph Heuschen, ep. tit. Druensis.
✠ Ego Patricius Ioseph Dalton, ep. Yolaensis.
✠ Ego Ioannes Mouisset, ep. Nicensis.
✠ Ego Leo Tigga, ep. Dumkaensis.
✠ Ego Augustinus Frotz, ep. tit. Coradenus.
✠ Ego Ericus Benjamin, ep. Darjeelingensis.
✠ Ego Aloisius Morstabilini, ep. Brixiensis.
✠ Ego Iulianus Barni, ep. tit. Coracesiotanus.
✠ Ego Dinus Tomassini, ep. Isclanus.
✠ Ego Andreas Bréheret, ep. Cadurcensis.
✠ Ego Thomas Kuba, ep. Mahagiensis.
✠ Ego Miltonius Corrêa Pereira, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Alanus Leroy, ep. Kilvaensis.
✠ Ego Alfredus Cavagna, ep. tit. Tianus.
✠ Ego Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis.
✠ Ego Thaddaeus Prost, ep. tit. Frontensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Gillmore Stock, ep. tit. Auziensis.
✠ Ego Alfonsus Artega Yepes, ep. Ipialensis.
✠ Ego Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis.
✠ Ego Emmanuel De Almeida Trindade, ep. Aveirensis.
✠ Ego Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista.
✠ Ego Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis.
✠ Ego Hieronymus Ioseph Podestà, ep. Avellanediensis.
✠ Ego Symphorianus Lucas, ep. tit. Boriensis.
✠ Ego Marius Zanchin, ep. Fidentinus.
✠ Ego Constantinus Trapani, ep. Nicosiensis.
✠ Ego Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambanianus.
✠ Ego Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis.
✠ Ego Hadrianus Hypolito, ep. tit. Diospolitanus in Thracia.
✠ Ego Raphaël Sarmiento Peralta, ep. Ocaniensis.
✠ Ego Remigius Ioseph De Roo, ep. Victoriensis in Insula Vancouver.

✠ Ego Thomas Villelmus Murphy, ep. Juazeiriensis.
✠ Ego Ioannes Gazza, ep. tit. Circesiensis.
✠ Ego Cyprianus Kihangire, ep. Hoimanus.
✠ Ego Ivo Georgius Renatus Ramousse, ep. tit. Pisitanus.
✠ Ego Ioannes Picco, ep. tit. Anaeus.
✠ Ego Henricus Clemens Donze, ep. Tutelensis.
✠ Ego Ioseph Arturus Costello, ep. tit. Chomatitanus.
✠ Ego Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus.
✠ Ego Ioseph Nicomedes Grossi, ep. Spaeleopolitanus a Bono Iesu.
✠ Ego Aloisius Paro, ep. tit. Diocaesariensis in Isauria.
✠ Ego Pompaeus de Sá Leão y Seabre, ep. Malanjensis.
✠ Ego Stanislaus Arnoldus van Melis, ep. tit. Polemoniensis.
✠ Ego Gerardus Schaffran, ep. tit. Semneaensis.
✠ Ego Ioachim Segedi, ep. tit. Gypsariensis.
✠ Ego Clarencius Elwell, ep. tit. Conensis.
✠ Ego Ioseph Kurpas, ep. tit. Orisenus.
✠ Ego Antonius D'Erchia, ep. tit. Podaliensis .
✠ Ego Victorius Ottaviani, ep. Alatrinus.
✠ Ego Felix Niza Ribeiro, ep. Tetiensis.
✠ Ego Antonius de Saram, ep. Gallensis.
✠ Ego Villelmus Gran, ep. Osloensis.
✠ Ego Bernardus Nolker, ep. Paranaguensis.
✠ Ego Ignacius Leonorus Arroyo, ep. Tuxpaniensis.
✠ Ego Ioseph Guadalupe Padilla Lozano, ep. Verae Crucis.
✠ Ego Audenus McCoy, ep. Oyoensis.
✠ Ego Petrus Caelestinus Nkou, ep. Sangmelimaensis.
✠ Ego Ioseph M. Carrizo Villareal, ep. Chitrensis.
✠ Ego Marcellus Rosina, ep. tit. Aezanitanus.
✠ Ego Ildefonsus Rea, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Henricus Bolaños Quesada, ep. tit. Andropolitanus.
✠ Ego Georgius Henricus Speltz, ep. tit. Claniensis.
✠ Ego Andreas Rousset, ep. tit. Vagensis.
✠ Ego Ioseph Rossi, ep. tit. Palmyrensis.
✠ Ego Emmanuel Delly, ep. tit. Palaeopolitanus in Asia.
✠ Ego Gaugerius Leuliet, ep. Ambianensis.
✠ Ego Amedeus Gonzalez Ferreiros, ep. tit. Metrensis.
✠ Ego Emmanuel Lisboa De Oliveira, ep. Nazarensis.
✠ Ego Ioannes Höhne, ep. tit. Urimensis.
✠ Ego Dionysius Vincentius Durning, ep. Arushaensis.
✠ Ego Eduardus Macheiner, ep. tit. Seljensis.
✠ Ego Iesus Sison, ep. Tarlacensis.
✠ Ego Franciscus Costa, ep. tit. Emmausensis.
✠ Ego Nivaldus Monte, ep. tit. Eluzanus.
✠ Ego Abel Conigli, ep. Biturgensis.
✠ Ego Philippus Broers, ep. Carabellensis.
✠ Ego Venceslaus Skomorucha, ep. tit. Zoarensis.
✠ Ego Henricus Alvear Urrutia, ep. S. Philippi.
✠ Ego Marianus Gaviola, ep. Cabanatuensis.

✠ Ego Antonius Cunial, ep. Lucerinus.
✠ Ego Salvator Nicolosi, ep. Liparensis.
✠ Ego Franciscus Rossi, ep. Derthonensis.
✠ Ego Lucianus Agboka, ep. Abomeiensis.
✠ Ego Thomas Ryan, ep. Clonfertensis.
✠ Ego Ioannes Hermil, ep. tit. Maridensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Tirada Pedraza, ep. Civitatis Victoriensis.
✠ Ego Alfonsus Gerardus Bannwarth, ep. Suessionensis.
✠ Ego Ioannes Melis Fois, ep. Ampuriensis et Templensis.
✠ Ego Laurentius Michael De Falco, ep. Amarillensis.
✠ Ego Adolfus Rodriguez Herrera, ep. Camagueyensis.
✠ Ego Hamletus De Angelis, ep. Vianensis.
✠ Ego Normannus Ioseph Gallagher, ep. tit. Adrasenus.
✠ Ego Ioseph Wilhelm, ep. tit. Saccaeotenus.
✠ Ego Thomas Marquez Gomez, ep. tit. Thapsitanus.
✠ Ego Laurentius Noël, ep. tit. Agathopolitanus.
✠ Ego Franciscus Esteves Dias, ep. Lusitanianus.
✠ Ego Thomas Vaquero, ep. S. Ioannis in Brasilia.
✠ Ego Ioannes B. Mudartha, ep. tit. Idebessenus.
✠ Ego Stephanus Courtois, ep. Kayesensis.
✠ Ego Desiderius de Montclos, ep. Sikassensis.
✠ Ego Ioannes Zareba, ep. tit. Bityliensis.
✠ Ego Aloisius Ioannes Tomé, ep. Mercedensis.
✠ Ego Mesrob Terzian, ep. tit. Comanensis in Armenia.
✠ Ego Ioseph a Carmine Valle Gallardo, ep. tit. Germanicensis in Numidia.
✠ Ego Bohdan Bejze, ep. tit. Idassensis.
✠ Ego Hieronymus Hastrich, ep. tit. Gurzensis.
✠ Ego Aloisius Bettazzi, ep. tit. Thagastensis.
✠ Ego Arnoldus Radulfus Cotey, ep. Nachingweaensis.
✠ Ego Felicissimus Raeymaeckers, ep. tit. Aperlitanus.
✠ Ego Henricus Petrilli, ep. tit. Apolloniensis.
✠ Ego Ioseph Khiamsun Nittayo, ep. tit. Obbensis.
✠ Ego Ioannes Carolus Ferro, ep. Ss.mae Conceptionis in Argentina.
✠ Ego Italus Severinus Di Stefano, ep. S. Rochi.
✠ Ego Albertus Thomas, ep. Bathurstensis.
✠ Ego Franciscus Hoenen, ep. Kengensis.
✠ Ego Victorinus Kong-hi Youn, ep. Suwonensis.
✠ Ego Ioseph Petralia, ep. Agrigentinus.
✠ Ego Henricus Pechuán Marin, ep. Crucis Axeatae.
✠ Ego Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum.
✠ Ego Eugenius Abissa Kwaku, ep. Abenguruensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Eikichi Tanaka, ep. Takamatsuensis.
✠ Ego Fridericus Sargolini, ep. tit. Lysiadensis.
✠ Ego Clemens Kabukasansha, ep. Kasamaensis.
✠ Ego Gerardus Tickle, ep. tit. Belensis.
✠ Ego Fridericus Kaiser, ep. tit. Berrhoeensis.
✠ Ego Eduardus Fedders, ep. tit. Antiochenus ad Meandrum.
✠ Ego Bartholomaeus Carrasco, ep. Huejutlensis.

✠ Ego Alfonsus Mathias, ep. Chikmagalurensis.
✠ Ego Ioannes Graham, ep. tit. Sabratensis.
✠ Ego Matthias Fernandes, ep. Mysuriensis.
✠ Ego Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis.
✠ Ego Ignatius M. De Orbegozo y Goicoechea, ep. tit. Ariassensis.
✠ Ego Ioseph Daley, ep. tit. Barcaeus.
✠ Ego Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudentianensis.
✠ Ego Vincentius Maya Guzman, ep. tit. Comanensis Ponticus.
✠ Ego Andreas Petrus Cornelius Sol, ep. Amboinaensis.
✠ Ego Ignatius Gopu, ep. tit. Feraditanus maior.
✠ Ego Bernardus Cazzaro, ep. tit. Pyrgensis.
✠ Ego Ambrosius Yeddanapally, ep. Bellaryensis.
✠ Ego Carolus Manziana, ep. Cremensis.
✠ Ego Ioannes Paulus M. Vincent, ep. Baionensis, Lascurrensis et Oloronensis.
✠ Ego Ioannes Kaldany, ep. tit. Gabenus.
✠ Ego Villelmus Dunne, ep. Kituiensis.
✠ Ego Iacobus Martin, ep. tit. Neapolitanus in Palaestina.
✠ Ego Gabriel Diaz Cueva, ep. tit. Arensis in Numidia.
✠ Ego Daniel Sheehan, ep. tit. Capsensis.
✠ Ego Philippus a Iesu Cueto González, ep. Tlalnepantlanus.
✠ Ego Ioannes de Reeper, ep. Kisumaensis.
✠ Ego Leo Chambon, ep. Bossangoensis.
✠ Ego Georgius Hilarius Dupont, ep. Palaensis.
✠ Ego Aeneas Selis, ep. tit. Caesariensis in Mauretania.
✠ Ego Bogdan Marianus Vincentius Sikorski, ep. Plocensis.
✠ Ego Villelmus Gordon Wheeler, ep. tit. Theudalensis.
✠ Ego Ioannes Wiesen, ep. tit. Telmissensis.
✠ Ego Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis.
✠ Ego Antonius Maanicus, ep. Bangassuensis.
✠ Ego Albertus Ioseph Tsiahoana, ep. tit. Abtugnitanus.
✠ Ego Henricus Ioseph Cornelius De Cocq, ep. tit. Aquensis in Byzacena.
✠ Ego Valdirus Calheiros de Novais, ep. tit. Muliensis.
✠ Ego Franciscus Kuharić, ep. tit. Metensis.
✠ Ego Antonius de Castro Xavier Montiero, ep. tit. Ombitanus.
✠ Ego Ioseph Albertus Lopes de Castro Pinto, ep. tit. Hieropolitanus in Isauria.
✠ Ego Thomas Andreas Donnellan, ep. Ogdenburgensis.
✠ Ego Sanctus Quadri, ep. tit. Villanovensis.
✠ Ego Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.
✠ Ego Lucas Olu Chukwuka Nwaezeapu, ep. Varriensis.
✠ Ego Ferdinandus Azcárate de Andrada, ep. tit. Cefalensis.
✠ Ego Carolus Oviedo Cavada, ep. tit. Beneventensis.
✠ Ego Eduardus Pironio, ep. tit. Caeciritanus.
✠ Ego Romulus Alberti, ep. Apucaranensis.
✠ Ego Patiens Redois, ep. Natatinguensis.
✠ Ego Lucianus Metzinger, ep. tit. Autentensis.
✠ Ego Paulus Verschuren, ep. tit. Aquaesirensis.
✠ Ego Pius Benincasa, ep. tit. Burunitanus.
✠ Ego Stanislaus Brzana, ep. tit. Cufrutensis.

✠ Ego Paulus Hnilica, ep. tit. Rusaditanus.
✠ Ego Hadrianus Gand, ep. tit. Macrianensis minor.
✠ Ego Edmundus Quaglia Martinez, ep. Jodinensis.
✠ Ego Leontius Albertus Van Peteghem, ep. Gandavensis.
✠ Ego Iulius Leguerrier, ep. tit. Bavagalianensis.
✠ Ego Ernestus Camagni, ep. tit. Suavensis.
✠ Ego Iulius Franco Arango, ep. Duitamensis.
✠ Ego Petrus Salmon, ep. tit. Jucundiana.
✠ Ego Ioannes Willebrands, ep. tit. Maurianensis.
✠ Ego Ioannes Fallani, ep. tit. Partheniensis.
✠ Ego Albertus Cosme do Amaral, ep. tit. Tagariensis.
✠ Ego Ioseph Guerra Campos, ep. tit. Mutiensis.
✠ Ego Maximinus Romero Lema, ep. tit. Hortensis.
✠ Ego Daniel Henricus Nuñez, ep. Davidensis.
✠ Ego Marcellus Chauvin, ep. Fada Ngurmaensis.
✠ Ego Eduardus Lawton, ep. Sokotoensis.
✠ Ego Eugenius Iacobus Peyrou, ep. Rivadaviae.
✠ Ego Albertus Ndongmo, ep. Nkongsambensis.
✠ Ego Ioannes Bianchi, ep. tit. Seleucianensis.
✠ Ego Ioseph Aurelius Plourde, ep. tit. Lapdensis.
✠ Ego Hubertus D'Rosario, ep. Dibrugarhensis.
✠ Ego Maurus Rubio Repullès, ep. Salmantinus.
✠ Ego Ioannes Badré, ep. tit. Aquanovensis in Proconsulari.
✠ Ego Henricus Dias Nogueira, ep. Cabralopolitanus.
✠ Ego Brianus Patritius Ashby, ep. Christopolitanus.
✠ Ego Ianuarius Jenko, ep. tit. Acufidensis.
✠ Ego Petrus Paulus Koop, ep. Linensis.
✠ Ego Antonius Hacault, ep. tit. Mediensis.
✠ Ego Antonius Kühner y Kühner, ep. tit. Avioccalensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Nierhoff, ep. Florestensis.
✠ Ego Ioannes Fremiot Torres Oliver, ep. Poncensis.
✠ Ego Michaël Rusnak, ep. tit. Tzernicensis.
✠ Ego Renatus Spallanzani, ep. tit. Mazacensis.
✠ Ego Paulus Brezanóczy, ep. tit. Rotariensis.
✠ Ego Ioseph Bánk, ep. tit. Materianensis.
✠ Ego Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensis.
✠ Ego Ioseph Cserháti, ep. tit. Melzitanus.
✠ Ego Vedastus Hains, ep. tit. Belesasensis.
✠ Ego Iulianus Vaivods, ep. tit. Macrianensis maioris.
✠ Ego Marcus Libardoni, ep. tit. Africanus.
✠ Ego Leonardus D'Souza, ep. tit. Caput Cillensis.
✠ Ego Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis.
✠ Ego Petrus Augustus Boussard, ep. Venetensis.
✠ Ego Gabriel Matagrin, ep. tit. Florianensis.
✠ Ego Ioannes Vilnet, ep. S. Deodati.
✠ Ego Bernardus Oguki Atakjah, ep. Atakpamensis.
✠ Ego Marcellus Evaristus Van Rengen, ep. Mvekaensis.
✠ Ego Albertus Zambrano Palacios, ep. tit. Casensis in Numidia.

✠ Ego Laudislaus Rubin, ep. tit. Sertensis.
✠ Ego Daniel Donaldus Herlihy, ep. Fernensis.
✠ Ego Ioseph Perrot, ep. Sanensis.
✠ Ego Laurentius Moran, ep. tit. Caesareensis Philippi.
✠ Ego Bernardus Ratsimamotoa, ep. Morondanensis.
✠ Ego Ioseph Franciscus Cleary, ep. tit. Cresimensis.
✠ Ego Ioseph Donnelly, ep. tit. Nabalensis.
✠ Ego Michaël Foylan, ep. Aberdonensis.
✠ Ego Georgius Biard, ep. Moptiensis.
✠ Ego Franciscus Brazys, ep. tit. Zellensis.
✠ Ego Thaddaeus Stanislaus Swagrzyk, ep. tit. Itensis.
✠ Ego Iacobus Odongo, ep. tit. Bahannensis.
✠ Ego Franciscus Thomson, ep. Matrisfontis.
✠ Ego Adolfus Proulx, ep. tit. Missuensis.
✠ Ego Raphaël Grovas, ep. Caguanus.
✠ Ego Angelus Morta Figuis, ep. tit. Gubalianensis.
✠ Ego Justinus Pastorino, ep. tit. Babrensis.
✠ Ego Eduardus Herrera Riera, ep. tit. Sestensis.
✠ Ego Iacobus Ciona, ep. tit. Bacanariensis.
✠ Ego Jacobus Martin Hayes, ep. tit. Reperitanus.
✠ Ego Sylvius M. Dario, ep. tit. Oppidonovensis.
✠ Ego Iacobus Nguyen Ngoc Quang, ep. Canthoensis.
✠ Ego Basilius D'Souza, ep. Mangalorensis.
✠ Ego Franciscus Henricus Greteman, ep. tit. Vissalsensis.
✠ Ego Aloisius Clemens de la Vega Rodriguez, ep. Tulcanensis.
✠ Ego Ioannes B. Brunon, ep. tit. Vagalitanus.
✠ Ego Petrus Hoang Min Syeng, ep. Taeiconensis.
✠ Ego Urbanus Eugenius McGarry, ep. Bhagalpurensis.
✠ Ego Ioannes Martensen, ep. Hafniae.
✠ Ego Emmanuel Ferreira Cabral, ep. tit. Obbitanus.
✠ Ego Ioseph Carata, ep. tit. Praesidiensis.
✠ Ego Eugenius Franciscus Vroemen, ep. Ciquavana.
✠ Ego Gabriel Ukec, ep. Buniaensis.
✠ Ego Eduardus McCarthy, ep. tit. Tamascaniensis.
✠ Ego Martinus Legarra Tellechea, ep. tit. Lupercianensis.
✠ Ego Cyrillus Vogel, ep. Salinensis.
✠ Ego Alexander Piazza, ep. Albinganensis.
✠ Ego Antonius Columba McFeely, ep. Rapotensis.
✠ Ego Daniel Tji Hak Soun, ep. Woniuensis.
✠ Ego Alfredus Michaël Watson, ep. tit. Nationensis.
✠ Ego Eugenius Polge, ep. tit. Thiavensis.
✠ Ego Bernardus Alix, ep. tit. Medianensis.
✠ Ego Alanus van Gaver, ep. tit. Nakornrasimaensis.
✠ Ego Ioseph a Trinitate Sepulveda Ruiz Velasco, ep. Tuxtlensis.
✠ Ego Nevin Villelmus Hayes, ep. tit. Novasinnensis.
✠ Ego Raimundus Gallagher, ep. Lafayettensis in Indiana.
✠ Ego Vincentius Puchol Montiz, ep. Santanderiensis.
✠ Ego Ioannes Navarro Ramirez, ep. Civitatis Altamirensis.

✠ Ego Franciscus Marcus Fernando, ep. tit. Olivensis.
✠ Ego Gabinus Diaz Merchán, ep. Guadicensis.
✠ Ego Iucundus Grotti, ep. tit. Thunigabensis.
✠ Ego Marcus Antonius Noronha, ep. el. Itabirensis.
✠ Ego Loras Ioseph Watters, ep. tit. Fidolomensis.
✠ Ego Theophilus A. Cadoux, ep. Kaolackensis.
✠ Ego Franciscus Arinza, ep. tit. Fissianensis.
✠ Ego Iesus M. Pellin, ep. tit. Aquensis.
✠ Ego Ioannes da Silva Saraiva, ep. Funchalensis.
✠ Ego Georgius Benedictus Gassongo, ep. tit. Cubdensis.
✠ Ego Aloisius Maverna, ep. tit. Vannidensis.
✠ Ego Olympus Santiago Maresma, ep. tit. Gegitanus.
✠ Ego Firminus Martin Schmidt, ep. tit. Conanensis.
✠ Ego Petrus Bartholomaeus Hanrion, ep. Dapangensis.
✠ Ego Aloisius Gonzaga Fernandes, ep. tit. Mididitanus.
✠ Ego Christianus Bakpessi, ep. Sokode.
✠ Ego Iulius Taveres Rebimbas, ep. Pharaonensis.
✠ Ego Ismaël Blasius Rolòn Silvero, ep. tit. el. Furnitanus maior.
✠ Ego Hieronymus Pechillo, ep. tit. el. Novasparsensis.
✠ Ego Theodoricus Worlock, ep. Portus Magni.
✠ Ego Paulus Tanner, ep. tit. Lamasbensis.
✠ Ego Carolus Henricus Lévesque, ep. tit. Guzabetensis.
✠ Ego Ioseph Eduardus Alvarez, ep. tit. Tabuniensis.
✠ Ego Ioseph Matulaitis-Labukas, ep. tit. Moptensis.
✠ Ego Neemeh Simaan, ep. tit. Termessensis.
✠ Ego Iacobus Beltritti, ep. tit. Canensis.
✠ Ego Raphaël Nze Abuy, ep. tit. Sutunurcensis.
✠ Ego Michaël Russel, ep. Waterfordensis.
✠ Ego Ioseph M. Breitenbeck, ep. tit. Tepeltensis.
✠ Ego Henricus Edmundus Beel, ep. tit. Sucardensis.
✠ Ego Arturus Salazar Mejìa, ep. tit. Avirtensis.
✠ Ego Ivo Lorscheiter, ep. tit. Tamadensis.

Ego Petrus Romualdus Zilianti, abbas nullius S. Mariae Oliveti Maioris.
Ego Martinus Michler, abbas nullius B. M. V. de Monteserrato Fluminis Ianuarii.
Ego Henricus Groner, abbas nullius B. M. V. Maris Stellae.
Ego Anselmus Ludovicus Tranfaglia, abbas nullius Montis Virginis.
Ego Raimundus Tschudy, abbas nullius Einsiedlensis.
Ego Valtherus Arturus Coggin, abbas nullius S. Mariae Auxiliatricis de Belmont.
Ego Hieronymus Ferdinandus Weber, abbas nullius S. Petri apud Münster.
Ego Theodorus Minisci, abbas nullius B. Mariae Cryptaeferratae.
Ego Aegidius Gavazzi, abbas Sublacensis.
Ego Gregorius Gomez, abbas nullius Novae Nurciae.
Ego Ioannes Franzoni, abbas nullius S. Pauli in Urbe.

Ego Marcellus Gerin y Boulay, prael. nullius Cholutensis.
Ego Servilius Conti, prael. nullius Roraimensis.
Ego Iacobus Carolus Burke, prael. nullius Chimbotiensis.

Ego Alquilius Alvarez Diaz, prael. nullius Maraiensis.
Ego Redemptus Gauci, prael. nullius Chuquibambensis.
Ego Franciscus McHugh, prael. nullius Itacoatiarensis.
Ego Florentinus Armas Lerena, prael. nullius Chotensis.
Ego Damianus Nicolau, prael. nullius Huamacucianus.
Ego Raimundus Salas Valdes, prael. nullius Aricensis.
Ego Angelus Rivato, prael. nullius Petrosi Culminis.
Ego Marius Robertus Anglim, prael. nullius Coaritanus.
Ego Ioannes Conway McNabb, prael. nullius Chulucanensis.
Ego Nicolaus D'Antonio Salza, prael. nullius Immac. Conc. B. M. V. in Olancho.
Ego Hadrianus Veigle, prael. nullius Borbensis.

Ego Petrus Moretti, praef. apost. Tungchovensis.
Ego Quintinus Pessers, praef. apost. Kiangchovensis.
Ego Matthias Buchholz, praef. apost. Shihtsienensis.
Ego Dominicus Desperben, praef. apost. Hainanensis.
Ego Hermenegildus da Losenstein, praef. apost. Khiamuszeensis.
Ego Petrus Maleddu, praef. apost. Hinganfuensis.
Ego Dominicus Ferrara, praef. apost. Mopoiensis.
Ego Eduardus Gabriel Quint, praef. apost. Veihaiveiensis.
Ego Henricus Vallejo, praef. apost. Tierradentroensis.
Ego Georgius Breen, praef. apost. Haflongensis.
Ego Iacobus Ireland, praef. apost. de Insulis Falkland seu Malvinis.
Ego Albanus de Blackburn, praef. apost. de Jullundur.
Ego Aloisius Dettmer, praef. apost. De Aarensis.
Ego Heribertus Correa Yepes, praef. apost. Mituensis.
Ego Clarentius Iacobus Duhart, praef. apost. Udonthanensis.
Ego Ioseph a Iesu Arango, praef. apost. Guapiensis.
Ego Felix Erviti, praef. apost. de Sahara Hispaniae et Ifni.
Ego Emmanuel Gomez Frande, praef. apost. S. Michaelis de Sucumbios.
Ego Ioannes Giordani, praef. apost. Paciensis in California Inferiori.
Ego Villelmus Van den Elzen, praef. apost. Dorumaensis.
Ego Attilius Previtali, praef. apost. Misuratensis.
Ego Urbanus Murphy, praef. apost. Bechuanalandensis.
Ego Rupertus Hillerich, praef. apost. Solwenziensis.
Ego Villelmus Mahony, praef. apost. Ilorinensis.
Ego Hermannus Gerardus Te Riele, praef. apost. Malakalensis.
Ego Edvinus Kinch, praef. apost. Ingwavumensis.
Ego Ioannes Thomas Durkin, praef. apost. de Louis Trichardt.
Ego Antonius de Hornedo Correa, praef. apost. S. Francisci Xaverii.
Ego Angelus Romaniello, praef. apost. Kweilinensis.
Ego Henricus Hubertus Winkelmolen, praef. apost. Samensis.
Ego Iesus Coronado Caro, praef. apost. Ariariensis.
Ego Ioannes Ferreira, praef. apost. Guineae Lusitanae.
Ego Daniel Verstraete, praef. apost. Transvaal occid.
Ego Emmanuel de Baizama Labaca Ugarte, praef. apost. Aguaricoensis.
Ego Ioannes B. Coudray, praef. apost. Kankamensis.
Ego Petrus Malachias van Diepen, praef. apost. Manokwariensis.

Ego Gerardus Legeland, praef. apost. Veetebulaensis.
Ego Gerardus Deschamps, praef. apost. Daruensis.
Ego Iacobus Timotheus Cotter, praef. apost. Maiduguriensis.
Ego Edmundus Ioseph Fitzgibbon, praef. apost. Minnaensis.
Ego Paschalis Sweeney, praef. apost. Vanimo.
Ego Andreas Loucheur, praef. apost. Bafiensis.
Ego Ioseph Kantzian, ordinarius Armenorum Graeciae.
Ego Ianuarius Paul, ordinarius Chandaensis.

Ego Ioseph Soetemans, abbas gen. Congr. Ss.mi Salvatoris Lateranensis.
Ego Gebardus Koberger, abbas gen. Congr. Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensium Austriaca.
Ego Angelinus Lovey, praep. gen. Congr. Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis.
Ego Norbertus Calmels, abbas gen. O. Praem.
Ego Villelmus Van Hees, magister gen. O.S.Cr.
Ego Benno Gut, abbas primas O.S.B.
Ego Albertus Clerici, abbas praeses Congr. Cassinensis O.S.B.
Ego Christophorus Butler, praeses Congr. Angliae O.S.B.
Ego Ioannes Hoeck, praeses Congr. Bavaricae O.S.B.
Ego Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.
Ego Balduinus Dworschak, praeses Congr. Americanae Cassinensis O.S.B.
Ego Petrus Borne, praeses Congr. Beuronensis O.S.B.
Ego Petrus Caelestinus Gusi, abbas gen. Congr. Sublacensis O.S.B.
Ego David Melancon, praeses Congr. Helveto-Americanae O.S.B.
Ego Maurus Riha, praeses Congr. Austriacae ab Immaculata Conceptione O.S.B.
Ego Henricus Brechter, archiabbas Congr. Ottiliensis O.S.B.
Ego Godefridus Dayez, praeses Congr. Belgicae ab Annuntiatione B.M.V. O.S.B.
Ego Maurus Verzich, praeses Congr. Slavae S. Adalberti O.S.B.
Ego Aliprandus Catani, prior gen. Congr. Monachorum Eremitarum Camaldulensium O.S.B.
Ego Iacobus Del Rio, maior Congr. Eremitarum Camaldulensium O.S.B. Montis Coronae.
Ego Alfonsus Salvini, abbas gen. Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.
Ego Leo Cornelli, abbas gen. Congr. Silvestrinae O.S.B.
Ego Hemaiagh Ghedigian, abb. gen. Melch. Venet.
Ego Sighardus Kleiner, abb. gen. S. Ord. Cist.
Ego Carolus Braunstorfer, abbas praeses Congr. Austriacae S. Ord. Cist.
Ego Theobaldus Moscatelli, abbas praeses Congr. S. Bernardi Italiae S. Ord. Cist.
Ego Ioannes Van Engelen, abbas praeses Congr. Belgicae S. Ord. Cist.
Ego Bernardus De Terris, abb. praeses Congr. Cist. Senanquensis.
Ego Nivardus Buttarazzi, abbas praeses Congr. Casamari S. Ord. Cist.
Ego Ignatius Gillet, abb. gen. ord. Cist. Ref.
Ego Constantinus Koser, vic. gen. O.F.M.
Ego Basilius Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.
Ego Clementinus a Vlissingen, min. gen. O.F.M. Cap.
Ego Ludovicus Secondo, min. gen. T.O.R.
Ego Augustinus Trapé, prior gen. O.E.S.A.
Ego Gennadius Adem, sup. gen. Ord. Aleppensis Maronitarum.

Ego Ioseph Torbay, sup. gen. Ordinis Antoniani Libanensis Maronitarum.
Ego Maroun Harika, sup. gen. Ordinis Antoniani S. Isaiae Maronitarum.
Ego Rabban Ablahad, sup. gen. Ord. Anton. S. Hormisdae Chaldaeorum.
Ego Athanasius Welyckj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat.
Ego Ioachim Saba, sup. gen. Ordinis Basiliani Ss.mi Salvatoris Melkitarum.
Ego Anicetus Fernandez Alonso, mag. gen. O.P.
Ego Angelus Almárcegui, prior gen. O.R.S.A.
Ego Gabriel dell'Addolorata Marinucci, prior gen. Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini.
Ego Kilianus Healy, prior gen. O. Carm.
Ego Anastasius a SS. Rosario, praep. gen. O.C.D.
Ego Michaël a Iesu, min. gen. Ordinis Ss.mae Trinitatis redemptionis captivorum.
Ego Bernardus Navarro Allende, mag. gen. O. de M.
Ego Ioseph Loftus, prior gen. O.S.M.
Ego Franciscus Savarese, corr. gen. Ord. Minimorum.
Ego Marianus Tumler, Magister Superior Ord. Teutonici.
Ego Antonius Sagrera, praep. gen. Ordinis Theatinorum.
Ego Ioannes Bernasconi, praep. gen. Congr. Barnabitarum.
Ego Petrus Arrupe, praep. gen. S.I.
Ego Ioseph Boeris, praep. gen. Ordinis C.R.S.
Ego Forsennius Vezzani, praef. gen. Ordinis Min. Inf.
Ego Florillus Piersanti, praep. gen. CC.RR.MM.
Ego Vincentius Tomek, praep. gen. Sch. P.
Ego Octorinus Roland, praep. gen. Congr. Presb. Doctr. Christ.
Ego Theodorus Foley, praep. gen. C.P.
Ego Villelmus Gaudreau, rector maior C.SS.R.
Ego Michaël Sudres, sup. gen. C.S.V.
Ego Henricus Systermans, sup. gen. SS.CC.
Ego Ioseph Buckley, praep. gen. S.M.
Ego Cornelius Heiligers, sup. gen. S.M.M.
Ego Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I.
Ego Leonardus Carrieri, sup. gen. M.SS.CC.
Ego Paulus Ioseph Hoffer, sup. gen. S.M.
Ego Ioannes Gaddo, praep. gen. I.C.
Ego Germanus M. Lalande, sup. gen. C.S.C.
Ego Vilfridus Ioseph Dufault, sup. gen. A.A.
Ego Rolandus Huot, sup. gen. S.S.S.
Ego Petrus Schweiger, sup. gen. C.M.F.
Ego Aloisius Ricceri, rector maior Societatis S. Francisci Salesii.
Ego Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C.
Ego Villelmus Buckley, sup. gen. O.S.F.S.
Ego Conradus Blanchet, sup. gen. Miss. B. M. V. a La Salette.
Ego Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D.
Ego Villelmus Slattery, sup. gen. C.M.
Ego Mauritius Guéguiner, sup. gen. M.E.P.
Ego Villelmus Möhler, rector gen. S.A.C.
Ego Dominicus Fiorina, sup. gen. I.M.C.
Ego Henricus Mondé, sup. gen. S.M.A.

Ego Geraldus Mahon, sup. gen. M.H.M.
Ego Iacobus Kielt, sup. gen. Soc. S. Columbani.
Ego Ioseph Antonius De Palma, sup. gen. S.C.I.
Ego Caietanus Briani, sup. gen. F.S.C.I.
Ego Omer Degrijse, sup. gen. C.I.C.M.
Ego Maurinus Rast, sup. gen. S.D.S.
Ego Maurus a Matre Perdolente, prior gen. C.M.I.
Ego Henricus Bliestle, sup. gen. M.S.F.
Ego Iacobus Alberione, sup. gen. S.S.P.
Ego Ioseph Zambarbieri, dir. gen. F.D.P.

PROCURATORES *

✠ Michaël Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Franciscus Orozco Lomelin, ep. tit. Vitensis).
✠ Michaël Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Ioseph Villalón Mercado, ep. tit. Hermianensis).
✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Augustus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina).
✠ Ioannes Kodwo Amissah, arch. Littoris Capitis (Ioseph Bowers, ep. Accraensis).
✠ Ioannes Kodwoh Amissah, arch. Littoris Capitis (Villelmus Thomas Porter, arch. tit. Lemnensis).
✠ Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis (Ioannes Ioseph Diaz Plata, prael. Bertraniae in Catatumbo).
✠ Gasto Mojaisky-Perelli, arch. ep. Nusanus (Christophorus Dominicus Carullo, arch. Composanus).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Almirus Marques Ferreira, ep. Fertiliensis).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Ioseph Andrea Coimbra, ep. Patensis).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Salomon Ferraz, ep. tit. Eleuthernensis).
✠ Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus (Ioseph Mauritius da Rocha, ep. Brigantiensis in Brasilia).
✠ Theophilus Camomot Bastide, arch. tit. Marcianopolitanus (Iacobus Hayes, arch. Cagayanus).
✠ Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis (Andreas Leclerc, ep. tit. Haephestiensis).
✠ Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis (Lafayette Libânio, ep. Riopretensis).
✠ Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis (Ioannes Angelus Poli, ep. tit. Pergensis).
✠ Reginaldus Delargay, ep. tit. Hirinensis (Iacobus Michaël Liston, ep. Aucopolitanus).
✠ Henricus Mazerat, ep. Andegavensis (Augustus Ioseph Gaudel, ep. tit. Nisyensis).

* Intra uncos refertur nomen Patris, qui repraesentatur.

✠ Georgius Jacquot, ep. Vapicensis (Augustus Bonnabel, ep. tit. Zuritanus).
✠ Ioannes Theodorus Senner, ep. Cochabambensis (Petrus Franciscus Luna, ep. tit. Titoiolitanus).
✠ Andreas Van den Bronk, ep. Parakuensis (Ioseph Geraldus Holland, ep. tit. Cynopolitanus in Aegypto).
✠ Ioannes Carolus McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis (Ioseph M. Yuen Cing Ping, ep. Ciumatiensis).
✠ Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus (Anastasius Hurtado y Robles, ep. Tepicensis).
✠ Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis (Eduardus Bresson, ep. tit. Cestrenus).
✠ Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior (Ioannes M. Jan, ep. tit. Edistianensis).
✠ Ioseph Germanus Bonavides Morriberón, ep. Chachapoyasensis (Ignatius Arbulú Pineda, ep. Huanucensis).
✠ Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus (Ioseph a Iesu Martinez Vargas, ep. Armeniensis).
✠ Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis (Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus).
✠ Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis (Daniel Hostin, ep. Lagensis).
✠ Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis (Eduardus Larrain Cordovez, ep. Rancaguensis).
✠ Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis (Ioseph Gogué, ep. Basrensis Chaldaeorum).
✠ Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus (Ioseph Arturus Papineau, ep. Joliettensis).
✠ Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus (Paulus de Tarso Campos, arch. Campinensis.
✠ Nigellus Farren, ep. Derriensis (Ioannes McGinley, ep. tit. Croensis).
✠ Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculensis (Iacobus Albertus Duffy, ep. tit. Silandensis).
✠ Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculensis (Arturus Douville, ep. S. Hyacinthi).
✠ Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria (Pius Albertus Fariña Fariña, ep. tit. Citharizenus).
✠ Marius Paré, ep. Chicoutimiensis (Georgius Melançon, arch. tit. Esbonitanus).
✠ Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessenus (Ioseph Srebrnić, arch.-ep. Veglensis).
✠ Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista (Florentius Sisenius Vieira, ep. Amargosensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Alfonsus Toriz Cobián, ep. Queretarensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Ioseph Salazar Lopez, ep. tit. Prusiensis).
✠ Vido Riobé, ep. Aurelianensis (Robertus Picard de la Vacquerie, arch. tit. Amidenus).
✠ Laurentius Michaël Graziano, ep. tit. Limatensis (Beniamin Barrera y Reyes, ep. S. Annae).
✠ Laurentius Michaël Graziano, ep. tit. Limatensis (Michaelangelus Machado y Escobar, ep. S. Michaelis).
✠ Raphaël Calabrìa, arch. Beneventanus (Ioannes Rizzo, arch. Rossanensis).
✠ Arturus Mery Beckdorf, arch. tit. Phasianus (Raimundus Munita Eyzaguirre, ep. tit. Maximianensis in Numidia).

✠ Ioseph Maria Cuenco, arch. Jarensis (Ioannes Nilmar, ep. tit. Zaparensis).
✠ Ioseph Alves de Sâ Trindade, ep. Montisclarensis (Jackson Berenguer Prado, ep. Fori S. Annae).
✠ Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus (Hector Baranzini, arch. Syracusanus).
✠ Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis (Linus Aguirre Garcia, ep. Culiacanensis).
✠ Aemilius de Brigard Ortiz, ep. tit. Dystiensis (Hyacinthus Vasquez Ochea, ep. Espinalensis).
✠ Simon Hua Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis (Ioannes Cassaigne, ep. tit. Gadarensis).
✠ Alexander Menchaca Lira, ep. tit. Pinarensis (Hernandus Frias Hurtado, ep. tit. Baretensis).
✠ Carolus Herman Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph (Paulus Clarentius Schulte, arch. Indianopolitanus).
✠ Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyallpurensis (Aloysius Scheerer, ep. Multanensis).
✠ Warren Boudreaux, ep. tit. Calyndensis (Mauritius Schexnayder, ep. Lafayettensis).
✠ Raphaël Alvarez Lara, ep. Maioricensis (Bartholomaeus Pascual Marroig, ep. Minoricensis).
✠ Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis (Petrus Brot, ep. tit. Marcianensis).
✠ Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis (Carolus Carmelus de Vasconcellos Motta, card. arch. Apparitiopolitanus).
✠ Vincentius de Araújo Matos, ep. Cratensis (Aurelianus Matos, ep. Limociensis).
✠ Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis (Petrus Francia, ep. tit. Arabissenus).
✠ Hubertus Newell, ep. Cheyennensis (Bernardinus Sullivan, ep. tit. Alicarnessensis).
✠ Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis (Ioannes B. Llosa, ep. Adiacensis).
✠ Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis (Ioannes Franciscus Doyle, ep. tit. Onuphitanus).
✠ Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis (Linus Rodrigo Ruesca, ep. Oscensis).
✠ Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis (Eduardus McGurken, ep. Shinyangaensis).
✠ Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis (Raimundus Lane, ep. tit. Hypaepenus).
✠ Caelestinus Bezmalinović, ep. tit. Hadrumetinus (Michael Pušić, arch. ep. Pharensis).
✠ Hieronymus Mazzarotto, ep. tit. Arsinoitanus (Emmanuel da Silva d'Elboux, arch. Curitabensis).
✠ Cyrillus Vogel, ep. Salinensis (Romeus Roy Blanchette, ep. tit. Massitensis).
✠ Iacobus Martin Hayes, ep. tit. Reperitanus (Ioseph Geraldus Berry, arch. Halifaxiensis).
✠ Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico (Ioseph a Iesu Garcia Ayala, ep. tit. Lacedaemoniensis).
✠ Zaccharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis (Expeditus Eduardus de Oliveira, ep. Patosensis).

✠ Sanctes Quadri, ep. tit. Villanovensis (Gaudentius Binaschi, ep. Pineroliensis).
✠ Ioannes Picco, ep. tit. Anaeus (Franciscus Imberti, arch. Vercellensis).
✠ Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis (Antonius De Almeida Moraes, arch. Nictheroyensis).
✠ Timotheus Manning, ep. tit. Lesvitanus (Iacobus Franciscus card. McIntyre, arch. Angelorum in California).
✠ Ioseph D'Angelo Neto, arch. de Pouso Alegre (Geraldus Micheletti Pellenda, ep. de Ponta Grossa).
✠ Caelestinus Ioseph Damiano, arch. ep. Camdensis (Henricus Nicodemo, arch. Barensis).
✠ Ioseph Nepote Fus, ep. tit. Helensis (Carolus Re, ep. tit. Asponitanus).
✠ Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis (Michaël Belaguer, ep. tit. Castellominoritanus).
✠ Antonius Ferreira de Macedo, arch. tit. Gangrensis (Carolus Carmelus card. Vasconcellos Motta, arch. Apparitiopolitanus).
✠ Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis (Henricus Baaken, ep. tit. Gordenus).
✠ Franciscus Rendeiro, ep. tit. Benepotensis (Joannes Pereiro Venancio, ep. Leiriensis).
✠ Aloisius Gonzaga da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Marignano (Ernestus de Paula, ep. tit. Hierocaesariensis).
✠ Ioannes Grellinger, ep. tit. Syenitanus (Stanislaus Vincentius Bona, ep. Sinis Viridis).
✠ Edmundus Aloisius Kunz, ep. tit. Ptolemaidensis in Phoenicia (Alfredus Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis in Brasilia).
✠ Ioseph Alí Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venezuela (Crispulus Benítez Fonturvel, ep. Barquisimetensis).
✠ Ioseph Alí Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venezuela (Constantius Maradel Donato, ep. Cabimensis).
✠ Franciscus Esser, ep. Keimoesanus (Bruno Hippel, ep. Oudtshoornensis).
✠ Arnulfus Arcilla, ep. Sorsogonensis (Emmanuel del Rosario, ep. Malolosensis).
✠ Antonius Corso, ep. tit. Moglaenensis (Franciscus Ioseph McSorley, ep. tit. Sozusensis in Palaestina).
✠ Henricus Tenhumberg, ep. tit. Thuburnicensis (Henricus Roleff, ep. tit. Elaeensis).
✠ Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagnensis (Antonius De Almeida Moraes, arch. Nictheroyensis).
✠ Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis (Ernestus Segura, ep. tit. Carpitanus).

Clementinus a Vlissingen, min. gen. ofm. cap. (Matthaeus Brans, ep. tit. Cornensis).
Petrus Rutten (Petrus Martinus Arntz, ep. Bandungensis).
Aloisius Sfeir (Genadius Adem, abb. sup. gen. Ord. Alepp. Maronitarum).
Robertus Sennot (Richardus card. Cushing, arch. Bostoniensis).
Marcus Hurley (Ioseph McGucken, arch. S. Francisci in California).
Thomas Maloney (Ioannes Floersh, arch. Ludovicopolitanus).
Thomas Maloney (Carolus Maloney, ep. tit. Capsitanus).
Marinus Verbaarschot (Martinus Lucas, arch. tit. Adulitanus).
Hermes Peeters (Prosper Durand, ep. tit. Girensis).
Petrus Abellan (Zeno Aramburu, ep. Uhuvensis).

Ioannes de Castro (Franciscus Prado Carrera, ep. Uruassuensis).
Marcellus Breysse (Alfredus Couderc, ep. Vivariensis).
Thomas Tobin (Eduardus Howard, arch. Portlandensis in Oregon).
Rumoldus Mollink (Antonius Albers, ap. Malangensis).
Arcadius Marinas (Evelius Diaz y Cia, arch. S. Christophori de Habana).

Ego Ioseph Rossi,
ep. tit. Palmyrenus
Ss. Concilii Notarius

Ego Franciscus Hannibal Ferretti
Ss. Concilii Notarius

Ego Pericles Felici
arch. tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

8

Decretorum approbatio et proclamatio

Postquam paramenta Missae deposuerit, Summus Pontifex pluviale et mitram induit et, comitantibus em.mis DD. cardd. Diaconis Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona, ad sedem eminentem ante altare papale erectam venit et sedet.

Tunc em.mus P. D. Augustinus card. Bea, praeses secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam, adit em.mum metropolitam Heliopolitanum Meliton, legatum S. B. Athenagorae I, patriarchae Constantinopolitani, eum osculat, plaudentibus omnibus praesentibus, et, comitantibus em.mis DD. cardd. Paulo Marella, praeside secretariatus de relationibus cum religionibus non-christianis, et Francisco König, praeside secretariatus de relationibus cum non-credentibus, eum ducit prope sedem pontificalem.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, secretarius generalis Concilii, comitantibus duobus protonotariis de numero, scil. rev.mo D. Francisco Hannibale Ferretti, decano, et exc.mo D. Ioseph Rossi, ep. tit. Palmyreno, et duobus advocatis Sacri Consistorii, scil. DD. Ioanne Baptista Ferrata et Victorio Trocchi, accedit ad Summum Pontificem ut ei referat de exitu lationis suffragiorum.

Secretarius generalis:

Beatissime Pater,

Super declaratione *de libertate religiosa*:

Suffragium tulerunt Patres 2.386

ex quibus dixerunt *placet* 2.308
non placet . . . 70
[*plausus*]
Suffragia nulla 8

Super decreto *de activitate missionali Ecclesiae*:

Votum dederunt Patres 2.399
quorum dixerunt *placet* 2.394
[*plausus*]
non placet 5

Super decreto *de presbyterorum ministerio et vita*:

Suffragium tulerunt 2.394
dixerunt *placet* 2.390
[*plausus*]
non placet 4

Super constitutione pastorali *de Ecclesia in mundo huius temporis*:

Suffragium tulerunt Patres 2.391
ex quibus dixerunt *placet* 2.309
[*plausus*]
non placet 75
Suffragia nulla 7

SUMMUS PONTIFEX PAULUS VI:

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Declaratio *de libertate religiosa,* decretum *de activitate missionali Ecclesiae,* decretum *de presbyterorum ministerio et vita,* constitutio pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quae in hac Sacrosancta et Universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta sunt, placuerunt Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*Plausus*].

Secretarius generalis: Beatissimus Pater pro novis legibus, quae in modo promulgatis decretis continentur, vacationem statuit usque ad

diem 29 iunii anni 1966, nempe usque ad festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum sequentis anni.

Interea Summus Pontifex normas edet ad praedictas leges exsequendas.

Ill.mus P. D. Ioannes Baptista Ferrata, advocatus consistorialis: Rogantur protonotarii apostolici hic praesentes, ut velint super declarationem, decreta et constitutionem nuper lecta et a Beatissimo Papa nostro Paulo VI adprobata una cum venerabilibus Concilii Patribus, unum vel plura instrumentum vel instrumenta conficere ad perpetuam rei memoriam.

Rev.mus P. D. Franciscus Hannibal Ferretti, decanus Collegii Protonotariorum Apostolicorum: Conficiemus, vobis testibus.

Protonotariis et advocatis discessis, em.mus card. Augustinus Bea, comitantibus em.mis DD. cardd. Paulo Marella et Francisco König, progreditur ad latus Summi Pontificis et legit Breve Apostolicum *Ambulate in dilectione.**

9

PAULUS PP. VI

AD FUTURAM REI MEMORIAM

« Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos »: haec hortatoria verba Apostoli gentium (*Eph.* 5, 2) nobis, qui e Salvatoris nomine christiani appellamur, obversantur nosque permovent, praesertim hac aetate, quae vehementius impellit, ut dilatentur spatia caritatis; scilicet animi nostri, Dei munere, inflammantur desiderio omni ope annitendi, ut in unitate ii componantur, qui ad eam servandam vocati sunt, utpote Christo incorporati. Nos vero ipsi, qui ex divinae Providentiae dispositione Sancti Petri Cathedram obtinemus, hoc Dominicum mandatum comprehensum habentes, pluries iam significavimus Nobis esse firmissime propositum, ut omnes arriperemus occasiones ad eam Redemptoris voluntatem perficiendam utiles et opportunas. Recogitamus quidem de lugendis eventis illis, quibus, post non paucas dissensiones, anno millesimo quinquagesimo quarto factum est, ut inter Romanam et Constantinopolitanam Ecclesiam gravis simultas oriretur. Non imme-

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 40.

rito ergo Sanctus Gregorius Pp. VII, Decessor Noster, postea scripsit: « Quantum ... primum concordia profuit, tantum deinceps nocuit quod utrimque ... caritas friguit » (Ep. ad Michaël. Constantinop. imp., *Reg.* I, 18, ed. E. Caspar, p. 30). Immo eo perventum est, ut Legati Pontificii adversus Michaëlem Caerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, ac duos viros ecclesiasticos excommunicationis sententiam pronuntiarent, hic vero eiusque Synodus pari modo in illos animadverterent. Nunc vero, mutatis temporibus et animis, magno afficimur gaudio, quod venerabilis Frater Noster Athenagoras I, Patriarcha Constantinopolitanus, eiusque Synodus, in eadem Nobiscum sunt voluntate, eo videlicet pertinente, ut caritate, « dulci ac salubri vinculo mentium » (cf. S. AUGUST., *Serm.* 350, 3; *PL* 39, 1534), inter nos coniungamur. Itaque amplius progredi cupientes in via fraternae dilectionis, qua ad perfectam unitatem perducamur, et amovere ea, quae obstant et impediunt, coram Episcopis in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo congregatis affirmamus Nos aegre ferre ea verba et facta, quae probari non possunt, tempore illo dicta et patrata. Praeterea sententiam excommunicationis tunc latam ex Ecclesiae memoria evellere volumus ac de eius medio removere, atque eam volumus oblivione contectam et obrutam. Laetamur autem, quod Nobis datur hoc fraternae caritatis officium hic Romae, apud sepulchrum Petri Apostoli, praestare hoc ipso die, quo Constantinopoli, quae Nova Roma est nuncupata, idem fieri contingit, et quo Ecclesia Occidentalis et Orientalis Sanctum Ambrosium, Episcopum et Doctorem sibi communem, pia celebrant recordatione. Clementissimus Deus, auctor pacis, tribuat mutuae huius bonae voluntatis effectum et concedat, ut publicum hoc fraternitatis christianae testimonium in gloriam suam animarumque utilitatem feliciter vertat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Decembris, in festo Sancti Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

[*Plausus*]

Lectione expleta, Summus Pontifex tradit em.mo D. Meliton, metropolitae Heliopolitano, Breve Apostolicum *Ambulate in dilectione,* et alter alterum amplectuntur, omnibus plaudentibus.

10

Sessionis conclusio

Summus Pontifex Patres invitat ad indulgentiam apud Deum impetrandam pro offensionibus forte contractis in hac Concilii celebritate; quod genua flectentes omnes faciunt dum, in nomine eorum, Papa Paulus VI dicit orationem: *Nulla est, Domine,* cui respondent insimul recitando orationem dominicam *Pater noster.* Deinde Pontifex eos absolvit et, moniti ab em.mo D. Alfredo card. Ottaviani, protodiacono, omnes Patres surgunt et sibi invicem osculum pacis tradunt.

Summus Pontifex hymnum *Te Deum* inchoat, a choro Cappellae Sixtinae modo polyphonico, auctore Perosi, et ab universo coetu modo gregoriano alternatim cantatum.

Post orationem, Summus Pontifex Apostolicam Benedictionem sollemniter impertitur:

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum!
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Summus Pontifex: Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.
℟. Amen.

Exc.mus P. D. Pericles Felici Evangelii codicem reposuit, et Summus Pontifex, assumptis mitra et baculo, comitantibus em.mis DD. cardinalibus et exc.mis concelebrantibus, e Basilica Vaticana egreditur, dum chorus Cappellae Sixtinae exsequitur: *Tu es Petrus,* 7 vocibus, auctore Bartolucci.

SESSIO PUBLICA X

8 decembris 1965

SESSIO PUBLICA X

8 decembris 1965

1

Ingressus Summi Pontificis

Em.mi DD. cardinales, exc.mi patriarchae, archiepiscopi, episcopi, abbates et ceteri Patres conciliares, necnon officiales Concilii, praelati Cappellae Papalis et qui in Cappella locum habent, post crucem pontificalem processionali modo incedentes per plateam S. Petri, a porta aenea (vulgo « di bronzo » appellata) usque ad aream ante frontem Basilicae Vaticanae pergunt et unusquisque locum sibi assignatum occupat.

Summus Pontifex Paulus VI, processionem claudens, per plateam S. Petri a porta aenea usque ad altare ante frontem Basilicae sedia gestatoria vehitur, universo populo acclamante, hymno pontificali resonante, dein choro Cappellae Sixtinae cantante *Tu es Petrus,* 7 vocibus, auctore Bartolucci, et, modo gregoriano, alternatim cum omnibus praesentibus, hymnum *Ave, Maris Stella.*

Summus Pontifex de sella gestatoria descendit ac, deposita mitra, Missam incipit, universo clero et fidelibus adstantibus respondentibus. Ritus liturgicus continuatur sicut indicatur in fasciculo, cui titulus: *Ordo et methodus servanda in concludendo Concilio Oecumenico Vaticano II, die 8 decembris 1965,* Typis Polyglottis Vaticanis, 1965.[1]

2

Missa

A – LITURGIA VERBI

Durante Missa, Summum Pontificem comitantur exc.mi DD. Iacobus Venini, arch. tit. Adanensis, Eleemosynarius secretus, et Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, praefectus Sacrarii Apostolici.

---

[1] Hic fasciculus distributus est Patribus Concilii die 7 decembris. Die 8 decembris distributus est membris Legatorum Corporis libellus lingua gallica exaratus, cui titulus: *Deuxième Concile Œcuménique du Vatican. Séance solennelle de clôture, le 8 décembre 1965. Place Saint-Pierre,* Typis Polyglottis Vaticanis, 1965.

Absolutis precibus ad gradus altaris faciendis et eodem altari in medio osculato, Summus Pontifex ad sedem eminentem ante portam Basilicae erectam accedit.

Rev.mus D. Petrus Mattioli, auditor S. R. Rotae, ad latus dexterum altaris epistolam legit.

Rev.mus D. Ado Terzariol, magister participans caeremoniarum apostolicarum, benedictione Summi Pontificis accepta, ad latus sinistrum altaris Evangelium legit et, lectione expleta, librum Evangeliorum Summo Pontifici defert qui, illo osculato, homiliam tenet.

HOMILIA SUMMI PONTIFICIS PAULI VI *

Signori Cardinali! Venerati Fratelli!
Rappresentanti dei Popoli! Signori della Città di Roma!
Autorità e Cittadini d'ogni parte del mondo!
voi, Osservatori appartenenti a tante diverse denominazioni cristiane!
e voi, Fedeli e Figli qui presenti, e anche voi, sparsi sulla terra ed a noi uniti nella fede e nella carità!

Ascolterete tra poco, al termine di questa santa Messa, la lettura di alcuni messaggi, che il Concilio Ecumenico, alla conclusione dei suoi lavori, rivolge a varie categorie di persone, intendendo in quelle considerare le innumerevoli forme in cui la vita umana si esprime; e ascolterete altresì la lettura del Nostro decreto ufficiale, col quale dichiariamo finito e chiuso il Concilio Ecumenico Vaticano secondo. Questo è perciò il momento — un breve momento — dei saluti. Dopo, la nostra voce tacerà. Il Concilio è del tutto terminato; questa immensa e straordinaria riunione si scioglie.

Il saluto perciò che Noi vi rivolgiamo acquista un particolare significato, che ci permettiamo appena di indicare, non per distrarre dall'orazione, ma per meglio impegnare la vostra attenzione alla presente celebrazione.

Questo saluto è, innanzi tutto, universale. Si rivolge a voi tutti, qui assistenti e partecipanti a questo sacro rito; a voi, Venerati Fratelli nell'Episcopato, a voi Persone rappresentative, a voi, Popolo di Dio; e si estende, si allarga a tutti, al mondo intero. Come potrebbe essere altrimenti, se questo Concilio si è definito ed è stato ecumenico, cioè uni-

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 5-8.

versale? Come un suono di campane si effonde nel cielo, e arriva a tutti ed a ciascuno nel raggio di espansione delle sue onde sonore, così il nostro saluto, in questo momento, a tutti ed a ciascuno si rivolge. A quelli che lo accolgono, ed a quelli che non lo accolgono: risuona ed urge all'orecchio d'ogni uomo. Da questo centro cattolico romano nessuno è, in via di principio, irraggiungibile; in linea di principio tutti possono e debbono essere raggiunti. Per la Chiesa cattolica nessuno è estraneo, nessuno è escluso, nessuno è lontano. Ognuno, a cui è diretto il nostro saluto, è un chiamato, un invitato; è, in certo senso, un presente. Lo dica il cuore di chi ama: ogni amato è presente! E noi, specialmente in questo momento, in virtù del nostro universale mandato pastorale ed apostolico, tutti, tutti noi amiamo!

Diciamo perciò questo a voi, anime buone e fedeli, che assenti di persona da questo foro dei credenti e delle genti, siete qui presenti col vostro spirito, con la vostra preghiera: anche a voi pensa il Papa, e con voi celebra questo istante sublime di comunione universale.

Diciamo questo a voi, sofferenti, quasi prigionieri della vostra infermità, e che, se a voi mancasse il conforto di questo nostro intenzionale saluto, sentireste raddoppiare, a causa della spirituale solitudine, il vostro dolore.

E questo diciamo specialmente a voi, Fratelli nell'Episcopato, che non per vostra colpa mancaste al Concilio e ora lasciate nelle file dei Confratelli ed ancor più nel loro cuore e nel Nostro un vuoto, che ci fa tanto soffrire e che denuncia il torto che vincola la vostra libertà; e fosse soltanto quella che vi mancò per venire al nostro Concilio! Saluto a voi, Fratelli, tuttora ingiustamente trattenuti nel silenzio, nell'oppressione e nella privazione dei legittimi e sacri diritti, dovuti ad ogni uomo onesto, e tanto più a voi, di null'altro operatori che di bene, di pietà e di pace! La Chiesa, o Fratelli impediti e umiliati, è con voi! è con i vostri fedeli e con quanti vi sono associati nella vostra penosa condizione! e così lo sia la coscienza civile del mondo! E infine questo nostro universale saluto rivolgiamo anche a voi, uomini che non ci conoscete; uomini, che non ci comprendete; uomini, che non ci credete a voi utili, necessari, ed amici; e anche a voi, uomini che, forse pensando di far bene, ci avversate! Un saluto sincero, un saluto discreto, ma pieno di speranza; ed oggi, credetelo, pieno di stima e di amore.

Questo il nostro saluto. Ma fate attenzione quanti ci ascoltate. Vi preghiamo di considerare come il nostro saluto, a differenza di quanto comunemente avviene per i saluti della conversazione profana, i quali servono a mettere fine ad un rapporto di vicinanza, o di discorso, il nostro saluto tende a rafforzare, a produrre se necessario, il rapporto

spirituale, donde trae il suo senso e la sua voce. Il nostro è un saluto non di congedo che distacca, ma di amicizia che rimane, e che, se del caso, ora vuol nascere. Anzi è proprio in questo suo pronunciamento estremo, che esso, il nostro saluto, vorrebbe, da un lato, arrivare al cuore d'ognuno, entrarvi come un ospite cordiale e dire nel silenzio interiore dei vostri singoli spiriti la parola, consueta e ineffabile del Signore: « Vi lascio la pace, vi do la mia pace, ma non come la dà il mondo »; [1] (Cristo ha un suo modo unico e originale di parlare nel segreto dei cuori); dall'altro, il nostro saluto tende ad un altro e superiore rapporto, perché non è solo scambio di voci bilaterale, tra noi, gente di questa terra, ma esso chiama in causa un altro Presente, il Signore stesso, invisibile sì, ma operante nel tessuto dei rapporti umani; e lo invita, lo prega a suscitare in chi saluta e in chi è salutato dei beni nuovi, di cui primo e sommo è la carità.

Ecco, questo è il nostro saluto: possa esso accendere questa nuova scintilla della divina carità nei nostri cuori; una scintilla, la quale può dar fuoco ai principî, alle dottrine e ai propositi, che il Concilio ha predisposti, e che così infiammati di carità, possono davvero operare nella Chiesa e nel mondo quel rinnovamento di pensieri, di attività, di costumi, e di forza morale e di gaudio e di speranza, ch'è stato lo scopo stesso del Concilio.

Il nostro saluto perciò si fa ideale. Si fa sogno? si fa poesia? si fa iperbole convenzionale e vacua, come spesso avviene nelle nostre abituali effusioni augurali? No. Si fa ideale, ma non irreale. Un istante ancora della vostra attenzione. Quando noi uomini spingiamo i nostri pensieri, i nostri desideri verso una concezione ideale della vita, ci troviamo subito o nell'utopia, o nella caricatura retorica, o nell'illusione, o nella delusione. L'uomo conserva l'aspirazione inestinguibile verso la perfezione ideale e totale, ma non arriva da sé a raggiungerla, né forse col concetto, né tanto meno con l'esperienza e con la realtà. Lo sappiamo; è il dramma dell'uomo, del re decaduto. Ma osservate che cosa si verifica questa mattina: mentre chiudiamo il Concilio Ecumenico noi festeggiamo Maria Santissima, la Madre di Cristo, e perciò, come altra volta dicemmo, la Madre di Dio e la Madre nostro spirituale. Maria Santissima, diciamo, immacolata! cioè innocente, cioè stupenda, cioè perfetta; cioè la Donna, la vera Donna ideale e reale insieme; la creatura nella quale l'immagine di Dio si rispecchia con limpidezza assoluta, senza alcun turbamento, come avviene invece in ogni creatura umana.

---

[1] *Io.* 14, 27.

Non è forse fissando il nostro sguardo in questa Donna umile, nostra Sorella e insieme celeste nostra Madre e Regina, specchio nitido e sacro dell'infinita Bellezza, che può terminare la nostra spirituale ascensione conciliare e questo saluto finale? e che può cominciare il nostro lavoro post-conciliare? Questa bellezza di Maria Immacolata non diventa per noi un modello ispiratore? una speranza confortatrice?

Noi, o Fratelli e Figli e Signori, che ci ascoltate, noi lo pensiamo; per noi e per voi: ed è questo il nostro saluto più alto e, Dio voglia, il più valido!

B – ORATIO COMMUNIS

Orationem communem seu fidelium in lingua latina a Summo Pontifice conclusam sequitur supplicatio ritu graeco, a rev.mo D. Nicola Printesis tamquam diacono cantata et ab exc.mo D. Hyacintho Gad, ep. tit. Gratianopolitano, exarcha apostolico pro catholicis ritus byzantini in Graecia degentibus, conclusa.

Postea quaedam intentiones orationis diversis linguis proponuntur:

1. *In lingua italica*: Per la Santa Chiesa di Dio; perché il nostro Signore le conceda pace e unità e la custodisca su tutta la terra: preghiamo il Signore!

2. *In lingua gallica*: Pour le Saint-Père, le Pape Paul VI; pour que Dieu qui l'a choisi l'aide à guider la Sainte Eglise: prions le Seigneur!

3. *In lingua anglica*: For all the bishops and the priests, for all the holy people of God: let us pray to the Lord!

4. *In lingua hispanica*: Para que los pueblos vivan en la concordia, para que el vínculo de la caridad úna los corazones y todos se hermanen en la justicia; para que cesen las guerras y se extinga el odio: oremos al Señor! Te rogamos, óyenos!

5. *In lingua germanica*: Aufdass die Kinder ihre Unschuld bewahren; damit in den Familien Friede und Eintracht herrsche: lasset uns beten, o Brüder! Wir bitten Dich, erhöre uns!

6. *In lingua lusitana*: Por todos os orfãos do mundo, para que Deus Pai misericordioso os conforte e assista e suscite corações generosos que os aconcheguem com caridade fraternal: rezemos ao Senhor! Ouvi-nos, Senhor!

7. *In lingua polonica*: Aby cały lud pracujący w swym codziennym trudzie siłił się, by życie budować społeczne na sprawiedliwości i na miłości: Módlmy się bracia, wysłuchaj nas, Panie!

8. *In lingua croata*: Za one koji trpe glad, za one koji žive u vjeri i oskudici da budu njihova srca ražarena od pouzdanja na Božju providnost, i da svi dobiju potrebnu pomoć za plod pravednosti i ljubavi, za to molimo Gospodina. Tebe molimo, usliši nas!

C – DONORUM OBLATIO

Ante offertorium, em.mus D. Eugenius card. Tisserant, comitantibus em.mis DD. card. Francisco Spellman, arch. Neo-Eboracensi, et Ioanne Carmelo Heenan, arch. Vestmonasteriensi, nuntium dat de donis a Summo Pontifice factis in favorem quarumdam beneficientiae institutionum:

Le Saint-Père, qui rappelait aux Nations-Unies le 4 octobre dernier le grave devoir de la grande famille humaine de venir au secours des moins favorisés de ses membres, désire, malgré la modicité de ses moyens, faire un geste concret en faveur de quelques réalisations choisies dans diverses parties du monde.

Cette aide, présentée au moment même de l'offertoire de la messe, veut être le symbole de la charité de l'Eglise tout entière unie autour du Pape dans la personne de ses évêques. Cinq de ceux-ci vont recevoir de la main de Sa Sainteté un chèque destiné aux pays suivants:

Palestine, pour l'achèvement de l'hôpital de Bethléem.

Beat.mus D. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum, accipit donum de manibus Summi Pontificis. [*Plausus*].

Argentine, pour le développement du secteur confié aux Petits Frères de Jésus du Père de Foucauld.

Em.mus D. Antonius card. Caggiano, arch. Bonaërensis, accipit donum de manibus Summi Pontificis. [*Plausus*].

Inde du Sud, pour la réalisation d'un projet de catéchèse et d'enseignement agricole.

Em.mus D. Valerianus card. Gracias, arch. Bombayensis, accipit donum de manibus Summi Pontificis. [*Plausus*].

Pakistan, pour la fondation d'une « Caritas » en ce pays.

Exc.mus D. Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis, accipit donum de manibus Summi Pontificis. [*Plausus*].

Cambodge, pour la fondation d'une « Caritas » en ce pays.

Exc.mus D. Yvo Ramousse, ep. tit. Pisitanus, vic. ap. de Phnom-Penh, accipit donum de manibus Summi Pontificis. [*Plausus*].

D – LITURGIA EUCHARISTICA

Post antiphonam ad offertorium ab omnibus dictam, chorus Cappellae Sixtinae modo polyphonico cantat: *Tota pulchra es*.

Sumpto pretiosissimo Sanguine, Summus Pontifex communicat sex pueros repraesentantes universae terrae partes, dum chorus et omnes adstantes recitant antiphonam ad communionem et modo gregoriano cantant: *Ubi caritas et amor*.

Hi pueri sunt: Paulus Kelly (Stat. Foed. Americae Septemtrionalis); Bryan Mascarenhas (India); Villelmus Leandro Mora (Venezuela); Amarita Gonzalez (Hispania); Ioannes Claude (Senegal); Antonius O'Neill (Australia).

Missa explicit modo praescripto in *Ordine et methodo servanda ...* Summus Pontifex, oratione benedictionis et gratiarum actionis in lingua graeca pronuntiata, impertitur sollemnem benedictionem universo populo plaudenti.

3

Benedictio primarii lapidis ecclesiae B. V. M. « Matris Ecclesiae »

Summus Pontifex, dimissis super altare Sacro Pallio et manipulo, benedictionem primario lapidi pro ecclesia condenda in honorem Deiparae Virginis « Mariae Matris Ecclesiae » impertitur.

Stans ad latus sinistrum altaris, comitantibus em.mo D. Aloisio Traglia, cardinali vicario, rev.mo D. Friderico Federici, secretario pontificii Operis pro fide promovenda et novis ecclesiis Romae condendis, et cl.mo D. Amerigo Petrucci Romanae civitatis moderatore, Pontifex dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Oremus: Benedic, Domine, creaturam istam lapidis, et praesta per invocationem sancti tui nominis: ut, quicumque ad hanc ecclesiam aedificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, et animae medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem aqua benedicta et, accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum crucis. Deinde dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum aeternum maiestati tuae condis habitaculum: da aedificationi tuae incrementa caelestia; ut, quod te iubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

4

Concilii conclusio

Comitanitbus duobus cardinalibus diaconis, em.mis DD. Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona, Summus Pontifex ad sedem venit et brevem allocutionem dicit:

SUMMI PONTIFICIS PAULI VI ALLOCUTIO *

Vénérables Frères,

L'heure du départ et de la dispersion a sonné. Dans quelques instants, vous allez quitter l'assemblée conciliaire pour aller à la rencontre de l'humanité et lui porter la bonne nouvelle de l'Evangile du Christ et du renouvellement de son Eglise, auquel nous travaillons ensemble depuis quatre ans.

Moment unique que celui-ci; moment d'une signification et d'une richesse incomparables! En ce rassemblement universel, en ce point privilégié du temps et de l'espace, convergent à la fois le passé, le présent, l'avenir. Le passé: car c'est, ici réunie, l'Eglise du Christ, avec sa tradition, son histoire, ses Conciles, ses Docteurs, ses Saints... Le présent: car nous nous quittons pour aller vers le monde d'aujourd'hui, avec ses misères, ses douleurs, ses péchés, mais aussi ses prodigieuses réussites, ses valeurs, ses vertus... L'avenir est là, enfin, dans l'appel impérieux des peuples à plus de justice, dans leur volonté de paix, dans leur soif, consciente ou inconsciente, d'une vie plus haute: celle que précisément l'Eglise du Christ peut et veut leur donner.

Il nous semble entendre s'élever de partout dans le monde une immense et confuse rumeur: l'interrogation de tous ceux qui regardent vers le Concile et nous demandent avec anxiété: n'avez-vous pas un mot à nous dire? ... à nous, les Gouvernants? ... à nous, les intellectuels, les travailleurs, les artistes? ... et à nous, les femmes? à nous les jeunes, à nous les malades et les pauvres?

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 8.

Ces voix implorantes ne resteront pas sans réponse. C'est pour toutes les catégories humaines que le Concile travaille depuis quatre ans; c'est pour elles qu'il a élaboré cette « Constitution sur l'Eglise dans le monde d'aujourd'hui », que Nous promulguions hier aux applaudissements enthousiastes de votre assemblée.

De notre longue méditation sur le Christ et sur son Eglise doit jaillir en cet instant une première parole annonciatrice de paix et de salut pour les multitudes dans l'attente. Le Concile, avant de se séparer, veut remplir cette fonction prophétique et traduire en de brefs messages et dans une langue plus facilement accessible à tous la « bonne nouvelle » qu'il a pour le monde, et que quelques-uns de ses interprètes les plus autorisés vont adresser maintenant en votre nom à l'humanité tout entière. [*Plausus*].

Em.mus card. D. Achilleus Liénart, ep. Insulensis, comitantibus em.mis cardd. DD. Bernardo Alfrink, arch. Ultraiectensi, et Ioanne Colombo, arch. Mediolanensi, stans in gradu inferiori lateris sinistri sedis pontificalis, legit nuntium ad populorum rectores.

Aux gouvernants *

En cet instant solennel, Nous, les Pères du XXIème Concile œcuménique de l'Eglise Catholique, sur le point de nous disperser après quatre ans de prière et de travaux, dans la pleine conscience de notre mission envers l'humanité, nous nous adressons avec déférence et avec confiance à ceux qui tiennent dans leurs mains le destin des hommes sur cette terre, à tous les dépositaires du pouvoir temporel.

Nous le proclamons hautement: nous rendons honneur à votre autorité et à votre souveraineté; nous respectons votre fonction; nous reconnaissons vos justes lois; nous estimons ceux qui les font et ceux qui les appliquent. Mais nous avons une parole sacrosainte à vous dire, et la voici: Dieu seul est grand. Dieu seul est le principe et la fin. Dieu seul est la source de votre autorité et le fondement de vos lois.

C'est à vous qu'il revient d'être sur terre les promoteurs de l'ordre et de la paix entre les hommes. Mais ne l'oubliez pas: c'est Dieu, le Dieu vivant et vrai, qui est le Père des hommes. Et c'est le Christ, son Fils éternel, qui est venu nous le dire et nous apprendre que nous sommes tous frères. C'est lui, le grand artisan de l'ordre et de la paix sur la terre, car c'est lui qui conduit l'histoire humaine, et qui seul peut incliner les cœurs à renoncer aux passions mauvaises, qui engen-

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 10.

drent la guerre et le malheur. C'est lui qui bénit le pain de l'humanité, qui sanctifie son travail et sa souffrance, qui lui donne des joies que vous ne pouvez pas lui donner, et la réconforte dans des douleurs que vous ne pouvez pas consoler.

Dans votre cité terrestre et temporelle, il construit mystérieusement sa cité spirituelle et éternelle, son Eglise. Et que demande-t-elle de vous, cette Eglise, après deux mille ans bientôt de vicissitudes de toutes sortes dans ses relations avec vous, les Puissances de la Terre; que vous demande-t-elle aujourd'hui? Elle vous l'a dit dans un des textes majeurs de ce Concile: elle ne vous demande que la liberté. La liberté de croire et de prêcher sa foi, la liberté d'aimer son Dieu et de le servir, la liberté de vivre et de porter aux hommes son message de vie. Ne le craignez pas: elle est à l'image de son Maître, dont l'action mystérieuse n'empiète pas sur vos prérogatives, mais guérit tout l'humain de sa fatale caducité, le transfigure, le remplit d'espérance, de vérité et de beauté.

Laissez le Christ exercer cette action purifiante sur la société! Ne le crucifiez pas à nouveau: ce serait sacrilège, car il est Fils de Dieu; ce serait suicide, car il est Fils de l'Homme. Et nous, ses humbles ministres, laissez-nous répandre partout sans entraves la « bonne nouvelle » de l'Evangile de la paix, que nous avons méditée pendant ce Concile. Vos peuples en seront les premiers bénéficiaires, car l'Eglise forme pour vous des citoyens loyaux, amis de la paix sociale et du progrès.

En ce jour solennel où elle clôt les assises de son XXIème Concile œcuménique, l'Eglise vous offre par notre voix son amitié, ses services, ses énergies spirituelles et morales. Elle vous adresse à tous son message de salut et de bénédiction. Accueillez-le, comme elle vous l'offre, d'un cœur joyeux et sincère, et portez-le à tous vos peuples! [*Plausus*].

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit quinque exc.mis membris Legatorum Corporis: Baro Prospero Poswick, legato Belgii et decano Corporis legatorum apud Sanctam Sedem; Henrico de Souza Gomes, legato Brasiliae; Seishiro Ogawa, legato Japoniae; Marco Agajyellew, ministro Aethiopiae; Petro Paschali Spinelli, ab O.N.U. misso.

* * *

Em.mus card. D. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, comitantibus em.mis card. DD. Antonio Caggiano, arch. Bonaërensi, et Laureano Rugambwa, ep. Bukobaënsi, legit nuntium ad studiosos.

Aux hommes de la pensée et de la science *

Un salut tout spécial à vous, les chercheurs de la vérité, à vous, les hommes de la pensée et de la science, les explorateurs de l'homme, de l'univers et de l'histoire, à vous tous, les pèlerins en marche vers la lumière, et à ceux aussi qui se sont arrêtés en chemin, fatigués et déçus par une vaine recherche.

Pourquoi un salut spécial pour vous? Parce que nous tous, ici, Evêques, Pères du Concile, nous sommes à l'écoute de la vérité. Notre effort pendant ces quatre ans, qu'a-t-il été, sinon une recherche plus attentive et un approfondissement du message de vérité confié à l'Eglise, sinon un effort de docilité plus parfaite à l'Esprit de vérité?

Nous ne pouvions donc pas ne pas vous rencontrer. Votre chemin est le nôtre. Vos sentiers ne sont jamais étrangers aux nôtres. Nous sommes les amis de votre vocation de chercheurs, les alliés de vos fatigues, les admirateurs de vos conquêtes, et s'il le faut, les consolateurs de vos découragements et de vos échecs.

Pour vous donc aussi, nous avons un message, et c'est celui-ci: continuez à chercher, sans vous lasser, sans désespérer jamais de la vérité! Rappelez-vous la parole d'un de vos grands amis, Saint Augustin: « Cherchons avec le désir de trouver, et trouvons avec le désir de chercher encore ». Heureux ceux qui, possédant la vérité, la cherchent encore, afin de la renouveler, de l'approfondir, de la donner aux autres. Heureux ceux qui, ne l'ayant pas trouvée, marchent vers elle d'un cœur sincère: qu'ils cherchent la lumière de demain avec la lumière d'aujourd'hui, jusqu'à la plénitude de la lumière!

Mais ne l'oubliez pas: si penser est une grande chose, penser est d'abord un devoir; malheur à celui qui ferme volontairement les yeux à la lumière! Penser est aussi une responsabilité: malheur à ceux qui obscurcissent l'esprit par les mille artifices qui le dépriment, l'enorgueillissent, le trompent, le déforment! Quel est le principe de base pour des hommes de science, sinon: s'efforcer de penser juste?

Pour cela, sans troubler vos pas, sans éblouir vos regards, nous venons vous offrir la lumière de notre lampe mystérieuse: la foi. Celui qui nous l'a confiée, c'est le Maître souverain de la pensée, celui dont nous sommes les humbles disciples, le seul qui ait dit et pu dire: « Je suis la lumière du monde, je suis la voie, la vérité et la vie ».

Cette parole vous concerne. Jamais peut-être, grâce à Dieu, n'est

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 11

si bien apparue qu'aujourd'hui la possibilité d'un accord profond entre la vraie science et la vraie foi, servantes l'une et l'autre de l'unique vérité. N'empêchez pas cette précieuse rencontre! Ayez confiance dans la foi, cette grande amie de l'intelligence! Eclairez-vous à sa lumière pour saisir la vérité, toute la vérité! Tel est le souhait, l'encouragement, l'espoir que vous expriment, avant de se séparer, les Pères du monde entier, réunis à Rome en Concile.

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit tribus studiosis: DD. Iacobo Maritain, philosopho; Ioanni Guitton, academico Galliae, Auditori Concilii; Stephano Swiezawski, Auditori Concilii. [*Plausus*].

* * *

Em.mus card. D. Leo-Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, comitantibus em.mis card. DD. Ioanne Landázuri Ricketts, arch. Limano, et Iacobo de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, legit nuntium ad artifices.

Aux artistes *

A vous tous, maintenant, artistes, qui êtes épris de la beauté et qui travaillez pour elle: poètes et gens de lettres, peintres, sculpteurs, architectes, musiciens, hommes du théâtre et cinéastes ... A vous tous l'Eglise du Concile dit par notre voix: si vous êtes les amis de l'art véritable, vous êtes nos amis!

L'Eglise a dès longtemps fait alliance avec vous. Vous avez édifié et décoré ses temples, célébré ses dogmes, enrichi sa liturgie. Vous l'avez aidée à traduire son divin message dans le langage des formes et des figures, à rendre saisissable le monde invisible.

Aujourd'hui comme hier, l'Eglise a besoin de vous et se tourne vers vous. Elle vous dit par notre voix: ne laissez pas se rompre une alliance féconde entre toutes! Ne refusez pas de mettre votre talent au service de la vérité divine! Ne fermez pas votre esprit aux souffles du Saint-Esprit!

Ce monde dans lequel nous vivons a besoin de beauté pour ne pas sombrer dans la désespérance. La beauté, comme la vérité, c'est ce qui met la joie au cœur des hommes, c'est ce fruit précieux qui résiste à l'usure du temps, qui unit les générations et les fait communier dans l'admiration. Et cela par vos mains ...

Que ces mains soient pures et désintéressées! Souvenez-vous que

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 12.

vous êtes les gardiens de la beauté dans le monde: que cela suffise à vous affranchir de goûts éphémères et sans valeur véritable, à vous libérer de la recherche d'expressions étranges ou malséantes.

Soyez toujours et partout dignes de votre idéal, et vous serez dignes de l'Eglise, qui, par notre voix, vous adresse en ce jour son message d'amitié, de salut, de grâce et de bénédiction.

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit tribus artificibus: DD. Nervi, architecto; Malipiero, musico; Ungaretti, poetae. [*Plausus*].

* * *

Em.mus card. D. Leo-Stephanus Duval, arch. Algeriensis, comitantibus em.mis cardd. DD. Iulio Döpfner, arch. Monacensi-Frisingensi et Radulfo Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile, legit nuntium ad mulieres.

Aux Femmes *

Et maintenant, c'est à vous que nous nous adressons, femmes de toutes conditions, filles, épouses, mères et veuves; à vous aussi, vierges consacrées et femmes solitaires: vous êtes la moitié de l'immense famille humaine!

L'Eglise est fière, vous le savez, d'avoir magnifié et libéré la femme, d'avoir fait resplendir au cours des siècles, dans la diversité des caractères, son égalité foncière avec l'homme.

Mais l'heure vient, l'heure est venue, où la vocation de la femme s'accomplit en plénitude, l'heure où la femme acquiert dans la cité une influence, un rayonnement, un pouvoir jamais atteints jusqu'ici.

C'est pourquoi, en ce moment où l'humanité connaît une si profonde mutation, les femmes imprégnées de l'esprit de l'Evangile peuvent tant pour aider l'humanité à ne pas déchoir.

Vous femmes, vous avez toujours en partage la garde du foyer, l'amour des sources, le sens des berceaux. Vous êtes présentes au mystère de la vie qui commence. Vous consolez dans le départ de la mort. Notre technique risque de devenir inhumaine. Réconciliez les hommes avec la vie. Et surtout veillez, nous vous en supplions, sur l'avenir de notre espèce. Retenez la main de l'homme qui, dans un moment de folie, tenterait de détruire la civilisation humaine.

Epouses, mères de famille, premières éducatrices du genre humain

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 13.

dans le secret des foyers, transmettez à vos fils et à vos filles les traditions de vos pères, en même temps que vous les préparez à l'insondable avenir. Souvenez-vous toujours qu'une mère appartient par ses enfants à cet avenir qu'elle ne verra peut-être pas.

Et vous aussi, femmes solitaires, sachez bien que vous pouvez accomplir toute votre vocation de dévouement. La société vous appelle de toutes parts. Et les familles même ne peuvent vivre sans le secours de ceux qui n'ont pas de famille.

Vous surtout, vierges consacrées, dans un monde où l'égoïsme et la recherche du plaisir voudraient faire la loi, soyez les gardiennes de la pureté, du désintéressement, de la piété. Jésus, qui a donné à l'amour conjugal toute sa plénitude, a exalté aussi le renoncement à cet amour humain, quand il est fait pour l'Amour infini et pour le service de tous.

Femmes dans l'épreuve, enfin, qui vous tenez toutes droites sous la croix à l'image de Marie, vous qui, si souvent dans l'histoire, avez donné aux hommes la force de lutter jusqu'au bout, de témoigner jusqu'au martyre, aidez-les encore une fois à garder l'audace des grandes entreprises, en même temps que la patience et le sens des humbles commencements.

Femmes, ô vous qui savez rendre la vérité douce, tendre, accessible, attachez-vous à faire pénétrer l'esprit de ce Concile dans les institutions, les écoles, les foyers, dans la vie de chaque jour.

Femmes de tout l'univers, chrétiennes ou incroyantes, vous à qui la vie est confiée en ce moment si grave de l'histoire, à vous de sauver la paix du monde!

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit tribus mulieribus: DD. Laurae Segni (Italia); Luz Mariae Longoria de Alvarez Icaza, Auditrici Concilii (Mexico); Mariae Aloisiae Monnet, Auditrici Concilii (Gallia). [*Plausus*].

* * *

Em.mus card. D. Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis in « Haute-Volta », comitantibus em.mis cardd. DD. Ioseph Bueno y Monreal, arch. Hispalensi in Hispania, et Ioseph-Humberto Quintero, arch. Caracensi, legit nuntium ad opifices.

Aux travailleurs *

Au cours de ce Concile, nous, les évêques catholiques des cinq continents, avons réfléchi ensemble, entre bien d'autres sujets, aux graves

* *A.A.S.,* 58 (1966), p. 15.

questions que posent à la conscience de l'humanité les conditions économiques et sociales du monde contemporain, la coexistence des nations, le problème des armements, de la guerre et de la paix. Et nous sommes pleinement conscients des incidences que la solution donnée à ces problèmes peut avoir sur la vie concrète des travailleurs et des travailleuses du monde entier. Aussi désirons-nous, au terme de nos délibérations, leur adresser à tous un message de confiance, de paix et d'amitié.

Fils très chers, soyez assurés d'abord que l'Eglise connaît vos souffrances, vos luttes, vos espoirs; qu'elle apprécie hautement les vertus qui ennoblissent vos âmes: le courage, le dévouement, la conscience professionnelle, l'amour de la justice; qu'elle reconnaît pleinement les immenses services que, chacun à sa place, et dans les postes souvent les plus obscurs et les plus méprisés, vous rendez à l'ensemble de la société. L'Eglise vous en sait gré et vous en remercie par notre voix.

En ces dernières années, elle n'a cessé d'avoir présents à l'esprit les problèmes, d'une complexité sans cesse croissante, du monde du travail. Et l'écho qu'ont trouvé dans vos rangs les récentes encycliques pontificales a prouvé combien l'âme du travailleur de notre temps était accordée à celle de ses plus hauts chefs spirituels.

Celui qui a enrichi le patrimoine de l'Eglise de ces messages incomparables, le pape Jean XXIII, avait su trouver le chemin de votre cœur. Il a montré avec éclat, en sa personne, tout l'amour de l'Eglise pour les travailleurs, aussi bien que pour la vérité, la justice, la liberté, la charité, sur lesquelles est fondée la paix dans le monde.

De cet amour de l'Eglise pour vous, les travailleurs, nous voulons, nous aussi, être les témoins auprès de vous, et nous vous disons avec toute la conviction de nos âmes: l'Eglise est votre amie. Ayez confiance en elle! De tristes malentendus, dans le passé, ont trop longtemps entretenu la défiance et l'incompréhension entre nous; l'Eglise et la classe ouvrière en ont souffert l'une et l'autre. Aujourd'hui, l'heure de la réconciliation a sonné, et l'Eglise du Concile vous invite à la célébrer sans arrière-pensée.

L'Eglise cherche toujours à vous mieux comprendre. Mais vous devez chercher à comprendre à votre tour ce qu'est l'Eglise pour vous, les travailleurs, qui êtes les principaux artisans des prodigieuses transformations que le monde connaît aujourd'hui: car vous savez bien que si un puissant souffle spirituel ne les anime, elles feront le malheur de l'humanité, au lieu de faire son bonheur. Ce n'est pas la haine qui sauve le monde! ce n'est pas le seul pain de la terre qui peut rassasier la faim de l'homme.

Ainsi, accueillez le message de l'Eglise. Accueillez la foi qu'elle vous

offre pour éclairer votre route: c'est la foi du successeur de Pierre et des deux mille évêques réunis en Concile, c'est la foi de tout le peuple chrétien. Qu'elle vous éclaire! Qu'elle vous guide! Qu'elle vous fasse connaître Jésus-Christ, votre compagnon de travail, le Maître, le Sauveur de toute l'humanité.

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit tribus opificibus: DD. Patricio Keegan, Auditori Concilii (Anglia); Armando Cagno, membro Associationis Catholicae Operariorum Mediolanensium (Italia); Augusto Vanistendael, Auditori Concilii (Belgium). [*Plausus*].

* * *

Em.mus card. D. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, comitantibus em.mis cardd. DD. Stephano Wyszynski, arch. Varsaviensi et Gnesnensi, et Petro Tatsuo Doi, arch. Tokiensi, legit nuntium ad pauperes, morbo affectos et patientes.

Aux pauvres, aux malades, à tous ceux qui souffrent *

Pour vous tous, frères éprouvés, visités par la souffrance aux mille visages, le Concile a un message tout spécial.

Il sent fixés sur lui vos yeux implorants, brillants de fièvre ou abattus par la fatigue, regards interrogateurs, qui cherchent en vain le pourquoi de la souffrance humaine, et qui demandent anxieusement quand et d'où viendra le réconfort ...

Frères très chers, nous sentons profondément retentir dans nos cœurs de pères et de pasteurs vos gémissements et vos plaintes. Et notre peine s'accroît à la pensée qu'il n'est pas en notre pouvoir de vous apporter la santé corporelle ni la diminution de vos douleurs physiques, que médecins, infirmières, et tous ceux qui se consacrent aux malades s'efforcent de soulager, de leur mieux.

Mais nous avons quelque chose de plus profond et de plus précieux à vous donner: la seule vérité capable de répondre au mystère de la souffrance et de vous apporter un soulagement sans illusion: la foi et l'union à l'Homme des douleurs, au Christ, Fils de Dieu, mis en croix pour nos péchés et pour notre salut.

Le Christ n'a pas supprimé la souffrance; il n'a même pas voulu nous en dévoiler entièrement le mystère: il l'a prise sur lui, et c'est assez pour que nous en comprenions tout le prix.

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 16.

O vous tous, qui sentez plus lourdement le poids de la croix, vous qui êtes pauvres et délaissés, vous qui pleurez, vous qui êtes persécutés pour la justice, vous sur lesquels on se tait, vous les inconnus de la douleur, reprenez courage: vous êtes les préférés du royaume de Dieu, le royaume de l'espérance, du bonheur et de la vie; vous êtes les frères du Christ souffrant; et avec lui, si vous le voulez, vous sauvez le monde!

Voilà la science chrétienne de la souffrance, la seule qui donne la paix. Sachez que vous n'êtes pas seuls, ni séparés, ni abandonnés, ni inutiles: vous êtes les appelés du Christ, sa vivante et transparente image. En son nom, le Concile vous salue avec amour, vous remercie, vous assure l'amitié et l'assistance de l'Eglise et vous bénit.

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit tribus aegrotantibus: Caietano Ponticello, homini trunco ex hospitio, cui nomen « Don Guanella »; Primo Rieti, de quo curam gerit Congregatio Religiosa, cui nomen « Piccole Sorelle dei Poveri »; Francisco Politi, caeco, fideli suo cane comitante, cuius collum Summus Pontifex lemnisco cum numismate exornat. [*Plausus*].

* * *

Em.mus card. D. Gregorius Petrus Agagianian, comitantibus em.mis cardd. DD. Valeriano Gracias, arch. Bombayensi et Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, legit nuntium ad iuvenes.

Aux jeunes *

C'est à vous enfin, jeunes gens et jeunes filles du monde entier, que le Concile veut adresser son dernier message. Car c'est vous qui allez recueillir le flambeau des mains de vos aînés et vivre dans le monde au moment des plus gigantesques transformations de son histoire. C'est vous qui, recueillant le meilleur de l'exemple et de l'enseignement de vos parents et de vos maîtres, allez former la société de demain: vous vous sauverez ou vous périrez avec elle.

L'Eglise, quatre années durant, vient de travailler à rejeunir son visage, pour mieux répondre au dessein de son Fondateur, le grand Vivant, le Christ éternellement jeune. Et au terme de cette imposante « révision de vie », elle se tourne vers vous. C'est pour vous, les jeunes, pour vous surtout, qu'elle vient, par son Concile, d'allumer une lumière: lumière qui éclaire l'avenir, votre avenir.

L'Eglise est soucieuse que cette société que vous allez constituer

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 17.

respecte la dignité, la liberté, le droit des personnes: et ces personnes, ce sont les vôtres.

Elle est soucieuse surtout que cette société laisse s'épanouir son trésor toujours ancien et toujours nouveau: la foi, et que vos âmes puissent baigner librement dans ses bienfaisantes clartés. Elle a confiance que vous trouverez une telle force et une telle joie, que vous ne serez pas même tentés, comme certains de vos aînés, de céder à la séduction des philosophies de l'égoïsme et du plaisir, ou à celles du désespoir et du néant; et qu'en face de l'athéisme, phénomène de lassitude et de vieillesse, vous saurez affirmer votre foi dans la vie et dans ce qui donne un sens à la vie: la certitude de l'existence d'un Dieu juste et bon.

C'est au nom de ce Dieu et de son Fils Jésus que nous vous exhortons à élargir vos cœurs aux dimensions du monde, à entendre l'appel de vos frères et à mettre hardiment à leur service vos jeunes énergies. Luttez contre tout égoïsme. Refusez de laisser libre cours aux instincts de violence et de haine, qui engendrent les guerres et leur cortège de misères. Soyez généreux, purs, respectueux, sincères. Et construisez dans l'enthousiasme un monde meilleur que celui de vos aînés!

L'Eglise vous regarde avec confiance et avec amour. Riche d'un long passé toujours vivant en elle, et marchant vers la perfection humaine dans le temps et vers les destinées ultimes de l'histoire et de la vie, elle est la vraie jeunesse du monde. Elle possède ce qui fait la force et le charme des jeunes: la faculté de se réjouir de ce qui commence, de se donner sans retour, de se renouveler et de repartir pour de nouvelles conquêtes. Regardez-la, et vous retrouverez en elle le visage du Christ, le vrai héros, humble et sage, le prophète de la vérité et de l'amour, le compagnon et l'ami des jeunes. C'est bien au nom du Christ que nous vous saluons, que nous vous exhortons et vous bénissons.

Lectione expleta, Summus Pontifex nuntii textum tradit tribus iuvenibus, Auditoribus Concilii: DD. Ioanni Vasquez (Argentina); Eusebio Adjakpley (Togo); Margaritae Moyano Llerena (Argentina). [*Plausus*].

Tunc sex pueri, qui durante Missa communionem acceperant de manibus Summi Pontificis, actiones gratiarum exprimunt Pontifici, qui eis tradit unicuique proprium mnemosynon.

* * *

Exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis Concilii, de manu Summi Pontificis accipit Litteras Apostolicas: *In Spiritu Sancto,* pro conclusione Concilii Oecumenici Vaticani II, et illas legit:

PAULUS PP. VI *

Ad perpetuam rei memoriam. — In Spiritu Sancto congregatum et obtectum praesidio Beatae Mariae Virginis, quam Matrem Ecclesiae renuntiavimus, Sancti Ioseph eius incliti Sponsi nec non Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum sine dubio maximis Ecclesiae eventis est accensendum: etenim frequentissimum fuit numero Patrum, qui ex omnibus orbis terrarum partibus, ex iis etiam, in quibus hierarchicus ordo recens est constitutus, ad Petri Sedem convenerant; copiosissimum fuit argumentis, quae in quattuor Sessionibus studiose et accurate sunt pertractata; convenientissimum denique fuit, quod, necessitatum, quas haec aetas induxit, habens rationem, utilitates pastorales imprimis attendit et, flammam alens caritatis, magnopere est annisum, ut christifideles a Sedis Apostolicae communione adhuc seiunctos, quin immo universam humanam familiam fraterno attingeret animo. Quandoquidem ergo omnia ad idem Sacrosanctum Oecumenicum Concilium spectantia, Deo adiuvante, in praesenti absoluta sunt, atque omnes Constitutiones, Decreta, Declarationes et Vota synodali deliberatione approbata riteque a Nobis promulgata, idem Concilium Oecumenicum a Decessore Nostro f. r. Ioanne XXIII die XXV mensis decembris anno MCMLXI indictum, die autem XI mensis octobris anno MCMLXII inchoatum, atque post eius piissimum obitum a Nobis continuatum, auctoritate Nostra Apostolica concludere decernimus atque statuimus ad omnes iuris effectus. Mandamus autem ac praecipimus, ut quae synodaliter in Concilio statuta sunt, sancte et religiose ab omnibus christifidelibus serventur ad Dei gloriam, ad Sanctae Matris Ecclesiae decus et ad hominum universorum tranquillitatem et pacem. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis decembris, in festo Conceptionis Immaculatae B. M. V., anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

---

* *A.A.S.*, 58 (1966), p. 16.

Litteris Apostolicis perlectis, quinque episcopi ritus latini et unus episcopus ritus orientalis, omnes partes terrae repraesentantes, ante altare consistunt et acclamationes cantant, ad quas universus coetus respondet: *Christus vincit, Christus regnat ...*

Acclamationibus expletis, Summus Pontifex Benedictionem forma sollemni impertitur:

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum!
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Summus Pontifex: Benedicat vos omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.
℟. Amen.

Pontifex subiungit: In nomine Domini nostri Iesu Christi ite in pace.

Omnes respondent: Deo gratias! [*Plausus*].

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio generalis CLXV

Congregatio generalis CLXVI

Congregatio generalis CLXVII

Sacra Celebratio ad Christianorum Unitatem fovendam

Congregatio generalis CLXVIII

Sessio publica IX

SESSIO PUBLICA X